Anglesey c.s.s. From Dr Bates Dec. 15. 1680.

VITÆ SELECTORUM ALIQUOT VIRORUM

Qui Doctrinâ, Dignitate, aut Pietate

INCLARUERE.

Jno: Gray.

Inſpicere tanquam in ſpeculum vitas omnium
Jubeo, atque ex aliis ſumere exemplum tibi. Terent.

LONDINI,

Typis *A. G.* & *J. P.* & proſtant venales apud *Georgium Wells*, ad Inſigne Solis Cœmeterio *Paulino*, 1681.

Eorum Nomina Virorum Selectorum.

(*VIZ.*)

Vita Henrici Chichele Archiep. Cantuarienſ, per Arthur Duck Pag. 1
Vita Gul. Waynfleti Epiſc. Wintonienſis & Angliæ Cancellarii per Gul. Buddenum 49
Vita Joan. Pici Mirandulæ per Joan. Franciſcum Principem Mirandulæ conſcript. 90
Vita Hier. Savonarolæ per Joan. Picum Mirandulæ Princip. 107
Vita Petri Bembi Card. per Joan. Caſam 140
Vita Gaſp, Contareni Card. per Joan. Caſam 154
Vita Deſid. Eraſmi per Rhenanum 187
Vita Gul. Budæi per Lud. Rhegium 215
Vita Chriſtophori Longolii 240
De Obitu Mart. Buceri Epiſtolæ duæ 250
Vita Bernardi Gilpini per Georg, Carletonum Epiſcop. Ciſtrenſem 282
Vita Vincentii Pinelli per Gualdum 314
Vita Scævolæ Sammarthani 379
Vita Julii Cæſaris Scaligeri 404
Dan. Heinſii Epiſtola de morte Joſephi Scaligeri 417
Vita Hugonis Grotii 420
Vita Pet. Pithœi 435
Laudatio Funebris Henrici Walliæ Princip. per Fran. Neatherſole Accad. Cantab. Orator. 401
Oratio Funebris in Obitum Tho. Bodleii Equitis Celeberrimæ apud Oxonienſes Bibliothecæ Fundatoris 416
Laudatio Funebris in Obitum Ulderici Daniæ Reg. Fil. per Opitium 432
Comment. de Domino Fabiano à Dona per Gerhardum Voſſium 446
Laudatio Funebris Frederici Henrici Auraufionenſium Principis per Frid. Spanhemium 493
Panegericus à Balth. Venatore 526
Julii Cæſaris Lagallæ Vita per Leon. Allatium 575
Commemoratio Vitæ Gulielm. Cambdeni per Degor. Wheare. 589
Vita Antonii Walæi 600
Vita Petri Puteani per Nic. Rigaltium 660
Henrici Valeſii Oratio in Obitum Dion. Petavii 678
Henrici Valeſii Oratio in Obitum Jac. Sirmondi 687
Petri Molinæi Vita 697
Vita Henrici Valeſii per Hadrian. Valeſium 719
Vita Jac. Uſſerii Armachani 734

08 :: 891

Illuſtri Nobiliſſimoq; D. Domino *Gulielmo Ruſſel, Bedfordiæ* Comitis filio natu maximo.

Honoratiſſime Domine,

Hiſtoria non immeritò magna vitæ humanæ lux & magiſtra ſemper habita eſt; quippè quæ omnes hominum ordines ad officia cuique propria & idonea & ſuaviter inſtituat, & moveat efficaciter. Enimvero exempla in formandis hominum animis ad virtutem vim quandam obtinent ſingularem, & majores, quam nuda præcepta, aculeos habent, quibus homines ad actiones ſecundum virtutem incitentur. Qui quum hiſtoriæ uſus & finis ſit præcipuus, ea demum hiſtoria maximi profectò æſtimanda erit, non quæ rebus magnificis, bellorum ſtragibus, cæteriſque ejuſmodi inanem quandam voluptatem afferre ſolet lectoribus, ſed quæ res utiles exhibet ac imitatione dignas. Atque hac potiſſimum de cauſa præſtantium virorum vitæ fideliter conſcriptæ plurimum certè habent utilitatis; ex iis enim facile conſtat quâ ratione vitæ ſuæ modum inſtituere ſoleant, affectus cohibere, ſeque ipſos in variis vitæ circumſtantiis moderari; tum verò, ut quandoque vel ex imbecillitate lapſi ſunt, vel per errorem à virtutis ſemita deviârunt. Quapropter opus non minus utile quàm gratum & jucundum duxi, illuſtrium virorum vitas à variis quidem autoribus antehac conſcriptas, & ſeperatim editas, nonnullis de novo additis in unum volumen compingere. Cujus ego frontiſpicium quod honorando tuo nomine decoraverim, cum præcellentes tuæ virtutes, tum gratitudo quâ proſequor amorem erga me tuum amicitiamque ſingularem, effecerunt.

Non eſt mihi animus in ampliſſimum ſimul & nobiliſſimum virtutum tuarum campum excurrere, quæ nullis egent verborum ornamentis quibus illuſtrentur, ſed verbis ipſis poterunt ſplendorem ſuum fœnerari. Neque tamen de eis interim omnino certè conticeſcam. Illud equidem veriſſimè potero, & abſque omni adulatione affirmare, animi tui generoſitatem nobilitatem generis adæquare. Virtus quidem non ſemper unà cum hæreditate ad poſteros tranſmittitur; verum quemadmodum Jordanus fluvius (uti teſtantur Geographi) è monte Libano inter cedros originem ducens, poſtquam deinde longo itinere terras limpidiſſimis ſuis & fœcundis aquis irrigaverit, tandem in mari mortuo ſepelitur; ità ſæpius uſu venire compertum eſt, ut majoribus orti nobiliſſimis generis ſui ſplendorem moribus pravis obſcuraverint: Tu autem, Domine, majorum tuorum virtutes habes unà cum ſanguine in te tranſfuſas ac derivatas,

Si

Si privatam tuam vitam inspiciamus, temperantia tua, justitia, bonitas, & erga Dei oracula reverentia exemplum exhibent rarum quidem & spectabile, idque etiam in hoc sæculo tam corrupto & atheismi pleno, cum multi qui glorioſissima pars hominum haberi volunt, ſolis tamen titulis ſuis & comitatu, audaciore impietate, & majore ſuo luxu à vili plebecula ſecernuntur.

Quæ autem in publico hujus regni theatro egeris, omnem quidem laudem videntur exſuperâſſe. Conſiliorum tuorum integritas inflexibilis, & cum prudentia conjuncta fortitudo, (poſthabitis illis, quæ vulgares animas captivas ducant, illecebris ac terriculamentis) abunde certè teſtantur te ſtudia tua & conatus omnes patriæ imprimis conſecraſſe. Inviolabilis autem illa tua erga regem fides eſt ſanè maximè conſpicua & deprædicanda. Sicut enim heroicæ planè virtutis eſt (obſervante philoſopho) & ſupremum gradum conſecutæ, ad conſcientiam recti honeſtique conſervandam famam ejus poſſe contemnere, ita ſanè in conſiliis tuis efficaciſſima quæque media ad regem regnumque ejus conſervandum adhibuiſti, utcunque nonnullorum hominum (qui omnem ſibi fidelitatem arrogant) calumnias effugere non potueris, quaſi in ea parte officio tuo defuiſſes. Verum his omnibus accedit & quaſi coronam imponit, ſummus ille tuus ſine omni fuco & affectatione zelus, quo veram puramque Chriſti religionem proſequeris. Cujus manifeſtum ſanè indicium præbes, dum poſthabitis rectis illis, ſpecioſis quidem, at inutilibus, quibus aliqui plus nimio tribuunt, conaris animitus ut qui in doctrinæ cultuſque ſubſtantialibus conveniunt, ut ut in levioris momenti rebus diſſentientes, in unum amicè coaleſcant; ne per diſſidia ſua communi hoſti, crudeli ac inquieto, præda tandem fiant, ac triumphandi materia.

Hæc ea ſunt, præſtantiſſime Domine, quibus teipſum optimorum ſane ac prudentiſſimorum hominum pectoribus inſeruiſti. Neque ullus dubito quin honos tuus tibi ipſi ſuperſtes, ac poſteritatis memoriæ firmiter infixus ſit futurus. Illud autem præcipuè te movere debet ad perſeverandum in præclaro tuo incepto, nempe ut approbationem Dei, veramque illam, qui à ſolo Deo proficiſcitur, honorem conſequaris. Ille, ille per omnes temporis viciſſitudines evadet victor, præ quo omnes totius mundi laudationes tam nihil ſunt quàm emortua ſcintilla, ſi cum meridiano ſole conferatur. Sanctè ambitioſus eſt qui illum quærit, ac ardentiſſimos ſuos conatus omnes in eo conſequendo meritiſſime collocabit. Omnipotenti dei bonitati dominationem tuam commendo, ut te conſilio ſuo dirigere dignetur, ac tandem ad æternam gloriam perducere, finem illum hominis ultimum ac beatiſſimum.

Honoris tui ſervus humillimus ac fideliſſimus

GULIELMUS BATESIUS.

VITA
HENRICI CHICHELE
ARCHIEPISCOPI
CANTUARIENSIS.

HENRICUS CHICHELE in antiquo agri Northamptonienſis oppido (quod à Ferrariis, in quorum dominio olim erat, Heighamferrers vulgo denominatur) natus eſt Patre Thoma Chichele, Matre Agnete, familiâ obſcurâ, quam virtutibus ſuis illuſtrem apud poſteros deinceps reddidit. Adoleſcens juri Civili & Canonico operam dedit Oxonii inter ſocios Collegii Novi à Gulielmo Wyckam Wyntonienſi Epiſcopo adhuc ſuperſtite aſcriptus (qui duo Collegia magnifica & opulenta, illud Oxonii, alterum Wyntoniæ ſumptu immenſo nuperrimè conſtruxerat) in quibus ſtudiis ſummâ indole & induſtriâ uſus, Doctoris Legum inſignia adeptus eſt. Ex Academia evocatus eſt à Richardo Medeford Epiſcopo Sarisburienſi, à quo inter domeſticos & familiares primo aſcitus, & poſtea conſiliis omnibus & ſecretis adhibitus, cum eo conjunctiſſimè ſemper & amiciſſimè vixit. Ab eo Archiadiconatum Sarisburienſem primò conſecutus eſt, qui primus ad dignitates Eccleſiaſticas illi gradus fuit, eundémque Walterus Fitzpers Sacerdos diplomate regis Henrici deſignatus lite intentatâ vendicabat; unde cauſa per appellationem ad Thomam Arundel Archiepiſcopum Cantuarienſem devoluta, ab Auditore cauſarum legati poteſtate delegato dignitas, Henrico adjudicata eſt. Erat ille annus humanæ ſalutis MCCCCII, & III. cum regnaret Henricus quartus quo Henricus Archidiaconus Sarisburienſis factus eſt eoque munere ſedulò per biennium functus, Cancellarius Eccleſiæ Sarisburienſis conſtitutus eſt. Nam cum Walterus Medeford Epiſcopi frater illius Eccleſiæ Cancellarius eſſet, ex cauſa permutationis ſecundum juris Canonici inſtituta ritè factæ, uterque dignitatem ſuam abdicavit, & Henricus ab Epiſcopo Eccleſiæ Sarisburienſis Cancellarius, Walterus ejuſdem Eccleſiæ Archidiaconus factus eſt. Erat autem dignitati Cancellarii annexa Eccleſia Parochiæ Odyhamenſis in Dioceſi Wyntonienſi: eam etiam unà cum munere Cancellarii vacantem Epiſcopus Henrico tribuit, in cujus poſſeſſionem illicò miſſus eſt à Cu-

1402.
1403.

ſtode jurium ſedis Wyntonienſis, quæ tum Epiſcopo carebat per mortem Gulielmi Wyckam, qui V. Calend. Octob. ejuſdem anni, vitam in ea Eccleſia ſplendidè actam cum æterna commutaverat. Haſce dignitates Richardi Epiſcopi Sarisburienſis beneficio conſecutus eſt, qui Henricum ſemper chariſſimum habuit, & cum poſt tres annos moreretur, ei cyathum auratum cum operculo in teſtamento verbis honorificis legavit, eundémque executoribus ſuis in iiſdem tabulis nominatis præeſſe juſſit. Cæperant interea Henrici virtutes omnibus innoteſcere, & præſertim Henrico quarto Regi, qui eum poſtea pluribus negotiis adhibuit. Erat enim in ipſo præter inſignem literarum cognitionem ingenium acre & perſpicax, quod cum rerum uſu & prudentiâ civili conjunctum, eum ad res gerendas promptiſſimum reddidit. Præter negotia Regis domi præclarè geſta, è publicis muneribus primùm ei obtigit Legatio eximia, à rege inter illos legatos deſignato, quos ad Gregorium XII. Pontificem Rom. miſit, ſive ut Pontifici ſedem ſuam nuper adepto gratularetur, ſive ut eum cum Benedicto XIII. conciliaret, qui Pontificem Maximum Avinioni agebat. Legati in Italiam venientes, Romam profecturi, Senis Gregorium inveniunt, quæ civitas Hetruriæ amæniſſima ſimul & nobiliſſima tum temporis reip. jure ſuis legibus utebatur, poſtea à Medicæis debellata eſt, hodiéque magnorum Hetruriæ Ducum Imperio paret; ibi verò legatos noſtros viros eximios * Theodoricus Niemenſis Gregorio libellorum ſupplicum magiſter, qui tum in aula Pontificia Senis erat, ſeipſum vidiſſe atteſtatur. Ut omittam reliquos Legatos, quorum nomina è memoria hominum ſcriptorum vitio exciderunt, quam bene Henricus hoc munus geſſerit, quamtámque gratiam apud Pontificem eo nomine promeruerit, Gregorius luculentè mox demonſtrabat: nam cum ad aulam Romanam illico delatum eſſet, Guidonem Mone Epiſcopum Menevenſem mortuum fuiſſe pridie Kal. Septem. ejuſdem anni, poſt legatorum ex Anglia diſceſſum, Henricum Epiſcopum Menevenſem ultrò renunciat, eumque ſuis manibus more majorum conſecrat IIII. Non. Octob. literiſque ad Thomam Arundell Cantuarienſem datis denunciat, ſe ex conſilio Cardinalium Eccleſiæ Menevenſi vacuæ Epiſcopum præfeciſſe Henricum Chichele, Eccleſiæ Sarisbuienſis Cancellarium, legum Doctorem, & Sacerdotem, virum prudentiâ, integritate, multiſque virtutibus inſignem, rogans porrò ut eundem in muneris ſui adminiſtratione commendatum habeat. Henricus Gregorium Senis Lucam contendentem ſequutus eſt, & cum eo ad finem
1408. Aprilis anni inſequentis manſit; tum autem ex Legato Epiſcopus domum redit, & VII. Kal. Sept. Eccleſiam Cantuarienſem pro more adeuns, Archiepiſcopo, & ſucceſſoribus ejus obedientiam reverentiámque juſtam & canonicam ſacramento pollicetur. Hoc autem munere quàm dignus ab omnibus haberetur, Epiſcopi & Prælati Provinciæ Cantuarienſis ad Synodum Londi-
1409. nenſem Menſe Januarii ſequentis convocati ampliſſimo teſtimonio comprobârunt. Cum enim in ea Synodo ageretur de legatis pro gente Anglorum ad Synodum œcumenicam Piſas mittendis, Robertus Hallum Sarisburienſis, Henricus Chichele Menevenſis, Epiſcopi, & Thomas Chillingdon Prior Eccleſiæ Cantuarienſis, Legum Doctores, omnium ſuffragiis electi ſunt, & decretum porrò, ut ſinguli beneficiorum poſſeſſores de ſingulis proventuum ſuorum libris quatuor denarios in eorum ſumptus erogarent. Indicebatur ea Synodus

Piſis

* Le Neve Monast. c. 31.

Piſis à Collegio Cardinalium Liburni coeuntium pro conciliando ſchiſmate inter Gregorium XI & Benedictum XIII, quorum ille Romæ, hic Avinioni pro Pontifice Romano ſe gerebat. De quo ſchiſmate, quia in ſequentibus aliquoties dicendum erit, conſentaneum inſtitutæ narrationi videtur, unde originem habuerit, quibuſque modis invaluerit, altiùs ducto initio breviter explicare.

Poſtquam Philippus Pulcher Galliæ rex Bonifacij VIII. Pontificis Romani execrationes eluſerat, & amentiam ipſius coarguerat, literis ad eum datis quæ apud pleroſque ejus ſeculi ſcriptores habentur, ipſumque demum dignitate Pontificia ſpoliaverat, Cardinales regis offenſionem veriti, Clementem V Guaſconem, Gallum, Pontificem eligunt. Ille à Collegio Cardinalium Peruſii cum abſens eſſet creatus, eos omnes Lugdunum evocat, ubi in æde Divi Juſti præſentibus Philippo Galliæ, Eduardo Angliæ, & Alfonſo Arragoniæ regibus coronam accipit, anno ſalutis reparatæ MCCCV, eodemque anno creatis multis Cardinalibus Gallis, ſedem Avinioni conſtituit, ubi etiam eo mortuo ſex inſequentes Romani Pontifices, Joannes XXIII. Caturcinus, Benedictus XII. Tholoſanus, Clemens VI, Innocentius VI, Urbanus V, Gregorius XI, Lemovicenſes, Galli omnes Româ derelictâ per ſeptuaginta annos permanſerunt. Horum ſane Pontificum, præſertim Clementis V, & Joannis XXIII, rapinas, libidines, luxuriam, gulam graviſſimè perſtringunt, Romanamque Curiam Babylonem appellant poetæ Itali, * Dantes Aldigerius, & * Franciſcus Petrarcha, qui ſub illis Avinioni in aula Romanâ degebant, ſive quod Gallis infeſti erant, ſive quod viri integerrimi perditiſſimos eorum mores pati non poterant. Solum Clemens V à Juriſconſultis ſæpe memoratur, quod librum Clementinarum in Concilio Viennenſi à ſe editum Juri Canonico adjecerit. Ceterum Gregorius XI, urbis Romanæ ruinis, Italiæque tumultibus commotus, relictâ clam Avinione Romam redit anno MCCCLXXVI, ab exceſſu Pontificum ſeptuageſimo primo, ubi incredibili omnium lætitia exceptus, baſilicas, palatia, ædificia, & civitatis mœnia collapſa cœpit reſtaurare. Eo poſt biennium mortuo Cardinales, qui ferè omnes Galli erant, populi Romani injurias metuentes, qui Italum poſtulabat, Pontificem eligunt Bartholomeum Barenſem Archiepiſcopum, qui, mutato nomine, Urbanus VI dici voluit. Ille verò cum nomine mores etiam ſubito mutavit; nam cum ab omnibus moderati ingenij vir haberetur, Cardinales univerſos incipiebat graviter increpare, & cum Otho Brunſuicenſis Tarenti Princeps, qui Joannam Siciliæ reginam duxerat, in genua procumbens ei poculum in prandio porrigeret, principem aliquandiu ita ſubſiſtere paſſus eſt, donec à Cardinalibus admonitus ægre ab eo poculum acciperet. Quem quidem Pontificis faſtum & ſeveritatem intempeſtivam Cardinales moleſtè ferentes, Fundos, civitatem in regno Neapolitano, confugiunt, ubi renunciato prius electionem Urbani nullius momenti eſſe, quod metu & vi facta eſſet, denuo Rupertum Cardinalem Genevenſem eligunt, qui Clemens VI dici voluit, & Avinionem cum ſuis Cardinalibus ſeceſſit. Ita hic Avinioni, ille Romæ creatis novis Cardinalibus Pontificem agit, & inter eos univerſus orbis Chriſtianus diviſus eſt: Germani ſiquidem, Angli, Poloni, Hungari, Boemi, Daci, Sueci, & Itali plærique Urbano, Galli autem & Hiſpani Clementi obtemperabant. Urbanus in Pontificatu ſuo quem per XI annos geſſit, Eccleſiæ digni-

* *Dell'inferno, canto 19. & del Paradiſo Canto 27.*

* *Nella terza parte, ſonetto. 8. 9. 10. & etiſ. 20.*

ſtode jurium ſedis Wyntonienſis, quæ tum Epiſcopo carebat per mortem Gulielmi Wyckam, qui V. Calend. Octob. ejuſdem anni, vitam in ea Eccleſia ſplendidè actam cum æterna commutaverat. Haſce dignitates Richardi Epiſcopi Sarisburienſis beneficio conſecutus eſt, qui Henricum ſemper chariſſimum habuit, & cum poſt tres annos moreretur, ei cyathum auratum cum operculo in teſtamento verbis honorificis legavit, eundémque executoribus ſuis in iſdem tabulis nominatis præeſſe juſſit. Cæperant interea Henrici virtutes omnibus innoteſcere, & præſertim Henrico quarto Regi, qui eum poſtea pluribus negotiis adhibuit. Erat enim in ipſo præter inſignem literarum cognitionem ingenium acre & perſpicax, quod cum rerum uſu & prudentiâ civili conjunctum, eum ad res gerendas promptiſſimum reddidit. Præter negotia Regis domi præclarè geſta, è publicis muneribus primùm ei obtigit Legatio eximia, à rege inter illos legatos deſignato, quos ad Gregorium XII. Pontificem Rom. miſit, ſive ut Pontifici ſedem ſuam nuper adepto gratularetur, ſive ut eum cum Benedicto XIII. conciliaret, qui Pontificem Maximum Avinioni agebat. Legati in Italiam venientes, Romam profecturi, Senis Gregorium inveniunt, quæ civitas Hetruriæ amæniſſima ſimul & nobiliſſima tum temporis reip. jure ſuis legibus utebatur, poſtea à Medicæis debellata eſt, hodiéque magnorum Hetruriæ Ducum Imperio paret; ibi verò legatos noſtros viros eximios * Theodoricus Niemenſis Gregorio libellorum ſupplicum magiſter, qui tum in aula Pontificia Senis erat, ſeipſum vidiſſe atteſtatur. Ut omittam reliquos Legatos, quorum nomina è memoria hominum ſcriptorum vitio exciderunt, quam bene Henricus hoc munus geſſerit, quamtámque gratiam apud Pontificem eo nomine promeruerit, Gregorius luculentè mox demonſtrabat: nam cum ad aulam Romanam illico delatum eſſet, Guidonem Mone Epiſcopum Menevenſem mortuum fuiſſe pridie Kal. Septem. ejuſdem anni, poſt legatorum ex Anglia diſceſſum, Henricum Epiſcopum Menevenſem ultrò renunciat, eumque ſuis manibus more majorum confecrat IIII. Non. Octob. literiſque ad Thomam Arundell Cantuarienſem datis denunciat, ſe ex conſilio Cardinalium Eccleſiæ Menevenſi vacuæ Epiſcopum præfeciſſe Henricum Chichele, Eccleſiæ Sarisbuienſis Cancellarium, legum Doctorem, & Sacerdotem, virum prudentiâ, integritate, multiſque virtutibus inſignem, rogans porrò ut eundem in muneris ſui adminiſtratione commendatum habeat. Henricus Gregorium Senis Lucam contendentem ſequutus eſt, & cum eo ad finem
1408. Aprilis anni inſequentis manſit; tum autem ex Legato Epiſcopus domum redit, & VII. Kal. Sept. Eccleſiam Cantuarienſem pro more adeuns, Archiepiſcopo, & ſucceſſoribus ejus obedientiam reverentiámque juſtam & canonicam ſacramento pollicetur. Hoc autem munere quàm dignus ab omnibus haberetur, Epiſcopi & Prælati Provinciæ Cantuarienſis ad Synodum Londi-
1409. nenſem Menſe Januarii ſequentis convocati ampliſſimo teſtimonio comprobârunt. Cum enim in ea Synodo ageretur de legatis pro gente Anglorum ad Synodum œcumenicam Piſas mittendis, Robertus Hallum Sarisburienſis, Henricus Chichele Menevenſis, Epiſcopi, & Thomas Chillingdon Prior Eccleſiæ Cantuarienſis, Legum Doctores, omnium ſuffragiis electi ſunt, & decretum porrò, ut ſinguli beneficiorum poſſeſſores de ſingulis proventuum ſuorum libris quatuor denarios in eorum ſumptus erogarent. Indicebatur ea Synodus

Piſis

* In annal. Dunſtap. f. 331.

Piſis à Collegio Cardinalium Liburni coeuntium pro conciliando ſchiſmate inter Gregorium XI & Benedictum XIII, quorum ille Romæ, hic Avinioni pro Pontifice Romano ſe gerebat. De quo ſchiſmate, quia in ſequentibus aliquoties dicendum erit, conſentaneum inſtitutæ narrationi videtur, unde originem habuerit, quibuſque modis invaluerit, altiùs ducto initio breviter explicare.

Poſtquam Philippus Pulcher Galliæ rex Bonifacij VIII. Pontificis Romani execrationes eluſerat, & amentiam ipſius coarguerat, literis ad eum datis quæ apud pleroſque ejus ſeculi ſcriptores habentur, ipſumque demum dignitate Pontificia ſpoliaverat, Cardinales regis offenſionem veriti, Clementem V Guaſconem, Gallum, Pontificem eligunt. Ille à Collegio Cardinalium Peruſii cum abſens eſſet creatus, eos omnes Lugdunum evocat, ubi in æde Divi Juſti præſentibus Philippo Galliæ, Eduardo Angliæ, & Alfonſo Arragoniæ regibus coronam accipit, anno ſalutis reparatæ MCCCV, eodemque anno creatis multis Cardinalibus Gallis, ſedem Avinioni conſtituit, ubi etiam eo mortuo ſex inſequentes Romani Pontifices, Joannes XXIII. Caturcinus, Benedictus XII. Tholoſanus, Clemens VI, Innocentius VI, Urbanus V, Gregorius XI, Lemovicenſes, Galli omnes Româ derelictâ per ſeptuaginta annos permanſerunt. Horum ſane Pontificum, præſertim Clementis V, & Joannis XXIII, rapinas, libidines, luxuriam, gulam graviſſimè perſtringunt, Romanamque Curiam Babylonem appellant poetæ Itali, * Dantes Aldigerius, & * Franciſcus Petrarcha, qui ſub illis Avinioni in aula Romana degebant, ſive quod Gallis infeſti erant, ſive quod viri integerrimi perditiſſimos eorum mores pati non poterant. Solum Clemens V à Juriſconſultis ſæpe memoratur, quod librum Clementinarum in Concilio Viennenſi à ſe editum Juri Canonico adjecerit. Ceterum Gregorius XI, urbis Romanæ ruinis, Italiæque tumultibus commotus, relictâ clam Avinione Romam redit anno MCCCLXXVI, ab exceſſu Pontificum ſeptuageſimo primo, ubi incredibili omnium lætitia exceptus, baſilicas, palatia, ædificia, & civitatis mœnia collapſa cœpit reſtaurare. Eo poſt biennium mortuo Cardinales, qui ferè omnes Galli erant, populi Romani injurias metuentes, qui Italum poſtulabat, Pontificem eligunt Bartholomeum Barenſem Archiepiſcopum, qui, mutato nomine, Urbanus VI dici voluit. Ille verò cum nomine mores etiam ſubito mutavit; nam cum ab omnibus moderati ingenij vir haberetur, Cardinales univerſos incipiebat graviter increpare, & cum Otho Brunſuicenſis Tarenti Princeps, qui Joannam Siciliæ reginam duxerat, in genua procumbens ei poculum in prandio porrigeret, principem aliquandiu ita ſubſiſtere paſſus eſt, donec à Cardinalibus admonitus ægre ab eo poculum acciperet. Quem quidem Pontificis faſtum & ſeveritatem intempeſtivam Cardinales moleſtè ferentes, Fundos, civitatem in regno Neapolitano, confugiunt, ubi renunciato prius electionem Urbani nullius momenti eſſe, quod metu & vi facta eſſet, denuo Rupertum Cardinalem Genevenſem eligunt, qui Clemens VI dici voluit, & Avinionem cum ſuis Cardinalibus ſeceſſit. Ita hic Avinioni, ille Romæ creatis novis Cardinalibus Pontificem agit, & inter eos univerſus orbis Chriſtianus diviſus eſt: Germani ſiquidem, Angli, Poloni, Hungari, Boemi, Daci, Sueci, & Itali plærique Urbano, Galli autem & Hiſpani Clementi obtemperabant. Urbanus in Pontificatu ſuo quem per XI annos geſſit, Eccleſiæ digni-

* *Dell'inferno, canto 19. & del Paradiſo Canto 27.*

* *Nella terza parte, ſonetto 8. 9. 10. & ſeqq.*

tates viliſſimis Cardinalibus creatis dehoneſtavit, & inter principes Chriſtianos bella concitavit, unde à pleriſque pro Urbano Turbanus dicebatur: vir omnium qui unquam Romanam ſedem tenuerunt crudeliſſimus; nam ex Epiſcopis & Cardinalibus qui Clementi occulto favere inſimulabantur, alios carceribus, alios tormentis addixit, & poſtremò è Cardinalibus ſex præſtantiſſimos morte multavit, quorum unum in itinere ſe conſpiciente immaniter trucidari, reliquos quinque dum Genuæ eſſet culeis inſutos in mare proijci juſſit. Clemens interea Avinioni vitiis æmuli ſui parum conceſſit, quem omnes tradunt fuiſſe ambitioſum, prodigum, pervicacem, ſuperbum, & qui præter familiæ ſuæ nobilitatem (erat enim è familia Comitum Genevenſium) de cætero nihil haberet quod in eo poſſet laudari. In Urbani demortui locum ſuffectus eſt Romæ Petrus Tomacellus Cardinalis, qui mox appellatus eſt Bonifacius IX, & mortuo paulò poſtea Clemente Avinioni, Cardinales ne capite deſtituerentur, Pontificem eligunt Petrum de Luna Hiſpanum, qui Benedictus XIII dici voluit. Hi vero eos quibus ſucceſſerunt vitiis etiam ſuperarunt, neque eorum utervis ut pax Eccleſiæ conciliaretur, voluit de ſua dignitate decedere. Bonifacius cum eligeretur non ſolum ſcribendi, canendi, & literarum omnium præter Grammaticam, verum etiam rerum gerendarum expers erat, & in munere ſuo id ſolum contendebat, ut nepotes ſuos locupletaret per ſacrorum omnium mercaturam, quam ille quidem ex omnibus Romanis Pontificibus turpiſſimè exercuit. Annatarum vectigal primus beneficijs Eccleſiaſticis impoſuit, ſub ea lege ut qui beneficium ubivis gentium conſequeretur, dimidium annui proventus fiſco Pontificio perſolveret, quam conſuetudinem reliquæ gentes Chriſtianæ præter Anglos admiſerunt: nam apud nos ab Epiſcopis ſolis cœperunt exigi, cætera beneficia immunia permanſerunt. Neque huic commento avarus Pontifex acquievit, ſed Epiſcopatus & ſacerdotia omnia ſub haſtâ vænire paſſus eſt, in qua nundinatione fratres & nepotes ſuos quandoque proxenatas adhibuit, ſæpius ipſe licitantibus vendidit, pretiumque ſuis manibus accepit, & aliquando ſecundo emptori meliorem conditionem offerenti eccleſiam addixit, poſtquam à primo pecunias accepiſſet; adijciens ei fraudem non fieri qui pretio minus juſto perſoluto Pontificem decipere voluiſſet, ipſoſque emptores improbiſſime coegit jurare, quod eccleſiam illam, cujus ipſe pretium acceperat, per ſimoniacam pravitatem non fuiſſent conſecuti. Poſt Eccleſiæ ſpolia pauperibus inhiabat, quorum ille ſupplicibus libellis nolebat ſubſcribere, niſi ſinguli prius florenos ſingulos numeraſſent, quos ille ſacris Chriſtianis & anima ſua potiores habuit; nam dum ſacra coram eo pro more peragerentur, ſolebat ab ijs qui præſto erant ſciſcitari, Ecquis adeſſet qui aliquid attuliſſet, & ante paucas horas quam ex hac vita emigraret, cuidam interroganti de valetudine ſua, bene ſe habiturum reſpondit, ſi pecunias haberet. Haſce Bonifacij ſordes etſi omnes execrarentur, Juriſconſulti tamen defendebant, afferentes Pontificem Romanum ſimoniæ labem non contrahere, licet Epiſcopatus & ſacerdotia vendiderit, quod etiam [a] Canoniſtæ antiqui ferè omnes Pontifici nimis addicti tradiderunt, à qua tamen adulatione ſordida abhorrebant plerique ejus temporis theologi [b] qui Bonifacio ſuperſtite publicè docebant Pontificem dignitates Eccleſiaſticas aut beneficia vendentem ſimoniæ crimine ſe obſtringere, eandemque ſententiam [c] Theologi deinceps omnes & [d] Canoniſtæ recentiores:

Panormi-

a Io. Andr. Archidiacon. Cardin. & Dd. ad c. 1. de ſimon. Felin. in c. ex parte n. 1. de off. deleg. Theod. Niem. lib. 2. de ſchiſm. cap. 32.

b Thom. 2. 2 qu. 100. art. 2. & hic Cajetan. & omnes. Navarr. Manual. c. 23. n. 108 Paul. Anglic. in ſpeculo aureo.

c Panor. in repetit. c. extirpan. de Sent. excom. n. 52. de præben. & in c. 1. de ſimon. Barbat. ad c. cum pridem de part. Barthol. Ugolin. de Simon. Tab. 1. cap. 3. Sect. 5.

Panormitanus, Barbatia, alijque amplexi ſunt. Benedictus etiam Avinioni licet ingenij, eruditionis, & prudentiæ laudem ab omnibus ſit conſecutus, in rerum ſacrarum quæſtu Bonifacio ſimillimus fuit; nam uterque dignitates omnes, Sacerdotia, gratias, peccatorum expiationes, & Eccleſiæ prædia civitateſque proſcribebat, adeo ut ſacro ſancta clavium Eccleſiaſticarum authoritas per turpem utriuſque Pontificis mercaturam apud omnes evileſceret. Sane Baldus eximius Juriſconſultus qui tum temporis jus Civile Patavij docebat, licet electionem [h] Urbani approbaſſe, & Clementem pro adulterino Pontifice habuiſſe videatur, Bonifacium tamen & Benedictum inſectatur, [i] Bonifacium bovi, Benedictum beſtiæ efferæ comparans, & neutrum eſſe Dei miniſtrum legitimumve Pontificem aſſerit, quòd ſeditiones in Eccleſia foverent, quòdque neuter eorum pro pace Eccleſiæ comparanda ſe ſolio ſuo demoveri pateretur. Eam ob cauſam Bonifacio mortuo poſtquam XIIII annos ſedi Romanæ præfuiſſet, Cardinales dum ad eligendum Pontificem coeunt, pro ſe quiſque ſanctè juravit, abdicaturum ſe ſtatim Pontificatu ſi forte deligeretur, modo alter Pontifex idem faceret; atque ita communibus orbis Chriſtiani ſuffragiis unus Pontifex deſignaretur, ſin falleret, diris ſeipſum execrationibus devovebat; quo jurejurando etiam Cardinales Avinionenſes in electione Benedicti paulo antea ſe obſtrinxiſſent: & ſtatim Innocentius Coſmatus Cardinalis Pontifex renunciatur, qui Innocentius VII dictus eſt. Ille autem de juramenti ſui religione parùm ſolicitus, dignitatem pertinaciſſimè retinuit, neque per biennium quo fuit Pontifex induci potuit, ut eam deponeret, vir alioquin juris Canonici peritiſſimus; ſed ad libidines propenſus, & qui opibus comparandis nimis intentus erat. Quocirca poſt ejus obitum Cardinales ſinguli in conclavi idem jusjurandum maximis execrationibus interpoſitis iterum concipiunt, & pollicentur etiam nolle ſe aliquos Cardinales creare, modo alter Pontifex à creandis Cardinalibus itidem abſtineat, & pridie Kalend. Novembr. anno Chriſti MCCCCVI. Angelum Cornarium Venetum eligunt, qui Gregorii XII nomen induit. Hic poſtquam ſedem adeptus eſt, publicè verbis & lacrymis teſtatus eſt, ſe virum omnium indigniſſimum noluiſſe hoc munus ſuſcipere, niſi ut pacis in Eccleſia conſtituendæ author eſſet, & apud omnes prædicabat ſe illud ſolum exoptare, ut dies & locus deſignaretur in quo ipſe cum Benedicto conveniret, & per utriuſque abdicationem Eccleſia unicum paſtorem iterum haberet. Quapropter literis ad Benedictum, ad Henricum IIII Regem noſtrum, ad omnes principes Chriſtianos & Epiſcopos ſtatim datis, eos hortatur & rogat, ne pro ſchiſmate amovendo Eccleſiæ deſint, & Legatos ad Benedictum mittit Antonium Cornarium Epiſcopum Bononienſem nepotem ſuum, Guliel-mum de Vinea Epiſcopum Tudertinum, & Antonium de Butrio primarium juris Canonici tum temporis in Academia Bononienſi interpretem, cujus legationis ipſe in [k] commentariis ſuis meminit; quibus in mandatis dat ut cum Benedicto conveniant de loco in quo ea renunciatio facienda eſſet. Ii Benedictum Maſſiliæ invenientes, cum eo paciſcuntur ut uterque citra menſem Novemb. inſequentem Saonam accedat, quæ civitas in littore maris Liguſtici poſita imperio reipub. Genuenſis parebat, atque ibi poſt utriuſque renunciationem novus Pontifex eligeretur; & Maſſilia Lutetiam proficiſcuntur, ut cum Carolo VI Galliæ Rege hac de re agerent, ubi incredibili lætitia ab omnibus

(h) *Bald. ad c. quia propter. de elect.*

(i) *Bald ad c. olim. de rejcript.*

(k) *Anton. de Butr. ad c. quod ad conſultationem n. 3 de ſent. & re jud.*

omnibus accepti sunt: verum cum peracta legatione ad Gregorium reversi ab eo inclementius habiti essent, Antonius de Butrio paulo postea ex animi mœrore mortuus est. Ista enim à Gregorio subdolè facta sint ut à se harum discordiarum causam amoliretur; nam ipse tergiversari primùm, quod Saona locus esset suspectus, utpote quæ ad Genuenses spectaret, qui Benedicto obtemperabant, & postea recusare, obtendens Theologorum suorum sententiam, qui ab eo submissi publicè populum in concionibus docebant, non potuisse Gregorium gregis Christiani à Christo summo pastore sibi demandati curam sine piaculo deserere. Cæterum quia increbuerat Benedictum ante finem æstatis Saonam advenisse, Gregorius ne ipse solus ab omnibus redargueretur, Roma ægrè relicta Kalendis Septemb. anni sequentis Senas venit, ibique usque ad finem Januarij sequentis commoratus est. Dum Senis esset, præter Benedicti, Caroli regis Galliæ, aliorumque principum Legatos, eo etiam venerunt Legati regis nostri, inter quos (ut superius dictum est) erat Henricus Chichele, isque ibi à Gregorio Episcopus Menevensis factus est: qui omnes pro pace in Ecclesia constituenda, ejus fidem coram Cardinalibus sub juramenti religione interpositam vehementer obtestabantur. Inde Februario ineunte Lucam concessit, neque inde recessit usque ad mensem Julij insequentem, ubi ab iisdem legatis (nam legati nostri Lucæ apud Gregorium manebant usque ad finem Aprilis) sæpè interpellatus Saonam contendere recusavit, & cum Benedicto per emissarios suos clam egit, ne de jure suo decederet, unde cum omnes eum prævaricari & Christianis illudere animadverterent pro Gregorio Errorium apellabant. Illud etiam Cardinales maximè cruciabat, quod Gregorius ijs repugnantibus contrà jurisjurandi sui fidem Gabrielem Condelmarium nepotem suum (qui postea Pontifex fuit) & tres alios Cardinales cooptâsset, & reliquis Cardinalibus porrò graviter interminatus fuisset, ne cum Cardinalibus Benedicti se inconsulto agerent, quod aliqui eorum clam moliri dicebantur; & Johannem Proset Archidiaconum Norfolciensem beneficijs omnibus spoliasset, eam solum ob causam quod Cardinales diversum sentientes allocutus fuisset. Quocirca Cardinales suarum partium Pisas fugiunt mense Maij anno Mccccviii quæ civitas ad decimum à Luca lapidem posita est, ibique ab anathemate & execrationibus Gregorij quas ille in eos pronunciaverat, appellatione publicè interposita ad Jesum Christum supremum judicem, ad Synodum generalem, ad futurum Pontificem provocant, eamque appellationem ritè interpositam, neque injusti Pontificis anathemate fuisse Cardinales obstrictos [l] Abbas Panormitanus postea asseruit. Et licet aliqui Gregorij assecla publicè docuissent, eum à juramenti religione quod pro schismate extinguendo interposuerat fuisse immunem, quod ipse seipsum pro potestate sua à jure jurando absolvere posset: contrarium tamen defenderunt præstantissimi Jurisconsulti, [m] Petrus Ancharanus, Franciscus Zabarella Cardinalis, & Antonius de Butrio qui omnes tum floruerunt, asserentes utrumque Pontificem hac in causa perjurij reum esse, eorumque sententiam Philippus [n] Decius postea secutus est. Ista Cardinalium à Pontifice secessio plerisque principibus Christianis placuit, præsertim Henrico regi nostro, & Carolo Galliæ regi, qui tergiversationum utriusque Pontificis pertœsi, ab eorum obedientia nuper defecerant, quod tamen Historiographi utriusque

(l) *Abb. ad c. inquisitiori, n. 5. de sent. excom.*
(m) *Ancharan. cons. 181. Card. Zabar. cons. 150 Anton. de Butr. ad c. 1. n. 10. de Constit.*
(n) *Dec. in consil. pro authoritate concilij supra Pisam.*

gentis

gentis ſtipendiarii Pontificis dolo malo omiſerunt. Angli enim licet Urbano VI, & deinceps iis qui Romæ creabantur, tam religioſè hucuſque obtemperaverant, ut Thomas Arundell Cantuarienſis Archiepiſcopus in juramento quod in eo munere ſuſcipiendo Bonifacio IX pro more præſtabat, illud etiam nuncupatim polliceretur, ſe Rupertum Cardinalem Genuenſem qui Clemens VI dictus eſt pro adulterino Pontifice habiturum: hoc tamen anno in Synodo Londini habitâ rege authore interdicebatur, Ne pecuniæ ex Epiſcopatibus aut Sacerdotijs debitæ fiſco Romano perſolverentur, Cardinalibus illud per literas (quæ in acta publica relatæ hodiè conſpiciuntur) rogantibus, qui aſſerebant immenſam pecuniarum vim quæ ex hoc regno Romam quotannis deferebatur, Pontifices impellere ad eam ſedem ambiendam, & cohibere poſtea ne eam defererent: quod tamen à nemine noſtrorum ſcriptorum proditum eſt. Galli verò licet Pontifices Avinionenſes ſequerentur, Carolus tamen Benedicti pervicaciam animadvertens noluit ei amplius parere, quod etiam [o] Baldus tradidit, illamque obedientiæ ſubtractionem juſtam fuiſſe demonſtrat: & poſtea Curiæ Pariſienſis Senatuſconſulto Cardinales, & Cameræ Romanæ ſervi juſſi ſunt ab annatarum proventibus manus abſtinere, duoque Pontificis emiſſarij qui diplomata Pontificia attulerant, in quibus Rex & Principes anathemate percuſſi ſunt, mitris chartaceis redimiti, & plauſtro ſtercorario impoſiti per civitatem ignominioſè traducti ſunt, ſicuti [p] Carolus Molinæus acutiſſimus Juriſconſultus deſiderata hiſtoricorum ejus gentis fide, ex illius Curiæ actis comprobavit. Merito igitur Imperatorum Romanorum ignaviam accuſat [q] Theodericus Niemenſis, nam Carolus IIII cujus tempora hujus ſchiſmatis initia incidebant, non ſolum Eccleſiæ calamitates negligebat, verum etiam imperium abdicato regno Arelatenſi in Gallia, & multis imperij civitatibus alienatis, turpiter labefactabat, poſteaque ab Electoribus per ſordes obtinuit, ut Wenceſlaum filium ſuum hominem ignavum in Regem Romanorum electum ſibi ſubrogaret, qui etiam dum imperaret, nihil omnino Principe dignum geſſit. Robertus etiam Bavarus, qui poſt Wenceſlaum à Germanis electoribus imperio exutum hoc tempore imperabat, de imperio ſimul & Eccleſia ſecurus agebat, nam Italiam, Avinionem, aliaſque imperij partes ab injuſtis poſſeſſoribus detineri patiebatur, & Gregorij partibus favens, Eccleſiæ diſcordiarum præcipuus author habebatur. Certè à prioribus Imperatoribus longè degenerabant, qui Pontifices Romanos [r] creabant, [s] deturbabant, & pro componendis Chriſtianorum diſcordiis [s] Synodos indicebant, qua poteſtate Imperatoris jam maximè opus fuit: nam inter has Pontificum factiones fides Chriſtianorum vacillare, ſacra omnia venumdari, mores Eccleſiaſticorum impunè corrumpi, ipſi denique Pontifices erant homines adeo profligati, ut hæc ipſa apud poſteros parum fidei habitura fuiſſent, niſi traderentur à duobus ſcriptoribus probatiſſimis Theodorico Niemenſi & Baptiſta Platina, quorum uterque Pontificibus à ſecretis erat, hic ſub Sixto IV, ille ſub Ubano VI, Bonifacio IX, Innocentio VII, Gregorio XII, in aula Romana jam verſabatur. Cardinales igitur Gregorii animadvertentes Imperatorem de hiſce Eccleſiæ tumultibus extinguendis parùm ſollicitum eſſe, poſtquam Piſas ſe contuliſſent, Gregorium edicto publico ſchiſmatis authorem, & dignitate ſua deturbatum, omniaque ab eo ut à Pontifice gerenda irrita

(o) *Fald. add. c. olim de reſcript.*

p *Carol. Molina de Monarch. Franc. n.* 140. 141. 142.

(q) *Niem. lib. 3 de ſchiſm. cap. 7. & nemore unionis Tract. 6. cap.* 31.

(r) *C. Hadrianus. c. in Synodo. diſt. 63. c. Victor Honorium. diſt. 97.* (s) *C. Si quis. 2. qu. 7. & c. nos ſi in competenter. eod.*

(t) *C. Habeoli brum diſt. 16. c. Valentinianus. diſt 63. c. mandatis. 2. qu. 4.*

rita esse pronunciant, & Episcopis, Abbatibus, prælatis, Ecclesiæque vasallis universis interdicunt, ne annatas, census, aut alia fisco Romano debita Gregorij ministris persolvant, & accitis ad se Benedicti Cardinalibus, qui suadente Carolo rege Galliæ ab eo nuper desecerant, communibus suffragiis Pontificatum utrique abrogant, Synodum Pisis ad festum Annunciationis Divæ Mariæ Virginis anni sequentis pro eligendo novo Pontifice indicunt, quæ omnia singulis principibus Christianis per literas significant, eorum gratiam porro & opem pro pace in Ecclesia stabilienda implorantes, & occidentalis Ecclesiæ Episcopis universis denunciant, ut eam ob causam Synodo interssint. Quamvis autem aliqui tum temporis [x] Theologi ut Pontifici suisque commodis arte adulatoria inservirent, Cardinales schismate obligatos esse dicerent, quod [x] Synodus sine Pontificis Romani authoritate convocari non possit: Baldus tamen, Cardinalis Zabarella, & Petrus Ancharanus Cardinales illos defenderunt: nam [y] Baldus contra istjusmodi Pontifices primò verbis, dein herbis, tertio lapidibus & vi utendum, eosque à Concilio amovendos esse ait: [z] Zabarella vero & Ancharanus, qui in Synodo Pisanâ aderant, amplissimè probarunt potuisse Cardinales Synodum convocare, in qua Pontifex in jus vocari & deturbari possit, eamque sententiam post eos amplexi sunt [a] Panormitanus, Decius, Felinus, alijque recentiores, qui Synodum Pisanam expressim approbarunt: quibus accedunt [b] Academiarum Parisiensis & Bononiensis suffragia, quæ decreta sua contra hos Pontifices pro Cardinalibus interposuerunt, & novissimè [c] Cardinalis Bellarminus dignitatis Pontificiæ acerrimus propugnator, Synodum Pisanam etsi planè non approbet, neque eam tamen plane rejicere ausus est. Ad hanc Synodum valdè propensi erant principum Christianorum animi, regis presertim nostri & Galli, ad quos Cardinalis Burdegalensis vir prudentia & integritate clarus Pisis in Galliam primò, deinde in Angliam hoc anno venerat, atque hic oratione copiosa coram Rege & Ordinibus regni habita, animos omnium contra Gregorium ita commoverat, ut Thomas Cantuariensis literis etiam Academiæ Parisiensis idem ab eo rogantis adductus, ad Synodum Pisanam proficisci statuisset, nisi à rege de valetudine, itinerum incommodis, negotijsque publicis admonitus sese continuisset: quin potius placuit omnibus Legatos mitti, qui Anglorum nomine Synodo interessent. Atque hæc erat Ecclesiæ Romanæ conditio cum Synodus Pisana indiceretur. Jam ad Henricum redeamus.

1409. Legati in Synodo Londinensi designati, ineunte anno Mcccc ix Robertus Hallum Sarisburiensis, Henricus Chichele Menevensis Episcopi, & Prior Cantuariensis, Pisas profecturi itinere per Galliam facto cum Lutetiam venirent, Johannes Gerson insignis Theologus, Academiæ Parisiensis Cancellarius, eruditam & luculentam coram ijs orationem habuit, super illis Oseæ Prophetæ verbis, *Congregabuntur filii Israel & filij Judæ pariter.* In qua postquam de Academiæ Oxonensis laudibus præfatus esset, quæ eò nuperrimè nuncios pro Synodo promovenda, atque decretis contra Pontifices contumaces ferendis miserat, & fusè ex illa sacrarum literarum particulâ de potestate Synodi œcumenicæ disseruisset, legatis de eorum adventu Parisienses omnes gratulari testatur, eorum pietatem laudat qui pro Ecclesiæ pace tot incommoda paterentur, & demum Academiæ nomine ijs consilia officiaque omnia studiosè

(x) *Vide Niem. in vet. union. Trad. 4. cap. 9.* (x) *Marsil. dial. 1. 7.* (y) *Bald. ad d. c. olim de rescrip. & in c. quia propter de elect.* (z) *Zabar. in c. licet. n. 13. de elect. & in conf. 150. & in Trad. de schismate hujus temporis. Ancharan conf. 181.* (a) *Panor. ad c. licet de vitand. n. 8. de elect. Dec. in Comp. pro Concilio Pisano & Felin. ad c. super litteris n. 21. de rescript. Cardin. Jacob. de Concil. lib. 3. art. 1. n. 11. Jo. Roias. de secret. n. 513.* (b) *Niem. in vet. unionis Trat. 6. cap. 15. 16.* (c) *Card. Bellarm. in. 1. de Concil. cap. 8. vrsi sfrgh.*

ſtudiosè defert. Quæ oratio inter [d] Gerſonis opera etiamnum extat. Inde Galliam emenſi Piſas V Kalen. Maii ſplendide ingreſſi ſunt, ubi CXL. Archiepiſcopos Epiſcopoſque præter Abbates & alios Eccleſiaſtici ordinis frequentiſſimos in Synodo reperiunt, & Sarisburienſis quod reliquos Legatos dignitate anteiret regis ſui nomine oratione eleganti univerſos ad pacem, & ad ſedandas Eccleſiæ diſcordias cohortatus eſt, idemque reliquorum principum legati qui ad Synodum venerant, Galli, Hiſpani, Scoti, Luſitani, Hungari, Daci, Sueci, Poloni enixè rogarunt. Ideò Gregorii & Benedicti Pontificum crimina ad Synodum deferente advocato fiſci, & poſtulante ut de iis inquiſitio haberetur, à quibuſdam delegatis, quibus ea cognitio demandari poſſet, uterque teſtibus in pœnam contumaciæ receptis, & aliis probationibus convictus, à [e] Synodo perjurus, ſchiſmaticus, hæreticus, dignitate Pontificia exauthoratus pronunciatur, & Nonis Julii Petrus Philardus à [f] Cardinalibus poteſtate Synodi iis delegata ſuffectus, & Alexander Vidictus eſt. Erat Alexander origine Cretenſis, patre incerto natus, à quodam Franciſcano dum puer victum oſtiatim quæreret, perſpecta ipſius indole, in ordinem ſuum cooptatus, ab eodem in Italia Grammaticam & Logicam edoctus, inde ad Academiam Oxonienſem amandatus, ubi Philoſophiæ & Theologiæ ſtudiis per plures annos incumbens, inſignem utriuſque ſcientiæ cognitionem adeptus eſt, quam deinde Pariſiis docens, & commentariis in libros ſententiarum acutè ſcriptis patefecit, poſtea procurante Joanne Galeatio Mediolani Duce, Archiepiſcopus Mediolanenſis, demum ab Innocentio VII Cardinalis, & jam Pontifex creatus eſt: vir doctrinâ & integritate ſingulari, ſed ſtudiis & vitæ monaſticæ aſſuetus, ad negotia publica adminiſtranda ineptus ab omnibus habebatur. Verùm nec diuturnam nec tranquillam ſedis ſuæ poſſeſſionem nactus eſt: nam poſt finem Synodi, Piſis Bononiam profectus Kalendis Maii anni ſequentis, decimo Pontificatus menſe veneno extinctus creditur; & Balthaſar Coſſa, qui Bononiæ Legatus ab Alexandro conſtitutus præerat, vir verox & Militiæ quàm Sacerdotio aptior, à Cardinalium Collegio partim metu militum quos in urbe pro ſtatione habebat, partim largitione uſus erga inopes Cardinales à Gregorio nuper creatos, Pontifex renunciatur, & Joannis XXIII nomen accepit. Dum autem Alexander Piſis & Bononiæ eſſet, Gregorius interea Arimini, & Benedictus Paniſcholæ (quæ civitas in Arragoniâ ſita eſt) pro Pontifice ſe gerebant; adeoque tres jam conſidebant in Divi Petri Cathedra, quæ vix unius faſtum continere poteſt, juſtiſſimo divini numinis judicio, ut redargueretur eorum vanitas, qui à perpetua in ea ſede Pontificum ſucceſſione, ſacrum Chriſti gregem, fidemque Chriſtianorum omnium pendêre volunt. Soluto concilio Piſano, Henricus Menevenſis (qui etiam in libris juris [f] municipalis legatus à rege hoc ipſo anno perhibetur) cum reliquis legatis, ingruente hyeme domum redit, ubi duobus annis ſequentibus duabus Synodis Londini habitis, ab Archiepiſcopo Cantuarienſi evocatus interfuit, uti ex publicis earum Synodorum actis conſtat: de cætero dioceſin ſuam peragrare, de moribus populi ſui inquirere, & reliqua Epiſcopi munia ſedulò obire, quotieſcunque ei à publicis negotiis vacaret, ad quæ ab Henrico quarto rege ſæpe adhibitus eſt, qui eum ſummo ob prudentiam ſingularem in honore ſemper habuit. Eo autem vitâ functo Weſtmonaſterii

[d] *In vol. 1. operum Io. Gerſon.*

[e] *Niem lib. 3. de ſchiſm. cap. 44.*

[f] *Abb. ad. c. licet de vitand. ar. 8. de elect.*

[f] *Ann. 11. H. 4. fol. 78. 8.*

1410. 1411.

1413. sterii XIII Kal. April. anno humanæ salutis MCCCCXIII succeſſit Henricus V. magni ingenii Princeps, in cujus verba ob egregiam indolem ultrò jurarunt proceres, antequam coronam acciperet, quod nemini noſtrorum regum ante illum præſtitum fuiſſe traditur. Is poſt adoleſcentiam in vitâ privatâ ſolutè actam, regnum adeptus unà cum conditione mores mutavit, & amotis æqualibus quos voluptatum miniſtros habuerat, ſtatim prudentiſſimos quoſque graviſſimoſque aſcivit, quorum conſiliis pater uſus fuerat, & inter eos Henricum Menevenſem, quem poſtea magni ſemper æſtimavit, eumque in initio principatus è reliquis omnibus delectum, hoc ipſo anno duas honorificas legationes obire juſſit, quarum memoriam, ſcriptoribus Gallicis debemus, noſtri enim eas, uti & alia multa omiſerunt. Primo ad Gallum, poſtea ad Burgundum miſſus eſt. In Gallia enim inter Carolum VI. regem Galliæ, & Henricum IIII regem noſtrum, bellum gerebatur ob crebras Gallorum excurſiones in Aquitaniam, quam Angli tum temporis poſſidebant, cujus cauſâ paret jam mortuo unà cum hæreditate ad Henricum V. delata, Carolus inteſtinis diſcordiis inter Ludovicum Aurelianenſem fratrem ſuum, & Johannem Ducem Burgundionum occupatus, inducias nobiſcum cupiebat, à quibus etiam Henricus rex noſter, rebus domi in novo principatu nondum compoſitis parùm abhorrebat; ideo ex Anglia [g] mittuntur Richardus Comes Warwicenſis, & Henricus Menevenſis Epiſcopus, à Gallo Magiſter Equitum, quod munus in Galliâ primum eſt, & præfectus maris, qui Caleti menſe Julio coeuntes inducias unius anni pacti ſunt. E Galliâ reverſus eodem anno [h] iterum cum Warwicenſi ad petendam in matrimonium Joannis Burgundionum. Ducis filiam Henrico regi miſſus eſt. Ii verò Lillæ in Flandria Burgundum invenientes, cum eo ex mandatis agunt, ſed redierunt re infecta, ſive quod virginis forma non placeret, ſive quod rex interea ad nuptias cum Galliæ regis filia factus eſſet propenſior, eamque ob cauſam hoc ipſo tempore alios legatos in Galliam miſerat. Poſt paucos à reditu menſes uberrimum legationum iſtarum, & ſuarum virtutum fructum eſt conſecutus: nam cum ageretur de creando antiſtite Cantuarienſi, ex omnibus hujus regni Epiſcopis, ſine controverſia deſignatur, qui dignitatem illam à rege ampliſſimam adminiſtrare poſſet, & judicio regis digniſſimus omnium habitus eſt, qui in ſecretiore procerum concilio primus ſententiam diceret. Etenim mortuo Thoma Arundelio Archiepiſcopo Cantuarienſi XI Kal. Martii anno ſalutis reparatæ

1414. MCCCCXIIII Joannes Wodnesburgh Prior, & Monachi Eccleſiæ Cantuarienſis à rege novi antiſtitis eligendi poteſtatem implorant, quam reges noſtri Pontifici Romano ademptam ſibi vendicaverant poſt Edvardum III [i] qui arbitratu ſuo Epiſcopos conſtituit, & iſtjuſmodi conſuetudinem juris Canonici inſtitutis eſſe conſentaneam [k] Panormitanus aſſeruit. Eam autem cum à Rege ſub diplomate publico obtinuiſſent, monachos abſentes edicto evocaſſent, & Thomæ Arundelio in æde Chriſti Cantuariæ juſta feciſſent IIII Id. Martii in domo capitulari univerſi coëunt, ubi poſt ſacra ſolenniter peracta & concionem habitam, in qua ex ſacris literis ſinguli in re tam ardua de officiis ſuis admoniti ſunt, perlecto etiam diplomate regio, omnium ſuffragiis illico poſtulatur Henricus Menevenſis, eaque poſtulatio à Joanne Langdon monacho reliquorum nomine annunciata eſt coram populo, qui frequens

[g] *Enguerrant de Monſtrellet. chap. 106.*

[h] *Enguerrant de Monſtrellet. cap. 109.*

[i] *Polydor. lib. 19 in Edvard. 3.*

[k] *Abb. ad c. 1. de conſuet. n. 4. & apoſtil. Ead.*

quens in Eccleſia novi antiſtitis electionem expectabat. Poſtulari etenim non eligi poterat ex juris Canonici regulis quibus Epiſcopus cum [l] Eccleſia ſua nuptias contrahere dicitur, & ab ea [m] diverti inconſulto Romano Pontifice non poteſt, adeoque Epiſcopus Eccleſiæ ſuæ obſtrictus ad aliam ſedem non eligitur, ſed [n] poſtulatur, & à Pontifice non ſecundæ præfectus, ſed à priore [o] tranſlatus dicitur: quæ omnia Romanorum Pontificum ambitione invecta ſunt, qui pleroſque orbis Chriſtiani Epiſcopatus ſui juris hac arte faciebant. Eodem etiam die duo ex illa ſocietate monachi, Gulielmius Moleſh & Joannes Molond Procuratores ab univerſis conſtituti ſunt, qui Henricum Londini adeuntes Idib. Martii ei vota Prioris & Monachorum denunciarent, eorumque nomine ſuppliciter obteſtarentur, ut ejus Eccleſiæ adminiſtrationem ſuſcipere dignaretur; quibus ille pro tempore reſpondit, ſe in cauſa tanti momenti nihil certe impræſentiarum ſtatuere poſſe, ſed diem ad deliberandum poſtulare. Poſtridiè accedentibus ad eum rurſus capituli procuratoribus in ædibus Epiſcopi Norwicenſis coram Edvardo duce Eboracenſe, aliiſque compluribus viris primariis qui intererant, conceptis verbis reſpondit. Se eorum votis non poſſe annuere, quod integrum ſibi non eſſet Eccleſiam Menevenſem, cui jam præeſſet, ſine Pontificis Romani authoritate exuere, neque tamen ab iis prorſus abhorrere, modo id Pontifex jubeat, atque ideo ſe poſtulationem ſuam Pontificis arbitrio permittere. Igitur Prior & Monachi per Procuratores Romam miſſos à Johanne XXIII humillimè petunt, ut ratam habere vellet poſtulationem Henrici Menevenſis ad ſedem Cantuarienſem, eodemque tempore Henricus rex per literas Pontifici ſignificat ſe Priori & Monachis Cænobii Cantuarienſis poteſtatem eligendi Archiepiſcopi conceſſiſſe, poſt poſtulationem Henrici Menevenſis iiſdem per libellum ſupplicem implorantibus authoritatem ſuam adhibuiſſe, Henricum virum inſignem virtutibus ſuis eam dignitatem promeruiſſe, & illud ſolum reliquum eſſe ut ipſe in hac cauſa partes ſuas interponeret. Erant autem Henrici virtutes Pontifici ſatis perſpectæ, primo in aula Gregorii XII quem Balthaſar Coſſa unus è Cardinalium numero ſequebatur, deinceps in Synodo Piſana, cui ille etiam intererat, ideoque capituli procuratores ab eo Bononiæ, ubi tum erat, V. Kal. Maii facilè impetrarunt, ut reſcripto ſuo Henricum à Menevenſis Eccleſiæ vinculo, quo aſtrictus erat, abſolutum, ad ſedem Cantuarienſem transferret, in quo tamen reſcripto poſtulationem Henrici non confirmat, ſed proviſionis titulo eum Eccleſiæ Cantuarienſi præficit, ne à recepto Pontificum more in arrogandis ſibi Epiſcopatuum & beneficiorum donationibus diſcederet: & conditionem porrò adjicit, ne priùs Archiepiſcopi munus adminiſtrare inciperet, quàm ſibi & Romanæ Eccleſiæ coram Wyntonienſi & Norwicenſi Epiſcopis fidelitatem ſacramento pollicitus eſſet: denique reſcriptis pluribus ad Priorem & Monachos Cantuarienſes, ad Epiſcopos illius provinciæ, ad prælatos, ad vaſallos Eccleſiæ, & populum univerſum miſſis, iis imperat, ut Henrico Cantuarienſi obtemperent, eique reverentiam, honorem, obſequia, omniaque quæ ei muneri debentur officia exibeant. Poſt poſtulationem, & reſcriptum Pontificis, ſupererat pallium, [p] ornamentum è corpore Divi Petri Romæ ſepulti aſſumptum, quo induuntur [q] ſoli Patriarchæ & Archiepiſcopi, niſi aliquibus Epiſcopis ex privilegio concedatur, ad [r] denotandam

[l] *C. ſicut vir. 7 q. 1.*
[m] *C. licet corporalis extr. de tranſlat. epiſc.*
[n] *Tor. tit. extr. de poſtul. prælat.*
[o] *Tor. tit de tranſlat. epiſ. & Rebuff. in prax benefic par. 1. tit. de tranſlat. epiſ.*
[p] *C. Sicut epiſcopi 4. de elect.*
[q] *C. antiq. 23. de privileg.*
[r] *C. niſi 3. de offic. pallii.*

s C. 1. *eod tit.* tandam poteſtatem plenam, qua ipſi in Epiſcopos ſibi ſubditos utuntur, [s] eoque amicti ſunt duntaxat in Eccleſiis provinciæ ſuæ diebus feſtis à Pontifice præ-

t C *ex tuarum.* 5 *eod. tit.* ſtitutis, & [t] priuſquam illud acceperint, Synodum vocare, aquam luſtralem conficere, ſacros ordines conferre, dedicare baſilicas, aliave exercere, quæ ei muneri incumbunt, nefas habetur. Pallium igitur Henricus per Robertum Apilton Canonicum Eboracenſem Bononiam miſſum à Pontifice impetravit, quod ei poſtea Wyntonienſis & Norwicenſis Epiſcopi poteſtate ſibi reſcripto Pontificio delegata in palatio regis Suttonæ, preſentibus Rege, Humfredo Duce Gloceſtrenſe, Richardo Warwicenſe, Georgio Marchiano Comitibus, aliiſque proceribus multis ſolennibus ceremoniis tradiderunt: & obedientiam fidemque Pontifici ibidem ſpoſpondit (iiſdem illud exigentibus,

u *d c. Significaſti. de elect.* quia [u] pallium ſine iſtjuſmodi jurejurando tradi non debuit) jurejurando hac verborum formula concepto. *Ego Henricus Archiepiſcopus Cantuarienſis fidelis & obediens ero Beato Petro, Sanctæque Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ: & Domino meo Johanni XXIII, ſuiſque ſucceſſoribus Canonicè intrantibus. Non ero in conſilio aut conſenſu ut vitam perdant aut membrum, ſeu capiantur mala captione. Conſilium quod mihi crediturі ſunt per ſe aut nuncios, ſeu literas ad eorum damnum me ſciente nemini pandam. Papatum Romanum & regalia Sancti Petri adjutor ero iis ad retinendum, & defendendum, ſalvo ordine meo contra omnem hominem. Legatum Apoſtolicæ ſedis incundo & redeundo honorificè comitabor, & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo. Vocatus ad Synodum veniam, niſi præpeditus fuero Canonica præpeditione. Apoſtolorum limina ſingulis trienniis viſitabo, aut per me aut per meum nuncium, niſi Apoſtolica abſolvat licentia. Poſſeſſiones ad menſam meam Archiepiſcopalem pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, neque alio modo alienabo, inconſulto Romano Pontifice. Sic me Deus adjuvet & hæc ſancta Evangelia.* Ita rerum ſacrarum & Eccleſiaſticarum poteſtatem à Pontifice conſecutus, prædiis tamen aut agris Eccleſiæ inconſulto rege, ſe immiſcere non poterat: Leyceſtriæ igitur regem adit, ubi III. Kal. Junii in eorum poſſeſſionem miſſus eſt, poſtquam fidelitatem regi juramento promiſiſſet, & ſingulis porrò clauſulis reſcripti Pontificii tranſlationem continentis expreſsè renunciaſſet, quæ regi fraudi eſſe, aut de majeſtate regia derogare poterant: & poſtea univerſi ſedis Cantuarienſis proventus, qui ſecundum Thomæ Arundelii mortem fiſco cedebant, ſexcentis marcis prius numeratis ei ex gratia ſingulari, diplomate regio conceſſi ſunt. Leyceſtriam autem venerat Henricus ad conventum ordinum regni evocatus, quem rex ibi habuit, ut cum prælatis, proceribus & populo ſuo, de novis legibus ferendis, de re pecuniaria, & de univerſo regni ſui ſtatu ageret: & in eo ſumma cum prudentia ab Eccleſia maximam calamitatem avertit, quæ ex invidia apud proceres & populum ex opulentia prælatorum concitata, aliquoties ſub Henrico IIII emergere, jam vero propiùs ſub rege novo imminere videbatur. Etenim in conventu ordinum Coventriæ ante decem annos convocato, erat enim annus MCCCCIIII. Henrico IIII pecunias ad bellum adverſus Scotos, Wallos, Britones, Flandros, & Gallos gerendum poſtulanti, milites & civitatum delegati ex inferiore ordinum domo reſponderunt, non poſſe aliter inopiæ publicæ ſuccurri, quàm ſi immenſæ Eccleſiaſticorum opes minuerentur: eam ſiquidem eſſe populi Anglicani conditionem, ut non modo

pecunias

pecunias in uſus belli quotidiè erogaret, ſed & corpora hoſtibus publicis objiceret, dum illi interea domi conſidentes, nec corporibus nec opibus reipub. inſervirent. Iis Thomas Arundelius Cantuarienſis animoſè reſpondit, frequentius ab ordine ſacro concedi decimas quàm quintasdecimas à populo, & plures colonos, famuloſque ſuos ad militiam nomina dare, quàm colonos procerum, nobiliumve, iiſque accedere ſacerdotum orationes, quibus interdiu noctuque effuſis, divinum numen reipublic. propitium reddunt. Et ad regem ſtatim converſus, & in genua procumbens rogat, ut jurisjurandi memor eſſe velit, ſub cujus religione Deo hominibuſque ſolenniter voverat, ſe jura & privilegia Eccleſiæ ſarta tecta conſervaturum: & prenſatis deinceps quibuſdam proceribus, quos cauſæ ſuæ favere exiſtimabat, tantum effecit, ut poſtulata militum publico ordinum decreto rejicerentur. Poſt ſex annos in alio ordinum Concilio ab Henrico IIII. Weſtmonaſterii habito, milites ex inferiore ordinum domo iterum delecti breviculo regi porrecto demonſtrant, proventus Prælatorum & Monachorum, quos illi in libidines & voluptates ſuas exhaurirent tales eſſe, ut ex iis omnia regis & ærarii incommoda poſſint reſarciri: etenim ex iis poſſe ſuſtentari quindecim comites, mille quingentos equites, ſexies mille ducentos armigeros, & centum Xenodochia, & proinde à rege petunt ut ex iis in ærarium redactis velit publicis neceſſitatibus ſubvenire. Quibus iterum reſpondit Thomas Cantuarienſis, non peti à militibus Eccleſiaſticorum prædia ad fiſcum locupletandum, ſed ut ex opimis Eccleſiæ ſpoliis fortunas proprias luxu profligatas reſtaurarent; id quod antea acciderat in Gallorum cœnobiis quæ propter bella inter Gallos & Anglos fiſco addicebantur, è quibus ne dimidium marcæ (ait ille) regi ſupereſt. Tum etiam militum poſtulata rex facilè rejecit, ſive quod æternam Eccleſiæ expilatæ infamiam pertimeſceret, ſive quod exiſtimaret eos conſilii illius authores eſſe, qui occultè Joannis Wiclevi partibus favebant, à quibus ille ſemper abhorrebat. Ab eo tempore dum regnaret Henricus IIII nihil in Eccleſiam tentatum eſt. At in hoc conventu Leyceſtrenſi, à rege novo milites & civitatum delegati ex inferiore ordinum domo per libellum ſupplicem iterum petierunt, ut de poſtulatis ſuis adverſus Eccleſiaſticos ante quatuor annos propoſitis denuo cognoſceretur, & ſententiæ in utraque ordinum domo dicerentur. Hanc ab cauſam vehementer animi angebatur Archiepiſcopus, qui valdè ſollicitus erat, ne quid Eccleſia ſub adminiſtratione ſua detrimenti acciperet, & metuebat præſertim de regis juventute, quæ ad conſilia præcipitia & res novas propenſa eſſe ſolet. Re igitur cum Epiſcopis communicata, placuit, ut ſacer ordo ingenti pecuniarum vi regi oblata, eum ad bellum Gallo inferendum incitaret, pro vindicando Gallorum imperio, quod Edvardus II ex nuptiis acquiſitum ad poſteros tranſmiſerat: eamque ob cauſam Henricum ſtatim ſynodum Londini convocaſſe plærique ejus ſeculi ſcriptores tradiderunt, cujus tamen acta hodie in publicis archivis non reperiuntur. Gallorum autem imperium reges noſtri hoc jure vendicant. Mortuo Carolo Pulchro rege Galliæ ſine liberis, qui ſolus ex ſtirpe maſcula Philippi pulchri, patris ſui ſupererat, Edvardus III rex noſter, Edvardi II filius ex Iſabella Philippi Pulchri filia genitus, per legatos coronam Galliæ ab ordinibus ejus regni poſtulabat, quod ipſe Philippum Pulchrum avum maternum, & Carolum

avun-

avunculum proximo cognationis gradu attingeret. Contra Philippus Valesius filius Caroli Valesii, qui Philippi Pulchri frater erat, contendebat se Caroli Pulchri regis novissimi patruelem gentilitio jure proximum esse; Edvardum verò Philippi Pulchri ex filia nepotem, & Caroli Pulchri amitinum juri materno fidere, quod Galliæ Legibus & institutis adversetur, quæ viris tantum non fœminis regnum tribuant, legis Salicæ verba recitans, *In terram Salicam mulieres ne succedant*; terramque Salicam Franciam esse asseruit. Galli vero spreto Edvardo Philippum regem crearunt, ideo Edvardus titulum regis Galliæ protinus assumsit; quo deinceps reges nostri semper usi sunt, & Gallos fæliciter invasit, posterisque belli illius causam unà cum hæreditate reliquit. Secundùm cum Richardus II homo imbellis à Gallis abstinuerat, & Henricus IIII princeps fortissimus partim Wallorum defectionibus, partim intestinis procerum factionibus impeditus, universas regni sui vires in eos emittere non potuerat. Erat autem in Henrico V ætas, animi magnitudo, opes, domestica tranquillitas, omniàque ad hoc bellum opportuna. Præterea Henrico Cantuariensi videbatur juvenis ingenium acre & quietis impatiens, negotio aliquo arduo exercendum, eique hostem externum objiciendum esse, ne domi res commoveret, quemadmodum torrenti non aliter potest occurri, quàm si aqua in plures alveos distrahatur. Is igitur Regem in conventu procerum solio insidentem loco suo assurgens ità alloquitur.

De publicis regni tui negotiis consulenti tibi (Serenissime Rex) cùm multa hucusque proposita fuerint, quæ ad subditorum tuorum vitia bonis legibus compescenda, ad jus singulis æquè dicendum, pacémque domi constituendam spectant, non possum ego inter reliquos gradum amplissimum beneficio tuo nuperrimè consecutus, sine ingratitudinis nota ea reticere, quæ ad fines Imperii tui propagandos, nominisque tui famam apud exteras gentes celebrandam necessaria mihi videri solent. Postquam enim populo tuo leges utiles sanxiveris, justitiam rectè administraveris, & tranquillitatem domesticam conciliaveris, incolumem vitam licèt agere possis & securam, at gloriæ tuæ parùm consules, nisi foràs prospicias, quæ ratione regni tui terminos amplificare, & hostium tuorum injurias vindicare possis, cum regum universorum animis ea opinio semper insederit, ut Majestatis suæ fastigium non tam in generis nobilitate, voluptatibus, rerum affluentia, subditorum opibus, pace domestica, quàm in imperii amplitudine, in multitudine subditorum, in civitatum numero positum esse existiment. Quamvis autem Anglia & Hibernia per longam majorum tuorum seriem transmissæ abundè tibi ista suppeditent, exigua tamen sunt, si cum amplissimo Galliæ imperio conferantur, quæ populi frequentia, opulentia civitatum, propugnaculis & præsidiis universis orbis terrarum imperiis antecellit, utpote quæ supra octuaginta provincias populo refertissimas, centum & octo Episcoporum diœceses, supra mille cœnobia, & parochias centies trigesies mille, ipsis Gallis authoribus, complectatur. Ista vero omnia ab Edovardo III, *proavo tuo ad te jure sanguinis devoluta, Carolus VI Gallorum rex vulgò dictus injustè possidet (ut taceam assiduas Gallorum injurias populo tuo illatas in Normania, Gasconia, Aquitania, in comitatibus Andium & Manii, quæ majores tui alio jure, Gallis annuentibus, olim possederunt) & ut aliquam injuriæ speciem præferant, obtrudunt legem Salicam à Pharamundo primo Francorum rege latam, qua cautum asserunt,* Ne mulieres in terram Salicam succedant; *per terram Salicam Galliæ*

imperium

imperium denotari interpretatione ſubdola aſſerentes, ut mulieribus ab imperio ſuo capeſſendo per hunc fucum amotis illuderent. Cujus Commenti novitatem ipſius legis inſcriptio ſatis coarguit. Enimverò à pleriſque illius gentis [x] *ſcriptoribus traditum eſt, Pharamundum fuiſſe ducem ſolius Franconiæ in Germania, & Rhenum nunquam tranſviſſe, neque Galliæ fines attigiſſe: poſt quadringentos autem annos ab ejus exceſſu cùm Carolus Magnus Saxones debellatos ad fidem Chriſtianam adegiſſet, quoſdam ex illius militibus ad flumen Salam ultra Rhenum ſedes fixiſſe in ea parte Germaniæ, quam hodiè Miſniam dicimus, eóſque Salios Francos fuiſſe appellatos, qui ab impudicis fœminarum Germanicarum moribus abhorrentes, lege latâ interdicebant, Ne fœminæ in aliquam terræ Salicæ partem jure hæreditario ſuccederent. Ita ineptè illa ſanctio aſcribitur Pharamundo, quæ populum poſt quadringentos à Pharamundo annos ortum authorem habuit, neque Gallis magis quàm Belgis, qui tum Galliæ finibus continebantur, aut alii populo finitimo convenire poteſt. Vel ſi pro Gallis lata fuerit,* [y] *ad privatas hæreditates, non ad publicum imperii jus, aut regni ſucceſſionem pertinet. Proinde Gallorum reges ipſi cum de regnandi jure inter ipſos ageretur, nullam unquam hujus legis rationem habuerunt, niſi quando cum principibus externis contenderent, ut eos ab imperio ſuo hac ratione amoverent. Pepinus enim, qui primus Pharamundi poſteros regno ſpoliavit, depoſito Childerico, ex hæreditate Blithildæ filiæ Clotharii primi authore Zacharia Pontifice Romano, & accedentibus populi Gallici ſuffragiis, principatum vendicavit. Cùm poſteri ejus per ducentos annos imperaſſent, Hugo Capettus, excluſo Carolo Lotharingiæ duce, qui ſolus ex hæredibus Pepini & Caroli magni ſupererat, ſeipſum geſſit pro hærede Lingardæ filiæ Carlomanni, qui Caroli Magni nepos erat, eóque titulo Gallorum imperium accepit. Ejus nepos Ludovicus decimus Galliæ rex, quem Chriſtiani omnes inter Divos relatum colimus, de jure Capetti avi ſui parùm ſecurus, ab imperii faſcibus religione ductus abſtinuiſſet, niſi in animum induxiſſet, Iſabellam reginam aviam ſuam hæredem fuiſſe Ermingardæ filiæ & hæredis Caroli Lotharingici, quem Capettus vita ſimul & regno nefariè ſpoliaverat. Ab eo orti ſunt poſteriores Gallorum reges, & Carolus VI, qui hodiè Galliam tenet: atque illi omnes ex hæreditate fœminarum imperium conſecuti ſunt, quam tibi interdicere volunt ex lege Salica, eáque te veluti larvâ deterrent, cùm ipſi eam interea impunè contemnant. Neque enim lex juſtè appellari poteſt, ſed legis potiùs larva & imago, quæ nullam æqui bonique ſpeciem in ſe continet, quin legibus reliquis omnibus humanis ſimul & divinis adverſatur. Legibus ſiquidem Romanorum civilibus, quas univerſarum gentium conſenſus approbavit,* [z] *fœminæ ad hæreditates cum maſculis vocantur, & agnationum, cognationúmque differentia juſtiſſima ratione antiquata eſt, quòd illi qui eam invexerant, naturam accuſare videbantur, quæ fœminas, non maſculos genuiſſet, & fœminæ ex parentum culpa plectebantur, quòd fœminæ, non maſculi naſcerentur. Eodem jure deinceps uſi ſunt Siculi, Neapolitani, Navarræi, Hiſpani, Luſitani, Scoti, & (ut de nobis ipſis nihil dicam) gentes ferè univerſæ, quorum omnium legibus, fœminæ, deficientibus maſculis, ad capaſſendos regni faſces admittuntur. Iſti verò omnes divinæ legis præſcriptum ſecuti ſunt, quam Deus optimus maximus per Moſem Hebræis tulit cap. XXVII. Libri Numerorum:* ſi mortuus fuerit homo abſque filio, ad filiam ejus tranſibit hæreditas. *Cui ſanctioni ſi leges reperiantur uſpiam gentium contrariæ, non leges ſunt, ſed corruptelæ, cùm diſcedant à prima juſtitiæ*

x *Gregor. Turon. lib. 2. Paul. Æmyl in princ. Girard du Haillan. liure. 1.*

y *Franc. Hottom. in Francogall. cap. 10.*

z *L. maximum item. c. de liber. præterit. l. lege 12. tab. c. de legit. hæred. Sect. ſi quis igitur. Anth. de hæred. ab inteſt. Sect. item vetuſtas. Inſtit. eod. tit.*

ſtitiæ norma, quam ſummus legiſlator populo ſuo promulgavit. Ut omittam fœminas, quæ populo iſti imperabant, & reges, qui ad illud imperium ex jure materno admittebantur, Chriſtum ipſum fuiſſe regni Judaici legitimum hæredem Chriſtiani omnes agnoſcimus: cui tamen titulo non modo repugnant iſti, qui ex fœminarum hæreditate jus ſuccedendi tranſmitti negant, verùm etiam beneficia illa immenſa nobis adimunt, quæ Deus humano generi per Chriſtum pollicitus eſt. Nam cum Deus Abrahamo ſpondebat, beatas in ejus ſemine futuras gentes univerſas, quòd Meſſias ex ipſius familia proditurus eſſet; cum Prophetæ Eſaias & Michæas ſpiritu ſacroſancto afflati multis retro ſeculis prædicebant Chriſtum ex radice Jeſſæ, ex familia Davidis emerſurum, & tribum Judæ inter reliquas nobiliſſimam eſſe, quòd ex ea dux populi Iſraelitici Chriſtus originem ductus eſſet: ſublatâ fœminarum ſucceſſione, in hiſce oraculis veritas deſiderabitur, quia ex ſemine Abrahæ, ex Jeſſæ radice, ex familia Davidis, ex tribu Judæ Chriſtus patre æterno genitus per ſolam matris hæreditatem oriri potuit. Verùm Galli promiſſionibus divinis fidem potiùs abrogare, quàm principi externo obtemperare volunt, & qui ſe Chriſtianiſſimos appellant, legem fictitiam Pharamundi hominis Ethnici legibus ſacris à Deo editis anteponunt. Sciſcitor ergo à Gallis qua ratione fœminas à jure regnandi arcent, quas reliquæ gentes admittunt? An imperium Gallorum à maſculis ſolis adminiſtrari poteſt, quòd præſtantius ſit imperiis, tum reliquarum gentium omnium, tum etiam Judæorum, quod Deus ipſe conſtituit? an Gallia, quæ producit viros, ut ipſi volunt, omnium mortalium fortiſſimos, fœminas edit genere humano univerſo ineptiores? An fortè Iſabella abavia tua aliquid ſceleris admiſit: quare ipſa regis filia & regum ſoror regno privaretur? Licèt hæc omnia Gallis concedamus, cum tamen Edvardum proavum tuum repudiaverint, tibique ipſi omnem in eos poteſtatem modò abrogent, Majeſtatis jure optimo arguuntur. Sit enim rata apud Gallos lex Salica, amoveantur fœminæ, ſolique maſculi imperii hæreditatem adeant: at quibus illius legis verbis excluduntur fœminarum filii maſculi? num exluſis fœminis ob levitatem ſexui innatam, eadem lex ſecum pugnans ratione contrariâ maſculos repudiat? vel fortè ipſi verba de fœminis ſancita ad maſculos prorogatione odioſa extendunt? ſemota igitur Iſabella quare non admittebant Edvardum filium virum magnanimum & prudentem? quare te principem imperio idoneum non vocant? Nam apud Jureconſultos receptum eſt, [a] *ab indigno aut incapaci poſſe jus aliquod ad hæredem tranſmitti, & iſtjuſmodi* [b] *leges, quæ fœminis hæreditates adimunt, rectæ rationi & naturali æquitati contrarias eſſe, adeóque ſtrictiſſimam in iis interpretationem admitti, neque* [c] *produci poſſe ultra verborum apices, nec* [d] *à fœminis ad maſculos, nec* [e] *ad ſpeciem omiſſam, quin potius* [f] *in partem benigniorem eſſe ac-*

a *L. Si ex patronis. 10. Sect. Fulianus. ff. de bonis libert. l. Divi fratres. 17. ff. de jure patr. l. 1. Sect. ſi filius. ff. de ſuis & legit. hæred. l. cum dotem. 57. ff. ad leg. Falcid. l. 2. Sect. nullum. ff. de decurion. l. in ſervitutem. 16. Sect. ſi patroni filius. ff. de bonis libert. l. ſi vellem. 4. Sect. ſi deportatus. ff. eod. tit. l. 1. Sect. filium. ff. de bon. poſſ. contr. tab.* b *Sect. neque authent de trient. & ſereniſſ. d. l. maximum vitium. c. de liber. præter Bald ad l. 2 n. 7. c quæ ſit. long. conſuet. Bald. ad l. ſi defunctus. n. 8. C. de ſuis & legit. Anchor. ad c. canonum ſtatuta. n. 311. de conſtit. Alex. conſ. 16. vol. 1. Bart. ad l. cunctos populos. n. 33. C. de ſum. trinit.* c *L. curiales. C. de præd. decur. lib. 10. l. filius fam. 7. Sect ſed meminiſſe. ff. de donat. l. maritum. 42. ff. ſol. matr. l. ſi. vero. 64. Sect. ſi vero. ff. eod.* d *L. ſi ita ſcriptum. 45. in princ. ff. de leg. 2. Rebuff. ad. l. 1. ff. de verb. ſign.* e *L. proſpexit. 12. Sect. 1. ff. qui & à quib. manum. l. commodiſſime. 10. ff. de lib. & poſthum. l. ſi cum dotem. 22. in princ. ff. ſol. matr.* f *C. ſtatutum. 22. de elect. in 6.*

cipiendas

ipiendas. Quocirca cum ad imperium Gallorum ab humanis ſimul & divinis legibus vocatus ſis, armis jus tuum vendices (potentiſſime Rex) quod Galli tibi adimunt, coronam regibus Gallicis excutias, quam ipſi per nefas induunt, defectiones populi iſtius ferro flammáque coerceas, apud exteras gentes antiquam nominis Anglici dignitatem aſſeras, nec patiaris ut ignaviam tuam, neglectis hoſtium injuriis, poſteri tui incuſent. Tibi enim præter juſtiſſimam belli cauſſam, cui auxilium divinum ſolet accedere, ætas florida, corpus vegetum, populus procréſque obſequentes, regnum potentiſſimum, & reliqua omnia adſunt, quæ ad bellum opportune gerendum poſſint deſiderari: nos denique ſubditi tui Eccleſiaſtici ampliorem pecuniarum vim decrevimus, quàm majores tui ab ordine noſtro unquam acceperunt, quos ad bellum hoc ſuſcipiendum animis propenſiſſimis ad te deferimus, orationibus noſtris divinum numen quotidiè porrò imploraturi, ut velit proſpero armorum ſucceſſu cauſæ tuæ æquitatem terrarum orbi patefacere.

Cum perorâſſet Archiepiſcopus, & ex oratione ejus rex videretur valdè commotus, Rodulphus Nevillus Weſtmerlandiæ Comes qui partium regni ſeptentrionalium præfectus erat, Scotorum incurſiones metuens, ſi rex in Galliam proficiſceretur, prolixa oratione ſuadet Scotos prius quam Gallos bello petendos eſſe: & poſtquam literarum ignorantiam cauſatus initio ſe excuſaſſet, quod cum Domino Cantuarienſi nec facundia nec ſcientia poſſet contendere, adjecit illud ſe à viris doctis & rerum uſu accepiſſe, copias conjunctas diviſis fortiores eſſe, & ſecuriùs invadi hoſtes vicinos, quàm eos qui longius poſiti ſunt. Ita enim Romanos priùs in ordinem coegiſſe Samnites, Fidenates, Volſcos, & finitimos Italiæ populos quàm exteros aggrederentur, poſteáque exiguam Siciliæ inſulam ampliſſimis regionibus Pannoniarum, Numidiæ, & Germaniæ præpoſuiſſe, quòd Italiæ conjuncta eſſet. Docere voluit adverſus Scotos domi rem geri, ubi præſto ſint milites aliáque omnia ad bellum neceſſaria: adverſus Gallos opus eſſe claſſe & exercitu ingenti, ſumptúque immenſo, cum in hoſtili ſolo agendum ſit: facilem porrò in Scotos fore victoriam, rege in Anglia jam captivo, rebúſque domi ex Albani Pro-regis intempeſtiva ſeveritate perturbatis: juſtiſſimam denique eſſe belli cauſam ex rapinis & latrociniis, quæ Scoti quotidiè in noſtros exerceant, quæque atrociùs exercere poterunt, dum Angli Gallos aggrediantur antiquo & naturali quaſi fœdere, quod inter eas gentes interceſſit, Scotis conjunctos: & proinde ſummo cum periculo Galliam invadi, priuſquam Anglia a Scotis domi ſecura reddatur. Orationi Nevilli reſpondit Joannes Dux Exonienſis prudentia & literarum cognitione inſignis, quas in Italiæ Academiis comparaverat, eo à patre amandatus, ut ordinibus ſacris initiaretur: Is vero contra ornatè differit Gallos prius invadendos eſſe, quòd Scoti eorum opibus innixi Anglos ſoleant laceſſere: Gallis verò debellatis, Scotos ſponte obtemperaturos, adducto Medicorum aphoriſmo, qui docet medicinam cauſæ morbi primo adhibendam eſſe, & ante omnia humorem purgandum eſſe, ut vulnus rectè ſanari poſſit. Unde enim (inquit) poterunt Scoti haurire literarum aut armorum rudimenta, niſi fuerint in Gallia educati? Unde poterunt ſuſtentari proceres Scoti, deficientibus penſionibus, quæ è Gallia ſolent ſuppeditari? ſubjugata Gallia, cujus gentis auxilium commerciúmve Scoti implorabunt? Non à Dania, cum Danus ducta ſorore tua tibi affinis ſit, non à Luſitania aut Caſtilia, cum u-

 térque

érque Rex patruelis tuus te proximè attingat, non ab Italia, quæ nimis remota eſt, non à Germania, aut Hungaria, quæ fœdere nobiſcum conjunguntur: ideóque cum Gallis Scoti ultrò in poteſtatem tuam venient, quemadmodum ſucco deficiente, ipſam arborem emarceſſere neceſſe eſt. Propoſitis deinceps Malcolmi & Davidis Bruſii exemplis, demonſtrat Scotos nunquam Angliam ingreſſos fuiſſe, niſi dum Angli in Gallia bellum gererent, quibus propterea opponendos eſſe Weſtmerlandum cum milite delecto, ne quid abſente rege tentent,& deniq; Scotia cum Gallia comparata,illam tenuem & exiguam, hanc opulentam & opimam victoriæ mercedem fore. Ad hanc ſententiam adeò propenſi erant regis procerúmq; & præſertim fratrum regiorum,Clarentii,Bedfordienſis,& Gloceſtrenſis animi, quos nominis ac famæ ex bello Gallico majorum ſuorum exemplo comparandæ cupiditas incitabat, ut cum de bello Gallis inferendo ſuffragiis pro more decernendum eſſet,in ſententiam Cantuarienſis ſinguli quaſi pedibus irent,& confuſis vocibus in Concilio omnes arma,Galliámq;inclamarent. Hac ratione Henr. ſummam apud poſteros prudentiæ laudem eſt conſecutus,quòd hoc conſilio tum belli fæliciſſimi,tum diſcriminis maximi ab Eccleſia avertendi author fuerit. Rex ſoluto conventu, milites,claſſem,& reliqua omnia ſollicitè comparat, quibus ad tantam belli molem opus erat, ut ſequenti anno
1415. Galliam invaderet. Eo autem ineunte, ut ex jure gentium ageretur, legati in Galliam mittuntur Dunelmenſis & Norwicenſis Epiſcopi ad regnum Galliæ à Carolo rege poſtulandum, quibus benignè acceptis, id ſolum reſpondit Carolus ſe brevi legatos in Angliam miſſurum, qui eorum poſtulatis reſponderent. Claſſe autem & copiis ad expeditionem paratis, & militibus Southamtoniæ convenire juſſis, ut ibi in naves conſcenderent, dum Rex eò profecturus Wyntoniæ eſſet, legati Gallici ad eum venerunt à Carolo miſſi Vindocinus Comes, Gulielmus Bouratierus Archiepiſcopus Bituricenſis, Petrus Fremellus Epiſcopus Lexovienſis, & Gualtierus Colus regi à ſecretis, quorum nomine Bituricenſis oratione elegantèr compoſita poſtquam belli miſerias, pacíſque commoda pluribus verbis ornâſſet, Henricum regem rogat, ut Catharina filia Caroli in uxorem ducta, ab armis vellet diſcedere, & dotis nomine pollicetur ingentem pecuniarum vim, & aliquam earum provinciarum partem, quas ille jure hæreditario poſtulabat. Cui pro tempore reſpondit Rex, velle ſe de conditionibus ab iis propoſitis deliberare, & poſtridie in ſolio regio conſidens, aſtante frequente procerum multitudine, legatis ad ſe vocatis id ſolum reſpondit, conditiones ab iis propoſitas non eſſe iſtiuſmodi, quæ à ſe cum dignitate ſua poſſint accipi: & Henricum Cantuarienſem è reliquis evocatum ad orationem Bituricenſis copioſius reſpondere jubet. Ille ſic orditur. *Regi poſtquam regni gubernaculis admonitu fuerit, nihil antiquius fuiſſe, quàm ut pacem tum domi inter ſubditos, tum foras cum externis principibus conſervaret. Eam ob cauſam ordines regni ſui pridem convocaſſe, à quibus res domeſticæ compoſitæ fuerint, legatos poſtea in Galliam miſiſſe ad res repetendas & poſtulandas eas imperii Gallici partes, quas Anglorum reges per aliqua jam ſæcula jure ſuo tenuiſſent. Cum verò legati ſui à Carolo nullum reſponſum retuliſſent, regem militum delectus habuiſſe, comparaſſe omnia, quæ ad bellum neceſſaria eſſent, & jam paratum eſſe ad trajiciendum in Galliam, ut injuriam eorum ultum iret, cum nullam apud eos juris ſui rationem haberi animadverteret. Ut tamen univerſis gentibus teſtatum faceret,*

quàm

quàm alienus eſſet ab effundendo Chriſtianorum ſanguine per mutuas haſce bellorum laniænas, regem de jure ſuo aliquid remiſſurum, exauctoratis militibus & conciliata pace inter utramque gentem per nuptias Catharinæ, modo ducatus Aquitaniæ, Andium, & reliquæ ditiones reſtituantur, quas olim majores ſui in Gallia nec vi, nec clam, nec precariò poſſederint. Eæ vero conditiones niſi accipiantur, regem in Galliam cum exercitu propediem ingreſſurum, ferro flammâque in omnes ejus regni partes graſſaturum, neque à cædibus aut ultione temperaturum unquam, donec eos in ordinem coëgiſſet, & imperium ex majorum hæreditate ſibi delatum recuperaſſet. Denique obteſtari Deum Opt. Maximum cauſæ ſuæ teſtem ſimul & vindicem, cujus numen armis adeo juſtis propitium fore conſideret. Perorantem Archiepiſcopum excipit Rex, & verbo regio confirmat omnia quæ ille fuſius & ornatius explicaſſet: ad quæ cum Bituricenſis convitia referre inciperet, & regem liberiùs inceſſere, quàm legati munus pateretur, à rege temeritatis ſuæ ſolùm eſt admonitus, & legati omnes ſub fide publica regno excedere juſſi ſunt, Eos brevi poſtea rex ſecutus eſt, cum exercitu univerſo Southamptoniâ ſolvens Idib. Auguſti, & primo in Normaniam appulſu Harfleum oppidum munitiſſimum poſt unius menſis obſidionem capit, inde vero ingruente hyeme verſus Caletum tendens, trajecto fluvio Sequana, VIII. Kalend. Novembris propè Agincurtum in itinere impeditus & provocatus Gallos juſto prælio profligavit. Nunquam ſanè ab Anglis fælicius pugnatum eſt, nam Gallorum X. millia cæſa ſunt, deſideratis ex acie noſtra ſolum ducentis, uti ſcriptores & hiſtoriæ Gallicæ prodiderunt. Taceo duces Aurelianenſem, Barbonium aliorúmque procerum numerum ingentem, qui captivi in Angliam abducti ſunt. Interea dum rex in Gallia ageret, Henricus Cantuarienſis, rege ita jubente omnes è diœceſi Cantuarienſi Eccleſiaſticos in armis eſſe jubet, nequid Galli in Cantium incurſionibus opportunum, rege abſente, moliantur: poſteáque Synodum provinciæ ſuæ Londini indicit ad IIII Kal. Decemb. primus autem dies ſolennibus & ceremoniis tributus eſt. Nam poſt ſacra à Cantuarienſi manè facta ad ſummum altare Divi Pauli, Gulielmus Lyndewode Cancellarius Cantuarienſis coram Eccleſiaſtico ordine univerſo in Capella Divæ Mariæ ejuſdem Eccleſiæ coëunte, concionem habuit, propoſitis primo illis Jeremiæ verbis, *State ſuper vias & videte.* Diebus inſequentibus Epiſcopi & Abbates in Capellam Divæ Mariæ ſe conferentes; Priores autem Decani, Archidiaconi, & ſingularum diœceſium procuratores ſecedentes in domum Capitularem ſeorsìm de negotiis Eccleſiaſticis agebant, atque ideo iſta domus ſuperior Synodi, hæc autem domus inferior ſolet appellari. In ea Synodo Regi ad bellum Gallicum decretæ ſunt duæ decimæ ex omnibus proventibus & beneficiis Eccleſiaſticis quæ decimas præſtare ſolebant, ita ut una ad diem Divi Martini proximum, altera ad eundem anni inſequentis diem exſolveretur; & IIII Non. Decemb. Cantuarienſis ſingulos dimiſit, poſtquam ex utriuſque Synodi ſuffragiis, rege etiam illud rogante, ſtatuiſſet, ut dies Divi Gregorii, Davidis, Ceddæ, & Winifredæ inter ferias haberentur. Quod decretum inter [h] conſtitutiones Angliæ etiamnum reperitur. Kalendis Aprilis anno ſequenti Henricus aliam Synodum Londini vocat, ut de legatis ad concilium Conſtantienſe mittendis cum Epiſcopis & reliquis prælatis ageret. Diviſus enim erat hucuſque orbis Chriſtianus inter tres Pontifices, Joannem XXIII. Romæ,

g *Paul. Æmyl. in Carol. 6.*

Cap 6. v. 16.

h *C. ineffabilis, de feriis. Lyndw.* 1416.

Gregorium XII. Arimini, Benedictum XIII. Avenioni Pontificis Romani munia exercentes. Neque enim Gregorius & Benedictus ſententiæ in Synodo Piſana contra ſe latæ acquieverant. Joannes autem à principibus Chriſtianis omnibus interpellatur pro tollendo hoc ſchiſmate, ante duos annos Conſtantiæ in Germania Concilium Chriſtianorum omnium indixerat, quod tamen agrè & invitus præſtitit, veritus ne à Concilio Pontificatu ſuo abdicaretur, id quod poſtea accidit, ſicuti deinceps dicemus. Henricus Conſtantiam edicto Pontificio citatus, Robertum Appulton Eboracenſem & Joannem Forſt Lincolnienſem Canonicos, Procuratores ſuos Conſtantiam ante biennium ablegaverat, qui Concilio ſuo nomine intereſſent; à rege autem & ordine Eccleſiaſtico Comes Warwicenſis, Epiſcopi Sarisburienſis, Bathonienſis, & Herefordienſis, cum Abbate Weſtmonaſterii: & Priore Wigorniæ eodem tempore Conſtantiam legati miſſi erant: quorum numero jam imminuto per mortem Roberti Hallum Sarisburienſis, & Roberti Maſcall Herefordienſis Epiſcoporum, qui Conſtantiæ obierunt, & quòd frequentiores aliarum gentium legati Conſtantiæ eſſent, in hac Synodo delectus eſt Richardus Clifford Londinenſis Epiſcopus, & duodecim Doctores, una cum Academiæ Oxonienſis & Cantabrigienſis Cancellariis, qui ea etiam legatione fungerentur, & ad eorum ſumptus ex ſingulis libris beneficiorum & proventuum Eccleſiaſticorum duo denarii ſunt. In Galliam primo, mox in Angliam venit hoc ipſo tempore Sigiſmundus Romanorum Imperator, ut pacis tum in Eccleſia, abdicatis protervis Pontificibus, tum inter utrumque regem, depoſitis armis, conſtituendæ author eſſet. Eo rogante, rex cum Cantuarienſe & Synodo egit, ut legati Conſtantiam quamprimùm mitterentur. Sancitum porro eſt in ea Synodo, deponenda eſſe apud ſequeſtrum defunctorum bona, donec teſtamentum exhibeatur & approbetur, & ne executoribus permittatur bonorum adminiſtratio, donec juſtum inventarium ſcripſerint, & ut iis ſolum bonis ſe immiſceant quæ in inventario ſcripta ſunt: additúmque pro ratione temporum, ne quid ultra quinque ſolidos pro inſinuatione teſtamentorum aut ratiocinio exigatur; denique in gratiam regis conceſſum eſt, ut Eccleſiaſtici decimam ad feſtum Divi Martini ex decreto ſuperioris Synodi ſolvendam, ante ſex menſes repreſentarent. Cæterùm Sigiſmundus Imperator componendis Anglorum & Gallorum diſcordiis fruſtra ſtudet. Nam dum ageretur cum Legatis Gallicis, qui cum Sigiſmundo in Angliam venerant, de pacis conditionibus, è Gallia allatum eſt Harfleum oppidum à Gallis obſideri, & quadringentos Anglos à Joanne Comite Arminiaco collatis ſignis cæſos eſſe, qua clade ita irritatus eſt regis animus ut à pacis nomine deinceps abhorreret, & in Galliam illico profecturus erat, niſi ab Imperatore monitus ſe continuiſſet, ideòque Joannem ducem Bedfordienſem fratrem ſuum cum claſſe & copiis inſtructis in Normaniam mittit. Igitur Sigiſmundum aureæ periſcelidis ordine donatum, & in Anglia per quatuor menſes magnificentiſſimè acceptum, icto mutuo fœdere Rex circa finem Auguſti Caletum uſque cum comitatu ſplendido & magna navium multitudine deducit; inde Sigiſmundus Conſtantiam concedit, ut Concilio intereſſet. Rex autem Caleti aliquandiu ſubſtitit, ut rebus Gallicis conſuleret, eòque etiam Henricus Cantuarienſis, finita Synodo, ex Anglia tranſmiſit. Dum rex Caleti eſſet, eò venerunt Johannes Burgundionum Dux,

Archiepiſcopus

Archiepiſcopus Rhemenſis, aliique legati à Carolo Gallorum rege miſſi, ut pacem impetrarent tempore longè alieno, quòd rex ob recentes Gallorum injurias in belli curas intentus erat, ne ipſe in prælio Agincurtenſi ſuperiore anno victor, clade nuperrimè accepta, pacis conditiones accepiſſe, non dediſſe videretur. Ideo compoſitis rebus Gallicis in Angliam mox reverſus, conventum Ordinum Weſtmonaſterii habet, in quo pecunias & militum delectum ad ſubſidium belli Gallici ſequenti anno rurſus ſuſcipiendi facilè impetravit. Caleto etiam rediit eodem tempore Henricus, & à rege juſſus Synodum Londini V. Id. Novemb. convocavit, in qua obtinuit, ut duæ decimæ regi in Galliam profecturo concederentur, exorantibus Henrico Beufort Wyntonienſi Epiſcopo unà cum ſummo Angliæ Mareſchallo, & Henrico Ware ex Cancellario Cantuarienſi pridem Cuſtode privati ſigilli facto, qui à rege eam ob cauſam ad Synodum miſſi erant. De cætero nihil in ea Synodo actum eſt, quàm ut [1] dies Joannis de Beverlaco, aliúſque Criſpini, & Criſpiani martyrum in memoriam prælii Agincurtenſis, qui in eum diem inciderat, inter ſolennes haberentur. At rex vocatis ad ſe proceribus, & conſcripto lectiſſimorum militum exercitu, claſſeque inſtructa, in Normaniam transfretavit Kalendis Auguſti anni ſequentis, relicto Joanne Bedfordienſe, qui ſe abſente remp. adminiſtraret: eoque abeunte, Henricus ſingulis provinciæ ſuæ Epiſcopis mandat, ut ad omnes Dei, Divorumque Eccleſias pro regis incolumitate, & proſperis armorum auſpiciis ſupplicationes haberentur. Eo etiam anno Henricus egregio juſtitiæ & magnanimitatis ſuæ ſpecimine edito, ſimul etiam demonſtravit, quantùm omnes clavium Eccleſiaſticarum authoritatem eo ſæculo reformidarent. Nam cum Dominus Strange, Elizabetha uxor, multique eos comitati famuli ad Eccleſiam Divi Dunſtani die Paſcatis, ut ſacris veſperarum intereſſent, accedentes, Joannem Truſſell militem ex antiquis inimicitiis inviſum reperiſſent, famuli ſtrictis in Eccleſia gladiis militem, filium, aliósque ex ipſius familia vulnerant, & Thomam Petwardy Civem Londinenſem pro rebus componendis ſeipſum dimicantibus immiſcentem confodiunt. Delato mox ad Archiepiſcopum crimine, Eccleſiæ ipſi ſanguine effuſo contaminatæ interdicitur, authores & conſcii ad crucem Divi Pauli coram populo pro concione execrationibus diris devoventur, & inquiſitione habita in æde Divi Pauli Henricus pro tribunali ſedens Domino Strange, & uxori coram eo in genua procumbentibus, & ſuppliciter ab Eccleſia veniam implorantibus eam irrogavit pœnam, ut famuli ſolis interulis & femoralibus induti, ipſe autem & uxor cereos manu geſtantes per publicas Civitatis plateas ab æde Divi Pauli ad Divi Dunſtani incederent: quæ omnia ſolenniter ſcatim peracta ſunt: & Archiepiſcopo Eccleſiam Dunſtani luſtranti Baronis uxor vaſa ſacrâ aquâ implevit: & utrique præterea mandatum eſt, ut pyxidem & pannos ad altaris ornamentum conſecrarent. Interea in Concilio Conſtantienſi accerrimè diſceptatum eſt de Eccleſiæ Schiſmate per creationem novi Pontificis conciliando, & de coercendis iis, qui Romanorum Pontificum ſuperbiam, Eccleſiaſticorum luxum, inertem monachorum vitam, & innumeras Romanæ Eccleſiæ corruptelas jam liberrimè inſectabantur. Horum anteſignanus habebatur Joannes Wiclyff, qui ſub Edvardo III & Richardo II Oxonii publicè docens, & libris deinceps editis plurimos non ſolùm ex Academicis, verùm etiam

[1] *C. Anglicanæ de feriis.*

1417.

etiam è proceribus, & plebe in partes ſuas attraxerat. Ab eo ad reliquas gentes Chriſtianas perrexerunt purioris doctrinæ ſemina, & præſertim ad Boëmos, qui Wiclyffiana dogmata tam avidè amplectebantur, ut Pontifici Romano jam propemodum renunciare viderentur. Ut ergo illis occurreretur, decreto concilii Joannes Wiclyff hæreticus pronunciatur, & ſancitum, ut damnatâ ipſius memoriâ, oſſa ſepulchro eruta igni traderentur, & in omnes, qui ipſius dogmata tuerentur, tanquam hæreticæ pravitatis reos inquireretur. Inde de Boëmis agitur, & damnatis pariter eorum opinionibus, Joannes Huſs, & Hieronymus Pragenſis hæreſiarchæ judicati, flammiſque combuſti ſunt. Quorum interitus maximam & Sigiſmundo Imperatori, & Concilio univerſo infamiam apud poſteros concitavit, quòd uterque Conſtantiam vocatus venerat ſub fide publica, quam Sigiſmundus Ladiſlao Boëmiæ regi dederat: eos ſalvos & incolumes domum reverſuros. Qua tam fædè violata, Boëmi adeo indignati ſunt, ut aſcito Joanne Ziſca duce fortiſſimo, Imperatorem deinceps in ſummum diſcrimen adduxerint. Synodus autem ipſa, ut facti illius dedecus eluderet, Fidem [k] hæreticis non eſſe ſervandam decrevit, accerſitis Panormitano & Ludovico Romano, magni nominis juriſperitis, qui in eam ſententiam tunc temporis reſponderunt, ſicut etiam alii nonnulli, quos [l] commovere authoritate ſua illius Concilii Patres potuerunt. A qua tamen [n] Juriſconſulti recentiores deinceps abhorruerunt, ipſóſque adeò Pontificios ejus decreti puduit qui fidem publicam [o] Luthero datam ad conventum Wormatienſem, & Proteſtantibus [p] poſtea ad Synodum Tridentinam venientibus violare non ſuſtinuerunt. Quid enim magis abſurdum vel potiùs impium, quàm fidem, quæ inter Ethnicos ſacra ſemper habita fuit, à Chriſtianis ipſis impunè contemni? Poſt hæc in Concilio omnium animi in componendas Pontificum diſcordias intenti erant. Joanni enim XXIII, quòd Pontificatui non renunciaret, ſicuti ſolenniter ſpoſponderat, redeunte ex Anglia Sigiſmundo, graviſſima crimina objecta ſunt, qua de cauſa ipſe mutato habitu à Conſtantia in Auſtriam clàm fugit; eum tamen Imperator aſſecutus gladiatoris aut venatoris more amictum coram Concilio ſiſtit, à quo in carcerem conjicitur, & viris aliquot primariis è ſingulis gentibus, quæ Concilio intererant, delegatis, qui de criminibus ipſius cognoſcerent, coram iis de adulterio, inceſtu, veneficio, homicidio, aliiſque horrendis ſceleribus poſtulatur, præſertim de Simoniæ crimine, quòd ipſe Cardinalis, & dein Pontifex per ſordes factus, beneficia, dignitates, Epiſcoporum & Cardinalium munera, ordines, peccatorum expiationes, & ſacra omnia venùm dediſſet. Quibus omnibus per teſtes comprobatis, Concilii ſuffragiis ſententiâ in eum latâ, dignitate Pontificia ſpoliatus, & ad carceres damnatus eſt. Supererant Gregorius XII. & Benedictus XIII. Gregorius cum videret obtemperandum eſſe, Carolum Malateſtam Principem Ariminenſem Conſtantiam Legatum mittit cum liberis mandatis, in quibus ei facultas cedendi Pontificatu nomine ſuo data eſt. Carolus igitur inſignia Pontificis indutus & in ſella Pontificia conſidens, veluti Gregorii perſonam gerens publicè perfecta renunciandi facultate, ipſum Pontificatu abdicat. Demum Benedictus à Ferdinando Arragonum rege, qui ei parebat, derelictus, ex Concilii ſententia Pontificatu Privatur: & ut iſtæ Pontificum abrogationes juſtæ viderentur, [q] Concilium Oecumenicum immediatè à Chriſto poteſtatem habere,

k *Concil. Conſt. ſeſſ.* 15.
l *Mar. Salomon. ad l.* 2 *Sect. extraſtis. ff. de orig. jur. Petr. Plac. lib.* 1. *epit. delict. c.* 37.
n *Menoch. lib.* 2. *de arbit. Jud. Cent.* 4. *Caſ.* 336 *Farrinac. in prax. Crim. tit. de carcerib. & carcerat. q.* 20. & *Menoch. conſ.* 192.
o *Bodin. lib.* 5. *de repub. cap.* 6.
p *Petr. Arod. de ord. Judic. par. 2. n.* 15.
q *Seſſ.* 4. & 5.

habere, eique ſubeſſe Pontificem Romanum, decreto Concilii ſancitum eſt. Jam de novo Pontifice eligendo agitur; placuitque Concilio ex ſingulis nationibus ſex viros deligi, qui cum Cardinalibus conclave ingreſſi Pontificem crearent. Gerebantur enim omnia in Concilio quinque nationum ſuffragiis, Germanorum, Italorum, Anglorum, Gallorum, & Hiſpanorum. Nam in hac Synodo primùm obtinuerunt Angli, ut pro natione haberentur. Ex Anglis itaque Londinenſis, Bathonienſis, Wigornienſis, & Lichfeldenſis Epiſcopi, cum Abbate & Decano Eboracenſe delecti ſunt. Tertio autem die poſtquàm conclave ingreſſi eſſent, ita præeunte Epiſcopo Londinenſi, Ego Richardus Epiſcopus Londinenſis accedo ad Dominum meum Cardinalem de Columna, reliqui omnes ejus authoritatem ſecuti, ſubitò Othonem Colmanam principem Romanum & Cardinalem D. Georgii ad vellus aureum eligunt III. Id. Novemb. qui dies quod D. Martino ſacer eſſet, ipſe Martinus V. dici voluit. Illud autem Conſtantienſis Concilii decretum de concilii poteſtate Pontifices Romanos inſequentes ſummè cruciavit, uſque adeò, ut à Leone X. in Concilio Lateranenſi ultimo antiquatum fuerit: idémque [s] Canoniſtæ deinceps plurimi commentariis, & [t] Theologi Pontificii diſputationibus ampliſſimis reprobarunt, ſive Pontifici adblandientes, ſive obnoxii, amiſſa libertate illa loquendi ſimul & ſcribendi, qua univerſi Conſtantiæ, ſemoto Pontifice, fruebantur. Etenim [u] Petrus Ancharanus qui Concilii Conſtantienſis advocatus erat, [x] Baldus & [y] Panormitanus tum temporis liberè reſpondebant, Pontificem ſubeſſe Concilio, & ab eo deponi poſſe, [z] gloſſæ, [a] Archidiaconi, & Geminiani authoritatem ſecuti, qui idem antea ſcripſerant: iiſque accedunt [b] Felinus, aliique recentiores qui laudato Concilio Conſtantienſi eandem ſententiam poſtea tradiderunt. Neque intra eos Cancellos compingitur concilii poteſtas ut creato ſtatim Pontifice, omne imperium amittat, & nihil aliud, inconſulto novo Pontifice, poſſit ſtatuere, ſicut Philip. [c] Decius exiſtimavit; Nam is à [d] Carolo Molinæo merito redarguitur, & [e] Panormitanus illud porro adjicit, Pontifice œcumenici concilii tempore decedente, aut deturbato, jus eligendi penes ipſum Concilium, non Cardinales eſſe, adducto hoc Conſtantienſis concilii exemplo, in quo Martinus V. à Cardinalibus, aliiſque, poteſtate à Concilio delegata, eligebatur, idémque in [f] Concilio Conſtantienſe tum temporis ſancitum, poſtea tamen in concilio Tridentino non obtinuit, prævalente Cardinalium ambitione, qui [g] mortuo Paulo III tempore concilii, ad creandum novum Pontificem Tridento Romam advolabant. Quinetiam pro ſuprema illa concilii poteſtate in ipſius concilii initio Henrico Wyntonienſi, & Joanni Lichfeldenſi Epiſcopis ſub ſigillis nationum imperatum eſt, ut pecunias Cameræ Romanæ in Anglia debitas nomine concilii coacervarent. Incredibilem autem lætitiam gentibus Chriſtianis attulit Martini V. Creatio, quòd pacem Eccleſiæ tandem reſtitutam omnes exinde arbitrarentur. Apud Anglos verò primum ab Henrico Cantuarienſi in Synodo annunciata, hymnis ſtatim & ſupplicationibus ſolenniter commemorata eſt. Is enim ſub exitum hujus anni, jubente rege, literis è Gallia datis, Synodum Londini habuit VI. Kal. Decemb. Cui interfuerunt Thomas Dunelmenſis Epiſcopus Angliæ Cancellarius, Thomas Bedfortius Dux Exonienſis, Henricus Percius Northumberlandiæ, & Rodulphus Nevillus Weſtmerlandiæ

r *Seſſ.* 12.
s *Canoniſt. ad c. ſi Papa diſt.* 40. & *c. ſignificaſti de elect.*
t *Bell arm. lib.* 2. *de Concil. author. cap.* 14. *Sander. lib.* 7. *de viſib. monar.*
u *Ancharan. Conſ.* 181.
x *Bald. ad c. olim. n.* 32. *de reſcript.*
y *Abb. ad c. quia diligentia. n.* 2. *de elect. & ad c. ſignificaſti. n.* 4. *eod. tit. & ad c. fraternitatis n.* 1. & 2. *de hæret.*
z *Gl. ad c. ſi Papa diſt.* 40.
a *Archidiac. & Gemin. ad c. in fidei favorem. de hæret. in* 6.
b *Felin. ad c. ſuper literis. n.* 21. *de reſcript. Dec. in concil. pro authoritate Concilii ſupra Papam. late. Cardinal. Jacobat. lib.* 3. *de Concil. art.* 1. *n.* 11. *Jo. Rojas de hæret. n.* 18.
c *Decius ad c. Oſias. n.* 2. *de elect.*
d *In notis ad Decium. de d. c. Oſias.*
e *Alb. ad c. licet de vitanda n.* 8. *de elect.*
f *Seſſ.* 19.
g *Thuan. lib.* 4. *hiſtor.*

e [illegible]

comites, à Joanne Bedfordienſe Pro rege miſſi, ut ab Eccleſiaſticis nomine regis in Gallia jam fæliciter bellum gerentis pecunias exorarent, qui ad petitionem etiam Henrici Arch. duas decimas conceſſerunt. In ea Synodo Robertus Gilbert ſacræ Theologiæ Profeſſor, Cuſtos Collegii Mertonenſis longa & ornata oratione commendata primò Academiâ Oxonienſe, miſeram Academicorum conditionem demonſtrat, qui poſt multos annos inſcientiis addiſcendis poſitos Oxonii nulla ſtudiorum mercede evocati conſeneſcant. Cujus exemplum ſecutus Thomas Kyngton Legum Doctor & advocatus Curiæ Cantuarienſis de arcubus eandem pro Academia Cantabrigienſe cauſam diſertè peroravit: Uterque pro literarum ſtudioſis in utraque Academia obteſtatus eſt, ut de iis promovendis decreto aliquo Synodi proſpiceretur. Decretum igitur eſt, ut beneficia Eccleſiaſtica, quorum proventus annui ad ſexaginta marcas extenderentur, ſolis Doctoribus Theologiæ, Legum, aut Medicinæ: quæ quinquaginta marcas redderent, ſolis earum ſcientiarum licentiatis, aut Bacchalaureis Theologiæ: ea autem, quorum redditus non ſuperarent quadraginta marcas, ſolis Magiſtris Artium, aut Bacchalaureis Legum à patronis conferantur. Ita de beneficiis ſtatuerunt, quibus cura animarum annexa eſt. Similiſque pœnæ ratio pro uniuſcujuſque cenſu habita eſt in iis beneficiis, quæ non curata appellantur: additumque, ne Decretum porrigeretur ad illos qui gradus ex gratia adepti eſſent. Verum quia utriuſque Academiæ ſtatutis cautum erat, ne ſacrarum literarum ſtudioſi Theologiæ intiarentur, niſi qui prius fuiſſent artes profeſſi, & ne Juris Canonici ſtudioſi in ſcientia ſua Doctores crearentur, niſi qui Juri Civili operam dediſſent, in gratiam Monachorum, & Canoniſtarum ei decreto hæc conditio appoſita eſt, ut niſi antiquatis iis ſtatutis, non promulgaretur. Oxonium igitur à Synodo miſſi ſunt Thomas Felde Decanus Herfordienſis, & Thomas Lentwardyn Cancellarius Eccleſiæ Divi Pauli Londinenſis, qui cum artium Magiſtris, quorum ſuffragia in Academia prævalent ea de re agerent. Cantabrigienſes etiam Magiſtri per literas Synodi ea de re moniti ſunt, quibus utrinque conditionem repudiantibus, ne doctoribus in conſequendis beneficiis inferiores haberentur, decretum utrique Academiæ utiliſſimum futurum eo tempore obductum eſt. Soluta Synodo de Martini Pontificis novi injuriis agi cœptum. Is enim decedentibus hoc tempore multis in Anglia Epiſcopis, alios pro arbitrio ſuo ſuffecit. Nam initio anni ſequentis Benedictum Nicoll Menevenſem, Willelmum Barrow Bangorenſem, Joannem Chandeler Sarisburienſem, Philippum Morgan Wigornienſem Epiſcopum conſtituit, pro abſoluta poteſtate, quam Pontifices Romani in conferendis Angliæ Epiſcopatibus eo ſæculo ſibi arrogabant. Conquieverant aliquandiu Eccleſiaſtici apud nos, tempore Concilii Conſtantienſis poſt depoſitum Joannem XXIII. Nam mortuis eo tempore Sarisburienſi & Herefordienſi Epiſcopis, ab utroque capitulo novi Epiſcopi liberè eliguntur, neque literis ab univerſo Cardinalium cœtu Conſtantiæ ſcriptis obtineri potuit, ut Johannes Lichfeldenſis Epiſcopus regis in Concilio legatus ad Eccleſiam Sarisburienſem ab eo capitulo poſtularetur. Martinus tranquillam ſe iis ſuæ poſſeſſionem jam adeptus, prioribus Pontificibus longè inſolentior, ipſo Pontificatus initio, Eccleſias omnes ſuo imperio vendicat, Epiſcopatuum univerſorum donationes proviſionis titulo ſibi reſervat, electiones Epiſcoporum

rum â capitulis factas reſcindit; & infra duos annos tredecim Epiſcopos in Cantuarienſi Provincia præficit, tempore opportuno, rege jam apud Gallos occupato, illud auſus, quod Edvardus III & Richardus II legibus ſeveriſſimis interdixerant: porro Proſperum Columnam nepotem ſuum quatuordecim annorum adoleſcentem per proviſionem Archidiaconum Cantuarienſem conſtituit, cui etiam poſt aliquot annos in gratiam Pontificis â rege indultum eſt, ut totidem beneficiorum in Anglia proventibus frui poſſet, qui quinquaginta marcas annuatim non excederent. Ad hæc accedebant querelæ de promiſcuis Eccleſiarum unionibus (quæ appropriationes vulgò appellantur) & conſolidationibus à Pontifice factis, de effuſa gratiarum conceſſione, per quas tum Sacerdotes à beneficiis impunè aberant, tum Laici Sacerdotia conſequebantur, & demum quòd Anglorum in conferendis aulæ Romanæ dignitatibus nulla ratio haberetur. Iſta legati regis Joannes Lichfeldenſis Epiſcopus, & Thomas Polton Decanus Eboracenſis in Concilio Conſtantienſi ad Pontificem novum deferri juſſi, ab eo impetrarunt, ut ſtatim Anglis aliqua privilegia concederet, quæ in ipſo reſcripto Concordata inter Martinum V. & Eccleſiam Anglicanam appellantur. Ea erant, ut uniones Eccleſiarum non fierent motu proprio, ſed Epiſcopi locorum de cauſis cognoſcerent; ut uniones Eccleſiarum, & conſolidationes vicariarum factæ tempore ſchiſmatis abrogentur; ut reſcindantur gratiæ à Pontifice factæ, per quas Sacerdotes in beneficiis non reſideant, aut Laici monachivè beneficia poſſideant; Denique ut minuatur in poſterum Cardinalium numerus, iique ex omnibus Chriſtianis gentibus æquè eligantur, & ut Angli ad reliqua omnia Curiæ Romanæ munera admittantur. Eodem tempore legati alii à rege ad Pontificem miſſi poſtulant, ne Pontifex iis beneficiis conferendis in Anglia ſe immiſceat, quorum donatio ad regem tum pactis inter reges Angliæ & Pontifices initis, tum jure regio ſpectet; ne ad Epiſcopatus & ſacerdotia in Aquitania, aliiſque ditionibus, quas rex in Gallia poſſideat, Galli admoveantur; ut dignitates aut beneficia in Hibernia ii ſoli conſequantur, qui linguam Anglicam callent, & Epiſcopi in ſuis diœceſibus curent, ut uniuerſi Anglicè duntaxat loquantur; ut in cœnobia Gallorum in Anglia poſita Galli de cætero non recipiantur: & ut regi pro ſede Romana bellum gerenti ex iis pecuniis, quæ fiſco Romano in Anglia ſolvantur â Pontifice, ſubueniatur. Quibus cum Martinus parùm benigne reſponderet, adjiciunt, niſi Pontifex quam primum poſtulatis ſuis ſatisfaciat, ſe in mandatis habere, ut coram eo profiteantur, regem in iis ſingulis jure ſuo uſurum, ut pote quæ non neceſſitatis, ſed honoris cauſa petat, & ut publicam de ea re coram univerſo Cardinalium cœtu proteſtationem interponant. Galli etiam & Germani haſce proviſiones & artes Pontificias execrati ſunt. Galliæ enim ordines [h] menſe Majo hujus anni Pariſiis convocati, antiqua ſtatuta omnia contra Pontificum gravamina & rapinas edicto renovarunt, in quo illud additum, ne Martinus à Gallis Pontifex agnoſceretur, niſi illi decreto acquieſceret: & cum brevi poſtea Lugdunenſem Eccleſiam interdicto obligaſſet, interdictum illud à Senatu Pariſienſi reſcinditur, & inquiſitum in Academiæ Pariſienſis Rectorem tanquam læſæ majeſtatis reum, quod ab edictis regiis ad Pontificem provocaſſet: & Germani hoc ipſo tempore à quæſtoribus Pontificiis expilati, à Pontifice horum onerum ſublevationem poſtulabant. Sed tan-

[h] *Car. Molin. de Monar. t. 1. n. 145.*

dem ſolis indulgentiis & gratiis ſunt eluſi, ut[i] Æneas Sylvius tum temporis in Germania agens commemoravit. Henricus autem exeunte hoc anno poſtquam diœceſim Roffenſem univerſam viſitando luſtraſſet à rege evocatus in Galliam trajicit, Joanne Wodnesburgh Priore Cantuarienſi Vicario generali conſtituto, & regem ad Rhotomagum in Normanuia adit, qui ex eo tempore, quo in Galliam anno ſuperiore venerat, Cadomum, Cæſaroburgum, Allenſonium, Conſtantiam, Falleſiam, & pleraſque munitiſſimas Normanniæ civitates partim vi, partim deditione ceperat, & jam Rhotomagum Normanniæ metropolim obſidebat. Convenerat eo ipſo tempore inter regem & Gallum, ut legati utrinque ad pacem contrahendam coirent, Pontlarchæ oppido octo millia paſſuum a Rhotomago ad Sequanam fluvium poſito, quòd à rege nuperrimè expugnatum erat. A rege eo mittuntur [k] Henricus Cantuarienſis & Comes Warwicenſis, à Gallo Philippus Morvillerius præſes Pariſienſis, Epiſcopus Bellovacenſis, Reginaldus Tollevillius Eques, & à Pontifice Cardinalis Urſinus, qui utrinque pro pace intercederet. Ubi per quindecim dies fruſtra de rebus componendis diſceptabant, Gallis Catharinæ Carolo filiæ imaginem affabrè depictam oſtentantibus, quam Regi deſpondere volebant, noſtris verò in dotem decies centena millia aureorum, & Normanniam, Aquitaniam, comitatúmque Ponthii libera à Gallorum imperio poſtulantibus, & demum Gallorum conditiones omnes apertè recuſantibus, quòd exiſtimarent cum Carolo nihil tranſigi poſſe, qui in mentis alienationem nuper inciderat, nec cum Delphino, quod jure alieno non ſuo uteretur, nec cum Burgundo, quod ditionibus imperii Gallici alienandis authoritatem non poſſet adhibere. Rhotomagenſes interea pertinaciſſimè ſe defendebant, donec extrema omnia perpeſſi eſſent. Etenim poſt ſex menſium obſidionem centum millia hominum partim bello, partim fame perierant, & qui ſupererant animalibus ſordidiſſimis, canibus, equis, muribus veſcebantur, tanta rerum omnium penuria, ut pomum tribus, canis decem ſolidis væniſſe diceretur, neque à ſuis ſuppetias ulterius expectabant, Carolo mentis parùm compote, & principibus bello inteſtino implicatis, quo Gallia jam univerſa inter Carolum Delphinum, & Joannem Burgundiæ Ducem diviſa conflagrabat. Igitur è Civitate duo proceres, duo Eccleſiaſtici, & totidem Cives cum ſeciali emiſſi, & pedibus regis advoluti ſupplicitèr pacem implorant, à quo ad tentorium [l] Cantuarienſis ire juſſi ſunt, poteſtate ei data unà cum Warwicenſi & Sarisburienſi Comitibus, Fitz Hugone Barone, Waltero Hungerfordo, Gilberto Umfrevillo, Johanne Robſerto equitibus, ut de deditionis conditionibus cum Civibus agerent. Quibus aſtipulantibus Rhotomagenſes civium & fortunarum incolumitatem pacti, & trecentis ſexaginta quinque millibus aureorum multati Civitatem dedunt.

1419. Inierat jam novus annus cum hæc gererentur, & XIIII. Kal. Febr. Rex cum exercitu more triumphali urbem ingreditur, eámque operibus munitam, fiſci, juris dicundi, & rerum Normannicarum primam ſedem conſtituit. Tum reliquas Normanniæ partes brevi debellavit, nam Medontam primò, poſtea Pontoſium oppugnatione cepit. Reliquæ civitates Rhotomagenſium exemplo conſternatæ ultrò in poteſtatem venerunt. Henricus Rhotomagi cum rege in civitate aliquandiu ſubſtitit in cœnobio fratrum Prædicatorum exceptus. Medontæ deinceps & Pontoſiæ regem in caſtris ſecutus, ei à ſacris ſimul & conſiliis

[i] *In Epiſtolic. paſſim.*

[k] *Enguerr. de Monſtrell. cap. 202.*

[l] *Enguerr. de Monſtrell. cap. 202.*

ſiliis ſedulò inſervivit; neque ab eo diſceſſit uſque ad finem Auguſti. Tum autem in Angliam reverſus eſt, ut Synodum haberet, & ut Provinciæ ſuæ adminiſtratione invigilaret. Indicebatur ea Synodus Londini III. Kal. Novemb. Ut cum Eccleſiaſticis de pecuniis regi in Gallia fæliciſſimè dimicanti decernendis ageretur, quod rex Henrico è Gallia diſcedenti & per literas etiam nuperrimè mandaverat. Ab iis conceſſa eſt media decima Sacerdotiorum omnium, & imperatum Capellanis ſeu Cantarias poſſidentibus, ſeu ſtipendio ſacra facientibus, ut ſinguli ſex ſolidos octo denarios fiſco ſolverent, proteſtatione à Gulielmo Lyndewode nomine Procuratorum Cleri publicè facta, ne conceſſio iſta fraudi iis poſtea eſſet, nec in exemplum apud poſteros traheretur. Coram ea Synodos iſtitur Richardus Walker Sacerdos Wigornienſis maleficii poſtulatus, exhibitis libris, imaginibus cereis, lapidibus, aliiſque dirarum & imprecationum inſtrumentis, quæ ab eo poſtea ad crucem D. Pauli recognita, concionem habente Joanne Welles Epiſcopo Landavenſi, flammis combuſta ſunt: et poſtquam ſolennem pœnitentiam in ſupplicatione publica præſtitiſſet, artem nefandam ejeravit. Adducti ſunt poſtea in Synodum alii, qui Joannis Wiclyffi dogmata occultè amplecti inſimulabantur, iiſque renunciare coacti ſunt, atque ita Synodo ſoluta ſinguli abierunt. Tum Henricus ad omnes aras & delubra ſupplicationes indicere pro fælicitate regis in Gallia agentis, cui hoc ipſo tempore ex Galliæ diſcordiis repentina ſpes Galliæ ſine ſanguine acquirendæ divinitùs affulſit. Philippus enim dux Burgundionum ut cædem paternam ulciſceretur, quem Carolus Delphinus priden Monſterioli ſub colloquii ſpecie nefariè occiderat, cum rege clàm per nuncios fœdus icit, eique connubium Catharinæ Caroli regis filiæ, & reliqua omnia ad victoriam adjumenta pollicetur. Rogat tantùm, ut Trecas pro pace publica cum Carolo conſtituenda poficiſcatur. Habebat Burgundus tum temporis in poteſtate ſua Carolum règem, Iſabellam reginam, Catharinam filiam, Lutetiam primariam regni urbem, & ſummam rerum adminiſtrationem, ſemoto Carolo Delphino ab Iſabella, quæ animo infenſa in Delphinum, Burgundum gubernaculis admoverat. Rex igitur, ne hanc rei fæliciſſimè tranſigendæ opportunitatem elabi ſineret, & porro Catharinæ formoſiſſimæ virginis amore captus, Trecas mox venit: Ibique deſpondentibus Carolo & Iſabella Catharinam ducit, his legibus, ut Henricus gener, ſuperſtite Carolo ſocero regnum Franciæ adminiſtraret, Rectórque Franciæ diceretur, Carolo autem mortuo ipſe, liberiue ex Catharina procreati in regnum Franciæ ſuccederent, & ut Carolus regni paterni exhæres, & hoſtis publicus haberetur. In eaſdem leges conſenſerunt principes, procereſque Gallorum, qui frequentes aderant, & in Regis Henrici ipſius verba univerſi præeunte Burgundo jurarunt, majorem ex præſentia fortitudinem & prudentiam rati, quàm ex rebus geſtis & abſentis admiratione conjeciſſent. Elapſus ferè erat menſis Majus anni ſequentis, cum nuptiarum ſolennia Trecis peragerentur: Quibus domi apud nos nunciatis, lætitia in omnium animis immenſa fidem ferè minuebat, & Henricus protinus in Galliam tranſmiſit. Winchelſea ſolvens IIII. Id. Junii: (Joanni Priori Cantuarienſi Vicarii generalis, & Gulielmo Lyndewode Auditoris cauſarum munere demandato) ut recenti conjugio fauſta omnia precaretur, & principatum novum conſiliis ſuis confirmaret. Ille regem adit 1420.

Trecis mox discessurum, ut Delphinum profligaret, qui solus ex hostibus supererat, ideoque principio Julii in Senones movens Monsteriolo capto Mellodunum urbem munitam aggreditur, quæ per quatuor menses obsidionem passa, ineunte Novembri, dedita est. Obsidioni illi cum rege nostro interfuerunt Carolus Galliæ, Jacobus Scotiæ reges, Philippus Burgundiæ, Willelmus Bavariæ Duces, multique Principes, & Henricus etiam Cantuariensis, qui toto eo tempore in castris degens urbe dedita regem cum Carolo Socero, & utraque regina Lutetiam secutus est, & in Angliam sub exitum Novembris rediit. Relicta dein Humfredo Gloucestrensi, & Philippo Burgundo rerum Gallicarum procuratione; Rex cum Catharina conjuge ineunte Februario alterius anni in Angliam venit incredibili omnium gratulatione & plausu exceptus, & supplicationibus ad omnia Dei, Divorúmque templa, quas Cantuariensis per quatridiuum fieri jussit. Ab ordinibus regni sub adventum suum Westmonasterii coëuntibus pecunias ad bellum Gallicum rogat, & in eodem conventu regina apparatu solenni coronâ insignita est ab Archiepiscopo Cantuariensi, qui hoc ipso etiam tempore Synodum Londini convocavit, & decimam regi impetravit. quæ concessa est sub conditionibus à Gulielmo Lyndewode nomine Procuratorum Cleri interpositis; Eæ autem erant, ut familiæ regiæ provisores à bonis Ecclesiasticorum abstinerent, ut Clerici propter furtum manifestum solum & homicidium carceribus mandarentur, de reliquis criminibus postulati, datis fidejussoribus judicio sisti, vinculis liberarentur; & ut ii qui Sacerdotes castrarent, feloniæ crimine tenerentur: quas omnes Rex in eo ordinum conventu ratas & sancitas esse jussit. Ad eam Synodum una cum Episcopis & reliquis prelatis, Archiepiscopi edicto vocati sunt Johannes Castell Academiæ Oxonienſis, & Johannes Rykynghall Cantabrigiensis Cancellarii, uterque sacrarum literarum Professor, qui orationibus ornatis pro utriusque Academiæ studiosis exorarunt, ut decretum ante quatuor annos in Synodo latum de conferendis beneficiis in eos solos, qui Gradibus Academicis erant ornati, pro beneficiorum censu, & graduum dignitate jam promulgaretur, adjecta priore conditione, si abrogatis antiquis Academiarum statutis, Monachi, qui artes non attigissent, Theologiæ, & Sacerdotes, qui Jus Civile non didicissent, Juri Canonico initiari possent: quod artium Magistri in utraque Academia, mutato tandem consilio, concesserunt. Inde ad coërcendam Episcoporum, & Archidiaconorum avaritiam decretum, ne Episcopus pro institutione, aut Archidiaconus pro inductione ultra duodecim solidos acciperet, & ut ordines sacri nulla mercede accepta, gratis collocarenrur. Denum in ea Synodo Simon Tetraminus quæstor Pontificus pro Martino Pontifice oratione eleganter composita pecunias rogat, qui tamen surdis auribus auditus est, Ecclesiasticis exiſtimantibus, satis superque esse decimas, annatas, aliásque obventiones quæ fisco Romano quotannis penderentur. Henricus autem dimissa Synodo jurisdictioni suæ prospicit, quam in Gallia hactenus exercebat, ut eadem pax utrumque regnum, & utramque Ecclesiam conciliaret. Judices enim, quos in plerisque Galliæ diœcesibus à rege debellatis collocasset, jam revocat, & literis ad Gallos datis, universos admonet, ut Episcopis suis, & judicibus locorum ordinariis deinceps obtemperent. Post hæc rex accepto nuncio de Thomæ Clarentiæ ducis fratris sui cæde, qui in Andibus commisso

1421.

commiſſo nuper cum Delphini copiis prælio ceciderat, in Galliam properat, relicta domi Catharina gravida, quæ VIII. Id. Decemb. Windeſoræ puerum enixa eſt, quem fidejubentibus pro eo Joanne Duce Bedfordienſe Pro rege, Henrico Wyntonienſi Epiſcopo regis patruo, & Jaquelina Hollandiæ Comitiſſa, Henricus Cantuarienſis ritu ſolenni ex ſacro lavacro ſuſcepit, Henrici nomine indito. Qui regno deinceps potitus Cantuarienſem propterea compatrem ſuum appellare ſolitus, ſumma eum veneratione ſemper proſecutus eſt. Catharina autem partu levata inchoante Aprili alterius anni à Bed- 1422.
fordienſi in Galliam ad regem deducitur, & Humfredus Gloceſtrenſis rerum Anglicarum adminiſtratione præfectus eſt. Inſtabat jam tempus, quo altera Synodus œcumenica habenda erat ex decreto Concilii Conſtantienſis, in quo inſtitutum erat, ut poſt quinque annos Concilium indiceretur, ab ejus fine a liud in ſeptennium, atque ita ſingulis decenniis Concilium perpetuo haberetur; In quo Epiſcopi & prælati ex univerſo orbe Chriſtiano coëuntes de reprimendis Eccleſiæ corruptelis liberis ſuffragiis poſſent decernere. Agebatur autem annus quintus à fine Concilii Conſtantienſis, eámque ob cauſam m Seſſ 39.
Martinus Papiam alterius Concilii œcumenici hoc anno habendi locum deſignaverat. Apud nos autem Henricus provinciæ Cantuarienſis Synodum Londini convocavit prim. Non. Sextil. In quo ex univerſo Epiſcoporum, prælatorum, & Doctorum ordine multi nominati regis arbitrio permittuntur, & decretum eſt, ut eorum nomina Cantuarienſis per literas ad regem mitteret, è quibus ille pro voluntate ſua aliquos deligeret, qui ad Concilium Papienſe nationis Anglicanæ nomine proficiſerentur, & ad eorum impenſas ex beneficiis, quæ ad decimas cenſebantur, pro ſingulis proventuum libris tres denarii, ex beneficiis autem, quæ eo cenſu immunia erant, pro ſingulis libris octo denarii imperabantur. Verùm legatio illa fruſtra decernebatur. Nam Martinus Concilium Papiæ inchoatum, & ſuborta peſte Senas tranſlatum ſtatim diſſolvit, quod Alfonſus Arragonum rex per oratores Papiam miſſos Benedicti XIII. Paniſcholæ adhuc ſuperſtitis, & pro Pontifice ſe gerentis partes largitione & pollicitationibus promoveret, in Martinum commotus, quia Joanna regina Neopolitana, eo authore, in regno ſuo Ludovicum Andegavenſem, neglecto Alfonſo, hæredem ſcripſerat; & Concilium aliud Baſilieæ poſt ſeptennium conſtituit. In eadem Synodo Londinenſi hæreticæ pravitatis poſtulati ſunt Willelmus White Presbyter, quòd poteſtate non data, publicè prædicaret, & Henricus Webb Wigornienſis, quòd ſacro ordinum charactere non ſuſcepto, divina faceret; propterea ille hæreſi coram Synodo renunciare coactus eſt, hic autem in tribus primariis civitatibus Londini, Wigorniæ, & Bathoniæ faſcibus à Synodo adiudicatus eſt. Deinceps Willielmus Taylor artium Magiſter in jus vocatur, quòd dogmata quædam apud populum iterum enunciaret, quæ in Synodo ante biennium execratus erat, unde in hæreſim relapſus dicebatur. Ea autem erant: Deum ſolum orationibus fidelium eſſe invoandum, Chriſto ipſi non ratione humanæ naturæ, ſed divinæ eum cultum deberi; Divos, aut rem creatam implorare nefas eſſe; Crucis, aut Divorum ſtatuis donaria ponentes idololatriâ obſtringi; vitam monaſticam à Chriſti inſtitutis alienam eſſe; civilem adminiſtrationem, & dominatum Sacerdotibus à Chriſto interdici: & orthodoxo eſſe multa dogmata, quæ à Synodo

nodo Conſtantienſi impia pronunciantur. Quæ omnia ab Henrico pro tribunali ſedente ad quatuor fratrum mendicantium ordines delata ſunt, ut diſceptaret, an ſacris literis & patrum ſententiis eſſent conſentanea? & Juriſconſulti de pœna ejus, qui in hæreſim relapſus erat, quærere juſſi ſunt. Theologi autem retulerunt, eum improbas & à ſacris literis, Romanæque Eccleſiæ decretis alienas opiniones fovere; de jure autem reſponderunt poſtea Gulielmus Lyndewode & Thomas Bronus, hic Decanus, ille officialis Curiæ Cantuarienſis de Arcubus, aliique Juriſconſulti, hæreticæ pravitatis ſuſpectum per annum ſacris interdictum ea ſola probatione condemnandum eſſe eundem tamen ſi reſipiſcat, at Eccleſiæ gremium recipiendum. Verùm ſi iterum in hæreſim incidat, nefarii criminis damnandum, & poteſtati civilis magiſtratus concedendum eſſe: & lata ſtatim ſententia hæreticus pronunciatur, ordinibúſque ſacris ſolennitèr ſpoliatus eſt. Poſt finem Synodi mox conſternati ſunt apud nos omnium animi, accepta regis morte, qui ſummo ardore Delphinum Bituriges uſque perſecutus, contractà ex laboribus immodicis febre acutâ, ad nemus Vicenniarum tribus à Lutetia paſſuum milibus pridè Kal. Septemb. objit, tempore longe importuno, quod Carolus Socer mærore ex morte cariſſimi generi concepto contabeſcens poſt viginti dies fatis cederet. Reliquiæ in Angliam deportatæ, & ſepulchro Weſtmonaſterii impoſitæ ſunt; Hæreditas utriuſque regni Henrico infanti obuenit, qui Henricus VI. dictus eſt, quorum adminiſtrationem fratribus pater teſtamento reliquit, Humfredo Gloceſtrenſi Angliam, Johanni Befordienſi Galliam, uſquedum filius adoleſceret, iſque interea Henrico Beufort Epiſcopo Wyntonienſi, & Thomæ Beufort Duci Exonienſi propatruis ſuis alendus & inſtituendus traderetur. Nemo ſane principum noſtrorum aut virtutibus eum ſuperavit aut cum majore reip. detrimento interiit. Erat enim omnibus animi & corpotis dotibus imbutus, quæ in principe poſſunt deſiderari prudentia, magnanimitate, conſtantia, modeſtia, benignitate, facundia, corporis pulchritudine & robore: quæ cum rara fælicitate conjuncta maximam ei apud exteros admirationem conciliabant, & à Gallicis ſcriptoribus juxta ac noſtris celebrata ſunt. Gloceſtrenſis pro rebus ex præſcripto Henrici fratris conſtituendis, conventu ordinum Weſtmonaſterium vocato, V. Id. Novembr. ante omnia [n] Cantuarienſi mandat, ut conventus cauſas coram proceribus, & plebis delegatis ediceret, quod Thomas Epiſcopus Dunelmenſis magno ſigillo, & reliquis inſignibus Angliæ Cancellarii (cui illud munus incubuit) ſtatim à morte regis apud Gloceſtrenſem Windeſoræ depoſitis dignitati ſuæ renunciaſſet. *Ille verò prolixè laudatis Henrici V. Virtutibus, & rebus ab eo in Gallia geſtis honorificè commemoratis, ad regem infantem deſcendit, & ſummo divini numinis beneficio contigiſſe aſſerit, quòd iſtiuſmodi patri ſimum ſumma indole præditum ſuperesſe voluerit, qui fælici auſpicio Sextus diceretur, quod quemadmodum ille numerus abſolutiſſimus ſit, utpote cum in totidem diebus deus omnemſum hujus mundi machinam molitus fuerit, ita futurum hunc Regem ſextum pro majoribus ſuis omnibus præſtantiſſimum, & ab eo rebus à patre in Gallia proſperè inchoatis finem impoſitum iri, ut regibus Anglicis, Gallicíſque, ſimul ortus, legitimam utriuſque regni hæreditatem ad ſe delatam tandem ſortiatur. Se interea regis nomine proceribus & populo univerſo denunciare, licere iis frui privilegiis, & immunitatibus omnibus à Regis majoribus conceſſis; & in mandatis porrò habere, ut*

[n] Rymer. Fœdera. tom. 1. p. 2.

tres

tres hujus conventus indicendi cauſas explicaret. Primùm ut regi tutores decreto publico aſſignentur: tum ut de pace publica, jurèque adminiſtrando decernatur, & ut regno ab exterorum hoſtium injuriis defendendo proſpiciatur: denique propoſito Jethronis Moſis ſoceri exemplo, monet, ut ex proceribus prudentiſſimos & optimos deligant, qui regis tutelam & remp. capeſſant, & univerſos obteſtatur, ut velint regis incolumitati & reip. commodis inſervire. Cum dixiſſet Cantuarienſis Humfredi Gloceſtrenſis imperium tutelare ſuffragiis omnium confirmatur, eique adjunguntur ex Epiſcopis & proceribus viri primarii à Conſiliis ſecretioribus futuri, uſque dum rex pubertatem aſſequeretur, è quibus Henricus Cantuarienſis primus nominatus eſt. Is autem poſt ſolutum hoc Concilium, amiſſo jam Principe & Mecænate, à quo ad dignitates ampliſſimas evectus ſummè diligebatur, domi deinceps ſe continuit infra Provinciæ ſuæ fines, in quo officii ſui munia diligentiſſimè obivit. Anno enim à morte Henrici V. primo diœceſim Ciceſtrenſem & Sarisburienſem, ſecundo Lincolnienſem luſtravit, viſitatione jure Metropolitico inſtituta, in qua ab Ordinariis perperàm geſta reſcidit, & de populi fide moribúſque inquiſiuit. Dum Lincolnienſem diœceſim peragraret, divertit ad patrium oppidum Heighamfereis, ubi pio & honeſto natalis ſoli illuſtrandi propoſito Collegium eximium pridem inchoatum Divæ Mariæ, Thomæ Cantuarienſi, & Edvardo confeſſori conſecravit: collocatis in eo octo ſociis ſeu Capellanis, quatuor Clericis, ſex Choriſtis inſque omnibus Cuſtode præpoſito, ut defunctorum manibus parentarent: ibíque amplum alendis ejus loci pauperibus Xenodochium extruxit: utrumque autem multis prædiis ab eo tum donatum Robertus Chichele & Willielmus Chichele cives Londinenſes primarii ordinis, fratres ejus, opimis legatis in teſtamento aſcriptis poſtea locupletarunt. E Lincolnienſi diœceſi reverſus Synodum Londini habuit IIII. Id. Octobr. literis regiis interpellatus, ut ab ordine ſuo pecunias in ſubſidium belli Gallici impetraret. Poſt mortem enim Henrici V. & Caroli VI. Carolus Delphinus in nomine Regio plurimùm momenti eſſe ratus, corona Pictaviæ induta Caroli VII. Galliæ regis nomen ſuſcepit, & accurrentibus ad eum plurimis principibus, & civitatum præfectis, quibus amor Gallici nominis inſederat, majore jam animo bellum inſtruit. E diverſo Joannes Bedfordienſis Galliæ Regens in teſtamento fratris nominatus, contracto cum Philippo Burgundo fœdere arctiore, ductáque Anna ipſius ſorore, auſpiciis Henrici VI. in variis Galliæ partibus Carolum aggreditur, & diviſis copiis inter ſe & Burgundum, miſſóque in Senones Thoma Montacuto Comite Sarisburienſe duce clariſſimo cum acie inſtructa, novum militum delectum & pecunias ab Humfredo Gloceſtrenſe Angliæ curatore petit. Eam ob cauſam Henricus Epiſcopus Wyntonienſis Angliæ Cancellarius, Joannes Stafford Epiſcopus Bathonienſis Theſaurarius pridem creati, Richardus Comes Warwicenſis, Willielmus Aluewyke privati ſigilli Cuſtos, Ludovicus Bourchier, & Rodulphus Cromwell Barones ad Synodum à Gloceſtrenſe miſſi ſunt, & Wyntonienſis reliquorum nomine poſtquàm oratione compoſita rerum Gallicarum conditionem expoſuiſſet, eos monet & rogat ut aliquam proventuum ſuorum partem ad profligandas Caroli reliquias vellent erogare. Tum autem apparuit quanto Henrici V. deſiderio omnes tenerentur, cum poſt decimas frequentiſſimas in ſuperioribus Synodis (uti jam diximus) animis lubentiſſimis conceſſas, ad primum

1423.

1424.

mum à rege novo poſtulatmm hæſitaverint, quòd in illo ſolo omnem Galliæ acquirendæ ſpem poſitam eſſe, illóque ſublato nihil porro fæliciter geri poſſe exiſtimarent. Poſtquam enim Procuratores Cleri per aliquot dies ea de re deliberaſſent, Gulielmus Lyndewode ab iis delegatus reſpondit, ex aſſiduis bellorum ſumptibus adeo atritas eſſe Eccleſiaſticorum facultates, ut ſibi familiiſque honeſtè alendis parùm ſufficiant, & beneficiorum plurimorum cenſu ita imminutos eſſe, ut non inveniri poſſint Sacerdotes, qui eorum Curam ſuſcipiant, & demum in omnibus Procuratorum mandatis decimarum concedendarum poteſtatem expreſſim adimi. Itaque Wyntonienſis Procuratores Cleri in inferiore Synodus domo adit, eóſque oratione prolixa & vehementi obteſtatur, ut publicæ inopiæ ſubveniant, à quibus anguſtam mandatorum poteſtatem identidem cauſatis cum nihil impetrare poſſet. Synodus ad VII. Kal. Febr. anni ſequentis ab Henrico prorogata eſt. Eò rurſus accedentibus Wyntonienſe & reliquis proceribus, poſtquam ille coram Epiſcopis Abbatibus, & Prioribus in ſuperiore Synodo iterum regis nomine peroraſſet, decima ab iis decreta eſt, proteſtatione adhibita, ne conceſſio illa ſibi frandi eſſet, niſi Procuratores Cleri eam ratam eſſe juberent, quoniam utriuſque Eccleſiaſticorum ordinis in concedendis decimis ſeperatio hoc exemplo invecta, poſteris olim pernicioſa eſſe poſſet. Procuratores autem ſententiam priorem mordicùs tenentes importunis efflagitationibus Wyntonienſis primò, tum Henrici Cantuarienſis, & reliquorum Epiſcoporum parùm commoti ſunt: ideóque Synodo mox diſſoluta Henricus novam indixit poſt duos menſes ad IX. Kal. Maji, ut vict ſuffectis aliis Procuratoribus,res illa faciliùs tranſigeretur. In ea Synodo Procuratores Cleri primo oratorem ſummum(quem prolocutorem vulgò appellant) eligere ab Henrico juſſi, deſignant Gulielmum Lyndewode, cujus muneris ° ipſe in Commentariis ſuis meminit. Tum Wyntonienſis Cancellarius, Bathonienſis Theſaurarius, Gulielmus Aluewykus ſigilli Cuſtos, Scropus, & Cromwellus Barones, aliique è Conſilio regis ſecretiore Synodum iterum ingreſſi ſunt: & Cancellarius oratione ornata, reliqui blanditiis, minis, pollicitationibus ſingulos prenſentes ægrè tandem mediam decimam impetrarunt. Deinceps Robertus Hoke Lincolnienſis, & Thomas Drayton Cantuarienſis diœceſeos presbyteri hæreticæ pravitatis inſimulati coram Synodo ſiſtuntur, quòd crucis ſimulachro non advoluerentur, & quòd libros penes ſe haberent, in quibus traderetur, non poſſe Sacerdotem in ſacro ſolenni hoſtiam in Deum commutare: vitam monaſticam & confeſſionem clandeſtinam auribus Sacerdotis inſinuatam Satanæ commenta eſſe; inter Chriſtianos communia omnia eſſe oportere; quæ dogmata ad crucem Paulinam pro concione ejerarunt. Acerrima autem accuſatio inſtituta eſt contra Willielmum Ruſſell ex ordine Minorum, qui apud populum publicè prædicaverat, decimas perſonales à Deo non imperari, quin Chriſtianis omnibus fas eſſe, eas in pios uſus pro arbitrio ſuo pauperibus erogare: anxiis & ſollicitis Eceleſiaſticorum animis, quòd pertimeſcerent, ne amiſſo iſto obventionum genere, ordinis ſui opes plurimùm imminuerentur, ſi opinio illa ad vulgus emanaret. Is autem palinodiam canere è ſuggeſtu crucis Paulinæ à Synodo die ſtatuto juſſus, cum ante eum diem ex Anglia fugeret, propoſitis edictis primò contumax, deinde in ſolenni judicio hæreticus pronunciatur, & illius opinio utriuſque Academiæ Oxonienſis & Cantabri-

1425.

° C. *Quoniam provinciam de decim.*

Cantabrigienſis decretis impia judicatur. Quod Oxonienſes mox demonſtrant literis ad Henricum & Synodum datis, quæ [p] etiamum extant. Cum allatum brevi eſſet, eum Romæ eſſe, eò mittuntur à Synodo nuncii, qui eum deprehenſum apud Pontificem poſtularent, quibus è ſingulis redituum Eccleſiaſticorum libris quadrantem conceſſerunt. Ubi cauſæ ejus cognitione Brandæ Cardinali Placentino à Pontifice delegatâ, niſi reſipiſcat ad perpetuos carceres damnatus eſt, iiſque poſtea effractis, in Angliam reverſus, concione ad crucem etiam Divi Pauli habitâ, errori ſuo juramento conceptis verbis præſtito renunciavit. Porro Henricus edicto ſuo Franciſcanis omnibus præſcribit, ut quotieſcunque apud populum concionarentur, decimas perſonales legibus divinis ſanctorúmque patrum inſtitutis eſſe præſtandas docerent. Poſt hanc Synodum tempeſtatem graviſſimam ex procerum diſcordiis hoc anno imminentem Henricus prudentiâ ſuâ ſedauit. Etenim Henricus Beufort Joannis Ducis Lancaſtrenſis filius ex Catharina Swinfurt tertia uxore genitus, regis propatruus, generis nobilitate & divitiis (quas ex Epiſcopatu Wyntonienſe corraſerat) ampliſſimis elatus, Humfredi Ducis Gloceſtrenſis regii Curatoris imperium ægrè ferens, apertas cum eo ſimultates primo exercere cœpit: inde exacerbatis utriuſque animis, & pleriſque è magnatibus & plebe alterutri adhærentibus, uterque cum miniſtris & ſatellitibus armatus incedere, plurimique profligati, & ſeditioſi Cives eorum exemplo, armis arreptis, omnes civitatis Londinenſis vicos obire, eorumque tantus erat numerus, ut cives univerſi clauſis officinis ab operibus abſtinere, & excubias interdiu noctuque agere in ſingulis urbis compitis, ad depellendas ſeditioſorum injurias cogerentur. Tum Henricus Cantuarienſis, aſſumpto Petro Duce Conimbricenſi Luſitaniæ regis filio (qui ad inviſendum regem cognatum nuper in Angliam venerat) octies uno die inter ædes Ducis & Epiſcopi per Civitatem obequitans, tantum authoritate & precibus ſuis apud utrumque valuit, ut depoſitis armis res pro tempore componerentur. Wyntonienſis autem odio cum armis non depoſito, literas mox ad Bedfordienſem in Galliam miſſis Gloceſtrenſem incuſat, & monet Bedfordienſem, ut in Angliam properaret, ſi regem incolumem & regnum tranquillum eſſe vellet, quod alioquin inteſtinis cædibus & incendiis exarſurum mox iri neceſſum eſſet. Is licèt in Gallia fæliciſſimè res gereret, multis oppidis munitis in fidem acceptis, & magno Gallorum exercitu ad Vernolium juſta acie nuper profligato, acceptis tamen literis paci domeſticæ res Gallicas inniti ratus, commiſſa muneris ſui adminiſtratione Thomæ Beuchamp Comiti Warwicenſi, in Angliam advolat ſub initium anni novi, & vocatis Leyceſtriæ ordinum regni comittiis, de inimicitiis inter fratrem & Epiſcopum cognoſcit. Cum uterque offenſionum cauſas coram ordinibus propoſuiſſet, & ex altercationibus animi magis efferveſcerent, exorante Bedfordienſe controverſiæ omnes ex compromiſſo ad arbitros delatæ ſunt. Primus arbitrorum nominatus eſt [q] Henricus Cantuarienſis, ſecundum eum Thomas Exonienſis Joannes Norfolcienſis Duces, Thomas Dunelmenſis, Philippus Wigornienſis, Joannes Bathonienſis Epiſcopi, Humfredus Comes Staffordienſis, Williel-mus Aluewyke ſigilli Cuſtos, & Rodulphus Cromwell, qui præſcriptis verborum formulis utrinque recitandis eos, conjunctis dexteris, injurias mutuas remittere, & in gratiam redire jubent: eámque conciliationem ordines ſuffragiis ſuis confirma-

[p] *Liber Academ. Oxon. in Archiv. ep. 10.*

1426.

[q] *Rymer. Tom. am. 2. p. 11. c.*

confirmarunt. In eo etiam conventu pecuniæ ad delectum militum decretæ ſunt: eandémque ob cauſam Henricus hoc ipſo tempore XVII. Kal. Maii. Eccleſiaſticos ad Synodum Londinenſem edicto ſuo vocat: in qua illuc accedentibus Joanne Kempe Eboracenſe Archiepiſcopo Cancellario, Waltero Hungerford Theſaurario regni, & Bedfordienſis immenſis laboribus oratione diſerta à Cancellario commendatis, media decima conceſſa eſt. Secundùm hæc Henricus Wyntonienſis hoc anno in Cardinalium numerum à Martino Pontifice cooptatus, in Galliam cum Bedfordienſe anno ſequente profectus, Caleti in majore illius Civitatis Baſilica die Purificationis Beatæ Virginis galerum & reliqua inſignia magno paratu induit. Eam ille dignitatem ante octo annos ſub Henrico V. ſumma ambitione quæſitam à Joanne XXIII. impetraverat, qui eundem Cardinalem, & à latere ſuo in Angliam cum poteſtate maxima legatum quamprimùm deſignaturus erat: verùm Henricus Cantuarienſis explorato hominis faſtu, apud Regem tum interceſſit, literis ad eum in Gallia tum agentem gravitèr & modeſtè ſcriptis, in quibus legatorum Pontificiorum poteſtatem de regia dignitate, legibus patriis, & Eccleſiæ Anglicanæ privilegiis derogare demonſtrat. Earúmque literarum, quæ ipſius Henrici manu exaratæ adhuc conſpiciuntur, exemplar hic ſubjecimus.

SOuereyn Lord as your humble Preſt and debout Bedeman, I recommand me to your Hignels, deſireing evermore to heare and knowe of your gracious ſpeed, hele of body and of ſoule, alſo my Lordys your bzethzen and all your royall hoſte. And as hertly as I can, or may thanke Almighty God and Lord of all ſtrengths and hoſtes that ſo gracioully hath continued his mygty hond upon you ſythen the time of your beginning hedirtoward into your moſt worſchip, your Leige menys moſt hertly gladneſſe, and abating of the hy pride of your enemies. And beſech God both day and night with all your ſubgetis both ſpirituel and temporel ſo continue his by Grace upon you and powre that the mow come to the effect of your hy labor, pes of both your regnes after your hertly deſires. Gracious Lord like it to remember you that be your mooſt worthie letters written at your towne of Caen xxb day of September you charged me, that be the abys of my Lord your brother of Bedford, and of your Chaunceler ſholde bee ordeygned that all maner of men of your ſubgets wat eſtaat or condicion that thei were ſhould abſtyne letter of wrytes or purſuit making to the Pope after his election, till the time that he have writen to you, and ye again to him, as it hath be acuſtumed of honeſte of your lond. For the which cauſe neither I, nor non odir man as fer-forth as it may be knowe, hath yit writen nor ſent, ne no leve

hath,

hath of paſſage to the Cowrte, wow it ſo be that many lych at London to purſue to my Lozd your bzother, your Chaunceler, and your Counſell foz to have leve and letters of paſſage. Werfoze Sovezain Lozd my Lozd your bzother charged me wzite to you, and in as miche as your letter fozſeid was direct to me, to wite, in wat wiſe we ſchol gouerne us herafter, foz if ye have reſſeyved our holy faders letters, oz wzitten to him it is vnknowen to us vnto this time. Like it therfoze, gracious Lozd, to wzite to my Lozd your bzother in wat maner wiſe this matier ſchal be gouerned hereafter.

Fozthermoze gracious Lozd, of trowth that I am bound to you be my ligeaunſe, and alſo to quite me to God, the chirch of your lond, of the wich God and, ye gracious Lozd, haue maked me gouernoz, howeth to open to you this matier that ſuyeth of the which I haue herd pzivily, but now it is moze opend, and in ſuch wiſe that credence ſchold bee yive to by reaſon, that is to ſeyne, that my bzother of Winchelker ſchold be maked a Cardinal, if ye would giue your aſent therto and that he ſchold haue his Biſchopzich in comend foz terme of his life, and therto have a ſtat, and ſent to youz rengme of Yngland as a legat a latere, to the wich manier of legacie non hath be acuſtumed to be named but Cardinals, and that legacie alſo to ocupie thozgh all your obeyſaunce, and all the time of his life. Souereyn Lozd and moſt Chriſtien Pzince. What inſtanſe ſchall be maad to your Hygneſſe foz this matter, I wot not, but bleſſyd be Almighty God undir your worthie pzoteccion, your Chirch of Yngland is at this day, I dare boldly ſay, the mooſt Honorable Chirche Chziſtien as weel as devin ſeruiſe, as honeſt liuing therof, gouerned after ſtreit lawes, and holy conſtitutions that be maad of hem withowten any gret exozbitaunſes, oz any thing that migt torne to hy ſklaundre of your fozſeid Chirch oz of your lond, and if any treſpaſes of mannys frelte falleth we may be cozectid and puniſhed by the Ozdinaries there as the caas falleth. But wat that this offis of legacie to be ocupied in the fozme afozſeid, and ſuich comendis of Biſchopziches not vſed in your holy Aunſetres time here afoze, wold extend to, oz gendze ageines the good gobernanſe of your ſubgets, in your hy wiſdom I triſt to God ye will conſider. And fozaſmich as ye ſchal be enformid what the office of ſuych manier of legacie extendith to, and apply your Clerkys haue not in minde, foz it hath ſchilde be ſeyn, and haue

not alle here bookys with hem pleynly to enfoyme you in this tyme of your grete labor, I send you a scrowe wryten with inne this lettre conteyning that is expressed in the Popis lawe, and fully concludyd be Doctors. And ouer that what he may haue in special of the Popis grace no man wot, for it stond in his wille to dispose as hym good liketh. And be inspection of laws and cronicles was there neuer no Legat a latere sent in to no lond and specially in to your rengne of Yngland withowte grete and notable cause. And thei whan thei came after thei had done her legacie abiden but lytul wyle, not ouer a yer, and summe a quarter, or ii monethes, as the nedes requeryd. And yit ouer that he was tretyd with, or he cam into the lond whon he schold haue exercise of his power, and how mychе schold be put in execution. In aventure after he had be reseyued he whold haue vsed it to largely to greet oppression of your peple. Wherefore mooſt Cristien Prince and Souereyn Lord, as your trewe Preest, whom it hate lyked you to sette in so hy astaat, the wych with owte your gracious Lordship, and suppostation I know my self insufficient to occupie. beseche you in the mooſt humble wyse that I can devise or thenke that ye wile this matier take tendirly at herte, and see the staat of the Chirche be meyntenid and sustteynid, so that euerith of the Ministers therofte hold hem content with her owne part: for trewly he that hath leest hath inow to reksene fore: And that your poore pepul be not pyled, nor oppressyd with diverse exactions and vnacustumed, thogh wych thei schold be the more keble to refresche you owre liege Lord in time of nede and whan it lyketh you to clepe upon hem, and all plees and sklaundre cese in your Chirche.

Towchinge owre holy fadir the Popis Ambassiat that late cam in to your lond, I wot wel my Lord your brother wryteth to you pleynly, and also of odir gouernance of your lond the wych blessed be God stond in good quiet pees and reste withowte any grete ryotis or debatys and all your trewe peple haue her herys opun to here good tydinges of you and continuely pray for your prosperite and al yowrys, the wych Almighty God graunte for his mercy Amen. wryten at Lambyth vi day of March.

Your Prest. H. C

Indorsid. Au Roy nostre Souuerein- S.

Hisce

Hiſce literis à Cantuarienſe in Galliam miſſis ita commotus eſt rex, ut Wyntonienſe interdiceret, ne Cardinalis gradum ſuſciperet, & aliquoties aſſereret, [r] malle ſe videre Wyntonienſem corona ſua, quàm ornamentis Cardinalis inſignitum: iſque rege ſuperſtite ab eo munere abſtinuit. At nunc regis pueritia & Bedfordienſis nepotis ſui favore fretus illud denuo tentat, & à Pontifice Cardinalis titulo Presbyteri Divi Euſebii creatus eſt. Quæ res facilem errori eorum cauſam præbuit, [s] qui pro Henrico Wyntonienſi tradunt Henricum Cantuarienſem Cardinalem titulo Presbyteri Divi Euſebii hoc tempore pore factum eſſe, cum is pius & moderati ingenii vir gradum illum ambiiſſe nunquam deprehendatur, per quem Pontificis ſervituti addictus neceſſe haberet aliquando à fide illa diſcedere, quam regi ſuo integram ſemper & illibatam præſtitit. Erat enim majeſtatis regiæ & immunitatum hujus regni adverſus Pontificum ambitionem & Romanæ Curiæ rapinas acerrimus propugnator, eâque ratione hoc ipſo tempore grauiſſimam Martini V. offenſionem in ſe concitaverat. Siquidem [t] Oxonienſes literis Academiæ publicis IX. Kal. Auguſti hoc anno datis pro eo apud Martinum, intercedunt, in quibus ampliſſimo teſtimonio, ipſum vitæ ſpeculum, morum lucernam, populo cleroque cariſſimum, candelabrum aureum in templo Eccleſiæ Anglicanæ conſtitutum appellantes, Pontificem obteſtantur, ne præſulis optimi famam privatis obtrectatorum delationibus apud ſe ſuggillari patiatur: eandémque ob cauſam tum etiam in conventu Ordinum Weſtmonaſterii univerſi Civitatum & oppidorum delegati in inferiore concilio, libello ſupplice regi porrecto ab eo petunt, ut quamprimùm legatum Romam mitteret, ei in mandatis daret, ut Archiepiſcopum Cantuarienſem apud Pontificem excuſaret, cujus odium ille ſibi conciliaverat, quòd immenſæ Curiæ Romanæ poteſtati obniteretur. Æquiſſimum ſanè erat, eum publicè ab omnibus defendi, qui pro publicis omnium commodis, & aſſerenda regni dignitate Pontificis iram parùm reformidaret. Wyntonienſi autem præter Cardinalis titulum Legati etiam in Angliam, poteſtas à Pontifice data eſt, & mandata ampliſſima (facultates vulgò vocant) quæ ille tanta avaritia deinceps exercuit, ut congeſtis opibus immenſis Cardinalis opulentus ab omnibus diceretur. Ea cum in Angliam ſequenti anno reverſus coram Gloceſtrenſe regis tutore ut, & multis Epiſcopis, proceribuſque promulgaret, [x] Richardus Caudray Procurator regis nomine à Gloceſtrenſe cæteriſque conſiliariis conſtitutus publicè, conceptis verbis proteſtatus eſt, nullum Pontificis legatum regis injuſſu Angliam ingredi poſſe, ſingulari regum noſtrorum privilegio, qui eo jure ab omni hominum memoria uſi fuerint: Proinde ſi quid à Cardinale Wyntonienſe pro legati munere ſecus geſtum fuerit, ſe nomine Regis intercedere, eique poteſtatem omnem abrogare. Tum Wyntonienſis Gloceſtrenſem, & univerſum aſtantium cœtum conteſtatus palàm promiſit, ſe injuſſu regis munere illo non uſurum, neque in eo facturum aliquid, quod regis regnive juribus, immunitatibus, privilegiiſue præjudicare, aut derogare poſſet. * Cum verò Cardinalis & legati inſignia jam accu-

1428.

r *Polychron. in Hen. 5.*

s *Antiq. Britan. in Henr. Chich.*

t *Epiſt. Academ. Oxon. 3. m. Archiu.*

u *Rotul. Parliam. an. 6. H. 5.*

x *Joan. Foxe in Martyrolog. ſub. H. 5.*

* Eodem jure ſemper uſi ſunt Galliæ reges, quorum injuſſu Legatis Pontificum nunquam licuit Galliam ingredi, aut mandata promulgare. Sicuti clariſſimus Advocatus Regius x Ludovicus Servinus coram Senatu Pariſienſi Turonibus tum ſedente demonſtrabat, cum ann. MDLXXXX. Cardinalis Cajetanus ad Henricum IIII. Galliæ Regem Legatus mitteretur.

x *L. Servinus Plaidoyé*

peret,

peret, Cancellarii Angliæ munus ejerare ei neceſſe fuit, id quod anno ſuperiore in publicis regni comittiis Weſtmonaſterii præſtitit, & ſecretioribus conſiliis regis ei interdicendum erat, cui tamen illud ſingulari beneficio indultum eſt ob generis nobilitatem, & conſanguinitatem, qua Regem attingebat, ut conſiliis regis adhiberi & intereſſe poſſet, niſi cauſa aliqua inter Regem & Pontificem agitaretur, tum enim expreſſim amovendus erat, eamque cautionem inter ſecretorum acta inſinuandam eſſe ſolenni ordinum[y] decreto anno ſequente ſancitum eſt. Pontificem autem illud præſertim impulit ad deſignandum Cardinalem Wyntonienſem, ut ejus opera uteretur in bello, quod adverſus Boëmos moliebatur, qui Wyclevi doctrina imbuti, monachorum cœnobiis, Divorúmque ſtatuis abolitis, & antiquatis ferè omnibus Romanæ Eccleſiæ ceremoniis, ab imperio Pontificis apertè deſciuerant. Eum igitur bello Boëmico præficit, & legatum in Hungaria, Boëmia, & Germania univerſa conſtituit cum mandatis longè amplioribus, in quibus ei indultum eſt, ut ſtupri virginum monialium, matrimonii in quarto conſanguinitatis gradu contracti ætatis eorum, qui ad ſacros ordines & Sacerdotia promovendi erant, interdictionum à ſacris, aliórumque plurimorum, quæ à Canonicis inſtitutis aliena erant, gratiam faceret; additumque, ut in hujus belli uſum ob omnibus Eccleſiaſticis apud nos decimam exigeret. Hanc ob cauſam Henricus tum reſcripto Pontificis, tum literis regiis interpellatus, ut de pecuniis ad bellum Gallicum conferendis ageretur, Synodum, inchoavit Londini III. Non. Julii. in qua, poſtulantibus iterum Eboracenſe Cancellario, & Waltero Hungerford Theſaurario Angliæ, regi in primo conventu media decima, & prorogata deinceps Synodo, primò ob calores æſtivos ad Divi Martini diem Novembris ſequentis, poſteaque ad IIII. Kal. Nov. anni ſequentis, ſeſquidecima conceſſa eſt, perorante iterum Eboracenſe, qui cum Duce Norfolcienſe, Warwicenſe, Staffordienſe, & Sarisburienſe Comitibus, Cromwello etiam Tipofto, & Hungerfordo Baronibus à rege ad Synodum miſſus eſt. Supplicationes porro ſolennes pro victoria Bedfordienſis decretæ ſunt, qui rebus proſperè ſuccedentibus, Aurelianum urbem celeberrimam ad Ligerim poſitam jam obſidebat. Quæ conceſſiones decimarum ita propenſe à Synodo factæ, compenſatæ ſunt[z] lege legata in conventu ordinum, qui hoc ipſo tempore Weſtmonaſterii agebatur, qua cavebatur, ne Eccleſiaſtici, aut eorum ſerui, dum Synodo interſint, aut eo proficiſcantur, in jus vocari poſſint, eodem privilegio, quo fruuntur milites, & Civitatum delegati, cum ad publica regni comitia vocati ſunt. Verùm Conzo Zuolanus nuncius Pontificus Pontificis cauſam in Synodum ſæpe veniens fruſtra egit. Cum enim oratione acri & prolixa ſubſidium adverſus Boëmos conſequi non potuiſſet, literas poſtea à Pontifice ſcriptas in Synodum attulit, quibus denunciat ſe regno Angliæ decimam ad ſuſtinendam belli Boëmici molem imperaſſe. Quod univerſorum offenſionem ita concitabat, ut decimam negarent. Illud tantùm importunis Pontificis poſtulatis datum eſt, ut ex ſingulis marcis octo denarii pro beneficiorum cenſu ſolverentur; addita conditione, ſi conceſſio illa regiæ dignitati, aut patriis legibus fraudi non eſſet. Tum coram Synodo ſiſtuntur plurimi, quibus hæreticæ pravitatis crimen intentatum eſt: Joannes Jourdelay, Joannes Galle, Robertus Heggley, Rodulphus Mungyn, Thomas Garenter, ſacris ordinibus initiati, quòd

y *Rot. Parliam. anno 8. H. 6.*

1429.

z *8. H. 6. c. 1.*

quòd de ſolenni altaris ſacro, de imaginum adorationibus, de peregrinationibus religionis ergô, de cultu ſanctorum, perperam ſentirent; quod aſſererent Papam eſſe Antichriſtum, non Dei vicarium; divina oracula in ſacris literis ſolis, non in Legendis, aut vitis patrum continere; & quòd multos Joannis Wicleui libros alióſque de rebus ſacris vulgari idiomate ſcriptos penes ſe clàm haberent: quæ omnia eorum aliqui in Synodo ejerarunt, reliqui ad carceres damnati ſunt. Poſt eos Joanna Dertford fœmina de iiſdem dogmatibus coram Synodo interrogata, reſponſione incerta crimen diluit, afferens ſe ſymbolum & decalogum tantùm didiciſſe, nec auſàm eſſe arcana Eccleſiæ myſteria attingere, ideóque Vicario Epiſcopi Wyntonienſis erudienda traditur. Judicibus etiam ordinariis omnibus imperatum, ut acerrimè inquirerent in eos, qui ab Eccleſia Romana diſſentiebant, quorum numerus indies augebatur, eosque compoſitis ad invidiam nominibus Wicleviſtas & Lollardos appellabant, delegatis Willielmo Lyndewode officiale, Thoma Brono Cancellario Cantuarienſe, aliiſque juris utriuſque conſultis, qui illius inquiſitionis formam præſcriberent. Verùm Martinus Pontifex iniquè ferre clavium ſuarum poteſtatem quotidiè apud nos imminui, decimâ à Synodo adverſus Boëmos non erogatâ, & accedentibus injuriis recentibus, quibus ſe læſum querebatur. Cum enim ante aliquot annos ad Archiepiſcopi Eboracenſis defuncti ſedem reſcripto ſuo per proviſionem tranſtuliſſet Richardum Flemmyng Epiſcopum Lincolnienſem, Decanus & Capitulum Eboracenſe ei Eccleſiam ſuam ingreſſuro reſtiterunt; ideoque Richardum ad Eccleſiam Lincolnienſem contrario reſcripto iterum transferre coactus eſt. Et anno proximo Joannes Opizanus Pontificis nuncius munere ſuo in corradendis fiſci Romani pecuniis contra leges regias uſus, in carcerem conjectus eſt; qua de re Pontifex cum Bedfordienſe per literas vehementer expoſtulabat. Hæc omnia ad animum ſuum revocaſſet, niſi gravioribus curis mox occupatus fuiſſet, quas ei Concilium Baſileenſe jam indicendum faceſſebat. Aduenerat enim tempus Concilio Baſileenſi præſtitutum, ſeptimo jam anno à fine ſuperioris Concilii excurrente; quæ ratio Henricum impulit ad novam Synodum Londini XI. Kal. Martii ineunte anno novo habendam, in qua delectis quibuſdam legatis Baſileam profecturis ex ſingulis redituum libris duo denarii ab Eccleſiaſticis conceſſi ſunt; iiſque præterea in mandatis datum eſt, ut Eccleſiæ Anglicanæ nomine petant modum ſtatui diſpenſationibus, per quas quotidiè indulgebatur aliis, ut duo beneficia, dignitatéſque conſequerentur, aliis, ut impunè à beneficiis abeſſe poſſent, aliis, ut puberes vix facti ad ſumma Eccleſiæ munera admitterentur, & ne fierent Eccleſiarum uniones, niſi cœnobia infra parochiæ terminos conſtituta eſſent. Regi etiam integra decima conceſſa eſt, ſuadente Joanne Kempe Archiepiſcopo Eboracenſe Angliæ Cancellario qui multis verbis ornatè demonſtrat, obſidionem Aurelianenſem, mortuo Montacuto Comite Sarisburienſe duce celeberrimo, ſolutam eſſe, Trecas, Bellovacos, Rhemos, aliáſque civitates multas ad Carolum defeciſſe, multos è noſtris commiſſo ad Patavium prælio nuper cecidiſſe, & Gallos univerſos Caroli fidem mox ſecuturos, niſi pecuniæ ex Anglia ſuppeditentur: eam ob cauſam ipſum cum pleriſque è Concilio regis ſecretiore ad Synodum miſſum eſſe. Illud præterea ad publicam utilitatem ſtatutum à Synodo eſt, ut inſtitores merces ſuas ad pondus juſtum vendere te-

1430.

nerentur,

nerentur, prohibito pondere quodam fallaci, quod emptores decipere solebat, sanciti sque execrationibus in omnes, qui eo deinceps uterentur. Concilium autem Basileense, quamvis Martinus Pontifex ægrè indiceret, veritus ne vitæ & morum suorum censura ageretur, (ob quam causam [a] Pontifices etiam insequentes à Synodis œcumenicis deinceps abhorruerunt) quia tamen decretis suis, & patrum suffragiis Constantiæ primo, & postea Papiæ, Basilea Synodi hoc tempore habendæ locus designatus erat, ne prævaricator publico Christianorum omnium judicio haberetur Julianum Cæsarinum S. Angeli Cardinalem legatum constituit, ut Concilio suo nomine præesset. Erat is eo tempore apud Boemos bello adversus Hussitas, post revocatum nuper ab eo munere Cardinalem Wyntonienſem, à Pontifice præfectus. Priusquàm vero Basileam proficisceretur, principio alterius anni, Martino Romæ mortuo, Gabriel Condelmarius, quem à Gregorio XII. inter Cardinales Lucæ relatum fuisse superiùs diximus, V. Non. Mart. suffectus, & mutato nomine Eugenius IIII. dictus est. A quo accepta denuò legati potestate, Basileam concedens Concilium ineunte Decembri inchoavit. In ea de Romano Pontifice acerrimè decertatum est: nam XV. Kal. Mart. decreverunt, Concilium statim à Christo habere potestatem, cui Pontifex Romanus subesse debeat; Concilium à Pontifice nec transferri, nec prorogari posse; Pontificis eligendi jus penes Concilium esse, si is tempore Concilii moriatur, supremum Ecclesiæ imperium Concilio dari, non Pontifici; ideoque ipsi jure suo usi, Alfonsum Divi Eustachii Cardinalem civitati Avenionensi præficiunt, & Eugenio interdicunt, ne ante finem Concilii novos Cardinales cooptaret. Eugenius his decretis commotus, Concilium Basileâ Bononiam edicto suo transfert, quam translationem patres Basileenses contrario edicto rescindunt, & Henricum Cantuariensem literis utrinque datis hinc Basileam, inde Bononiam evocant. Henricus igitur Synodo Londini indicta XVII. Kal. Octob. Episcopos & Prælatos consulit, quid in hoc Concilii Pontificisque dissidio statuendum sit, & universis placuit legatos alios Basileam ad patres, alios ad Eugenium pro controversiis utrinque componendis mittendos esse, decreto uno denario ex singulis proventum Ecclesiasticorum libris præter duos denarios, qui in superiore Synodo concedebantur. Regi etiam mediam decimam tandem concesserunt, quam ab iis Joannes Stafford Episcopus Bathonienſis Angliæ Cancellarius oratione diserta regis nomine postulavit, cum quo etiam Gulielmus Lyndewode privati sigilli Custos nuper creatus ad Synodum venit. Is inter primarios ejus sæculi viros ob eruditionem & prudentiam singularem habebatur, & Henrico Archiep. valdè charus, qui eum è Cancellario Sarisburiense Cancellarium primo Cantuariensem, dein Curiæ Cantuariensis officialem constituit, & Sacerdotiis aliquot opimis donavit: ab eodem etiam regibus commendatus, ab Henrico V. legatus primò ad Hispanum, deinceps ad Lusitanum missus, jam sub Henrico VI. privati sigilli Custos, & mox Episcopus Menevensis factus est: editisque præter alia [b] opera, quæ jam desiderantur, in Constitutiones Angliæ eruditis commentariis, magnam apud posteros nominis sui famam comparavit. Quod opus Henrico nostro inscripsit, [c] quem etiam ob insignem juris utriusque scientiam, juris lucernam appellavit. Tum inferioris Synodi prælati coram Episcopis conquesti sunt, Vicarios generales Episcoporum, Commissarios,

1431.

1432. Sess. 2. Sess. 4.

[a] Fr. Guicciard. lib. 9. & Paul. Jov. lib. 2.

[b] Jo. Bale de Scriptor. Angl. Cent. 7.

[c] In præf. Dodic.

miſſarios, & officiales eſſe plerumque juris utriuſque imperitos, & nullum in Academiis gradum conſecutos, ideoque ſancitum, ne quis è tribunalibus Eccleſiaſticis jus diceret, niſi qui gradu aliquo Academico in ea ſcientia inſignitus eſſet. Ita ab ea Synodo omnes diſceſſerunt. In hac autem Synodo commemoravimus Joannem Stafford Epiſcopum Bathonienſem Angliæ Cancellarium Joanni Kempe Eboracenſi Archiepiſcopo ſuffectum, qui in Cardinalium Collegium nuper allectus Cardinalis titulo Divæ Balbinæ dictus, Cancellarii inſignia depoſuerat. Inter eum Cardinalem jam creatum & Henricum Cantuarienſem acerrima de dignitate controverſia mox exorta eſt. Nam in conventu ordinum Weſtmonaſterii brevi poſtea indicto, Eboracenſis pro Cardinalis gradu primam ſedem præ Cantuarienſe vendicabat, quam iſte contra pro antiqua ſedis ſuæ prærogativa ſibi merito aſſerebat. Hujus cauſæ cognitione ad Pontificem per mutuas contentiones devoluta, Henricus per literas cauſam ſuam defendit, & Antonium de Capharellis Procuratorem ſuum in foro Romano conſtituit, qui Henrici nomine propoſuit, cum in territorio ſuo verſari, in quo ipſum omnibus præeſſe æquum ſit, è diverſo in Eboracenſe nullum gradus Cardinalitii infra Provinciam Cantuarienſem habendam eſſe rationem; qui à latere Pontificis jam ſemotus privetur eorum radiorum ſplendore, quibus à Pontificis præſentia illuſtretur; cum etiam Epiſcopus [d] dum ſit in alterius Epiſcopi diœceſi, pro privato, non pro Epiſcopo habeatur. Eugenius autem ſedem ſuam & aſcriptos fratres tuendi ſtudio in Eboracenſis partes propenſior, Henrico reſcribit, Cardinales primum à Pontifice gradum in Eccleſia obtinere; eos nimirum eſſe auguſtos illos Sacerdotes, quos Moſes XVII. capite Deuteronomii denotaverit, fuiſſe poſtea à D. Petro inſtitutos, pro membris corporis ipſius Pontificis habendos eſſe, iiſque tanquam Cardinibus, Eccleſiam univerſam inniti. Proinde cum ex ſingularium Eccleſiarum moribus & inſtitutis invaluerit, ut in eadem Provincia presbyter diaconum, illum Epiſcopus, hunc Archiepiſcopus antecedat, multo magis Eccleſiæ œcumenicæ leges ubique obſeruandas eſſe, ut Cardinalibus omnes poſthabeantur, quia ut illi ſuis Provinciis ſinguli præſunt, ita hi Eccleſiæ œcumenicæ à Pontifice præficiuntur. Demum Henricum hortatur, & rogat, ut Eccleſiæ Romanæ conſuetudini acquieſcens, Cardinalibus faſces ſubmittat, eique porro & ſedi Cantuarienſi omnia patris amantiſſimi officia prolixè pollicetur. Hoc reſcriptum integrum Cardinalis Jacobatius [e] libro ſuo poſtea inſeruit, quem de Conciliis edidit, cum de Cardinalium & Patriarcharum gradibus diſſereret. Quod poſteris fidem facit, Henricum ſtrenuè propugnaſſe Eccleſiæ Anglicanæ dignitatem contra Pontificem Romanum, cujus etiam offenſionem ipſum incurriſſe pro aſſerenda regia majeſtate ſuperius diximus. Verùm Eugenii & Concilii Baſileenſis controverſiæ alterius Synodi anno ſequente occaſionem præbuerunt. Poſtquam enim Eugenius Concilium Baſilea Bononiam tranſtuliſſet, & à patribus Baſileenſibus de revocando decreto ſuo fruſtra interpelatus eſſet, illi eum Concilio acquieſcere, & Baſileam ante diem ſexageſimum proficiſci edicto ſuo jubent, quod ſi non præſtet, acturos ſe in eum, ut in contumacem, & Pontificatum ei abrogaturos denunciant. Idcirco Henricus in Synodo Londinenſi VII. Id. Novemb. inchoata, Procuratores Cleri & univerſos inferioris Synodi prælatos deliberare & ſtatuere juſſit, an Pontifici pro

[d] *Alb. ad c. fin. n. 4. de for. comp.*

[e] *Lib. 1. de Concil. art. 12.*

1433.

arbitrio ſuo Synodum œcumenicam diſſolvere fas eſſet, & ſi Baſilcenſes patres, deturbato Eugenio, alium ſubſtituerent, huic, an illi obtemperandum eſſet? Ad quæ poſtulata Thomas Bekyngton officialis Curiæ Cantuarienſis poſt aliquot dies eorum nomine reſpondit, Concilium ſolo Pontificis juſſu diſſolui poſſe, & ab Eugenii fide non eſſe diſcedendum, quamvis Baſileæ alter Pontifex crearetur. Quam etiam ſententiam Epiſcopi omnes in ſuperiore Synodo ſecuti ſunt. Apud nos enim à patribus Baſileenſibus alienari jampridem ceperant plurimorum voluntates ex illius Synodi decreto, quod antiquatâ conſuetudine decernendi per ſuffragia nationum, ad arbitria quorundam delegatorum omnia revocabat; & propterea legati noſtri, qui Baſileæ jam erant, Thomas Epiſcopus Wigornienſis, Willielmus Prior Eccleſiæ Norwicenſis, Thomas Bronus Decanus Sarisburienſis, Petrus Patrich Eccleſiæ Lincolnienſis Cancellarius, Robertus Borton Lincolnienſis Præcentor, Joannes Sarisbury ſacrarum literarum Profeſſor, Joannes Symondisborough in decretis licentiatus, ab eo provocarunt; idémque domi hoc ipſo tempore præſtitit Gulielmus Lyndewode regis procurator, appellationis formulâ conceptis verbis recitatâ, in qua dedecreti vitio proteſtatus eſt, quod iſte decernendi modus tum regi, tum Eccleſiaſticorum, ordinumque regni privilegiis in poſterum fraudi eſſe poſſet. Inde de decernendo ampliore Legatorum numero cum Synodo egit Henricus, quòd è legatis ſuperioribus aliquot Baſileæ fatis ceſſerant. Ergo delecti ſunt octo Doctores Theologiæ, & Juris utriuſque Baſileam tranſmittendi, addita conditione, ut à patribus ſine novi alicujus jurisjurandi formula admittantur. In Gallia jam res noſtræ indies inclinabant, deficientibus civitatibus primariis ad Carolum, Rhemis pridem ſplendido apparatu inauguratum, ideoque Bedfordienſi, qui nuper in Angliam venerat, & Gloceſtrenſi fratribus è rep. viſum eſt novum exercitum conſcribere, & pro pecuniis exorandis Joannes Staffordus Bathonienſis Cancellarius Angliæ, Comites Warwicenſis & Sarisburienſis, Cromwellus Theſaurarius, Scropus, & Tiptoftus Barones ad hanc Synodum miſſi ſunt. Ibi Cancellarius oratione eleganti demonſtrat afflictam rerum Gallicarum conditionem, & ærarii publici anguſtias, tum univerſos obteſtatur, ut regi & reip. ſubveniant. Illi primò palam recuſant, obtendentes exhauſtas eſſe Eccleſiaſticorum opes aſſiduis in uſus bellicos pecuniarum erogationibus, rapinis proviſorum familiæ regiæ, & iniquis ad tribunalia regia evocationibus: Sed accedentes ſubinde alii proceres, Comes Huntingdonenſis, Hungerfordus, Audeleius, & Cornwallius Barones, & repetitis rationibus ſuperioribus, enumeratiſque porrò immmenſis regum noſtrorum in Eccleſiam beneficiis, tandem decimæ dodrantem impetrarunt. Graviter enim tum temporis Eccleſiaſtici de Judicum Regiorum, & juris municipalis profeſſorum injuriis querebantur, quod Sacerdotes ad eorum tribunalia contra jus & fas raperentur, quod Judicium Eccleſiaſticorum potestas iniquis eorum prohibitionibus cohiberetur, & præſertim quod graviſſimam legis Richardi II. contra proviſores editæ ſanctionem interpretatione veteratoria detorquerent in eos, qui de iis cauſis in foro Eccleſiaſtico cognoſcerent, quas ipſi ſui juris eſſe contenderent. Quæ cauſa Henricum compulit ad aliam Synodum poſt annum indicendam Londini Non. Octob in qua oratione vehementi teſtatur, quam ſollicitus ſit, ne quid detrimenti Eccleſia Anglicana ſub

1434. adminiſtra-

adminiſtratioue ſua capiat, & ut ad dignitatem antiquam revocata ab injuſta illius juris interpretum tyrannide vindicetur, omneſque in commune conſulere jubet, qua ratione de propulſandis hiſce calamitatibus ab ordine ſuo proſpici poſſet. Verùm coorta in civitate peſtilentia à Synodo mox dimiſſi ſunt: Tantùm Frideſwidæ Academiæ Oxonienſis Divæ Tutelari dies ſolennis decernitur; & Chriſtianorum conſortio iis interdicitur, qui de Eccleſiæ privilegiis & jurisdictione derogarent. Ab hoc tempore provinciæ ſuæ adminiſtrationi diligentèr incubuit, nullâ per tres annos Synodo indicta donec ærarii regii inopia ad ſuſtinendos belli Gallici ſumptus Eccleſiaſticorum ſubſidio indigeret. Burgundionis enim ad Gallum defectio, & Bedfordienſis mors vehementer res noſtras affiixerunt, quæ in annum ſequentem inciderunt. Siquidem interventu Eugenii, & Concilii Baſileenſis, in urbe Atrebatum convenerunt tum temporis oratores ad pacem ineundam à rege noſtro, à Carolo, & à Burgundione miſſi, ubi noſtris & Gallis ob immodicas conditiones utrinque poſtulatis diſſidentibus, Burgundi tandem cum iis conciliati ſunt; & mox Bedfordienſis Galliæ Prorex morbo extinctus eſt: cujus mortem ingens rerum mutatio brevi eſt ſecuta. Nam Pariſienſes conſpiratione 1436.
clam facta, noſtros anno ſequente civitate ejiciunt, eorumque exemplo commotæ civitates plurimæ, & Gallorum populus ferè univerſus Carolo quaſi fato quodam ultro ſe dediderunt. Igitur ad conſervandas Galliæ reliquias Gloceſtrenſis cum exercitu maximo & inſtructiſſima nauium claſſe Caletum trajicit, quod eo tempore à Burgundo oppugnabatur, & ad novum militum delectum habendum rex literis ſuis Cantuarienſem interpellat, ut cum ſuis de pecuniis decernendis agat. Ille autem à Provinciæ ſuæ Epiſcopis & prælatis ad Synodum Londinenſem vocatis prid. Kal. Maji integram decimam facilè obtinuit, quod ſummo Galliæ recuperandæ deſiderio omnes afficerentur. Inſederat 1437.
jam diu Henrici animo propoſitum conſtituendi inſigne aliquod Eccleſiæ, religioni, bonis literis, nominique ſuo monumentum in Academia Oxonienſe, quam pius alumnus ornatiſſimam eſſe cupiebat. Etenim exhauſtis tam publicis, quàm privatis ferè omnium facultatibus ex belli Gallici diuturnitate, tanta erat tum temporis Academiæ illius vaſtitas & ſolitudo, ut aulæ & hoſpitia pleraque olim ſtudioſis refertiſſima inquilinis carerent, & ex multis Academicorum millibus, quæ eo olim convolaverant, ne unus ſupereſſet, quod [f] ipſi literis ad Henricum & patres in Synodo convocatos miſſis gravitèr, jam deplorabant. Ut igitur literas inopia publica afflictas munificentia ſua ſublevaret, in Suburbiis Oxonii ſeptentrionalibus ædes quadrata forma collegio conſtituendo ſatis amplas & magnificas nuper conſtrui jufſerat, operéque pœnè perfecto, ſive in ſtructura deſideraretur elegantia, ſive loci ſitus non placeret, mutato animi propoſito eas donavit monachis Divi Bernardi religionem profeſſis, ut in iis novitii ab omnibus illius ordinis cœnobiis Oxonium miſſi, artibus & ſacris literis operam darent, eaſdemque poſtea communi cœnobiorum calamitate fiſco addictas Tho. White Mercator Londin. & eques auratus, vir in literas propenſiſſimus, ab Hen. VIII. redemit, ibiq; clariſſimum Divi Joan. Baptiſtæ Collegium inſtituit, è quo deinceps prodierunt plurimi in ſcientis pleriſq; & præſertim in ſtudis ſacris viri inſignes, qui propagando in Eccleſia Anglicana Evangelio fæliciſſimè inſudarunt. Exemplo ſane optimo vir prudentiſſimus

[f] *Epiſt. Acad. Oxon. 125. in Archiv.*

demonſtrabat ſacras & auguſtas ædes monachis ademptas, literatis, egenis, aut publicis Eccleſiæ reipublicæue commodis applicandas fuiſſe, quas privatorum avaritia, luxuriave ubiq; per nefas invadebat. Henricus vero alium locum Collegio exſtruendo in media Civitate juxta Baſilicam Divæ Mariæ deligit, ſtudioſis perquàm commodiſſimum. Ibi domus à poſſeſſoribus coëmptæ ſolo æquantur, area quadrata deſignatur, primus fauſti ædifici fundamento IIII. Id. Februar. hoc anno lapis ſubjicitur, operique curando præficitur Joannes Druell vir ſacris ordinibus initiatus, qui ſumma in eo munere fidem & diligentiam deinceps adhibuit. Eugenius interea patrum Baſileenſium edicto monitus (ut jam diximus) & accedente Sigiſmundi Imperatoris authoritate, qui cum magno principum Germanicorum comitatu Baſileam venit, Concilio Bononienſe revocato, Baſileenſe confirmat, miſſis eo legatis ſuis Cardinale S. Crucis, & Epiſcopo Patavino, qui cauſam ſuam tuerentur. Ibi ſumma cum lætitia accipiuntur Joannis Palæologi Græcorum Imperatoris & Joſephi Pataiarchæ Conſtantinopolitani oratores, qui nunciant Imperatorem, Patriarcham, & Græcos patres ad Concilium venturos pro componendis Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis de fide Chriſtiana controverſis, modo de incolumitate ſub Concilii fide publica iis caveatur, & itineris ſumptus ſuppeditentur. Utrumque patres univerſi ſtatim polliciti ſunt, & miſſis Conſtantinopolim legatis ſuis ſponderunt. Verùm mortuo hoc anno Sigiſmundo Imperatore viro magnanimo & prudente, Eugenius metu ſolutus, Concilium Baſileâ Ferrariam revocat, datiſque in Angliam illico literis Henricum regem rogat, ut oratores ſuos Ferrariam mittat, & Cantuarienſi mandat, ut Epiſcopos ſuæ provinciæ univerſas ad Synodum ineunte anno novo convocatos Ferrariam proficiſci jubeat. Idem reliquis etiam Principibus Chriſtianis, Epiſcopis univerſis per literas eodem tempore Eugenius denunciat: At Baſileenſes patres interdicto contrario Chriſtianos omnes Ferrariam accedere vetant. Ingrata erat gentibus ferè univerſis iſta Eugenii prævaricatio: Itali enim plerique Germani, Hiſpanique Baſileenſibus obtemperabant, & Carolus VII. Galliæ rex non modo prælatis ſuis profectionem [g] Ferrarienſem interdixit, verùm etiam Eugenio infeſtus, vocato Avarici Biturigum ordinum regni ſui conventu, contra annatas, proviſiones, & rapinas Pontificias Pragmaticam ſanctionem edidit, quæ nihil aliud ferè, quàm Concilii Baſileenſis decreta complectebatur, è qua in regno ſuo jus dici voluit: eáque Pontificum Romanorum in Gallia imperium diu coercuit uſque ad [h] Ludovici XII. tempora, qui precibus Leonis X. Pontificis devictus, eam tandem antiquavit. Verùm noſtri Eugenio ferè omnes favebant. Nam rex primò inſignes aliquot legatos Ferrariam profecturos deſignat, & Epiſcopi ad Synodum IIII. Kal. Maji à Cantuarienſe evocati ſumptus iiſdem pro dignitate præſtandos decreverunt, quos tamen cleri procuratores in inferiore Synodo propenſioribus in Concilium Baſileenſe ſtudiis denegarunt; tantum cœnobiorum procuratores e ſingulis proventuum libris quatuor denarios conceſſerunt. In eadem Synodo Londinenſi Henricus de recente Eugenii injuria graviter conqueſtus eſt: quòd is pro poteſtate ſua Eccleſiam Elienſem Ludovico Rhotomagenſi Archiepiſcopo commendaſſet, ejuſdemque adminiſtrationem diplomate ſuo contuliſſet: ideóque univerſos deliberare juſſit, quomodo, rei à Pontificibus nunquam adhuc tentatæ occurri poſſet.

Sess. 29.

1438.

Sess. 32.

g *Pasch. tract. de Corp. Basil. n. 8. Carol. Molin. de Monarc. tract. n. 149.*

h *Petr. Rebuff. tract. de nominat. quæst. 2. n. 2.*

poſſet. Et certè exemplum poſteris periculoſum fuiſſet, niſi Philippus Morgan tum temporis Elienſis Epiſcopus Rhotomagenſi ſuperſtes conatum Pontificiſ irritum reddiſſet. Deinde coram Synodo prid. Non. Octob. ejuſdem anni prorogata Richardus Carpenter Academiæ Oxonienſis Cancellarius utriuſque Academiæ nomine peroravit, ut decretum de collocandis beneficiis in eos ſolos, qui gradibus Academicis ornati eſſent, annis hujus ſeculi XVII. & XXI. in aliquot annos prorogatum, iis jam elapſis iterum confirmaretur. Idemque rege jam per literas ſuas à Synodo poſtulante, univerſi facilè conceſſerunt, adiectis conditionibus, quæ in ſuperioribus decretis interpoſitæ, erant. Ferrariæ jam inchoaverat Concilium Eugenius, eoque Joannem Palæologum Imperatorem & Epiſcopos Græcos precibus & pollicitationibus adduxerat, & exorta peſte Florentiam cætum transfert, ineunte altero anno. Ubi poſt longas de proceſſione ſacro ſancti ſpiritus, de igne Purgatorio, de primatu Romani Pontificis, aliiſque controverſiis inter utramque Eccleſiam diſputationes, Græci qui intererant, in Romanorum ſententiam deſcendebant. Quos ideo tamen reliqui Græci ita execrati ſunt, ut eorum morientium corpora Chriſtianorum more ſepeliri paſſi non eſſent, ipſique ne ab unico priſtinæ fidei articulo diſcedere vellent. Baſileæ interea patres Eugenii pervicaciâ irritati, iterum pro juriſdictione ſua pronunciant, Pontificem Romanum Concilio ſubeſſe: Concilium à Pontifice non poſſe diſſolui, transferri, aut prorogari; Eugenium quòd hæc omnia tentaverit hæreticæ pravitatis reum eſſe; eúmque præterea contumaciæ, ſimoniæ, perjurii, impietatis damnatum Pontificatu dejiciunt, & [i] delectis triginta duobus viris inſignioribus ex quatuor nationibus Italorum, Gallorum, Germanorum, & Hiſpanorum (nam noſtri omnes Ferrariam diſceſſerant) & demandata iiſdem Pontificis novi eligendi poteſtate, Amadeus dux Subaudiæ, qui relicto principatu filio ſuo in eremum ſeceſſerat, Pontifex ſalutatur, & Felix V. nuncupari voluit. Erant tum Baſileæ duo longè præclariſſimi Juriſconſulti Abbas Panormitanus, & Ludovicus Romanus, legati ab Alfonſo Magno Arragonum rege ex Italia miſſi; Illi orationibus frequentiſſimis coram Concilio de ipſius poteſtate ſupra Pontificem differere, & Eugenii facta damnare tanta ſubtilitate ſimul & facundia, ut nemo auderet eorum dicta refellere: idemque ſcriptis ſuis poſterioribus ſæculis conſignatum reliquerunt. Nam Panormitanus [k] libello pro Baſileenſe Concilio contra Eugenium edito demonſtrat auguſtiorem eſſe Concilii, quàm Pontificis poteſtatem, Pontifici in Concilium nullum jus eſſe, Concilio contra Pontificem ſubjici, ab eo in jus vocari, coerceri, & demoveri poſſe, eáſque pœnas in Eugenium contumacem fidei deſertorem, Eccleſiæ hoſtem, ſimoniacum, perjurum, ſicarium rectè conſtitutas eſſe: & de Concilii ſupremo in pontifices imperio alibi ſæpe in [l] commentaris agit: Ludovicus autem Romanus in reſponſis ſuis differit, à [m] ſententia Pontificis ad Concilium rectè provocari, Pontifici concilium [n] dimittenti non eſſe obtemperandum, quin Pontificem ipſum [o] gradu ſuo à Concilio poſſe ſpoliari: vir (inquit [p] Æneas Sylvius) non Roma tantum ſed cœlo dignus, nec admirationi, ſed ſtupori futurus, ſi ætatis tempora duplicaſſet: illium autem fortuna Italiæ invidit, quæ virum vix trigeſimum annum ætatis egreſſum per peſtem Baſileæ tum abſtulit. Intererat enim Baſileenſi Concilio Æneas Sylvius, eidémque operam ſuam adhibuit, laudatis iis omnibus, quæ contra Eugenium geſta

1439.

ſeſſ. 33.

i *Æne. Sylv lib 2. de geſt. Concil. Baſil.*

k *Panorm. tract. de Concil. Baſil. in 5. vol.*

l *Panor. ad c. ſignificaſti. n. 1. de elect. ad c. licet de vitand. n. 8. eod. tit. ad c. fraternitatis n. 1 de haret.*

m *Rom. conſ. 221*

n *Rom. conſ. 221*

o *Rom. conſ. 223*

p *Æne. Sylv lib 1. de geſt. Concil. Baſil.*

gesta sunt, editisque duobus libris, in quibus illius Concilii historiam descripsit. Quos tamen Pontifex postea factus, & Pius II. dictus, mutato cum fortuna animo, abolitos cupiens revocavit. Sanè istam de Concilii in Pontifices Romanos potestate, sententiam [q] Jurisconsulti tuebantur, quamdiu dicendi, scribendique libertate usi sunt, donec posteriore seculo in Pontificum servitutem redacti iis adblandiri inciperent, & [r] damnato expressim Concilio Basileense, Pontifices tandem supra Concilium & Ecclesiam universam evexerunt, & imperium illud adeo sedi Romanæ affixum esse [s] Theologi deinceps asseruerunt, acsi Pontifex nec illud exuere, nec seipsum Concilio quavis ratione subjicere possit. Priusquam exiret hic annus, in quo Basileæ ista gerebantur, Henricus aliam Synodum Londini vocavit XI. Kal. Decemb. cui adversa valetudine impeditus eo die interesse non potuit: sed post aliquot dies accedens a lachrymis vix abstinuit, dum oratione copiosa gravissimas Ecclesiæ ærumnas recitaret, pœnis illis Judicibus Ecclesiasticis quotidiè irrogatis, quæ in provisores lege illa (quæ vulgò de Præmunire apellatur) sancitæ sunt, & clericis promiscuè ad Judicum Civilium tribunalia evocatis. Ideo ab omnibus constitutum est, supplicem libellum regi Ecclesiasticorum nomine ab Henrico esse porrigendum, in quo demonstrant pœnas lege à Richardo II. promulgata sancitas in eos, qui in foro Pontificio Romæ, aut alibi subditum regis in jus vocatent, subdola Jurisconsultorum municipalium interpretatione per calumniam intorqueri in eos, qui in foro Ecclesiastico apud nos agant de re aliqua, cujus cognitionem ipsi sibi vendicent: unde deterritis omnibus ab illo foro jurisdictio Ecclesiastica valdè imminuta sit & privilegia Ecclesiæ à decessoribus suis concessa elusoria reddantur. Idcirco regem obtestantur, ut contraria lege lata in publicis regni comitiis decernat, pœnas illas ad eos solos spectare, qui actiones, rescripta, aut instrumenta publica Romæ, aut alibi extra Angliam impetraverint, & ne ex ea in quempriam agatur, qui in foro Ecclesiastico hujus regni de jure experiatur; cum judices Ecclesiastici jurisdictionis suæ terminos egressi prohibitionibus & aliis pœnis legitimis coerceri possint. Rex autem Henrico pro ordine suo intercedenti respondit, se in proximis regni comitiis de ea supplicatione cogniturum, interea curaturum, ne Judices sui, nisi causa priùs à seipso aut proceribus consilii secretioribus probatâ, quempiam ea lege arcessant. Quæ benigna regis responsio ita universis placuit, ut mox integram decimam regi concederent, adjecta nominatim conditione, ne bona & beneficia Collegii omnium Animarum ea concessione tenerentur. Ab eo tempore Henricus nullam Provinciæ suæ Synodum habuit, quin cogitationes omnes, quantum per publicas curas liceret, perficiendo Collegio adhibuit, quod Musis sacrum esse cupiebat. Jam enim muris ædificii splendidis juxta & magnificis artifices tectum accommodare cæperant, fundosque & prædia fundator comparaverat, quorum proventus perpetui alumnis suis suppeditarentur, eaque omnia suppliciter ad regem defert, obtestatus, ut Collegium suo nomine institui pateretur, quod regii nominis splendorem & authoritatem Collegio legitimè constituendo magni momenti esse Jurisconsulti arbitrarentur. Erat rex propensissimo animo in Ecclesiam & literarum studia, & Cantuariensem compatrem suum summo amore simul & veneratione prosequebatur. Igitur ædes illas fundis prædiisque omnibus à compatre suo coëmptis donatas diplomate

[q] *Gl. in c. fin. Papa ays. 40. Archid. Gemin. & Fran. ad c. in fidei favorem. de hæret. in 6. Card. Zab. cons. 150. Anchar. cons. 181. Felin. ad c. super literis. n. 21. de rescript. Jo. Royas. de hæret. n. 518. Fr. Marc. decis. 944.*

[r] *Card. Jacobat. lib. 3. de Concil. n. 85. Hier. Albanden potest. Pap. n. 240. Cataldin. de Bon compag. de potest. Pap. n. 31. Alfon. Hoied. de benefic. incompat. par. 1. n. 86.*

[s] *Card. Bellar. lib. 2. de Concil. cap. 18. Ic. R. 2. 18.*

* *Epist. Acad. Oxon. 26.*

mate ſuo Collegium eſſe juſſit, privilegiis ampliſſimis auxit, eique poteſtatem conceſſit Cuſtodem & Socios deſignandi, leges porro & ſtatuta condendi, quibus ipſi cum poſteris ſuis parerent. Henricus itaque Anno ſequente Oxonium venit, Sacellum Collegii ſolennibus ceremoniis luſtratum conſecrat, Richardum Andrew Legum Doctorem & Cancellarium Cantuarienſem in Cuſtodem præficit, viginti viros lectiſſimos ex univerſo Academicorum cætu, Socios conſtituit, iiſque viginti alios in ſocietatem ſuam cooptandi poteſtatem fecit; è quibus viginti quatuor artium & ſacrarum literarum, reliquos ſedecim Juris Civilis atque Canonici voluit ſtudiis incumbere. Porrò univerſos alunos ſuos juſſit Hen. V. Th. Clar. Ducis, procerum, militúmque, qui in bello Gallico occubuiſſent, & Chriſtianorum demum omnium memoriam celebrare inter divina officia pro ratione temporum peragenda, religione uti videtur perculſus, quòd illius belli author & ſuaſor fuiſſet, in quo homines innumeri animas effudiſſent, ideóque Collegium ſuum Animarum omnium fidelium defunctorum de Oxonia appellari ſtatuit. Tum Sacellanos duos, Choriſtas aliquot, & ſervos adjecit, qui publicis Collegii muneribus inſervirent. Deinceps leges & ſtatuta præſcripſit, ad quæ univerſorum ſtudia, mores, officia, & emolumenta exigerentur. Denique acceptis à Johanne Drueil operis hucuſque confecti rationibus, ædificio tum interiùs expoliendo, tum extrinſecus amplificando curatorem præfecit Rogerum Keys, qui poſtea in locum ſuffectus eſt Cuſtodis. Nam clauſtra, & aliqua ædificii pars, quæ in maximam civitatis plateam proſpicit, partim Henrico ſuperſtite, partim poſt ejus obitum conſtructa fuiſſe perhibentur. De cætero poſt conſtitutum Collegium nihil ab Henrico publicè geſtum ſive in actis publicis deſcribitur, ſive ab hiſtoricis ejus ſæculi proditum eſt; tantum commemorantur aliquot eximia illius in Academiam Oxonienſem & Eccleſiam Cantuarienſem beneficia, quæ ſupremam laudibus ſuis periodum adjicient. Inchoatum jampridem Oxonii erat munificentia præſertim Humfredi Ducis Gloceſtrenſis excelſum & ſplendidum illud ædificium, cujus pars ſuperior bibliothecæ, inferior publicæ Sholæ Theologorum deſignata eſt. Ad hoc opus Henricus haud exiguam pecuniarum ſummam contulit, & cum Epiſcopis, proceribuſque ad conventum ordinum Weſtmonaſterium evocatis vehementer egit, ut ſinguli aliquid erogarent, quæ omnia in [t] literis ab Academia ad eum datis officioſe recognoſcuntur. Donavit etiam Académiæ ducentas marcas, à tribus artium Magiſtris, duobus regentibus, uno non regente quotannis eligendis, ſub juramenti religione cuſtodiendas in ciſta publica è qua Academiæ ad uſum publicum centum ſolidos, cuilibet Collegio quinq; marcas, Magiſtro artium quadraginta ſolidos, licentiato & Bacchalaureo in qualibet facultate duas marcas, Scholari unam mutuò accipere liceret; ea lege, ut ſinguli pignore idoneo interpoſito priùs caverent, itemq; pecuniâ infra menſem ſolutioni præſtitum non reddita diſtraherentur. Optimè porrò de Academicis meruit conſtitutione illa in Synodo Londinenſi, eo rogante, edita, quam ſuperiùs recitavimus de beneficiis Eccleſiaſticis in eos ſolos conferendis, qui graduum Academicorum inſignibus ornati eſſent. Quod illi ſummi beneficii loco habuerunt, eique gratias immortales ſæpiſſime eo nomine [u] egerunt, quòd viri omnium ſcientiarum cognitionem adepti ante eam conſtitutionem editam in Academia conſenescerent. Ista, verò, alia; plurima in Academia ab eo collata beneficia in Epiſtolis Acade-

[t] *Epiſt. Acad. Oxon.* 26.

[u] *Epiſt. Acad. Oxon.* 1. 124, 125. 144. 146.

micis

x *Stat. cist. Chich in Archiu.*

micis honorificè prædicantur: quorum ut perennis esset memoria, decreto x Academiæ publico sancitum est, ut nomen ipsius inter Mecænates ascriptum à Sacellano Academiæ scholas quotannis obeunte recitaretur, & ut solennitèr fieret pro eo sacrum anniversarium eodem die quo ipse è vivis excessurus esset. Illud enim jure optimo ei debebatur, qui Academiam duobus Collegiis, & tot donariis publicis illustrasset, præter privatam ipsius in multos Academicos indigentiores beneficentiam; quibus singulis annuum proventum aliquem suppeditabat, quod ex privatis rerum suarum rationibus etiamnum constat. Cantuariensem etiam Ecclesiam sedem suam plurimum ornavit: Ædi Christi restaurandæ, constituendis Bibliothecæ & campanili magnam pecuniarum vim erogavit, gemmas & ornamenta plurima ad sacrorum usum, librosque magni precii ex omni scientiarum genere Bibliothecæ donavit: eaque omnia a Priore & Monachis Cantuariensibus in publico instrumento inter acta Cantuariensia descripto enumerantur. In quo ipsi vicissim pollicentur, corpus ejus post mortem suam impositum iri mausoleo, quòd ad partem presbyterii septentrionalem ipse jam exstrui jusserat, eumque locum nemini unquam sepeliendo permissum iri, idque se & successores suos perpetuo Curaturos. Denique Ecclesiæ Croydonensi ædificandæ, pontique Roffensi multùm impendit. Reliqua taceo, ne cujuslibet exigui doni enumeratio illustriora ejus facta imminuisse videatur. Ita relictis ubique pietatis & liberalitatis suæ monumentis, senio confectus ad cœlos migravit pridiè Idus Aprilis, anno salutis MCCCCXLIII. Corpus sepulchro, uti jam diximus, à se constructo illatum est, in cujus parte superiore statua ipsius marmore candido affrabrè incisa conspicitur, & è latere ascribitur hoc Epitaphium. *Hic jacet* HENRICUS CHICHELE. *Legum Doctor, quondam Cancellarius Sarum, qui anno septimo Henrici IIII. Regis ad Gregorium Papam XII. in ambasciata transmissus, in civitate Senensi per manus ejusdem Papæ in Archiepiscopum Beneventanum Episcopum consecratus est: Hic etiam Henricus anno secundo Henrici quinti regis in hac sancta Ecclesia in Archiepiscopum postulatus, & à Joanne Papa XXIII. ad eandem translatus est qui obiit anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio mensis Aprilis die XII.* Henrici mortem deplorata reip. conditio subsecuta est. Nam Margareta Regina, virilis ingenii fœmina, initis cum Gulielmo Polo Duce Suffolciense consiliis, Regem & rerum administrationem ad suum arbitrium revocat: inde principes in diversas factiones abeuntes, populum universum exactionibus oppressum unà trahunt. Tum Galli, qui Regi nostro obtemperabant, discordiis nostris commoti ad Carolum deficiunt, amissâ primò Normannia, postea Aquitaniâ universa, trecentesimo ferè anno, postquam Henricus II. eam acceperat. Domi seditionibus, foras bello externo laboramus: nam Cantiani Duce Joanne Caddo armis arreptis tumultuantur; & fines nostros hinc Galli ad oram Cantianam, inde Scoti Limites regni Septentrionales invadunt: & quod miseriarum ultimum habetur, familia Eboracensis, arreptâ hinc occasione, bellum illud intestinum omnium gravissimum concitat, in quo Henricus Rex bis in acie captus, semel ex Anglia fugere coactus totiesq; per fortunæ ludibrium regno restitutus, demum ab Ed. III.I vitâ simul & imperio spoliatus est. Proinde mortem HENRICUS. obiit opportunam, & à posteris elogium meruit tum prudentiæ, cujus consiliis innixa Resp. eo sublato unà collapsa est, tum fælicitati, quem Deus Opt. Max. tot calamitatibus jam imminentibus superesse noluit.

FINIS.

VITA
GULIELMI WAYNFLETI,
EPISCOPI WINTONIENSIS.

CLARISSIMO VIRO
Nicholao Bondo,

Collegii Beatæ MARIÆ MAGDALENÆ apud OXONIENSES Præſidi Digniſſimo, cæteróque lectiſſimorum ejuſdem Sodalium Scholariúmque cætui,

JOHANNES BUDDENUS,
S. P. D.

ABSOLVI tandem (clariſſime Præſes voſque ornatiſſimi Magdalenenſes) opus à vobis mihi olim delegatum. Gulielmi Waynfleti παλιγγενεσιαν *& quicquid hactenus è ſacroſanctæ antiquitatis penetralibus, quaſi cum tempore colluctatus, eruere meâ arte & induſtriâ potuiſſem, in lucis conſpectum protuli, veſtroque nomini, cui ipſo vel argumento vel titulo potiſſimum debetur, conſecravi. Quare grates tibi ago ſumme Deus, qui fatalem hunc Fundatoris ſtipitem è tot ſeculorum quaſi incendio nunc ereptum (quod olim in gratiam Meleagri Althæam feciſſe legimus,*

——flagrantem mater ab igne
Eripuit ramum, ſparſitque liquentibus undis.)

Meis manibus conservare voluisti. Quanti sanè hominis memoria consumpta jam pænè fuerit, vel ignium morâ probari potest, quippè per centum quatuordecim plus minus annos vix potuit incendium extingui. Vobis etiam (magnifice Præses, humanissimique Magdalenenses) gratias tametsi quas agam referamque non habeam, habeo tamen quas non ago, (etiam quoad vivam) semper maximas, quòd mei solius operam ad has scintillarum reliquias conficiendas ceu aquæ situlam adhibuistis. Quorum voluntati quum morem me gesturum non ignorabam, (id quod pro eo ac debeo plurimi semper facio) tum sepultam propè ejus viri memoriam excitare, cui me uni scilicèt mortalium mancipio ac nexu obstrictum libentissimè agnosco, id verò perinde mihi gratum fuit ac quod gratissimum. Sæculi enim pudorem & infamiam fuisse necesse est, si per socordiam nostram illorum nomina interire diutius pateremur, qui ut nobis prospicerent opem & diligentiam suam (parùm est) impertiverunt, immò omnia sibi postputarunt præ nostris commodis. Sed nescio quo rerum humanarum vitio illud Aristotelis, ὡς παρὰ λόγον γινόμενον, usu pænè quotidiano evenire videmus, nempè quod εὐεργέ *εὐεργετηθέντας φασὶν μᾶλλον φιλεῖν, ἢ οἱ εὖ πεπόνθοτες τοὺς δράσαντας. Sive quia illorum amor ex bonitate proficiscitur, horum ex necessitate: sive quia ejusmodi est meritorum causa, ut quemadmodum sua artificibus solent esse perchara opera, ita benigni in quos beneficium contulerunt eos amant maxime. Cui ego malo dum medicinam quærerem, quicquid hactenus nostris Annalibus intactum apud reconditos authores invenerim, summâ fide expromendum curavi: simul ne tanti præsulis historiam, quam silentium diu occuluit, plane oppressam terreremus: simul ne parum officio nostro defuncti videremur, qui præstitisse quod potuerimus (plurimum certe si potuissemus præstituri) censebimur. Vos interea candide laborem hunc nostrum interpretari velle, tacitâ quadam animi mei inductione cogor ut existimem: quia quemadmodum Lucilius Consentinis & Tarentinis se scribere profitebatur: sic ego affirmare possim solis me Magdalensibus ista condidisse. Quod si nonulla quia templis consecrantur, idcircò precium invenerunt: sperabo equidem fore ut quæ clarissimi Collegii vestri patrocinio lubens dedicaverim, facile apud bonos omnes aliquam si non laudis, saltem fidei indulgentiæque gratiam consequantur.*

Vestri studiosissimus observantissimúsque

JOHANNES BUDDENUS.

Gulielmi Patteni,

(*Cui* WAYNFLETI *Agnomen fuit*)

Wintonienſis Eccleſiæ Præſulis quondam Pientiſſimi, ſummi *Angliæ Cancellarii*, *Collegiique Divæ* Mariæ Magdalenæ *apud* Oxonienſes *Fundatoris celeberrimi, vita obituſque.*

GUlielmi Patteni (cui Waynfleti agnomen fuit) vitam obitumque dum literis illuſtrare, veteremque tanti viri memoriam ab injuriâ oblivionis conor aſſerere, putavi illud imprimìs humaniſſimo lectori prædicendum, nè aut quòd alumnus ejus nunc ſim, aut quòd aliquem fortaſſis ingenii cultum ibì ceperim, ubi frequens quotidie numerus ad uberrimam doctrinæ meſſem ſolidamque Chriſtianæ pietatis gloriam enutritur, aliquid ſupra veri fidem finxiſſe me arbitretur. Nihil hic ſtudio dictum, nihil gratiâ, nihil ſcriptum quod factum non eſt, nihil denique beneficiis, quæ maxima profectò erga me extiterunt, quibuſque fructum repetere longè ampliſſimum potuiſſet, blandientium more, repenſum eſt. Tantùm quippè vel à ſpecie adulationis abeſſe cupio, quantùm abeſſe neceſſitatem video quæ me impelleret. Nam ſi quis ab obitu ejus omnem ætatem animo complectatur indè uſque ad hodiernum diem repetens, centum & quatuordecim annorum ſpatium effluxiſſe intelliget. Quæ res facit, ut quamvis hiſtoriam ipſis adhuc ſenſibus, omniumque memoriæ infixam ſcribere non profitemur: tamen & in re non plane incognitâ, & à noſtro ſæculo non valde remotâ, & (quod caput eſt) teſtibus non indigente, non tàm proclive eſt fallere quam refelli. Ubi vero vanitatis aut erroris ſemel poſtulatus fueris, authoritatem illico omnem fidemque prudentum à tuis ſcriptis avertis, ipſorum dignitatem quibus maxime conſultum voluiſti oppugnas; denique id agis ne non tam opus ad perpetuam poſſeſſio-

nem, quàm ad intuitum præſentem comparaſſe videare. Atque ego, ſi voti mei compos forem, optarem hercle, ut qui fœdis adulationibus hiſtoricæ venuſtati vitium faciunt, & fontem illum publicum læthali veneno inficiunt, ex quò clariſſimorum virorum facta moreſque poſteritas omnis haurire debuiſſet, quibus ad vitam formandam deinceps inſtruatur, Alexandrum aliquem ſibi inteſtum habeant: Siquidem ille Ariſtobulo, hiſtoriam de ſuis rebus geſtis inter navigandum recitanti, in quâ ſane componendâ longe majorem operam multò in veri perveſtigatione poſuiſſe viſus eſt, ereptum è manibus librum in Hydaſpem fluvium projecit, & te (inquiens) eodem ſane modo acceptum eſſe oportebat (Ariſtobule) qui ſolus pro me ſic depugnas, quique vel ipſo jaculo Elephantos trucidas. Hiſtoriam quippe quæ ornet, quæque illi perennem laudem paritura eſt, eam ego maxime veritatem puto, quæ (ſi Luciano credamus) falſum quid admiſtum non magis ferre poteſt, quam arteria aſpera aliud quam merum ſpiritum. Quod ſi plerique ſuam ipſorum vitam deſcribere, educiam potiùs quam arrogantiam aliquam exiſtimaverunt, neque illud iis citra fidem nedum obtrectationi fuit, credo ego mihi nunc vitam demortui hominis narraturo veniâ opus non eſſe, utpote qui neque propter res ab illo præclare geſtas laudari debeam, neque officio pietatis excuſari velim.

Ex genea. familiæ Gul. Lib. Lat. MS.

GUlielmus Pattenus (cui Waynfleti agnomen fuit) vetere Lincolnienſium oppido Waynfleto, familiâ non perinde celebri atque honeſtâ natus, patrem Richardum Pattenum, matrem vero Margeriam Gulielmi Breretoni equitis clariſſimi filiam habuit. Qui tametſi amplos in agro Ceſtrenſi, unde ortus eſt, fundos occupabat, non paſſus eſt per intertiam domi in patriâ virtutem corumpi, ſed in Galliam abiit militatum, unde rem ſimul cum gloriâ reportavit, auctuſque jam equeſtri dignitate Cadomi præfecturam obtinuit, & ſub auſpiciis Domini de Scalis non procul à monte Michaelis (ut loquuntur) maximas Gallorum copias fudit & profligavit. Quæ quùm per ſe clara exiſtunt, & poſterorum memoriâ non indigna, recenſere tamen in hoc loco conſultò diſtuliſſem, niſi fictis vulgi rumoribus implicati nonnulli, humilem atque obſcuram fuiſſe hujus familiæ conditionem, non tàm certis quàm loquacibus argumentis ſoleant defendere. Putantque ſe tùm præclarè fabulam egiſſe, ſi ut quiſque ad excellentem aliquam dignitatem evectus eſt, ita eum ab ignobili tugurio priùs & à remo (ſi diis placet) ad tribunal deducunt, quaſi aut cum natalium dignitate ſplendor virtutis eſſe non poſſet, aut nihil magis admirationem pareret, quàm quod propter exempli novitatem minùs indies expectatur. Sparſa eſt in vulgus (incertum quo autore) fabula, Gulielmum hunc fuiſſe tonſoris filium, qui pectine & novaculâ victum quæritabat, & ut ſuaviter delirent, ajunt etiamnùm in monumentô ipſius apparere hujus artis aliquot veſtigia, quæ temporis injuriâ etiam ſi multùm deterantur, liquidò confirmare poſſunt ex qua officinâ primùm prodierit. Ego ſanè quemadmodùm ab iſtâ opinione alienior ſum, quàm ut dolus per ſpeciem veritatis callidè excogitatus facilè mihi imponat, ita ſi præter eroſi marmoris conjecturam aliquid afferre poſſunt, unde ille aut tonſoris filius, aut *vulgi pars ultima noſtri* fuiſſe deprehendatur, non recuſo quin adverſus me lege cornelià de Falſis (quæ conditionem mentientibus pœnam irrogat) judicium experiantur.

Hall in vita Henr. 6. ſexti.

Inventa oll. Satyr. Antiquit. de publ. judic.

Quòd

Quod ſi integerrimis fidei cuſtodibus, ſi vetuſtorum exemplarium authoritati, contra inſcitiam importunam & temeritatem, locus non relinquatur; ſi leuis aliqua per exoletos characteres divinatio plus valebit, quàm conſtans & incorrupta tabularum vox: profecto nullum deincèps antiquorum teſtimoniis pondus accedet, nihil erit quare à veritate potiùs quàm à rumoribus ſtare velimus. Scio non eſſe acriter pro umbrâ nobilitatis litigandum, neque homines humiliores in alienum ejuſdem nominis genus infundendos; & Senecam bene monentem audio, Non facit nobilem atrium plenum imaginibus, Nemo in noſtram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit, noſtrum eſt. Sed quæ tamen invidia eſt, & hanc ſi habeas velle negligere? et ut alienis titulis libenter abſtineas, propriis non gaudere? Tam eſt in vitio qui infra ſortem ſuam ipſe ſe demittit, quàm qui alienam ambit. Utrumque enim vel abjecti animi vel nimis exaggerati eſt argumentum. Atque ego interim dum iſta pro certis & compertis ſic definio, ſentio equidem mihi moleſtam ſciolorum turbam ex parte aliâ minimè defuturam, qui non ſine indignatione multâ erroris aut ſaltèm incuriæ me inſimulare non verebuntur, ac ſi veritatis leſæ reus forem qui alienum huic familiæ nomen temerè adſcripſiſſe, aut famam tàm communibus pœnè omnium calculis comprobatam ſerò mutandam affirmaviſſem. Quid enim? nonnè paſſim ab ipſo collegio condito, omnium literis & linguis Waynfleti nomen ſemper increbuit? In concionibus, in orationibus, in colloquiis, in ſtatutis, in feneſtris, nomen Waynfleti non audivimus, non vidimus, non celebravimus? Nonne ille hoc nomine ſempiternam ſibi apud poſteros laudem & gloriam propagauit? Quid igitur ſibi vult tàm repentina novi nominis cudendi ratio? Æquum eſt quicquid omnes colunt unum putari. Cenſores ſcilicèt iſti rigidi & acuti ſatis pro imperio ſic me alloquentur. Quorum ego tam intolerabilem in male judicando arrogantiam dicam an inſcitiam, ut comprimere maximè velim aut debeam, ita hercle nunquam poſſim: dabo tamen quantùm in me eſt operæ nequid Pattenicum nomen capiat detrimenti, utque ſuis potiùs quàm acquiſitis aliundè titulis glorietur. Atque ut non minus liberaliter quàm candidè ſecum actum putent, qui in diverſam ſententiam præcipites feruntur, adjiciam aliquid in ipſorum gratiam, quo magis apud vulgus hominum opinionem ſuam venditent. Vidi ego inter monumenta quædam Etonæ diligenter aſſervata, Locationum (quas vocant) formulas Waynfleti nomine inſignitas, quarum inſpiciendi copiam mihi fecit ornatiſſimus Etonenſis Collegii præfectus Henricus Savillus. Legi apud Lelandum *Venſluctum Simenorum Epiſcopum*, non ſemel in commentariis uſurpatum. Henricus Sextus Rex (ut cum Lelando dicam) longè pientior quàm imperio fortunatior, ubi ſic eum Priori-cæteroque monachorum cœtui per literas commendaſſet, ut majori ſtudio aut animi ſollicitudine non poſſet amplius, *Waynfletum* bis appellat. Hoc nomen in fronte præferunt ejuſdem Prioris & conventus ad Regem & Pontificem reſcripta: Regeſtum Collegii Etonenſis ſic illum nuncupat: ſic enim habent verba. *Diſcretiſſimus vir & providiſſimus Willielmus Waynfiete.* Denique hoc nomine Gulielmo Vyceſtero, qui ipſum libellulo quodam de Sacramentis dedicationis donavit eodemque ſæculo vixit, Polydoro Vergilio hiſtoriæ Anglicanæ libro vigeſimo tertio, Matheo Parkero (ſeu quiſquis ille fuit, qui vitam Archiepiſcoporum Cantuarienſium nobis deſcripſit) Johanni

Sen. epiſt. 44.

Simmach. 54. epiſt. lib. 10.

In monument. Eton.

Comment. in Cygn. Can.

Leland. in comment. Cyg. Can.

In Archiuis Eccl: Vinton.

Regiſt Eccliæ: Vinton.

Regiſt. Eton. Coll.

Bibl. Magd. Col.

Polyd. Virgil. lib. 23.

In vita Io. Stafford.

Foxo

nem, quàm ad intuitum præsentem comparasse videare. Atque ego, si voti mei compos forem, optarem hercle, ut qui fœdis adulationibus historicæ venustati vitium faciunt, & fontem illum publicum læthali veneno inficiunt, ex quò clarissimorum virorum facta moresque posteritas omnis haurire debuisset, quibus ad vitam formandam deinceps instruatur, Alexandrum aliquem sibi infestum habeant: Siquidem ille Aristobulo, historiam de suis rebus gestis inter navigandum recitanti, in quâ sane componendâ longe majorem operam quam in veri pervestigatione posuisse visus est, ereptum è manibus librum in Hydaspem fluvium projecit, & te (inquiens) eodem sane modo acceptum esse oportebat (Aristobule) qui solus pro me sic depugnas, quique vel ipso jaculo Elephantos trucidas. Historiam quippe quæ ornet, quæque illi perennem laudem paritura est, eam ego maxime veritatem puto, quæ (si Luciano credamus) falsum quid admistum non magis ferre potest, quam arteria aspera aliud quam merum spiritum. Quod si plerique suam ipsorum vitam describere, æduciam potiùs quam arrogantiam aliquam existimaverunt, neque illud iis citra fidem nedùm obtrectationi fuit, credo ego mihi nunc vitam demortui hominis narraturo veniâ opus non esse, utpote qui neque propter res ab illo præclare gestas laudari debeam, neque officio pietatis excusari velim.

Ex geneal. fundat. & lib. fund.

Hall in vita Henri. sexti.

GUlielmus Pattenus (cui Waynfleti agnomen fuit) vetere Lincolniensium oppido Waynfleto, familiâ non perinde celebri atque honestâ natus, patrem Richardum Pattenum, matrem vero Margeriam Gulielmi Breretoni equitis clarissimi filiam habuit. Qui tametsi amplos in agro Cestrensi, unde ortus est, fundos occupabat, non passus est per intertiam domi in patriâ virtutem corumpi, sed in Galliam abiit militatum, unde rem simul cum gloriâ reportavit, auctusque jam equestri dignitate Cadomi præfecturam obtinuit, & sub auspiciis Domini de Scalis non procul à monte Michaelis (ut loquuntur) maximas Gallorum copias fudit & profligavit. Quæ quùm per se clara existunt, & posterorum memoriâ non indigna, recensere tamen in hoc loco consultò distulissem, nisi fictis vulgi rumoribus implicati nonnulli, humilem atque obscuram fuisse hujus familiæ conditionem, non tàm certis quàm loquacibus argumentis soleant defendere. Putantque se tùm præclarè fabulam egisse, si ut quisque ad excellentem aliquam dignitatem evectus est, ita eum ab ignobili tugurio priùs & à remo (si diis placet) ad tribunal deducunt, quasi aut cum natalium dignitate splendor virtutis esse non posset, aut nihil magis admirationem pareret, quàm quod propter exempli novitatem minùs indies expectatur. Sparsa est in vulgus (incertum quo autore) fabula, Gulielmum hunc fuisse tonsoris filium, qui pectine & novaculâ victum quæritabat, & ut suaviter delirent, ajunt etiamnùm in monumentô ipsius apparere hujus artis aliquot vestigia, quæ temporis injuriâ etiam si multùm deterantur, liquidò confirmare possunt ex qua officinâ primùm prodierit. Ego sanè quemadmodùm ab istâ opinione alienior sum, quàm ut dolus per speciem veritatis callidè excogitatus facilè mihi imponat, ita si præter eros marmoris conjecturam aliquid afferre possunt, unde ille aut tonsoris filius, aut *vulgi pars ultima nostri* fuisse deprehendatur, non recuso quin adversus me lege cornelià de Falsis (quæ conditionem mentientibus pœnam irrogat) judicium experiantur.

Juven. sat. Satyr. Institut. de pub. judic.

Quòd

Quod ſi integerrimis fidei cuſtodibus, ſi vetuſtorum exemplarium authoritati, contra inſcitiam importunam & temeritatem, locus non relinquatur; ſi leuis aliqua per exoletos characteres divinatio plus valebit, quàm conſtans & incorrupta tabularum vox: profecto nullum deincèps antiquorum teſtimoniis pondus accedet, nihil erit quare à veritate potiùs quàm à rumoribus ſtare velimus. Scio non eſſe acritèr pro umbrâ nobilitatis litigandum, neque homines humiliores in alienum ejuſdem nominis genus infundendos; & Senecam bene monentem audio, Non facit nobilem atrium plenum imaginibus, Nemo in noſtram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit, noſtrum eſt. Sed quæ tamen invidia eſt, & hanc ſi habeas velle negligere? et ut alienis titulis libenter abſtineas, propriis non gaudere? Tam eſt in vitio qui infra ſortem ſuam ipſe ſe demittit, quàm qui alienam ambit. Utrumque enim vel abjecti animi vel nimis exaggerati eſt argumentum. Atque ego interim dum iſta pro certis & compertis ſic definio, ſentio equidem mihi moleſtam ſciolorum turbam ex parte aliâ minimè defuturam, qui non ſine indignatione multâ erroris aut ſaltèm incuriæ me inſimulare non verebuntur, ac ſi veritatis leſæ reus forem qui alienum huic familiæ nomen temerè adſcripſiſſe, aut famam tàm communibus pœnè omnium calculis comprobatam ſerò mutandam affirmaviſſem. Quid enim? nonnè paſſim ab ipſo collegio condito, omnium literis & linguis Waynfleti nomen ſemper increbuit? In concionibus, in orationibus, in colloquiis, in ſtatutis, in feneſtris, nomen Waynfleti non audivimus, non vidimus, non celebravimus? Nonne ille hoc nomine ſempiternam ſibi apud poſteros laudem & gloriam propagauit? Quid igitur ſibi vult tàm repentina novi nominis cudendi ratio? Æquum eſt quicquid omnes colunt unum putari. Cenſores ſcilicèt iſti rigidi & acuti ſatis pro imperio ſic me alloquentur. Quorum ego tam intolerabilem in male judicando arrogantiam dicam an inſcitiam, ut comprimere maximè velim aut debeam, ita hercle nunquam poſſim: dabo tamen quantùm in me eſt operæ nequid Pattenicum nomen capiat detrimenti, utque ſuis potiùs quàm acquiſitis aliundè titulis glorietur. Atque ut non minus liberaliter quàm candidè ſecum actum putent, qui in diverſam ſententiam præcipites feruntur, adjiciam aliquid in ipſorum gratiam, quo magis apud vulgus hominum opinionem ſuam venditent. Vidi ego inter monumenta quædam Etonæ diligenter aſſervata, Locationum (quas vocant) formulas Waynfleti nomine inſignitas, quarum inſpiciendi copiam mihi fecit ornatiſſimus Etonenſis Collegii præfectus Henricus Savillus. Legi apud Lelandum *Venfluctum Simenorum Epiſcopum*, non ſemel in commentariis uſurpatum. Henricus Sextus Rex (ut cum Lelando dicam) longè pientior quàm imperio fortunatior, ubi ſic eum Priori cæteroque monachorum cœtui per literas commendaſſet, ut majori ſtudio aut animi ſollicitudine non poſſet amplius, *Waynfletum* bis appellat. Hoc nomen in fronte præferunt ejuſdem Prioris & conventus ad Regem & Pontificem reſcripta: Regeſtum Collegii Etonenſis ſic illum nuncupat: ſic enim habent verba. *Diſcretiſſimus vir & providiſſimus Willielmus Waynfiete.* Denique hoc nomine Gulielmo Vyceſtero, qui ipſum libellulo quodam de Sacramentis dedicationis donavit eodemque ſæculo vixit, Polydoro Vergilio hiſtoriæ Anglicanæ libro vigeſimo tertio, Matheo Parkero (ſeu quiſquis ille fuit, qui vitam Archiepiſcoporum Cantuarienſium nobis deſcripſit) Johanni

Sen. epiſt. 44.

Symmach. 54. epiſt. lib. 10.

In monument. Eton.

Comment. in Cygn. Can. Leland. in comment. Cyg. Can. In Archiis Eccl: Vinton. Regiſt Eccliæ: Vinton. Regiſt. Eton. Coll. Bibl. Magd. Col. Polyd. Virg. lib. 23. In vita Io. Stafford.

Foxo

In Actis & monument. Eccleſiaſt. hiſt. ſect. 15.

Foxo ejuſdem Collegii alumno, Nicholao Harpsfeldio, ſibi denique ipſi, de cujus fide ſacrilegii inſtar eſt dubitare, hoc (inquam) Waynfleti nomine notus ſemper & deſcriptus fuit. Accedit huc etiam aliud non leve incommodum; nam quo minus ipſum Pattenicâ gente oriundum putemus, vel maximè faciunt diverſarum familiarum notæ, clypeorum inſignia, in quibus præter

E. ſcialibus.

quadratas illas albi atrique areolas (quæ propria ſunt Pattenorum ſymbola) Waynfletus ſupremam ſcuti regionem trium liliorum floribus diſtinxit, id quod feciſſe proculdubiò vir prudens nunquam cogitaſſet, ſi violatas ob eam rem majorum imagines vel leviſſimè credidiſſet. Nam quid (quæſo) opus fuiſſet antiquæ nobilitatis ſchemata propter novam aliquam fortunæ acceſſionem mutare, aut ab iis in tantillâ præſertim re differre voluiſſe, qui ſplendoris dignitatiſque tuæ authores extiterunt? Ego contrà ut pro me proque Fundatore meo quam breviſſimè reſpondeam, poeticum illud uſurpare ſoleo.

——Pudet hæc cognomina nobis
Et fingi potuiſſe, & non potuiſſe refelli.

Tollendus eſt enim è medio iſte difficultatis obex, qui omnem hactenus ad veritatem præcluſit aditum. Utque quod in ultimo loco propoſitum eſt primum amoliamur, illud ego frequenter uſu veniſſe inter legendum comperi, quod ut quiſque novâ aliquâ dignitate, aut rebus ſecundioribus auctus eſſet, ille ſi ſacræ militiæ nomen ſuum dediſſet, tum adjicere aliquam clypeo ſuo quaſi teſſeram ſolebat, quâ facilius à cæteris ejuſdem ſtirpis agnatis, dignoſci potuiſſet. Non opus eſt longè repetitis exemplis. Nam Joannes Staffordius nobiliſſimi Comitis filius (ut ſummum Antiſtitem facilè agnoſcas) inſigniis ſuis tiaram appoſuit. quamvis illis majoribus prognatus foret, qui bina tigna, mutuo ſibi invicem contractu inclinata geſtitabant. Et Gulielmus Courtneius ut Archiepiſcopi honorem repreſentaret, ſcutum gentilicium tribus infulis epiſcopalibus illuſtravit. Super quâ re ubi ego aliquandò Gulielmum Camdenum virum (ut cætera taceam) totius antiquitatis interpretum conſultiſſimum interrogaſſem, ultrò ſententiæ meæ patronus eſſe non recuſabat. Quod quum præter morem illorum temporum & exempla majorum factum non videtur, tum ex optimis etiam rationibus profectum eſſe minimè dubitandum. Mea ſiquidem opinio ſemper fuit, atque adeò nunc eſt, hoc modo profiteri eum voluiſſe mirum Principis favorem, cui ſcilicet uni regum omnium plurimum debebat. Senſerat quippe ille Henricum ſextum ſibi perbenignum patronum, Collegiumque ab eo Etonæ poſitum matrem indulgentiſſimam. Quocircà ubi ad ampliorem fortunæ locum evectus eſſet, ſaltem ſi non paribus officiis, gratum tamen & memorem ſe comprobavit. Hanc itaque ob cauſam liliis ſcutum ſuum depinxit, quæ ſunt Etonenſis gymnaſii perpetua Emblemata; illis nimirum artibus uſus, ut Pattenica gente pariter atque Etonenſi, natum ſe confirmaret. A parentibus accepit hujus vitæ uſuram, à Collegio decus & dignitatem: utrique pro eo ac debuit reſpondendum fuit, geſſit id circò in eodem clypeo utriuſque inſignia Rhombos cum Liliis. Sed modeſtiam ſimul & prudentiam vide; gymnaſii inſignia cenſuit anteponenda ſuis. Quæ ſi vera ſunt, tum argumentationis inſtitutæ hæc eſt futura clauſula. Omnia iſta honoris generiſque ornamenta

Parkerus in vit. Archiepiſc. Cant.

Parkerus in vita Archiep. Cant.

namenta jure ſemper optimo ad Pattenos ſpectaſſe, Gulielmum noſtrum qui Pattenorum inſigniis uſus eſt, vel pro admiſſi qualitate lege Cornelià puniendum, vel eo nomine donandum fuiſſe. Venio nunc ad illum nodum ſolvendum qui primo in loco proponebatur. Cui quidem explicando non opus eſt vel gladio vel bipenni, ità palàm ſe produnt omnia. Illud enim affirmare ſexcentis pœne exemplis poſſum, condita plerumque atque impoſita fuiſſe pro vulgi arbitrio hominibus cognomina. Simon Sudburius paterno nomine Tiboldus eſt dictus: Cæterum ex oppido Sudovolgorum unde prodiit, Sudburius paſſim audiebat. Mons acutus nomen loci apud Belgas Anglicanos celebris, at inde nobiliſſima Vicecomitum de Monte acuto familia (non ſine inſigni honoris præfatione etiam atque etiam à me nominanda) originem ſimul cum appellatione deduxit. Notius eſt quam ut neſcire quiſquam poſſit, pientiſſimi præſulis ad verum decus & immortalitatem nati Gulielmi Wiccami, à loco originis inditum cognomentum. Infinitus ſim ſi ſingula perſequar. Teſtis in rem preſentem omni exceptione major Thomas Fanſhaus advocetur, is eſt qui vel labantem hanc ſententiam ex fide antiquæ cujuſdam ſyngraphæ queat ſuſtentare. Sed ne ulterior fiat agnominis controverſia, ſobrini ſui cauſam obſignatis tabulis defendit Juliana Churchſtilia, quæ cum fundum alienare, jure agnationis (ut aſſeruit) ad ſe ſpectantem voluiſſet, & legibus cautum ſit, quoties de genere genteve quæſtio oboriatur, ei qui dicit probandi onus incumbere, rem univerſam ſic deducit. *Sciant præſentes & futuri quod ego Iuliana Churchſtilia vidua nuper uxor Rich. Churchſtile defuncti, conſanguinea & hæres, Magiſtri Willielmi de Waynflete nuper Winton. Epiſcopi: videlicèt, unica filia & hæres Roberti Patten fratris & hæredis Richardi Patten (alias dicti Barbour) de Waynflete, patris predicti Willielmi de Waynflete nuper Epiſcopi, in pura viduatate mea &c.* Quin tu igitur negabis mihi, quiſquis es, hanc quaſi fatalem optimis quibuſque atque eminentibus viris familiæ mutationem ejuſmodi fuiſſe ut in Fundatorem noſtrum non conveniret? Richardus Pattenus hujus noſtri pater cum eo in loco natus eſſet, occaſionem novi nominis primus invexit, ex quo cæteri Waynfleti vocarentur; ſed nec ille ſimpliciter Waynfletus dicebatur, ſed Waynfleto oriundus. Nam cum multæ eſſent tàm generoſæ ſtirpis propagines, niſi una ab alia commode diſcerneretur, ingens profectò eveniret nominum confuſio. Quamobrem Fundator iſte noſter paternarum virtutum æmulus & agnominis ſuit, & vici titulum dari ſibi magis præoptavit quàm familiæ. P. Scipioni (ut eſt apud Livium) à devictâ Africâ cognomen Africano fuit: noſtro huic ab inſtauratâ perpolitaque Waynfleto, multò mea quidem ſententia aptius Waynfleti ἐπώνυμον accomodatur. Quippe omnis oppidi ſplendor (uti ego accepi) in ſcholâ publicâ eſt, quam ibi loci in altricis gratiam benigniſſimus alumnus erigendam curaverat. Hinc nomen patri repertum, ſimulque natalibus debitum, deinceps nunquam ſibi diſſimulandum ſtatuit. Hincque adeo late ſerpſit, quæ etiam hodie intimis nonnullorum fibris graſſatur opinio, grandem Fundatori illatam injuriam aſſerentium, ſi quiſquam vero potius quam alieno nomine, inſigniendum putaverit. Illi interim vel ad ravim reclamitent, mihi ut videtur ſuſcepta cauſa peragenda ſic fuit. Hæc igitur vitæ primordia Gulielmus ſortitus, poſtquam iis literis quibus ad humanitatem pueritia informari ſolet, imbutus eſſet, opportunam Academiam ſtudiis

D. Ad leg. Corneliam de Falſis.

Parker in vita Sim. Sudburii. Cambdenus in ſua Britannia.

D. Martin. in vita Wiccami.

Thomas Fanſhaus.

E Regiſtro Collegii.

Genealog. Fundat.

ſtudiis ſuis obſequendo, Oxonium ratus, eò ſe contulit. In Collegio ipſo quærendo, ſedulitate pluſquàm ambitiosâ (ſit venia verbo) uſus ſum, Acta diligenter excuſſi, hiſtorias veteres, recentiores indagavi, famam conſului, nihil denique non tentavi, quo fugitivam ejus rei memoriam ad me retraherem. Raphael Hollinſhedus dùm à communi hominum opinione longius diſcedit in Mertonenſi Collegio narrat ipſum prima ſtudiorum ſtipendia feciſſe. Thomas Nelus, Nicolaus Harpsfeldius, unum è *Wiccamenſi Lycæo* contendunt fuiſſe, quibus præter conſentientem multitudinis vocem, adſtipulari videtur *Thomas Chaundlerus*, qni eodem ſimul tempore ipſe vixit, & librum de *Wiccami* vitâ, & rebus geſtis, ſane perelegantem conſcripſit. Huc accedit etiam depicta in ſolio ſedentis *Wicami* imago, dextrum ſiniſtrumque latus claudentibus hinc Cantuariæ Archiepiſcopo *Chicheleio*, illinc *Gulielmo Wintoniæ præſule*, quaſique honorem tanto Mecænati exhibentibus, id quod de alio præterquàm de *Gulielmo Waynfleto* dictum verè affirmare nemo poteſt. Neque enim illis temporibus præter *Gulielmum* hunc, ſedem epiſcopalem quiſquam occupabat. Nam quod in extremo loco firmamentum huic opinione eſſe poteſt maximum, nimirum, *ut unus vel duo de ſociis ipſius Collegii aut de illis qui aliquando fuerunt ipſius Collegii ſocii & ex cauſis licitis & honeſtis inde receſſerunt, aut unus vel duo de Collegio Beatæ Mariæ virginis Winton. in Oxonia, vel de hiis qui quondam fuerunt ſocii ipſius Collegii & ex cauſis receſſerunt honeſtis*, ad gubernacula reip. Magdalenenſis, depoſcerentur, non poteſt eſſe non veteris in illis ædibus hoſpitii vitæque anteactæ argumentum, Quod.

Chaundel. in vit. Wic.

E. Statut col magd.

Aug. Polit.

Gratos blandæ officio nutricis alumnos
Eſſe jubet longumque piâ mercede laborem
Penſat, & emeritis cumulat compendia curis.

Ego certe ab hac ſententia ſive plane cognitâ & perſpectâ, ſive à majoribus quaſi per manus traditâ, propter ſummam Collegii celebritatem & hominum, non libenter recedo. Neque ut Atticum Lyſiam, quaſi Liciniâ & Mutiâ lege, Timæus Syracuſanum eſſe vendicat, ego eum cultiſſimæ Societatis jure privatum, in aliud Collegium redactum cupio. Quinimò plurimùm ad famam eruditionis arbitror, pertinere, quis tandem vel ſorte oblatus, vel conſilio quæſitus inſtitutionis locus illi contigerit (adeo eſt illud verum quod de Henrico Chicheleio ad pietatem & ſtudia literarum recreanda divinitus nobis conceſſo, ibidemque educato, uſurpatur, *ſæpe docet fructus de quâ fuit arbore ductus*) quem noſter tamen virtute ſuâ illuſtriorem (ſi fas ſit dicere) reddidit quam accepit. Quamobrem ex tantæ fundationis pullulans radice (verba ſunt *Chaundleri*) *floreſcens quaſi virgula, ope & adiutorio Thomæ Bekingtonii beneficentiſſimi domini & Vellenſis Eccleſiæ præſulis lectiſſimi, fermè in cedrum crevit magnam, quaſique lignum plantatum ſecus decurſus aquarum, uberrimos fructus protulit.* Nam ut validiorem ejus ætatem præteream quæ excellentiſſimis ornamentis decorata in ſupremo authoritatis faſtigio collocata fulſit: Adoleſcentis cura in bonis literis perſequendis prorſus occupata luculentum præſentis ævi mortalibus exhibuit ſpecimen, quò tanta indoles (ubi ſemel maturuiſſet) foret porrectura. Ingenium fœlix, vigil animus, ſtudium pertinax, crebra contentio,

Chaundel. in vit. Wicc.

Chaundel. in vit. Wicc.

Poſt adept. Præſulat. & Cancellar.

entio, ecquid aliud prædicare poſſunt quam inſigne aliquod & egregium deinceps ſecuturum? Invicta corporis vis quæ non aliunde magis quam per labores crevit, ingens ingenii aviditas quæ expleri non potuit, frequens concertatio quæ nunquam niſi victorem dimiſit, ſpem certè nunquam mentiuntur hujuſmodi prælagia. *Doctrina ſed vim promovet inſitam — Rectique cultus pectora roborant*; inquit poëta. Quamobrem ad eas quas naturæ beneficio dotes acceperat, fœlix pro illius temporis infortunio, acceſſit inſtitutio. Nam humanitatis & eloquentiæ quidem ſtudia ita ardenti animo excoluit, ut in illis longè ſupra vulgi conſuetudinem excellere, peculiarem illi laudem adſcriberem, ſi Johannes frater illius in hujus quoque participationem non eſſet admittendus. Cujus cum præclaræ aliquot ab ipſo habitæ orationes recenſentur, faciunt propemodum ut exiſtimem, gentis potius ſingularem illius, & non unius hominis fuiſſe prærogativam. Jam in philoſophiâ quantùm operæ induſtriæque poſuerit, quantoque illam amore complexus eſt, eximia quadam illius in profeſſoribus alendis mercede propoſitâ ſatis declaratur. Neque tamen cum humanioribus ſtudiis, aut cum philoſophiâ ità conſuetudinem habuit, quaſi cum illis ætatem omnem traducturus foret, quemadmodum (ut eſt in fabulis) procos Penelopes factitaſſe legimus, qui ubi ad dominam affectarent viam ejuſque potiundæ ſpe excluderentur, cœperunt pediſſequas & ancillas ejus perdite amare. Eorum quippe familiaritate tantiſper uſus eſt, donec ingenium probe jam ſubactum cœleſti prudentiæ vacare liberius potuiſſet. Cui ille ſtudio dum totum quod ſupererat vitæ ſuæ conſecrare deſtinaſſet, ratus nimirum id quod eſt, nullâ in re aliâ ſe gratiorem Deo operam, aut humano generi utiliorem locare potuiſſe, ad *Scholæ Wiccamicæ* præfecturam, tùm forte propter *Thomæ Alwini* diſceſſum vacuam, poſtulatur. Ad hoc munus ſubeundum quum judicium graviſſimorum de ſe virorum non plurimi facere non potuiſſet, utpote qui niſi moribus atque eruditione ſpectatum ſatis admittunt neminem: tum nullâ aliâ re magis impulſum reor, quàm promptâ atque expoſitâ bene merendi voluntate. Prægeſtiebat ſcilicet illius animus, utcunque tenui fortaſſis in re, luculentum aliquod magnificentiæ ſuæ documentum hominibus oſtendere, quumque facultates non admodum ſuppeterent, ſubſidio ſibi diligentiam & laborem comparare, quibus prodeſſe quamplurimis poſſet. Certe extremâ lineâ bene facere haud nihil eſt; & ſi recte interpretari volumus, haudquaquam video, quare ultima beneficentiæ pars ſit teneriores puerorum animos bonis præceptis informare, ineuntis ætatis inſcitiam ſenili prudentia regere & conſtituere, ferocientes à licentia deterrere, diſciplinæ ſeveritate diſcipulorum mores adſtringere, talemque erga pupillos affectum induere perinde ac ſi parentum vicibus ipſe defungeretur, denique ita ſe gerere quaſi ipſe vitia nec habeat nec ferre poſſet. *Henricus Beufortius*, (quis neſcit?) in *Henrico principe* edocendo, quot ille ſimul quaſi per compendium informavit. *Rogerus Aſchamus* dum *Elizabetham* ſereniſſimam Reginam ad eas artes adduxiſſet, quarum vitæ par uſus & poſſeſſio eſt, univerſam prope Angliam ſingulari beneficio complexus mihi videtur. Ceterum ille, ubi per annos duodecim, hanc docendi provinciam ſic adminiſtraſſet, ut neque bonus aut eruditus quiſquam ejus operam aut fidem improbaret, ab *Henrico ſexto* rege longe pientiſſimo, ad ſcholæ *Etonenſis* moderationem accerſitus eſt. Utque nova ſurgentis Col-

Horat. 4. Od.

Baleus in Illuſtrior. Brit.

Plutarch.

Willeus Epig. ram. Parker: Harpsfield.

Terent. in Eunuch.

Parker: in vita Stafford. & Harpsfield. D. Martin. in vit. Wic. & Magd. Coll. hist.

legii fundamenta fœlicioribus auſpiciis ponerentur 35. diſcipulos Wiccamicos, ſocioſque ejuſdem Collegii quinque ſimul adſcivit. Ita cum recenti puerorum examine in hoc aluearium traductus, locum verius mutavit quam vitæ inſtitutum. Nam qui tranſacto quaſi duodecim annorum curriculo, multam jam ſalutem operoſo docendi muneri dicere debuiſſet, non tam ſtudiorum uſum & conſuetudinem intermitti ſenſit quam augeri. Hic itaque rurſus œconomia ſcholæ inſtituenda, optimis confeſtim exemplis pueritia imbuenda, docendi dedocendique geminatum onus perferendum, condendæ leges magis ut pueri quæ honeſta ſunt facere incendantur. quam ubi non fecerint puniantur; danda cum primis opera, ut ampliſſimæ recentis gymnaſii dignitati, parentum votis, juvenum indoli, patriæ deſiderio, conceptæque de tam illuſtri præceptore opinioni, cumulate ſatisfiat. Id verò ille (eximius ſcilicet ac perfectus magiſter, cujuſque domus cunctæ Angliæ quaſi ludus quidam patuit, atque docendi officina) quam ſedulo præſtitit, copioſa quidem pro illius ſæculi fato eruditorum hominum ſeges ab eo ſata & culta, ex utriuſque Collegii agro, magno cum Chriſtiani nominis Reipub. que bono pullulantium, aperte teſtatur. Summa interim & prima regendi Collegii authoritas penes *Johannem Stamberium* fratrem (ut ſcribit *Balæus*) Carmelitanum fuit, cui antè alios omnes propter vitæ inculpatæ literarumque celebritatem rex ſic indulſerat, ut primum ad *Etonæ* gubernacula admotum, deinde à conſcientiæ colloquiis factum, poſtea ad *Nordovicenſis* Eccleſiæ præſulatum promovendum curaverit. Sed ille ubi propter *Gulielmi Poli Sudovolgarum* ducis, hominis (ut *Lelandi* verbo utar) invidioſiſſimi potentiam, inde eſſet deturbatus; provinciæ *Bangorenſis* pedo donatus eſt. Verùm de hoc, ſuo loco uberior pro re nata, dabitur dicendi occaſio. *Stamberio* ſucceſſit *Henricus Seaverus Collegii Mertonenſis* Cuſtos, huic *Gulielmus* noſter, qui propter egregiam & fructuoſam operam in pube inſtituenda collocatam, ſummus Collegii moderator à Rege eſt deſignatus. Ab eo confeſtim tempore, maximis dignitatis, fortunæque præſidiis ſic abundare cæpit ut paratiorem certè ab iis rebus diceres neminem, in quibus fælicitas ſita eſt. *Henricus* quippe Princeps otii & ſolitudinis cupientiſſimus, totius imperii curam aliis demandabat: Ipſe interim ubi à negotiis feriari per tempus licebat, totum ſe ſtudiis pietatis conſecrabat: nactuſque tam fidelem, atque ſuis moribus obſequentem *Achatem*, ad ſacra primum, deinde in conſilium adhibuit. O quàm rara eſt hæc fælicitas, & verò tua (*Henrice!*) quæ haud ſcio an unquam majorum cuiquam acciderit, ut unum haberes virum cui omnia conſilia tutò poſſes concredere, neque de illius minus quam de tua fide certus eſſe. Alebantur ea tempeſtate magnâ animorum contentione inter principes nobilitatis, partium ſtudia, *Humfredum Gloceſtriæ* ducem & *Edmundum Polum Sudovolgarum Marchionem*: Inimicitiarum caput hoc fuit; Muneribus à *Gallo* captus, ità cum principe egerat *Sudovolgus*, ut permutationis nomine *Gallo* reſtituendam *Andegaviam* impetraret. *Gloceſtrenſis* haud æquo animo ferens, malis proditoris artibus fraterni filii famæ, Reipub: que bono peſſimè conſultum, huic incepto ſolus obſtitit, & quo à virum fortem decebat, honorem patriæ ſaluti ſuæ præferendum judicavit. Hæc prima ingruentium malorum ſemina fuerunt, hæc prima Imperii *Henriciani* calamitas; quæ, poſtquam adoleuiſſent, ingentem Reipub. *Anglicanæ* cladem peperunt.

Stow. Harpsfield. Sand. hist. Eccle.

Balæus in Script. Brit.

Leland. Comment. in Cygn. Cant. Ric. Coll. Hist. Hamps. fol. 15.

Hall. & Hall.

Script. Reg. ad Ann. 1442. Comm. Wint.

Polydor. Virg. Hist. Angl. l. 25.

runt. Nam *Gallia* quæ jure ſanè optimo in Anglorum poteſtate diu fuit, quaſi poſtliminio reverſa libertatem ſibi aſſeruit: Studebat rebus novis *Hibernia* cum *Scoto* tumultuatum eſt, veriùs quam pugnatum. Domi impurus ille *Caduſ* funeſto civium ſanguine patriam fædavit: *Richardus Eboraci* dux, omnis moræ impatiens Regiam dignitatem per civiles furores præreptum fuit: Hinc magnæ bellorum tempeſtates commotæ, multæ præliandi vices, nobilitati mutuis cædibus *Angli*, adverſis aquilis quaſi duodeciés dimicatum, nonaginta plus minus hominum millia ceciderunt, Octoginta familiæ principalis deliderati ſunt. *Annales Ang. Annales Ang. Commines. Capl. 1.*

Heu, quantum potuit terræ, pelagique parari
Hoc, quem civiles hauſerunt ſanguine dextræ? *Lucanus. l. 1. Phar.*

In hoc ſæculum varium, ſeditionibus atrox, domeſticis inſidiis infame, crebris fluctuationibus obnoxium, ubi eouſque periclitata eſt Reipub. ſalus ut quam majores florentiſſimam reliquiſſent, fatagerent hujus ævi mortales plane nullam habere, quum incidiſſet *Gulielmus* noſter, tum quo ille conſilio, quâ fide & innocentiâ valuerit, inter reciprocos fortunæ æſtus tamdiu jactatus, ſatis demirari non queo. Sub idem tempus è vitâ exceſſit *Henricus Beufortius, Epiſcopus Wintonienſis*, Cardinalium omnium facile ditiſſimus, cujus prudentia atque opibus ita *Henricus* juvari potuiſſet, ut depulſo quantivis periculi impendentis metu, ſumma animi tranquillitate frueretur. Quamquam eam gravem jacturam, quam *Henricus Rex* in ejus morte fecerat, ſarcire poſſe viſus eſt *Gulielmus Waynfletus* qui illi in epiſcopatu ſucceſſit, uti ſcribit *Polydorus*. Et gerebat ille quidem Reipub. quamdiu vixit optimè; Sed ubi divitiis cumulandis immodicus fuit, excellentem rerum ab illo geſtarum memoriam vitiavit. Cæterum *Henrico* è vivis ſublato, ſurrogatus eſt *Gulielmus Waynfletus*, inſignis doctrinâ & pietate vir, (inquit *Matthæus Parkerus*,) quem *Nicholaus* quintus dum pro nimiâ illorum temporum licentiâ, per proviſionem (ut loquuntur) Epiſcopos paſſim conſtituit, Eccleſiæ *Wintonienſi* præfecerat. Sanè ea demum magna voluptas eſt, æqualem ac parem meritis gratiam apud eos, qui dignitate eminent, invenire: neque fraudi propterea eſſe debuit *Gulielmo*, ſi *Nicholai* quinti pontificis optimi beneficio ad hunc honorem evectus fuiſſet, utpote cujus ea ſanctimonia fuiſſe perhibetur ut nulli unquam magiſtratum precio vendiderit, qui ſingulos *Homeri* libros ducentis aureis, latinis verſibus reddendos curaverit, qui doctos coluit, & præmiis ad ſtudia literarum invitavit, ut facile primum vel ſolum honoris locum occuparent, de quo nullo unquam ſæculo magis compertum eſt illud. *Polyd. Vir. Polyd. Vir. Harpsfield. Arch. Win. Parker. Sabellicus. de cenſus in epiſt. Polit. pag. 118 Perottus in præfat. Polib. Hadrian. Barland.*

Sint Mæcænates non deerunt Flacce Marones.

Denique cui renunciatum quum eſſet, quoſdam eſſe Romæ qui bonos verſus facerent, negavit bonos eſſe, cur enim ad me (inquit) non veniunt, qui poetis etiam malis pateo. Ab illo (inquam) laudatiſſimo Pontifice ad ſummam authoritatem perductum eſſe, non video quare cuiquam vitio verti debeat. At enim effrænatæ hujus in epiſcopatibus diſponendis licentiæ aſſenſum non præ *Hermol. Bar. in epi. ad Alex.*

buiſſe, non ſimulatæ (inquiunt) in Regem obſervantiæ argumentum fuiſſet. Nam quid ſibi volunt tam abſolutæ rerum alienarum largitiones? tantumnè cuiquam hominum ut liceret impune mearum facultatum domino eſſe, & pro arbitrio ſuo hos creare, illos ad præſulatuum dignitates transferre poſſe, concedi? Prævideranr hoc malum non procul abfuturum illuſtriſſimi Reges noſtri, qui quum intelligerent nihil eſſe tam ſanctum in civitate, quod non corrumpat audacia, graviſſimis ſanctionibus nos ab hujuſmodi maleficiis deterruerunt, quæ apertè vetant ne quiſquam per proviſionem (ut loquuntur) Pontificiam cujuſquam dignitatis ambitæ ſentiat beneficium. Verùm toto hujus Archiepiſcopi tempore, Papa (inquit *Parkerus*) proviſione adhuc epiſcopos ſtatuit, inter hos inſignem doctrinâ & pietate virum *Willielmum Waynflet*. Sed non gravabuntur Reverendiſſimi *Parkeri* manes (ut ſpero) ſi ego pro illo veritatis ſtudio impulſus, cujus ipſe amore ſi nunc viveret, in ſeipſum excitaretur, in medium quædam proferre non dubitaverim, in quibus incorrupta fide dignorum exemplarium authoritas, (quibus ego ut debeo plurimum tribuere ſoleo) ab illius opinione coëgit me diſſentire. Illud autem eſt huiuſmodi: *Gulielmum* noſtrum, tametſi pro illius ſæculi conſuetudine, & virorum illuſtrium authoritate gaudere talibus privilegiis potuiſſet, ut omnino fortaſſis ab illis non abſtinuerit, ita melioribus rationibus ad ſuæ dignitatis faſtigium perveniſſe, nam & *Henrici* Regis candidatus fuit, & communibus *Cleri Wintonienſis* ſuffragiis, factus eſt Epiſcopus. Id quarè tam conſtanter affirmem, nunc ſubjiciam. Supremum jam diem clauſerat *Henricus Beaufortius* Epiſcopus *Wintonienſis*, anno ſalutis inſtauratæ, 1447. Aprilisque (quod ſatis conſtat) undecimo: ibi Rex, tametſi quod *Henricus* primus ab Anſelmi obitu feciſſe narratur, itidem *Henricus* ſextus facere potuiſſet, plenum quinquennium expectare ut ejuſmodi tandem epiſcopum conſtitueret *qui vel æquis paſſibus virtutum Anteceſſores ſuos conſequeretur vel emularetur protinus*: rejecto tamen hujuſmodi fuco, multoque ante explorata *Waynfleti* præſtantiâ, continuo & eodem die quo nuncium accepiſſet, Eccleſiæ Wintonienſi veniam alterum Epiſcopum eligendi concedit, ſimulque obnixè rogat (quamvis ſua luce conſpicui precariis teſtimoniis non juvantur) maximam in comitiis ſuis *Gulielmi Waynfleti* rationem haberent. Epiſtolæ forma ſic ſe habet.

25. *Edward. pri.* 25. *Edward. tert.*

Parker. in vit. Jo. Stafford.

Parker. in vita Henr. Gard.

Henr. Regis 2do Script. Wint.

De gestis Reg. Angl. lib. 5. Script. Wint.

Wynch. lib. 2. cap. 10. Ex. Cod. Mss.

LET-

LETTERS

Sent by the KING, to chuſe WILLIAM WAYNFLETE Provoſt of Our Lady Colledge of ETON, Biſhoppe of WINCHESTER.

TRuſty and well-beloved in God, we greete you well. Letting you wæte that it is come to our knowledge, to our greate heavines, ne weare Goddis wil, how that our late Cardinall of England and Biſhoppe of Winchester is paſt out of this uncertained life. And howbeit that yee ought not to prœede unto the election of a new paſtor and fader for the Chirch of Winchester aforeſaide without our licence firſt had in that party, yet nacheles we as well for the greate loue and affection that we beare unto the ſaid Chirch, as for other great cauſes moving us, wolling in no wiſe the ſaid Chirch to ſtand eny while vidnate, licence you to prœede unto the election of a newe Paſtor there. And pray you hartely that in all the haſt that you goodly may, yæ woll ſo doe. Having by one aſſent our right truſtie & wel-beloved Clarke and Councellour Maſter William Waynflete, Provoſt of our Colledge Royal of our Lady of Eton at the reverence of us and contemplation of this our writing, on your ſaid election to be Buſchoppe of your ſaide Chirch before all other eſpecially recommended, whom as you know well, wæ habe in the moſt tender favour of our good grace. Wherin you ſhall not only provide your ſaid Chirch of right a notable Clarke and a ſubſtantial perſon to Goddis pleſir, and to the worſhipp & wele of the ſame as we truſt, but alſo doe unto us right ſingular pleſir, and cauſe us to habe both you and the ſaid Chirch in the more ſpecial favour of our good grace in time to come. Geven under our ſignet at our Caſtle of Wyndſore the xi. date of Aprill.

Cæterum Eccleſia Wintonienſis tanti patris orbitate perculſa, haud diu negotium differendum rata, literas ad Regem ſtatim ablegavit; quibus ipſum ſu-

per

per *Henrici Cardinalis* morte certiorem fecit (tàm ſubitæ feſtinationis parùm ut videtur conſcia) poteſtatem ſibi novi præſulis ſurrogandi dandam hiſce verbis humillime deprecata.

LITERA

Miſſa Domino Regi pro licentia obtinendâ ad Epiſcopum eligendum.

Ex Archiv. Wint Eccl.

EXcellentiſſimo in Chriſto principi, & Chriſtianiſſimo Regi noſtro Domino Henrico, Dei gratâ Regi Angliæ & Franciæ, et domino Hiberniæ, nos veſtri humiles & devoti oratores continui, Prior Eccleſiæ veſtræ Cathedralis Winton, & ejuſdem loci Capitulum ſalutem in eo cui omnes Reges famulantur, & per quem principes proximè dominantur, Veſtræ regiæ Majeſtati cum ea quâ decet reverentiâ, tenore præſentium intimamus, quòd recolendæ memoriæ Dominus Henricus Beuford ultimus Epiſcopus noſter, die Martis, undecimo Aprilis jam inſtantis ad vitæ ſuæ terminum (quod dolentes referimus) pervenit (veruntamen fœliciter ut ſperamus;) ne igitur ſedes Epiſcopalis antedicta, diutino paſtorum ſolatio deſtituta, ſuæ vacationis detrimenta deploret, aut jacturam in ſpiritualibus ſeu temporalibus patiatur, ad veſtræ celſitudinis Regiæ præſentiam unanimi noſtro conſenſu & aſſenſu, nos fratres Robertum Puriton *Subpriorem, ac* Richardum Marlebergh *Hordarium, confratres & commonachos noſtros mittimus per præſentes dictæ veſtræ excellentiæ humiliùs, quo poſſumus, ſupplicantes, quatenus, ut ad liberam futuri Epiſcopi & paſtoris Eccleſiæ veſtræ memoratæ electionem procedere valeamus, licentiam gratioſe concedere dignetur veſtræ regalis gratiæ magnitudo; quam ad ſui laudem & honorem, ad inimicorum colla ſubingandâ, atque ad populi ſui meritorium regimen fœliciſſimè regat & gubernet clementia Salvatoris per tempora duraturæ. Datum ſub ſigillo noſtro communi in domo noſtra Capitulari* 12. *die dicti menſis Aprilis. Anno Domini* 1447.

Rex ubi votum Eccleſiæ intellexiſſet, haud diù cunctatus (illorum quippe precibus ad id incitatus quod ultro ſponte ſua facturus eſſet) peramanter in gratiam Fundatoris noſtri ſic reſcripſit.

A LET-

A LETTER

Sent by the KING to proceed to Election the *Saturday* following.

TRuſty and wel-beloved in God we greete you wel, and doubt not but that you keepe well in remembrance, how we vpon knowledge that wee have of the deceaſe of our Uncle, late your paſtour and governour, wrote unto you our moſt ſpeciall letters for the recommendation of our right truſtie and wel-beloved Clarke Maſter William Waynflete Prouoſt of our Colledge Royall of our Lady of Eton, in your next election to bee made for your Biſhoppe, Deſiring you furthermore in our ſaid letters in aſmoch as we would not the Cathedrall Chirch of Winchester ſhould any while ſtand viduate, that you would proceede to election in all godly haſt, and forasmuch as we deſire in the moſt effectuous wiſe that wee can, that ye ſhall proceede to your ſaide election on Saturday next comming, for divers right great cauſes eſpecially moving us, we pray you to diſpoſe you thereunto, not abiding vppon any letters under our great ſeale. For we have in ſuch wiſe ordeined that yee ſhall not neede them at that time, but have them in goodly haſt after, bearing date before. And as touching a Doctor neceſſarie in your ſaid election wee have writen to Maſter Stephen Wilton to aſſiſt you. Wherefore we deſire and pray you in as harty wiſe as we can that all excuſations laide a part, you proceede to your ſeide election on Saturday, having recommended in moſt ſpeciall wiſe our ſeyde Clerke Maſter William Waynflete before all other. And furthermore that yee give full feith and credence unto the bearer of thees in that he ſhall ſey unto you in our behalfe, and that yee fail not hereof as yee deſire us to be enclined to ſhew unto you the favour of our good grace in time to come. Yeuen under our ſignet at our Caſtle of Windſore the xiii. day of Aprill,

Cognita.

Cognitâ principis voluntate, frequentes ad electionem ſtato die conveniunt, prompti alacreſque & pro interpoſitâ Regis authoritate, *Gulielmum* ſalutant epiſcopum, quod ut ratum fixumque habeatur his literis depoſcunt ſeriò.

LITERA

Ex Arch. Wint. Procuratoria miſſa REGI HENRICO Sexto ad confirmandam Electionem factam de GULIELMO WAYNFLETE Epiſcopo WINTONIENSE.

EXcellentiſſimo & Chriſtianiſſimo in Chriſto Principi & Domino noſtro Henrico, dei gratia illuſtriſſimo Regi Angliæ & Franciæ, ac domino Hiberniæ, veſtri humillimi & in Chriſto devotiſſimi oratores Willielmus Aulton Eccleſiæ veſtræ Cathedralis Winton. Prior indignus, ac ejuſdem Eccleſiæ veſtræ capitulum, orationum ſuffragia, & in eo proſperari per quem Reges regnant & Principes dominantur. Sublimitati veſtræ regiæ preſentibus literis humiliter intimamus, quod vacante nuper Eccleſiâ prælibatâ per mortem naturalem celebris & recolendæ memoriæ domini Henrici miſeratione divina titulo Sancti Euſebii ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ presbyteri Cardinalis Angliæ, dictæque Eccleſiæ veſtræ ultimi & immediati (cui deus parcat) Winton. epiſcopi, ac obtenta ex veſtrâ regiâ clementiâ, alium nobis & Eccleſiæ veſtræ in Epiſcopum & paſtorem licentia eligendi: Nos venerabilis & inſignis prudentiæ virum magiſtrum Willielmum Waynflete ſacroſanctæ Theologiæ Bachalaurem, ſerenitatis veſtræ conſiliarium, virum utique providum, & in agibilibus diſcretum deo devotum in ſpiritualibus & temporalibus plurimum circumſpectum, ac nobis & Eccleſiæ veſtræ neceſſarium, vobiſque & regnis veſtris (ut firmiter credimus) utilem & fidelem, unanimiter & concorditer ſpiritus ſancti (ut ſperamus) gratiâ inſpirati, in ipſius Eccleſiæ veſtræ & noſtrum epiſcopum conſenſu noſtro unanimi nullo penitus reclamante elegimus, & paſtorem. Requiſitoque pluries poſtmodum ipſius electi magiſtri in hâc parte conſenſu, ipſoque ſæpius lachrymabiliter reclamante, tandem præfatus electus poſt deliberationem diutinam, dictæ electioni de ſe factæ ſuum conſenſum adhibuit pariter et aſſenſum. Ad implorandum igitur humiliter veſtrum conſenſum Regium electioni, & electo hujuſmodi gratioſè per vos concedendum, Fratres Robertum Puryton Subpriorem & Richardum Marleberg hordarium, commonachos, & confratres dictæ veſtræ Eccleſiæ Winton. conjunctim & diviſim, conſenſu noſtro unanimi deſtinamus, veſtræ Regiæ celſitudini ſupplicantes humiliter & devotè, quatenus dicto electo

&

& Electioni hujuſmodi ſanctè ritè, & ſolennitèr celebratæ veſtrum Regium conſenſum favorabiliter impertire dignetur veſtræ Regiæ Clementia Majeſtatis; quem in proſperitate continuâ, ad Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, & regnorum veſtrorum tutiſſimum regimen, & munimen, diutiſſimè fœlicitare dignetur filius virginis glorioſæ. In quorum omnium fidem & teſtimonium ſigillum noſtrum commune preſentibus appoſuimus. Datum in domo noſtra Capitulari, quoad conſignationem preſentium, ſub ſigillo noſtro communi decimo ſeptimo die menſis Aprilis. Anno, 1447.

Satis jam conſtare arbitror cuiquàm, modò pertinaciter incredulus non fuerit, quemadmodum legitimo ſuffragiorum jure, & non imperioſis (ut vocant) diplomatis (quibus ſacerdotum beneficia conferri aliis ſolent, in diem mortis eorum qui ipſis fruuntur) ad Pontificiam dignitatem aſpiraverit. Cæterùm ut in re ſatis luculentâ verbis etiam utar minimè neceſſariis, illud quoque auctarii vice ſubjungendum curavi, quod in publicis Eccleſiæ Wintonienſis tabulis deſcriptum reperi. Nam peractis comitiis, literas confeſtim Romam ablegant, ipſum Pontificem univerſæ rei, ità uti geſta eſt, certiorem faciunt, & quià virum dignum qui ſecundus à Cardinale numeretur creaverint, Papam deinde demiſſiſſimè obſecrant, ut author foret. *Duar. de benef. lib. 5. cap. 8.* *Ex Arch. Wint.*

Sanctiſſimo ac beatiſſimo in Chriſto patri, ac Domino, Domino Nicholao *divinâ providentiâ ſacro ſanctæ Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici, Frater* Willielmus Aulton *Prior Eccleſiæ Cathedralis ſancti* Suithini Winton. *& ejuſdem Eccleſiæ capitulum & conventus Ordinis Sancti Benedicti, ſui humiles ac devoti oratores, obedientiam & omnimodas reverentias & ſubjectiones ad devotiſſima pedum oſcula beatorum. Sacris Canonibus &c.* & interjectis nonnullis. *Statim, ſubitò, & repentè ſpiritus ſancti gratiâ (ut fortitèr credimus) imſpirante, nulloque noſtrum penitus diſcrepante vota noſtra direximus in venerabilem virum magiſtrum* Willielmum Wainflete *ſacræ Theologiæ Bacchalaureum ſereniſſimi in Chriſto principis* Henrici *dei gratiâ Regis Angliæ & Franciæ, Conſiliarium, ac Prepoſitum Collegii Regalis beatæ Mariæ de Etonâ (virum utique providum ac diſcretum, literarum ſcientiâ, vitâ, & moribus meritò commendandum, in ordine ſacerdotali & atate legitimâ conſtitutum liberum ac legitimum, nec non de legitimo matrimonio procreatum, in ſpiritualibus & temporalibus plurimùm circumſpectum, aliis virtutibus inſignitum valentem & ſcientem jura dictæ Eccleſiæ noſtræ defendere & tueri) & eum quaſi una voce & uno ſpiritu noſtrum & Eccleſiæ noſtræ epiſcopum elegimus & paſtorem. Eapropter beatiſſime pater, ſanctitati veſtræ tàm devotè quàm humilitèr voto unanimi ſupplicamus, quatenus electionem eandem ſic ſanctè, ſolenniter, concorditèr & canonicè celebratam dignetur veſtra ſanctitas confirmare, ac eidem electo Magiſtro munus conſecrationis favorabiliter impertire; ut deo authore nobis & dictæ Eccleſiæ velut paſtor idoneus præeſſe valeat utilitèr & prodeſſe; noſque & alii ipſius ſubditi oò illius regimen poſſimus cum deo ſalubritèr militare. In quorum omnium &c. Datum in domo noſtra Capitulari &c.* *Diſtinct. 61. cap. Statuimus.*

Cæterùm Pontifex ubi rem omnem per nuncios intellexiſſet ſimul ſtudio principem optimum demerendi, qui Amedeum Allobrogum ducem huic Nicholao diu adverſantem depoſita ſimultate conciliaſſet, ſimul quia quod factum eſt infectum reddi non poteſt, ne quidvis impunè ſibi licere non putaret dum pro arbitratu ſuo cuncta diſpenſare ac diſtribuere ſoleat, in hæc verba reſcribit. *Fabianus.*

Ex Arch. Dominat. Reginald. Cant.

referibit. *Nos decernentes per præfatæ Sedis providentiam utilem & idoneam præſidere perſonam proviſione, &c. ſexto Id. Maij. Pontificatus primo:* Sed quid ſibi vult (inquis) hoc *proviſionis* verbum? Nonne & poteſtatem ſibi vendicat præter meram conſecrationem ſcilicet aliquid indulgendi? Ergone quoties *providentiæ aut proviſionis* injecta eſt mentio, tantam largiendi licentiam comminiſci opus eſt? Sane *Gulielmum Aultonum* eadem voce uſum fuiſſe, qui nec auſus nec potuit tam immenſam ſibi authoritatem unquam arrogare, non ſemel obſervavi; Ego inquit (nam obſignatis tabulis agendum eſt) *Willielmum Waynflete* in epiſcopum & paſtorem hujus Eccleſiæ eligo, (parum fortaſſis illud eſt) ac huic Eccleſiæ *provideo* de eodem. Neque id alio fuiſſe conſilio factum videtur, niſi ut authoritatem quam jure ſuo epiſcopi obtinebant maximam, perinde ac ſi à ſede *Romana* primum effluxiſſet, illi acceptam denuo referrent. Quippe ex quo rerum Eccleſiaſticarum ſumma poteſtas penes Archipreſules *Cantuarienſes* in Angliâ fuit, eos nimirum ut ſuos legatos nominabant *Romani* Pontifices; eo nimirum conſilio, ut quæcunque in adminiſtratione ſuâ alii geſſiſſent, univerſalem illam authoritatem illis ſemper acceptam ferrent. Sed ut è diverticulo in viam iterum redeamus: *Fundator* ubi per ſuffragia cleri renunciatus eſſet *Epiſcopus*, regiâque voluntate confirmatus, dein coram illuſtri Archiepiſcopo *Johanne Staffordio* in ædibus *Lamebithanis* ſacramento fidem obligaſſet, decimo quinto Kalendas Julias, jubente eodem Archiepiſcopo, ſpiritualitatis (ut loquuntur) jura liberant, & onus adminiſtrandæ tutelæ deponunt *Richardus Epiſcopus Reffenſis*, *Thomas Johanneſque Langthorn* utriuſque juris conſultiſſimi Bacchalaurei. Tertiò deindè Kalendas Auguſti, ſacris cæremoniis de more inauguratus, fauſtis omnium acclamationibus Epiſcopus Wintonienſis eſt ſalutatus. Et peracta ſic eſt (ut videtis) totius dramatis fabula. Fuere tamen (ut ego aliquando accepi) qui narraciunculam (haud pol illepidam) à communi tamen judicio valde differentem, nobis excogitarunt, quam ego in ipſorum gratiam nunc ſubjiciam. Ferunt accitum ab *Henrico* ſexto *Gulielmum*, tunc fortè ubi collegii Etonenſis præfecturam gerebat, atque iſtis verbis compellatum Magiſter (inquit) *Gulielme* (ſic ſæpe & perfamiliariter princeps ſolebat ipſum alloqui) ſi beneficium aliquod ex benignitate mea obtineris, potin'es ipſum retinere? annuenti *Gulielmo* ſe poſſe & quando ita juberet rex, facturum ſedulò, proin refert princeps, volo jubeoque te eſſe Wintonienſis Eccleſiæ præſulem. Recenſere in hoc loco neceſſe non habeo, quos ille ſumptus & quam grandes faciebat, dum univerſam Archiepiſcopi familiam lautiſſimis epulis excipiebat, *Cappam* (uti vocant) *profeſſionalem* Archiepiſcopo donabat, remunerationis benevolentiæque ergò centum libras eidem dabat, tapeta ſua & veſtes ſolutâ pecuniâ redimebat, magnam quinetiàm pecuniæ vim inter famulos diſtribuebat, quæ tàm copioſa largitas ab aliis ægrè fortaſſis expreſſa, ab illo lubenter effuſa prolixam imprimis & beneficam naturam ſatis declarat. Sed iſtam rei familiaris jacturam reſarcire poſſe viſa eſt ampliſſimorum proventuum ſpes, quos ab uberrimo Præſulatu ſtatim colligebat, in eminentiori ſolio ſederint alii, ſe tamen in pinguiori collocatum probè meminerat. Nam ſi nunc dierum detritis (proh dolor) bonorum præſulum facultatibus, propter nimias potentiorum ſordes, ſpecies tamen antiquæ dignitatis non planè imminuitur: Quem olim

Ex Arch. Wint.

In præreg. ſedis Cant. Parker.

Ex Arch. Reltonian. Parker in vit. Henri. Decan. Ex Archiv. Domini. Redman.

Ex Arch. Eton.

In Alls. Regiſt. Cappi ſic dicta quod totum hominem capit. Lindwod de Eccle. ædifican. &c. cap. 2. Parker in vit. Parkami.

olim ſplendorem tum fuiſſe arbitremur, ubi eo fortunæ ſtatu uſi ſunt, qui vel hominum opinione fingi potuit maximus? Multa ſunt hujus Eccleſiæ & peregregia ornamenta quæ cum ſuſceptâ novâ dignitate ſimul advenerunt. Nam & nobiliſſimæ Equitum *Georgianorum* ſocietati à ſacris eſt, & Cancellarii munere apud primatem ſuum defungitur: quâ ratione interdum *Angliæ* reges ab epiſcopis *Wintonienſibus* utpote *Cantuarienſium* vicariis ungi & ſacrari non dedignantur. Igitur ille ubi opulentiſſimum pontificatum non fœde (quod plerunque ſolet) per ſummum dedecus mundinatum, neque citrâ principis aut cleri voluntatem adeptus, Quid deindè tantâ *Cathedrâ* tantaque amplitudine dignum geſſerit aut quomodo tanti nominis menſuram impleverit, id nunc potiſſimùm conſcribendum ſuſcepi. Fatalis enim invidia eſt quæ bonis inceptis ſemper obſtat, prohibetque videlicet, ne quantum homini datum eſt noſtra provehantur. Inſeuit animis hominum hoc ſemen noverca aliqua natura, ut dum privatam vitam agimus magiſtratu non indigni videamur, at pauci ſunt qui utriuſque vitæ perſonam ſic cum dignitate poſſunt ſuſtinere, ut non ſit longè deterior eorum conditio poſtquàm dignitatibus aucti fuerint. Adeò eſt illud poëtæ verum.

Parker pag 24.

Parker.

Auſonius.

Spem fruſtrate ſenex, privatus ſceptra mereri
Viſus es, imperio proditus inferior.

ENim vero noſter harum rerum minimè imperitus, anixiùs agebat quo beneficii genere non ſolum præſentis ævi mortales, ſed longo poſt tempore naſcituros ſibi devinciret. Nam et novis acceptis honoribus parem ſe exhibere volebat, & magno Reipub. cum bono natum ſe demonſtrare id vero vehementer diſcupiebat. Itaque dum ingens bene-merendi ambitio animum illius occupabat, opus ſanè ſæculorum omnium prædicatione dignum inchoauit. Et quod fœlix fauſtumque bonis literis & pietati ſit, *Aulam beatæ Magdalenæ* conſecravit. Inceptum (ne quid parcius dicam) verè heroicum. Fides numinum! namque altero à conſecrationis ipſius anno tam grande negotium parturire, quod ſine maximis prudentiæ fortunæque ſubſidiis aggreſſus operam omnem eluderet, & maturitate tam feſtinatâ contendere quaſi ſerius quam par erat ad rem adeò præclaram animum adjeciſſet, incredibile in bonis literis promovendis, deſiderium apertè profitetur. *Neratius Priſcus* inter Juris conditores author non ignobilis, è tribus conſtare collegium affirmat; quam ſententiam *Marcellus* quoque ſecutus eſt: *noſter* verò ſodalitium hoc ſuum numero quinquagenario definivit. Cæterum ne quid, ſub ſacri conventus prætextu, adverſus leges molitus videretur quinto nonas Maji illis coëundi jus ab *Henrico Rege* impetravit. Simulque inſignem illâ tempeſtate virum, *Johannem Hornley* Sacræ Theologiæ Bacchalaureum *Præſidem*, artium magiſtros tredecem, ſeptemque Bacchalaureos (quibus bonus ille ſenex cum imperio præeſſet) collegas admiſit: reliqua ſtudioſorum multitudo ex minorum gentium ſcholaribus conflata eſt. *Johanes Godmanſtonus* ex eâ nobilium notâ, qui Armigeri appellantur, bonarum artium ſummus admirator, *Fundatorem* ſponte ſuâ ſatis incitatum, benignè etiam inſtigavit. Et ne in alieno ſolo temere ædificaret, fundum pie eſt elargitus. Jamque fervêre opus incipiebat, quum derepente

Ex Regiſt. Collog.

D. de verb. ſignif.

E. Regiſt. Collog.

Charta fundationis.

E Regiſt, Collog.

derepente cauſa belli propè erubeſcenda emicuit, quæ *Wintonienſem* à tam ſancto propoſito parumper avocavit; quippe *Londinum* pariter & bellum, vir ultimæ ſortis *Johannes Cadus* invaſerat; dubium liber an ſervus, ſed qui *Pſeudomortymerus* tamen vocabatur. Ibi Rex ut concitatis rebellibus frænos mature injiceret, ſic quaſi explorabundus, & ut verum dicam, contemtim *Humfredum Staffordium* cum electâ militum manu præmittens ab illo imaginario & ſcænico *Mortymero* in primo ſtatim congreſſu profligatum deſideravit. Inde qui rebellantium fuerit furor: Quæ poſt victoriam inſolentia, vel ex eo intelligi poteſt, quòd ſummo (proh dedecus) Angliæ Quæſtori *Johanni Sayo* cervicem amputarunt, locupletiſſimum quemque maxime proſcripſerunt, optimos ut ſors obtulerat, fœde trucidarunt, nihilque ad extremam crudelitatem reliqui fecerunt. Quocirca cives non tàm ex fiduciâ, ſed quià oppreſſi erant, ut audere aliquid viderentur, improbum perduellem intempeſtâ nocte adoriuntur, pari fortunæ aleâ utrinque ad ſummum mane decertantes; documenta cladis mutuæ, cruenta aliquandiu *Thameſis*, plenæ cædibus viæ, pons cadaveribus intercluſus, flammamque alii fugientes in ſubjectum flumen præcipites dati.

Virgil. Æneid.

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut poſſit lachrymis æquare dolorem?

Adeò eſt illud verum *Cornelii Taciti* in turbis & diſcordiis peſſimo cuique plurimam ineſſe vim, pacem & quietem non niſi conſilio & bonis artibus comparari. Prima redeuntis, atque ut ſic dixerim, repubeſcentis imperii ſpes, *Cantuarienſis & Wintonienſis* fuere, qui novam de perfido latrone victoriam commenti ſunt, *non pugnare*: novum ſane illud ſed ſalutare Reipub: conſilium. Accerſitus quippe à *Cancellaria Wintonienſis* ab ædibus *Halywellenſibus* (in quibus ob metum ſeditioſorum ſeſe continuerat) rogatuſque ſententiam quid in tam præſenti calamitate facto opus eſſet, re diu deliberatâ, utriuſque viſum eſt è re Reipub. futurum, ut, quos armis compeſcere hactenus non valebant, eos tumultu per ſpem impunitatis ſummoverent. A Turre igitur trajecto flumine, *Sudovercam* appellunt, edictoque per præconem promulgato omnibus delictorum gratiam (excepto *Cado*) impertiunt, bonam mentem modo deinceps colerent, & ſereniſſimam majeſtatem comiter obſervarent. Hæc ubi per exercitum diſſeminata ſunt, dici vix poteſt quibus lætitiis perfuſi, & quam immortaliter gaviſi ſeditioſi: neque datâ acceptâque ſalute, ſed incredibili celeritate uſi domum repetiverunt. Quod ſi gubernator præripua laude fertûr qui navem ex hyeme marique ſcopuloſo ſervat: tum quantam ejus viri prudentiam exiſtimari par eſt, qui ex tot tantiſque procellis pluſquam civilibus, Reipub. ceu laceræ ratis membra eripuerit. At *Cadus* jam fractus animo, poſtquam in latibulis ſalutem diu quæſiviſſet, ultimò deprehenſus, animam ſimul cum victoriâ (quam non bene coxerat) evomere eſt coactus. hic eſt ille fraterculus Gygantis, terræ filius.

Cujus ſupplico non debuit una parari
Simia, nec ſerpens unus non culeus unus.

Cæterum

Cæterum Rex ut omnes flammæ tàm exitialis reſtingueret reliquias, non ita multò poſt *Cantuariam* profectus eſt. Ubi illum pro eo ac decuit obſequio acceperunt illuſtriſſimi Antiſtites *Cantuarienſis & Wintonienſis noſter*, convocatiſque in *Capellam Domini Prioris* conſiliariis, (aderant autem *Johannes Staffordus* Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, *Johannes Kempius Archiepiſcopus Eboracenſis*, *Wintonienſis* noſter, Epiſcopus *Elyenſis*, dux *Somerſetenſis*, *Salopiæ Comes*, Comes *Wiltoniæ* & *Prior Sancti Johannis Baptiſtæ London:* quid de facibus & furiis Reipub. teterrimis ſtatuendum foret, in commune conſulebatur. Poſt benè longum deliberandi ſpacium, vicit tandem eorum ſententia quibus æquitatis quam juſtitiæ potior fuit ratio. Itaque ſublatis è medio perniciosiſſimis ſeditionum patronis, innocentia ubique tuta & incolumis evaſit. Vix dum reſpiraverat Inſula, quum ſtatim *Richardus Eboraci* dux homo potens & factioſus, quique Regem ipſum cognatione proxime attingebat, opprimendæ Reipub. conſilium cepit. Bonus *Gloceſtriæ* princeps *Humfredus* iniquiſſimæ damnationis ruinâ proſtratus ad ſuperos abiit, infeſtus ſubditis *Somerſetenſis* propter amiſſam *Normanniam*, exhauſta bellis *Gallicanis* militum virtus, in *Anglia* exercitus nullus, Ipſi imperium conſequendi ſpes magna, tutæ tranquillæque res omnes, ſed ea prorſus peropportuna *Eboracenſi*. Igitur cum amicis re communicatâ copias conſcribit. Quod ubi *Henrico* nunciatum eſt venienti morbo occurrendum putans, *Blachethi* caſtra metatus eſt, indeque ad *Eboracenſem* legatos miſit (non quales olim populus Ro: in Bythiniam, de quibus Cato Cenſorius dicere ſolebat, illos nec pedes nec caput nec cor habere) ſed eximiæ ſpectatæque prudentiæ præſules duos *Wintonienſem* noſtrum atque Elyenſem, penes quos cauſam tanti motus intelligendi deque pacis conditionibus tranſigendi ſumma authoritàs fuit. Qui poſtquam in conſpectum Ducis prodiiſſent, hujuſmodi orationem habuiſſe dicuntur.

Io. Vton de obit. & memorand. Eccle. Cant.

Annales Ang.

Quo te nomine inſigniamus (*Richarde?*) principemne hodie alloquamur an proditorem, tute ipſe ambiguum nobis reliquiſti. Nam principis dignitate perinde ac titulo alienum eum judicamus qui patriæ ſtatum vel mediocriter labefactavit: Et cognomentum proditoris ab antiquiſſimis Regibus originem repetenti tibi indecorum non negabis. In tuâ manu poſitum vides, quid nunc ſis aut velis eſſe. Quamquam opinione noſtra quid velis eſſe, ubi inſtructam aciem, infeſtaque ſigna conſpicimus, haud ampliùs incertum ſit. Huc nimirum te adegit impotens dominandi libido, & quam errore animi finxiſti, principatus ſpes. Sed per vim quidem patriam adminiſtrare, quanquam & poſſis, & facinoroſos coerceas, præterquam in deum impium eſt, etiam eſt importunum: quum præſertim omnes rerum mutationes parricidia, direptiones & injurias ſecum adferunt; Fruſtra autem contendere, neque aliud tumultuando niſi apud bonos & cordatos cives opprobrium quærere, hominis eſt tum opibus tum ingenio intemperanter abutentis. Quare ſi vel ullus dignitatis aut ſalutis tuæ apud te ſit locus, quod fieri tandem neceſſe eſt, lubens facito: Exue quamprimùm arma, dimitte exercitum, recipe te in clientelam non minùs metuendi, quàm amati Regis, ipſum (& authoribus nobis) æquiſſimum habiture tuarum litium judicem, aut ſi mavis arbitrum. Quæ ubi accepiſſet Eboracenſis, ſubitône dicam Regis adventu & certaminis periculo perculſus, an expectione lætioris fortunæ paulum recreatus ita fertur reſpondiſſe.

Deum

Deum hominesque testamur (*Reverendi patres*) nos contra Rempub: aut sacratissimam domini Regis personam, nihil hostile machinatos fuisse, neque quo periculum cuiquam bono crearemus propterea copias eduxisse. Sed uti è sanctioribus Regis consiliis improbos quosdam nobilitatis carnifices, reique Ecclesiasticæ sacrilegos prædones summoveremus, quorum violentia & crudelitate miseri egentesque diu vexati fuimus. Horum flagitiorum caput & *Annales Ang.* authorem *Edmundum Ducem Somersetensem* omnes poscimus, quem si in carcerem tantisper conjectum viderimus, donec illum in publicis Angliæ Comitiis propositis criminationibus reum peregerimus, ut debitum supplicium proditor nefarius persoluat, reprimam me illicò, & ab armis discedam. Vos interea obtestamur (Legati) consulatis miseris subditis, Regique (à quo nemo unquam frustrà auxilium petiverit) nostris omnium nominibus supplicare velitis, ne eam nobis necessitatem imponat, ut rebus turbatis alacres, & per incerta tutissimi, miserias nostras cruore vindicantes, confossi inter præliandum occumbamus.

His ità expositis Regem continuò totius negotii certiorem *legati* faciunt, qui ubi præter æquum & bonum nihil postulari audiverat, *Somersetensem* captivum esse jubet, mox *Eboracensem* deditium clementer accepit: qui non *Hall.* ita multò post, apud Regem in *Æde Paulina*, una cum nobilissimis consiliariis, adstante *Wintonienſi* (utpote totius negotii bene conscio) jurisjurandi religione devinctus, professus est clientuli in fide & obsequio, se deinceps permansurum. Atque ita sopita est civilis discordia quæ longiùs procul dubio processisset, nisi fide & consilio *Wintonienſis* nostri commodè fuisset interrupta. *Hall.* Per istas ab intestinis conjurationibus inducias, nascitur *Edovardus Walliæ princeps*, quem peperit *Henrico Margareta Andium Ducis* filia; cum sacris lotionibus intinxit *Wintonienſis* noster, interque ipsas confirmationis ceremonias (quod *Ex Mon.* munus obibat *Archipræsul Cantuarienſis*) infantuli nomine fidejussorem sese exhibuit iterum *Wintonienſis*. Sed ille de improviso quasi terris subductus, tristissimum sui desiderium *Angliæ* reliquit, de quo *Maronianum* illud affirmari verè potest.

Ostendent terris hunc tantum fata, nec ultrà
Esse sinent.——

Eripit se subitò, aufertque ex oculis præclara virtus, & invidia certè est aliqua, quæ spes maximas semper depascitur; vix dum enim annum suprà decimum octavum impleverat, quum miserrimâ lanienâ *Tewsburiæ* occiditur, & incredibili dolore simul & orbitate *Wintonienſem* afflixit.

Quis tibi chare pater cernenti talia sensus,
Quosque dabas gemitus?——

Hactenus, quæ levi brachio pertransivimus, luculentum de *Fundatoris* nostri virtute & sanctitate specimen præ se ferunt: integritatem nunc & sapientiam videamus: quas *Henricus* (certè eximius ille Regum) adeò est admiratus, ut administrationem duorum Collegiorum, quæ amplissimis reditibus nu- *Ex Arch. Eton.* per dotaverat, bonis etiam legibus & institutis cupiens exornare, *Wintonienſi* nostro, unà cum *Johanne Episcopo Lincolnienſi* commiserit. Quos ille duos ut *D. de origine* olim populus *Rom:* decemviros constituit, non solum ut jura conderent verùm *Jur.* etiam corrigerent si opus esset, & interpretarentur, neque provocatio ab eis sicut

ſicut à reliquis magiſtratibus fieret: Qui ubi animadverterunt deeſſe aliquid primis legibus, pro re natâ alias ad eaſdem, tabulas adjecerunt. Hæc ſumma poteſtas diplomate Regio facta illis eſt, 3. Iduum *Juliarum*, Regnique 33. in hæc verba. *Ex Arch. Eton.*

Henricus Dei gratiâ Rex Angliæ & Franciæ, & Dominus Hiberniæ omnibus ad quos preſentes litteræ pervenerint, Salutem. Sciatis quod nos intendentes, qualiter ad intentionem noſtram perimplendam, de & in fundationibus Collegiorum noſtrorum Regalium beatæ Mariæ, & Sancti Nicholai de Cantabrigiâ, & Beatæ Mariæ de Eton juxta Windeſoram, plura bona & notabilia ſtatuta, & ordinationes pro ſalubri regimine & gubernatione eorundem Collegiorum noſtrorum per nos editæ, condita, ordinata, & ſtabilita exiſtunt, ſicut nobis conſtat. Ac licèt ordinationes ac ſtatuta prædicta in ſeipſis appareant fore pro hujuſmodi regimine & gubernatione eorundem Collegiorum valdè neceſſaria & opportuna: Jam tamen per executionem earundem ordinationum & ſtatutorum videtur & reperitur, quòd aliqua eorundem reformatione egent, & magis perfecta ad dictam intentionem noſtram perimplendam fieri poſſunt. Ac pro eo quod nos circa tam plura & grandia alia neceſſaria, regimen & gubernationem Regni noſtri Angliæ concernentia tàm ſollicitè occupati ſumus, quod circa reformationes defectuum ubi oportebit in ordinationibus & ſtatutis prædictis contentorum, ut ſupra dictum eſt, ad intentionem noſtram perimplendam continuè attendere non poſſumus; Nos de gratiâ noſtrâ ſpeciali commiſimus & tenore preſentium committimus Reverendis nobis in Chriſto patribus Willielmo Winton. & Johanni Lincoln: Epiſcopis poteſtatem & authoritatem noſtra in hac parte, ut ipſi per adviſamentum & conſilium præpoſitorum Collegiorum noſtrorum prædictorum, ubi eis videbitur neceſſarium fore, ſeu quomodolibet opportunum, dicta ordinationes & ſtatuta, durante vitâ noſtrâ in hâc parte declarent, corrigant, & reforment ad honorem dei & glorioſiſſimæ virginis Mariæ matris ſuæ, & ad commodum & perpetuum ſtabilimentum Collegiorum noſtrorum prædictorum. In cujus rei teſtimonium, has literas noſtras fieri fecimus patentes. Teſte meipſo apud Weſtmonaſterium, duodecimo die Julii. Anno Regni noſtri. 33.

In hoc officio quum ita ſe geſſiſſet Wintonienſis ut omnes fidei prudentiæque numeros præclarè abſoluiſſet, non eò ſolum contentus, ἀνυπαλαγίαν meditatus, beneficum porrò erga *Etonenſe Collegium* ſe oſtendit. *Nam bona ædificiorum pars accrevit* (ſic Lelandus) *ut ego aliquando à fide dignis didici & operâ & impenſis Gulielmi Wenſlucti Epiſcopi Ventæ Simenorum, favebat quippe is impenſius operi ab Henrico incepto.* Et ne quis temerè *Lelandum* vanitatis inſimulet, quaſi famæ tanti viri & non veritati inſerviviſſet, ſubjungam hujus rei clariſſimum argumentum. A *Gulielmo Orgardio* lathomo principali ſtipulatus eſt *Wintonienſis* eam ſaxorum molem è lapicidinâ *Hedingtonenſi* ſibi effoſſam, quanta ſatis eſſe poſſit, dari (intra definitum aliquod tempus) ad *ſui, Etonenſiſque* Collegii exædificationem. Quo quidem facto quum inſignes ab omnibus *Etonæ* alumnis gratias promeritus fuerit, tùm virtutis hujus (ut ego conjicio) benevolentiæque ergo (quam is erga *Etonenſes* incredibilem ſemper habuit,) quotannis ſupplicatio pro eò decreta eſt. Sic enim ſtatuta jubent. Ut, *Singulis annis infrà duodecim dies, feſtum natalis domini proximè præcedentes,* *Leland. in Comm. ut. Cyg. Cant.* *E Statut. Eton.*

præcedentes, ubi congruentius fieri poterit, pro animâ Reverendi in Chriſto patris Willielmi Winton. Epiſcopi, nuper Præpoſiti noſtri Regalis Collegii, quum ab hac luce migraverit, animabuſque omnium benefactorum ejuſdem Regalis Collegii ſolemnes exequiæ cum commendationibus atque miſſâ in craſtino, celebrentur. Quiſquamnè hominum eſt qui tantis præconiis & honoribus quibus Rex Wintonienſem affecerat, poſſe addi aliquid putet? Meâ quidem ſententiâ, ità prioribus certant proxima, ita nova ſemper effloreſcunt, ut vel principis gratia, vel fides præſulis, inter ſcribendum mihi videantur creſcere. Religio teſtamenti condendi habita eſt ſemper antiquiſſima, neque ſupremam voluntatis noſtræ ſententiam niſi optimo cuique atque integerrimo concreditam volumus. Rex vero cum neminem haberet, quem aut ipſe plus diligeret, aut cui plus fideret, ultimæ voluntatis ſuæ executioni (negotio inter homines longè ſanctiſſimo) Wintonienſem deputavit, hæredemque fidei commiſſarium in tabulis ſcripſit.

Ex Arch. Eton.

IN the name of the bleſſed Trinitie Fader Sonne and holy Ghoſt, of our Lady Saint Mary moder of Chriſt, and all the holy company of heaven. I Henry by the grace of God King of England and of Fraunce, and Lord of Ireland after the conqueſt of England, the ſixt, for divers great and notable cauſes moving me at the making of theſe preſents, haue doo my will and myne entent to be written in manner that followeth. Foraſmuch as I haue enfeffed before this time John Cardinall and Arch-Biſhop of Yorke. John Archbiſhop of Canterburie. Robert Biſhop of London. William Biſhop of Lincolne. William Biſhop of Salisburie. Thomas Biſhop of Bath and Welles. John Tarpenter elyte of the Chirch of Worceſter, now Biſhop of the ſame. Adam Moleynes Clerke now Biſhop of Chicheſter. Walter Lyhert Clerke nowe Biſhop of Norwich. John Langton Clerke late Biſhop of Saint Dauids, and now to God paſſed. John Delabar clerke now B. of S. Dauids William Erle of Suffolke, now Marques of Suffolke. Henrie Erle of Northumberland. John Viſcount Beumont. Walter L. of Hungerford. Rafe Lord of Cromwell. Rafe Lord of Sendly. John Beuchamp Knight now Lord Beuchamp of Powike. and James Ferris ſquire, now Lord of Saye. John Somerſet. Henry Sever. Richard Andrewe. Walter Shirington Clerkes. Edmund Hungerford and Edward Hall Knights. John Saintlo nowe to God paſſed. John Hampton. John Norris. William Trecham. John Vampage. and Richard Andred nowe to God paſſed, ſquiers: In divers Caſtelles, Lordſhippes, Mannours, Lands, Tenements, Rentes, Services,

Services, and other possessions, Parcell of the dutchie of Lancaster within England and Wales, as it is more especialle and at large conteined and writen in divers letters patents thereof made, of which letters, the first beareth date the last day saue one of November the yeare of my reigne xxii. The second beareth date the seaventh day of Julie the same yeare. The third bareth date the xxiii day of Feverer the yeare of my raigne the xxiii. The fourth beareth date the xxix of June the same yeare. Which Castels Lordshippes, Mannours, Lands, Tenements, Rents, services and other possessions bene of the yearly valew of 3395. lib. xi. s. viii. d. When they be discharged of the fees and annuities with which they be now charged. Which letters patents and all things contained in them, by the authority of my Parlament last holden at Westminster, as by an act of the same Parlament it plainly appeareth, were authorised, approved, ratified and confirmed for to performe and fulfill my will of and uppon the disposition of the seyd castels, Lordships, mannours, lands, tenements, rents services and other possessions by me to be made and ordained and to my seid feffees on my behalfe, for to be declared and notified I by these my present letters declare and notifie vnto my seyd feffees according vnto the seyd Act, that in these my letters is conteined my seyd will, which I desire to be done and performed by my seid feffees of the castels &c. aboue seide.

Memorandum that the King his pleasure is that these castels &c. shall remaine in the feffees hands vntill the time that all his will in every point be entirely executed, and that afterwards they remaine to his heyres and successors, Kings of England. But if it fortune that before his will take effect, they die all saue three, two, or one: then these three, two, or one, must enfeffe foure tenne in all those castels &c. videlicet William B. of Winchester. Reinald B. of S. Asaph Thomas Erle of Devonshire, Richard Erle of Sarum. Henrie Erle of Northumberland, John Erle of Shrewsburie. Thomas LORD Clifford. Lyonell Lord of Welles. Master John Chadworthy Provost of my Colledge of Cambridge. William Westburie Provost of my seyd Colledge of Eton. Master William Say. Master Andrew Hulles. Sir Robert Rosse Knight. and Sir Thomas Standley Knight. And if it so fall that these foure tenne persons which the seyd three, two, or one should so enfeffe at that

time as such enfeffement should be made, be al ded: then these thræ, two, or one, must enfeffe fouretæne other spirituall and tempozall of good fame, faith and credence. Pzovided alwaies that if any of the first fouretæne be on liue, he would haue them all put in the feffement befoze any person of the same state or degræ. Furthermoze foz the finall perfozming of my seid will, to be put effectually in execution, I considering the great discretion of the said wozshipfull fader in God William now B. of Winchester his high truth and feruent zeal, which at all times he hath had and hath vnto my wele, and which I haue found and proved in him, and foz the great and hoale confidence which I haue in him foz thoo causes, wol that he not onely as surveiour, but also as executoz and directoz, of my seid will, be pzeby vnto al and every execution of the perfozming of my seid will, and that his consent in any wise be had thereto. And if any execution of the perfozming of my seid will, oz if any part thereof be doo in any wise contrary to the tenour and effect hereof, I will that it stand voide and foz ever bæ had foz none. And if it befall that there be any divers opinions, variance oz discozd betæne my seid feffæs and mine executozs, in oz foz any execution of the perfozming of my seide will oz of any parte thereof. I give then and grant vnto the seid B. of Winchester by these pzesents, plaine power and authozity, And finally I will that hæ as vmpier in that behalfe haue at all times power and authozity foz to call and take vnto him such discrete persons of my seide feffæs as vnto him foz the accomplishment of my seid will, shall sæm best disposed, and he after their advice herd, doo make the finall conclusion in that party. And I will that the power, state, title, and interest of that person, and of thoo persons of my seid feffæs in home the cause of such variance and discozd by the seid B. of Winchester and thoo other of my same feffæs shall be found, cease and be void al wel in all things touching my seide feffement, as in all things touching my seid will. And if so be that the seid B. of Winchester passe unto God out of this moztall life I being on liue, then I will that this authozity and power by me vnto him in the fozme above seide yeven and granted, returne againe wholy vnto me and abide in mine own disposition. And in case that I be called out of this moztall life, the seide B. of Winchester me over living, I will then that at such time as God shall giue vnto him knowledge by likely-hood of his

bzieke.

bꝛiefe paſſage out of this woꝛld, my ſeid will at that time not fullie accoumplished, he remember him of the moſt diſcrete faithfull and true perſon a Lord ſpiritual oꝛ tempoꝛall, which the ſaid B. of Winchester by very experience had, the meane time ſhall finde and pꝛoone foꝛ to be beſt and moſt godly diſpoſed, and moſt feruent in zeale to the perfoꝛming of my ſeid will; and as well vnto the ſame Lord without inoꝛdinate affection oꝛ acception of perſon, as he ſhal in bꝛiefe ſtreitly anſwere herein befoꝛe the tribunall ſeate of Chꝛiſt our alder Sauiour and terrible judge, as vnto the Pꝛouoſts of both my ſeyd Colledges foꝛ the time being, commit hooly vnder his letter and ſeale the ſeyd power and authoꝛity which hæ hath in the foꝛme abouesaid of my gift and grant made vnto him in this behalfe. And if it ſo be that the ſeyd Lord, vnto whom the ſeyd power and authoꝛity, in the foꝛme abouesaid by the ſeyd B. of Winchester be committed, be not pꝛofittable vnto the perfoꝛming of the ſeyd wil. I will that the Pꝛouoſts of my Colledges diſcharge him of the authoꝛity. And that then they commit by their letters and ſeales full power vnto another Lord, and ſo from time to time vntill the will hæ entirely accompliſhed.

Hujus teſtamenti videndi, excribendique facta eſt mihi copia *Henrici Savilli* viri clariſſimi operâ, qui dum bonos conatus promovet, etiam ad hæc uſque officia ſe demittit. Quarè ubi tot exploratæ & perſpectæ fidei documenta Rex jam haberet, ad ſupremam *Angliæ Cancellariatus* dignitatem ipſum evexit: & ducentarum librarum in ſingulos annos ſalario donatum, aſſiduum deinde in aulâ regiâ eſſe juſſit. Qui magiſtratus ut inter togatos præcipuus eſt & a Rege ſecundus, ità ſummam rerum omnium poteſtatem ad ſe trahit. Jam errantibus veniam, miſeris ſubſidium, oppreſſis patrocinium, ſupplicibus aram, præſtare ſolet; & æquitatis paritèr ac juſticiæ ſuaviſſimâ temperaturâ illuſtris apud Anglos ſemper effulſit; denique hic eſt. *E Pelle exitus.*

——*Qui regni leges cancellat iniquas*
Et mandata pii principis æqua facit.

Ut non inſcitè dixit *Johannes Sarisburienſis.* Seriùs opinione vulgi hanc auguſtam Cancellarii purpuram *Wintonienſis* induit; qui ne quem locum aut tempus in illo ornando prætermittant, ſimul cum epiſcopatu, hâc quoque inſigni dignitate ampliſicatum arbitrantur. Sed ego ſynceris Chartophylacii tabulis, quæ in turre Londinenſi cuſtodiuntur, fidem potius meam adſtringo, quam plebeculæ rumuſculis. Tuæ ſingulari humanitati acceptum fero (*Franciſce Thynne* antiquariorum ſplendor maxime) qui iſtas errorum nebulas primus diſpuliſti.

In turri London. vocat. Chauncery 35. E. 6. dorso rot. membran. 10.

'Memorandum quod undecimo die Octobris anno præsenti, venerabilis pa-
'ter Tho. Archiepiscopus Cantuarien sis &c. & Cancellarius Angliæ, in præ-
'sentiâ venerabilium patrum Tho. Episcopi London. Johannis Episcopi Lin-
'coln. Tho. Episcopi Vigorn. & Reginaldi Episcopi Covent: & Lichfeldiæ:
'nec non honorabilium Dominorum Richardi Ducis Eboracensis: Humfre-
'di Ducis Buckyngham iæ: Henrici Ducis Somersetensis: Jacobi Comitis
'Wilton: & Johannis Com: Salopiæ, Thesaurarii Angliæ, ac aliorum quam-
'plurimorum Dominorum spiritualium & temporalium, exhibuit Domino
'Regi in Camerâ suâ infrà Prioratum de Coventrye, tria sigilla sua regia in
'tribus bagis de corio, sub sigillo prædicti Cancellarii sigillatis inclusa; viz.
'Magnum sigillum aureum, ac aliud sigillum argenteum de magnâ formâ, &
'tertium sigillum argenteum de minori forma, quas quidem bagas prædict-
'us Cancellarius ad tunc, ibidem aperiri fecit & singula omnia sigilla præ-
'dicta, manibus suis propriis præfato domino Regi in præsentiâ dominorum
'prædictorum liberavit. Ac idem dominus Rex receptis per ipsum de præ-
'dicto Cancellario sigillis prædictis præfatum Archiepiscopum de officio
'Cancellarii & sigillis prædictis penitùs exoneravit, Et eadem sigilla venera-
'bili patri Willielmo Episcopo Winton. ad tunc Cancellario Angliæ, per
'præfatum dominum Regem ordinato, & constituto, ad eadem sigilla salvò
'& securè custodiendum, occupandum, & exercendum, nec non ad brevia
'& literas prædicti domini Regis patentes cum sigillis illis quotiens opus fu-
'erit & necesse pro commodo & utilitate ejusdem domini Regis & Regni do-
'minorum & populi suorum sigillandum & sigillari faciendum liberavit, præ-
'dictusque Episcopus Winton, præstito per ipsum in præsentiâ domini Regis
'& dominorum prædictorum priùs sacramento, in formâ consueta, de offi-
'cio illo benè & fidelitèr faciendo & exercendo, prædicta sigilla à præfato do-
'mino Rege recepit, ac quasdam literas patentes de perdonatione præfato
'Archiepiscopo, prædicto undecimo die Octobris confectas, sigillo argenteo
'de magna forma sigillari, & deindè omnia & singula sigilla prædicta in bagis
'prædictis reponi, & bagas illas signeto suo per Johannem Bale unum Cleri-
'corum Cancellariæ prædicti Domini Regis ad tunc & ibidem sigillari fecit &
'demandavit.

Sub idem tempus, quo ista Coventriæ sic geruntur, Eboracensis unà cum Warvici & Salisburiæ comitibus ad Regem venerant, quibus nisi melius sibi
Hall. profuexissent & clanculum ex aula se subduxissent, ab impendente mortis periculo evadendi spes nulla fuisset. Namque Margareta Regina ipsorum vitæ insidias callidè tetenderat, dum nimiam illorum potentiam suspectam habuerit. Cæterum *Wintonienses* noster dum in hoc honorum cursu ita versaretur ut & princeps optimus consilium & industriam ejus indies collaudaret: incepti tamen operis apud *Oxonienses* memoriam ex animo deleri haud passus est. Itaque longè magnificentius hospitium excipiendis Musis conditurus (regiâ quippè benignitate adjutus) *Aulam Magdalenæ* quàmvis parentem *Collegii* dereliquit, domumque consanguineam ne omnino perisse videretur, in suum quasi corpus iterum transtulit *Tullii Hostilii* prudens in hoc nimirum exemplum imitatus, qui postquam *Albam* esset demolitus, civitate *Romanâ* mox

Albanos

Albanos donavit. In ipſo Oxonii ſuburbano, Eurum verſus Collegium vergit: à quâ regione amne perſpicuo præterfluente alluitur, qui *Cherwellus* dicitur, latus ſeptentrionale arboreto clauditur. Utrinque multæ ambulacrorum & ſeceſſuum amænitates, & in utroque elemento quaſi delicias excogitante natura. Surgit quadrato lapide, viſendum ipſa vel materia vel ſubtili junctura ædificium. Duplici pinnarum ordine adverſus paries decoratur. Frontem Collegii occupat excelſa turris, quæ erudito ſtatuarii opere inciſa, intuentium oculos mire ad ſe trahit, aream interiorem cingunt clauſtra, (ſic hodie appellamus) cocto latere perſtrata, quæ topiarii vel porticus uſum non incommode præſtant, vivis animalium figuris tibicines, occultum neſcio quid & hierogliphicum ſignificantibus exornantur. Antiquiſſimorum codicum ſupellectile inſtruitur bibliotheca. Templum auguſtum & divini numinis religione vere ſuſpiciendum. Aula elegans & ſpatioſa. Collegium qua boream ſpectat ingenti murorum ambitu defenditur, qui niſi horribilis illa disjiciendarum urbium machina ex inferis ad nos prodiiſſet, inſignem Πολιορκητὴν, aut eludere, aut prohibere diù potuiſſent. Bonis ſtudiis in hoc contubernio invigilant *Sodales* quadraginta, *Scholares* triginta, ſacræ theologiæ unus, & philoſophiæ utriuſque prælectores duo, ſcriniorum præfectus qui acta domeſtica excipit, Grammaticæ informatores duo, quatuor præsbyteri capellani *E libro ſtatut.* facellani, clerici octo, pueri ſymphoniaci ſedecim, chori præcentor, famulorum haud exiguus numerus, quos ille omnes bonus paterfamilias ſuis ſumptibus benigne alit. Leges porro ſancivit quibus ſinguli in officio contineantur: ſi quid rectè feciſſent præmium, ſin ſecus pro admiſſi criminis qualitate, pœnas relaturi. Huic à ſe tam prudenter conſtitutæ Reipub. litterariæ præeſſe aliquem voluit, moribus atque uſu rerum gerendarum præſtantem virum qui reliquis cum ſumma authoritate jùs diceret; quippe multò antea futurum præviderat (homo minimè imperitus) fruſtrà aut Collegium conditum, aut compoſitas leges, ſi per incuriam, aut temeritatem noſtram has non obſervaremus. Eſt enim Lyſiæ illud contra Alcibiadem, verum· ἐ ἐξεσαι ὅπ ἄνπς βέλε) πεθῆν, ἀδὲν ὄφελ⊙ νόμες χ⊙ῆζ Idcirco nobis ceu liberis impuberibus, qui propter *Lyſias contra Alcibiadem.* ætatem ſe defendere nequiviſſent, teſtamento ſuo tutorem dedit. Quod officium fide optimâ nunc adminiſtrat clariſ. Præſes *Nicholaus Bondus*, vir (nam ſatis manifeſta ſum dicturus) non authoritate magis quam prudentiâ, & virtute venerabilis. Præteriri in hoc loco abſque ſingulari ingratitudinis infamiâ piam *Henrici ſexti* beneficentiam, non debeo: qui ubi *Wintonienſem* noſtram bonis litteris promovendis intentum viderat, naſcenti *Collegio* ſuppetias tulit: & divi *Johannis* hoſpitium eâ lege *Fundator* conceſſit, ut non deeſſet quâ *Collegium* commodè poneretur, & ſtudioſi cenſibus in pauperum uſus priùs erogatis, ad vitam ſuſtentandam amplitèr uterentur. Bonis deindè auſpiciis ſurgere jam incepit *Collegii* fabrica Anno *Chriſti* domini. 1458. menſiſque *Junii* duodecimo. Quod poſtquam abſolutum foret *B Ε Α Τ Æ MARIÆ MAGDALENÆ* nomine Rex inſigniri juſſit, Titulo (ut verum fatear) ad rem ipſam ſignificandam valde accommodato, neque à facto & laudibus ipſius *Magdalenæ* abludente. Videntur enim (*Nicholai Harpsfeldi* verbis dicam) & *Chriſti* pedes fragranti & pretioſo horum bono- *E Regiſt. Coll. Mag.* *E Regiſtro Coll.* *E Sexcentio Regio.* *Harpsfeld. ſeal. 15.*

rum

rum ejus operum unguento, in pauperrimis *Chriſti* membris delibuti, quum quicquid ob ejus gratiam uni vel ex his minimis tribuitur quaſi ſibi *Chriſtus* erogatum adſcribat. Videtur & capillis terſiſſe pedes *Chriſti* & adhuc tergere, dum externis illis bonis & divitiis, quæ illi, ut capiti capilli, quaſi ex abundanti & ſuperfluo ſupererant, tenuiores fovet. Videor mihi videre (quoties diviniſſimam Fundatoris noſtri benignitatem contemplor) reſpondentem per omnia utriuſque, συμπάθειαν. *Chriſti* genibus pronus uterque advoluitur. *Chriſti* pedes uterque abluit, nec utrique capilli deſunt pro linteis, quibus *Chriſti* pedes tergant. *Chriſtum* uterque lavat, & ab eo viciſſim uterque lavatur. Ità quod de *Mariâ Magdalenâ* non incondite (ut mihi videtur) olim cecinit poëta, id etiam de *Fundatore* noſtro pulcherrimâ *(Hercules)* παρῳδίᾳ queat uſurpari.

Procumbit Chriſti pedibus non lota lavatrix,
Inde lavanda ſuis ſordibus, unde lavat.
Vaſa quidem deſunt, ſed ſunt expreſſa decenter
Crine, ſinu, lachrymis, lintea, pelvis, aqua.
O Chriſti pietas! ô gratia grata, viciſſim
Ambo lavant, Chriſtum fœmina, Chriſtus eam.

Enim verò nihil jam apud eum antiquius fuit, quàm ut opus inchoatum ad exitum perduceret. Hoc unum ſpectabat, huc denique cogitationes ſuas referebat. Quum interim *Reginaldus Pecockius* Epiſcopus *Ciceſtrenſis* propter diſſeminatas in concionibus ſuis hæreſεων occaſiones, de fide *Chriſtiana* parum ſanas opiniones imbibiſſe perhibetur: adductus igitur in judicium, quæſituſque an illarum partium eſſet, quas anteâ propugnaſſet. Intrepidè reſpondet, nullo ſe partium ſtudio abductum (quæ in cauſa religionis vacare periculo non poſſunt) in diverſam ſententiam abiviſſe, rem ipſam modo æquâ lance expenderent, ipſum (ſi veris vinceretur) errores ſuos libenter agniturum. Ibi patres poſt multam diſceptationem *Reginaldum* imminutæ religionis reum faciunt; ultricibus flammis primum libros comburunt: deinde ipſum ad *Divi Pauli* ſententiam abdicare coëgerunt, domique ſuæ cuſtodiæ mancipatum continuerunt. *Wintonienſis* noſter tametſi ſuopte ingenio mitiſſimus, nè quid Reſpub: *Eccleſiaſtica* caperet detrimenti, rem ampliandam minimè exiſtimans, in ferendo calculo *Archiepiſcopum* reliquoſque *præſules* ſecutus eſt. Quod ſi eandem proceres in ſuis itidem diſcordiis ſedandis diligentiam adhibuiſſent, quam Epiſcopi in componendis Eccleſiæ diſſidiis, & ferales illas inimicitias, amica potiùs diſceptatio quàm *Mars* diremiſſet: nunquàm illuxiſſet ille *Angliæ* dies, qui tot calamitatum quaſi myriadas ſecum ad vexit. Aſſidui verò & pervicaſiſſimi hoſtes fuere herilis *Eboracenſis* filius & *Warvicenſis* quibus quum ex parliamenti ſenatuſconſulto perduellionis crimen intentatum, ademptæ poſſeſſiones, irrogata inſuper infamia, bilem commoviſſent: ferro rem ſimul ac famam repetituri *Northamptonum*, quo Rex antè contenderat, collecta militum manu perveniunt. Dein oratores ad Regem *Warvicenſis* nomine ablegati, petunt ſaltem ad colloquium Regis admitti *Warvicenſem*, qui illorum innocentiam exponeret. Negat fas eſſe *Buckingha-*

Bal. in apend. ad vit: Reg. Pecokii.

Bal. an.

Hall.

Stowens.

mius:

mius: Iterum ſupplicatum eſt, ſed fruſtrà. Hac indignitate vehementer permotus *Warvicenſis.* Narra igitur (inquit) *Henrico* (fœcialis,) & confidenter narra, quando æquiſſimas poſtulationes noſtras tam nihil faciat, horam à meridie circiter ſecundam, vel in acie pugnans occumbam, vel ipſum conveniam. Per triduum antequam hæc in caſtris ſic agitabantur, apud Regem fuit Wintonienſis: qui cum videret eos claſſicum canere quos ex officio pacis cultores magis eſſe oportebat, ut ex tam manifeſtis animorum diſiunctionibus concordia amplius ſperari haud potuiſſet, reſignatis honoribus, Cancellariatu ſeſe abdicavit. Unde minuenda mihi eſt *Polydori Virgilii* ſententia, qui fallacibus quantum ego puto, conjecturis fretus, opinionem à veritate alienam promulgare non dubitavit. Is quippe ubi *Fundatoris* noſtri injecta eſt mentio, ſic ſcribit. *Etenim propter juſtitiam prudentiamque diù Angliæ Cancellarius fuit.* At quamdiu? Certe non per decennium: quod tamen temporis intervallum (diu) interpretatur *Ulpianus.* Quinimo nec per trientem decennii. Namque die *Julii* ſeptimo earum moleſtiarum pertæſus, quas *Cancellarii* munus afferre ſolet, ſimulque rerum humanarum ſatur, quicquid ſupererat vitæ, totum Deo conſecravit. Quare actis pro tàm inſigni beneficio ingentibus gratiis, ſigillum in manus *Henrici* principis lubens tradidit. Sic enim habent Archiua turris *Londinenſis. Memorandum quod die Lunæ viz. ſeptimo die menſis Julii circa horam quintam poſt meridiem, Anno regni Regis Henrici ſexti* 18. *venerabilis pater Willielmus Epiſcopus Wixtonienſis tunc Cancellarius Angliæ, deliberavit prefato domino Regi unum magnum ſigillum ſuum argenteum in tentorio ſuo tunc ſituato in quodam campo Hardinſtonfield, juxta Abbathiam de pratis, propè villam Northampton, preſentibus tunc ibidem venerabilibus patribus Johanne Herefordenſi, L. Dunelmenſi cuſtode privati ſigilli Domini Regis, Epiſcopis; Magiſtro Thoma Marninge Secretario Regis, Bartholomeo Hully, & Willielmo Elton Armigeris; Et ſuper Hoc de mandato domini Regis præfatum ſigillum poſitum erat in quadam ciſtâ ſuâ in tentorio prædicto, & claves ejuſdem ciſtæ præfato Regi continuo liberat.* Moxque eodem munere inautoratus eſt *Georgius Nevillus* Exoniæ Epiſcopus, magni illius Warvicenſis frater natu minimus; Triduo interjecto ſecundum *Nynam* flumen commiſſo prælio, poſtquam albeſcere jam dies incipiebat, ad meridiem uſque dubio fortunæ eventu victoria pependit. Tum *Henriciani* paulatim hoſtibus cedere incipiebant, mox in fugam fuſi profligatique civili triumpho *Warvicenſem* decorarunt. Hanc funeſtam bonorum civium ſtragem, vel quia futuram *Wintonienſis* multò anteà prævidebat, vel quia tacitus apud ſe indignam *Eboracenſis* conditionem deplorabat, quem infinitis *impotentiſſimæ mieſculæ* injuriis expoſitum viderat; et propterea neque intereſſe ipſe *Winton.* neque ulla diutius inſignia geſtare ſuſtinebat, quibus pro temporis ratione, etiam ad nobiliſſimum & optimum quemque opprimendum uti cogeretur: Certum illud eſt gravi ſuſpicione apud *Pium ſecundum* pontificem maximum laboraſſe eum, quaſi parum fidelis in obſequio Regis permanſiſſet, aut quaſi medius inter duos fortunam expectaſſet (cujus criminis inſimulatus *Johannes Tiptoftus* Vigorniæ Comes & in publico Nobilium conſeſſu reus peractus, capitis judicium pertulit, ſecuri percuſſus.) Sed hac infamia Rex eum liberavit ſcriptis ad *Papam* litteris in hæc verba.

Ex. Arch. Turris London.

D de fidei commiſſar. libert. l. 16.

E turre Londin. Clauſ. 38. *H.* ſexti *in dorſo membrana.* 5.

Thin. in Catalog. Cancel.

Annales Ang.

Balæus. E libro Jo. Rydl in Coll. Corp. Chriſt. Cantabrig.

Beatiſſime.

Beatiſſime pater humillimâ recommendatione præmiſſâ, cum devotiſſimis pedum oſculis devotorum. Fidelem atque catholicum principem rem dignam peragere credimus quoties præclaros & benemeritos viros veſtræ ſanctiſſimæ paternitati curamus addicere: ut perinde bonis juxta ſua merita condigna virtutum præmia liberalitèr irrogentur, & de eiſdem ſiniſtra ſentiendi, ſi fortè per æmulos & falſo quicquam deferri contigerit, occaſio quælibet amputetur. Hinc eſt beatiſſime pater quod, quum nuperrimis his temporibus, quibus vehementi & civili quadam tempeſtate, regni noſtri publicus ſtatus gravem jacturam ſenſerit, ne pernicibus evolans alis ambigua fama, veris nonunquam falſa permiſcens, unà cum noxiis viris inſontes alios & in nullo demeritos in culpam trahat: Animo nobis eſt, vehementer & cordi, clariſſimo viro fortaſſe per æmulos tracto in infamiam, noſtro teſtimonio quantum in nobis eſt omnem adimere culpam, huic præſertim quem plurimùm carum habemus, Reverendo in Chriſto patri Willielmo VVinton. Epiſcopo: Cujus cum opera & obſequiis, in regnis noſtris gerendis non parum uſi ſumus, in nihilo tamen eum exceſſiſſe teſtamur quò juſtè denigrari poſſit aut debeat tanti fama Prælati, quam hactenus omnium ore conſtat intemeratam extitiſſe. Ea certè putatur in eo vitæ & honeſtiſſimæ converſationis integritas, ut deo placeat, & regni noſtri majores & inferiores ſtatus hominum bonam & ſynceram de eo opinionem ſentiant, in ſanctam Apoſtolicam ſedem devotum ſemper fuiſſe & obedientem filium teſtes ſumus, pro quâ nec unquam inſtare deſtitit, quò minùs omni conatu, honorem, reverentiam & obedientiam, ſacræ Sedi debitas, omnibus terrenis re & verbo anteponeret. Hæc quum ità ſunt beatiſſime pater, rogamus quò valemus devotius ſemper pitiſſimam paternitatem veſtram, ut ad partem poſitis æmulorum commentis, ſi quæ in hujus noſtri & indubitati teſtimonii contrarium referuntur, eum uti fidelem ac devotum filium veſtri ſtatus & noſtri, paciſque zelatorem quem ob ſua merita uti colendum patrem honoramus, & plurimo dignum honore cenſemus, in uberiorem gratiam ſedis Apoſtolicæ, virtutum ſuarum & noſtrarum precum intuitu gratioſè velitis admittere, atque in gerendis ejus negotiis in curam G. V. ſingularitèr habere recommiſſum. Et velit veſtra eadem beatiſſima paternitas fideli noſtro Johanni Laſcy, & præſentium latori de noſtrâ voluntate ſufficienter inſtructo, in his quæ pro parte hujus venerabilis patris dicturi ſunt, indubiam habere fidem. Et almam veſtram perſonam ad gregis Dominici regimen ſalutare, votivâ fœlicitate faciat proſperari Jeſus Chriſtus Ex London. Octavo Novemb. Anno Dominicæ incarnationis, 1460.

E. V. S.

Devotus filius Henricus Rex
Angliæ & Franciæ.

PRorogabitur in omnem æternitatem, ſæcliſque innumerabilibus apud poſteros conſeneſcet indulgentiſſimæ pietatis tuæ erga *Wintonienſem* noſtrum fama (dive *Henrice* princeps clementiſſime), qui virum innocentem de te, deque Repub. tuâ præclarè meritum, crebris ſycophantarum calumniis ceu mucronibus impetitum, tuâ æquitate recreare voluiſti; quod adhuc viget æternumque (ut ſpero) vigebit illius fama, quam nulla unquam violabit malitia, id tuum facilè agnoſcit & poſtremum & maximum beneficium; Namque ab illo témpore converſâ rerum ſcenâ, ſummam poteſtatem *Edoardus* occupavit. Cæterum *Wintonienſis* quamquàm hoc uno malo ſic afflictus videretur, at nulla ampliùs fortuna ipſum poſſet efficere fœlicem: dejecto ſcilicet è ſummo dignitatis ſolio *Henrico*, in quo ſpem unicam ſenectutis ſuæ repoſuerat, cujuſque patrocinio nupèr unus ex omnibus & erat fortunatiſſimus & habebatur: In maximo tamen luctu, ipſum conſolata eſt *Edoardi* clementia (quippè qui tam benignus ac facilis fuit, ut nemo unquam ſenatui populoque *Anglicano* charior contigerit, nec qui perinde omnibus in gratiâ conciliandâ obvius atque expoſitus ferebatur) ſic ut rem ipſam ſi putare volumus, patronum mutaverit verius quàm amiſerit. Scio non deeſſe quamplures, quibus hæc ſententia minus arridet; qui principis ingenium ex inteſtinâ familiarum diſcordiâ metientes, in qua neceſſe erat partes mutuò ſibi eſſe infeſtas, *Edoardum* amicis & factis *Henrici* iniquiſſimum fuiſſe judicarunt: quocirca & *Wintonienſem* noſtrum earum injuriarum illicò aſſinem eſſe volunt, quas fert inimicitia. Enimverò *Johannes Epiſcopus Hereſordius*, quod militum animos oratione ſuâ ad pugnam, contra *Edoardum* in prælio *Northamtonenſi* accenderat, in Caſtellum *Warvicenſe* conjectus eſt: Et *Georgius Nevillus* omnibus fortunis mulctatus, cum libertatis etiam diſpendio, infenſo regi pœnas perſoluit. Denique Comes *Oxonii* nobiliſſimus jam provectæ ætatis ſenex, ultimo ſupplicio affectus eſt. Nam quid *Beumontium*, aut *Cliffordium*, aut alios nonnullos memorem: qui ſerò, ſed non abſque aliquo vitæ ſuæ diſcrimine dicerunt, quanti eſſet in ſcopulum implacati regis impingere? Undè & bonis rationibus adduci mihi videntur, qui tam communem ſortem *Wintonienſi* ſubeundam exiſtimarunt, uni ſcilicèt ex omnibus *Henricianis* amicis, fideliſſimo. Ego ſane *Thomæ Cooperi* memoriam, propter eloquentiam, rerum prudentiam, induſtriamque ſingularem, pro eo ac debeo, unicè colo & revereor: ſed ſi hominem (tametſi inſignem) dixero, hoc eſt quem latere aliquid interdùm potuerat, quique ut plurima ipſe rectè, ità alius viciſſim aliquid non male ſcripſiſſe putaretur, non multum puto ipſius laudibus detractum iri. Verùm ut de re noſtrâ dicam, (quantum ego inter legendum obſervare potuerim) nullibi gentium me reperiſſe memini, unde vel leviſſimam contractæ cum Rege ſimultatis ſuſpicionem poſſunt adſtruere, nedùm ut eo nomine fidei & exiſtimationis ſuæ jacturam cum Rege feciſſe deprædicent. Nam diploma illud, in quo plurima privilegia habentur, antiquitùs Epiſcopis conceſſum, *Wintonienſi* huic noſtro confirmavit. Id, quo illuſtrior fides fiat, ſubjiciam.

Tho. Morus in hiſt. Richard. 3.

Leland & Tho. Cooper.

Stoweus.

Nos autem chartas prædictas, ac omnia & ſingula in eis contenta rata habentes & grata, ea pro nobis & hæredibus noſtris quantum in nobis eſt, acceptamus, approbamus, & venerabili Willielmo Wainflete nunc Epiſcopo Winton. & ſucceſſoribus ſuis ratificamus & confirmamus, prout chartæ prædictæ rationabiliter teſtan-

E. Scaccario Regio.

tur. In cujus rei teſtimonium has literas noſtras fieri fecimus Patentes. Teſte meipſo apud Weſtmonaſterium primo die Julii. Anno regni noſtri ſecundo.

Atque ne ſimplici duntaxat beneficio *Wintonienſem* affeciſſe videretur: Ecce jam alterum Regiæ benignitatis argumentum, quod iiſdem verbis deſcribendum curavi.

E. Scaccario Regis.

Nos de gratia noſtra ſpeciali conceſſimus & per preſentes concedimus, venerabili in Chriſto patri Willielmo nunc Epiſcopo Winton. quod ipſe & ſucceſſores ſui Epiſcopi Eccleſiæ prædictæ in perpetuum erga nos hæredes & ſucceſſores noſtros, quieti ſint & exonerati, tàm de omnibus & ſingulis eſcapiis omnium & ſingularum perſonarum pro feloniâ convictarum & convincendorum & ex quacunque cauſa jam attactarum & attingendarum et cuſtodiæ ipſius nunc Epiſcopi Winton. & ſucceſſorum ſuorum ut loci ordinario ſalvo & ſecuro ſecundum legem & conſuetudinem regni noſtri Angliæ cuſtodiendam, commiſſarum & committendarum, quàm de quibuſcunque ſectis, demandis, pecuniarum ſummis & pœnis quas prædictus nunc Epiſcopus & ſucceſſores ſui arctati prædict. nobis ſeu heredibus noſtris forisfecerunt aut forisfecerant, vel ad nos, hæredes ſeu ſucceſſores noſtros pertinere potuerit aut potuerint &c. Et de uberiori gratia noſtra volumus & concedimus quod ſi preſentes literæ in formâ vel materiâ ſeu ex quacunq; aliâ cauſâ quoad debitum effectum & intentionem exonerationis ſive prædictæ conceſſionis noſtræ minus validæ ſeu inſufficientes exiſtunt &c. Quod Cancellarius Angliæ pro tempore exiſtens tam preſentes literas noſtras reformet, quàm fieri faciat alias literas in ea parte validas & ſufficientes, quoad dictus Epiſcopus & ſucceſſores ſui debitum effectum exonerationis & conceſſionis noſtræ habuerit vel habuerint; nec non alias literas de perdonatione, remiſſione &c. Validas & ſufficientes de tempore in tempus, quum per præfatum Epiſcopum ſeu ſucceſſores ſuos &c. Fuerit rogatus. T. R. apud Weſtmonaſt. 16. Novemb. Anno Ed. IV. 6.

E. Scaccario Regis.

E. Regiâ. Coll.

Sed nè incredibilem in ſummâ rerum poteſtate modum & inuſitatam regis optimi manſuetudinem requiras, literas (ut vocant) patentes, quas ab *Henrico* ejus adverſario *Wintonienſis* impetraverat, inſpexit ſimul & comprobavit: Collegium ipſo adventus ſui ſplendore illuſtravit, & (quod plus ames) ſponte, non rogatus, quæ res non mediocritèr complacuit domino Fundatori. Collegii dignitatem ſibi deinceps curæ futuram gratioſè ſpoſpondit: Deniq; eximium ſane & ſingulare erga *Magdalenſes* ſtudium cùm verbis magnificè ſignificavit, tum reipſâ cumulatiſſimè implevit. Cætera quæ ſunt in hoc genere multa maximaque, ſciens prætermiſi, ne cui non tam fidem facere videar quam moleſtiam. Tantorum igitur meritorum ut Regi præſtaret eam, quam debuit, memoriam *Wintonienſis*, ſpirantem defunctumq; gratiſſimis ſuorum obſequiis celebrandum ſtatuit. Nam quid quæſo in cauſâ poteſt eſſe, quare iſtud humanitatis & clementiæ exemplum à regis moribus adeo alienum quiſquam putet, quando (ut veriſſime ſcripſit ſophus ille) principi non minus turpia, multa ſupplicia, quam medico funera? *Joh. Mortonum* in duriſſimis Reip. tempor. *Henrico* ſic adhærentem ut ne in caſtris etiam aut ſummo rerum omnium diſcrimine ab eo unquam diſcederet, ob fidem & integritatem hominis, tanti feciſſe perhibetur, ut multis beneficiis primum pellectum, & arcanis conſiliis deindè adhibitum,

F. Statut. Coll. Magd.

Senecæ de clementi.

Furor in vita Joh. Mortoni.

tum tandem ad *Elyenſem* Epiſcopatum eum promovit, ſummamque in eo rerum bene gerendarum fiduciam poſteà collocavit. *Johanni* Duci *Somerſetenſi*, *Rodolpho Percio* equiti auratæ militiæ aliiſque compluribus ad ipſum ſuppliciter confugientibus delictorum veniam fecit; ſic ut qui de hac re amplius dubitare velit, in evoluendis illorum temporum annalibus eum aut omninò indiligentem fuiſſe aut incredulum neceſſe eſt, ut operæ pretium propterea non ſit, aliud ad hanc rem probandam argumentum inducere. Sed ut contra veritatem ſemel agnitam ne hiſcere quidem diutiùs valeant, ad aſſertionis noſtræ coronidem, ultimo in loco hoc etiam adjiciam. Templum *Windeſoriæ* poſuit *Edoardus quartus*, abſolutum elegantis ſtructuræ exemplum: ad id maturiùs perficiendum, Academicorum lathomi juſſu Regio avocantur. Id ægrè ferentes *Oxonienſes*, ne inceptum ſcholæ theologicæ opus per moram corrumpi poſſit, ex iis operariis quos Collegio ſuo abſolvendo à Rege Fundator impetraverat, aliquot ſibi per benignitatem Regiam concedi, his literis ſupplicem in modum obteſtantur. *Hall.*

Leland. in Comment. ad Cyg Cant.

Chriſtianiſſimo Principi Edoardo, Dei gratia Regi Angliæ & Franciæ, Oxonienſis Reipub. protectori ſingulariſſimo, Cancellarius Univerſitatis Oxon univerſuſque Regentium in eadem cœtus ſeſe cum omni reverentia commiſſos faciunt. Et ſi poſſumus, illuſtriſſime princeps, quamplurimos vetuſtiorum tui regni commemorare, quorum beneficio litterarum ſtudia vehementèr illuſtrata ſunt, hac tamen imitandæ virtutis commemoratione, nobis apud te nequaquam uti oportere viſum eſt. Quippè qui ſine ullo ſuperioris ætatis Regum exemplo, ſingularem tuendæ noſtræ Univerſitatis curam tuâ ſponte ſuſceperis. Nos itaque potius in hac tuâ preſenti bonitate, quàm in illâ umbratili rerum dubiarum memoriâ confiſi, tuam celſitudinem imprimis hortabimur, ut in his potiſſimum rebus quæ ad honeſtandam noſtram Rempub: maximè conducunt, eum nobis rogantibus præbeas quem ſemper præbiturum non rogatus ultrò ſtatueris. Quod ſi abs tuâ benignitate impetrabimus, nullum certè beneficium magis hoc tempore neceſſarium abs te in nos proficiſci potuiſſe cognoſces. Nacti etenim ſumus paucis his diebus viros noſtræ Univerſitatis obſervantiſſimos, qui ornatiſſimum ſacræ Theologiæ domicilium, quum ſexaginta fermè annis derelictum jam diu ſqualeſceret, perficere inſtituerunt. Quæ res quo celerius tamdiu expedire poſſit, profectò nec laboribus nec impenſis reperimus, quum perquiſitis lathomis ſupremam operi manum imponeremus; nunc verò, quod quos ſummâ diligentiâ perquiſivimus ad tua magnifica opera ſunt accerſiti, progredi non poſſumus: atque hæc operis intermiſſio eam nobis deſperationem affert, ut niſi quam primum cœpta maturemus, verendum erit, ne illis qui ſumptus hactenus ſuppeditarunt, ad conſummandum vita non ſuppetat. Et dum animadvertimus tuam ardentiſſimam in ædificandâ ad Dei gloriam Eccleſiâ diligentiam repetere audemus: hoc tamen poſtulamus, ut ſi Reverendus pater Epiſcopus Winton. noſtro rogatu perſuaſus, aliquos ex his quos uſui ſuo conceſſeris, noſtro etiam uſui impertire volet, illis ſaltem utendi nobis poteſtatem facias, quod quum nec tuis ædificiis officere poteſt, tùm noſtris utiliſſimum erit. Vale ſereniſſime princeps & Chriſtianiſſime Rex noſtræque Univerſitatis protector unice.

Hæc ut forte confirmata verboſius, ita prætermitti prorſus haud decuerat,

ne qui indignationem Regis adverſus *Wintonienſem* bellè excogitarunt, aliud præter expertem rationis opinionem ſecum attuliſſe videantur. Cæterùm hoc commentum quamlibet frigidum, illis hactenus arriſit, quibus aliquid dici ſatis erat, nimirùm haud ignaris, probationes ab ſe non eſſe exigendas. *Wintonienſem* (ſicut ego accepi) ſunt qui *Oxonii Cancellarium* fuiſſe affirment, quibus libenter etiam aſſentior: ſed de tempore quo hoc officium geſſerit liquido pronunciare nihil poſſum, diſſipatis per quorundam incuriam *Academiæ* monumentis. Regnante tamen *Edoardo* illuſtria aliquot ejus patrocinii vegiſtia nondum detrita vel ex his *Oxonienſium* litteris perſpicue apparent.

F. Thinnus in Catal. Cancellar. Arg.

Epiſt. Oxon in Coll. Corp. Chriſti. Cant.

Cupimus, magnifice præſul, *eas paternitati tuæ gratias agere, quæ vel tua erga nos merita æquarent, vel noſtram erga te voluntatem declararent: non quod arbitramur gratiarum expectatione impulſum te tàm de nobis benè mereri voluiſſe, ſed quo nihil videamur in te officii (quantum nos præſtare poſſumus) prætermittere. Verum tametſi tantus eſt tuorum in nos meritorum cumulus, tantuſque noſtræ in te voluntatis ardor, ut nec illis reſpondere, nec huic ſatisfacere nobis poſſe conceſſum eſt: tamen nec noſtræ quidem humanitatis eſt, quod poſſumus, omittere: nec tuæ quod non poſſumus requirere. Immortales itaque Reverende pater tibi gratias agimus, quippe qui te omnium quos noſtra ætas tulit, cupidiſſimum noſtræ Univerſitatis præbueris: tuam ad hoc præſtantiam majorem in modum rogantes, ut qui tuâ ſponte incitatus, tantam publicarum utilitatum curam geſſeris, privatarum etiam (quæ ad noſtros potiſſimum ſpectant) rationem habeas; ex privatis enim commodis publica ſæpenumerò creſcunt. Quamobrem quum jamdudum accepiſſemus magiſtrum Gilbertum Haydock ſacræ Theologiæ profeſſorem, & Thomam Davers ex tuis fideliſſimis familiaribus unum, diuturnis litibus verſatos eſſe, ad te (conſtantiſſime præſul) rem omnem referendam putavimus. Iſte publicis judiciis magiſtrum laceſſit, ille iterum Univerſitatum privilegia requirit: quo ſit ut non parum timeamus, ne noſtræ tandem libertates periclitandæ ſint. Te igitur magnopere obſecramus (humaniſſime* præſul) *ut his vel tuorum vel noſtrorum perturbationibus exitum imponas. Hoc enim perinde nobis gratum erit, ac ſi in nos omnes contuliſſes.*

Clariſſimæ ſunt (ut mihi quidem videntur) hæc voces: *Ad te conſtantiſſime præſul rem omnem referendam putavimus.* Et, *His perturbationibus exitum imponas &c.* Neque præter *Cancellarii* munus, tàm commodè quidquam exprimunt; ſed de tempore nihil habeo quod definiam: nam probabiles rerum conjecturas ſequi omninò non placet, quarum veſtigiis ut aliquando ad veritatem pervenitur, ità frequentiùs à ſcopo aberratur. Mæcænas interim ſi bonus

bonus fuerit & in Academicos benignus, cujus authoritate ornati, & ope adiuti fuerint, quemque ipſorum commodis & dignitati ubique præſentem ſenſerint, loquatur vel me tacente manuſcriptum Epiſtolæ exemplar, quod in ſelectiſſimâ Collegii Corporis Chriſti apud Cantabrigienſes Bibliothecâ cuſtoditur.

Epiſt. Oxon. in Coll. Corp. Chriſti Cantab.

'Non potuerunt (Ampliſſime præſul) tua nos ingentiſſima beneficia de-
'terrere, quo minus pro communi Reipub. noſtræ utilitate, ſi quid ipſius
'intereſſet, ad tuam præſtantiam conſcriberemus. Eſt enim (ait Cicero)
'nobilis animi atque ingenui, cui multum debeas, plurimum velle debere.
'Quapropter quum ſtatuentibus jam nobis ad novarum ſcholarum perfectio-
'nem prorſus incumbere, tuum quoque ſubſidium ad eam rem perquam op-
'portunum videatur: te rogamus (optime pater) ut qui ſemper ad com-
'munes utilitates amplectendas, tuâ ſponte ſatis incitatus es, noſtris etiam
'precibus ad eas ipſas incitari velis. Atque ut intelligas quid eſt quod tanto-
'perè cupimus, deſunt profecto nobis ædificiales machinæ adeò quidem ad
'noſtrum inſtitutum neceſſariæ, ut ſine his nihil aggrediendum ſit, quas ſi de
'integro parabimus, neceſſe erit tum grandem in illis pecuniam exhauriri, tum
'expectati operis conſummationem diutius retardari: quibus equidem ma-
'lis, te unum imprimis (magnifice præſul) facilè mederi poſſe intelligimus, ſi
'vel illis ædificialibus inſtrumentis, quæ ad tui clariſſimi Collegii fabricam
'comparatæ ſunt, utendi nobis copiam feceris. Hoc certe nihil erit nobis
'vel ad levandos ſumptus, vel ad celeritatem conficiendi, accommodatius.
'Quod ſi noſtrâ cauſâ facturum te recipis, curabimus equidem nos, ut gratia-
'rum actiones tibi fæneremur. Nam quùm pro illis meritis quæ non roga-
'tus ultrò contuleris, magnas tibi gratias agere debemus: tùm pro his quæ
'poſtulantibus nobis conceſſeris multò maximas agemus & habebimus. Et
'fæliciter valeat tua ſancta paternitas, reverende præſul ac domine.

Epiſt. Oxon. in Coll. Corp. Chriſti Cantab.

Ipſa meherculè Scholæ theologicæ teſtudo, ſi loqui potuiſſet, *Wintonienſi* gratias referret vel hoc nomine maximas; quippe quæ per totos ſexaginta annos, illuſtriſſimorum principum & magnatum beneficientiam experta, non niſi admotis jam tandem inſigniſſimi præſulis machinis abſolui potuiſſet. Fato ſiquidem debebatur illi, utpote Scholarchæ olim clariſſimo, ſcholarum extruendarum gloria. Nam *Oxoniæ* juxta ipſius Collegii pomeria, nobile fætuum educandorum plantarium poſuit, unde prima literarum cunabula juniores ediſcant. (quod ille Academiæ Cancellarius ſi quâ in bonas artes via ſævire incipiebat radicitus extirpaſſet, maximi ſceleris apud poſteros omnes infamiâ ſe obligaſſet,) deinde etiam *Wainfleti* alterum erudiendæ pueritiæ gymnaſium inſtituit.

Regiſt. Coll.

Prudentiam vide interim & ſuſpice. ſiquidem initio Collegii cœtum Magdalenenſem ſine ſcriptâ lege, ſine jure certo per multos annos inſtitutum legimus, omniaque arbitrio fundatoris (ut olim in Rep. Rom. à Regibus factum narrat Pomponius) gubernabantur. Poſtea uſu id poſtulante leges quaſdam tuliſſe nunc has nunc illas, prout opportunum videbatur, novas etiam prioribus adjeciſſe traditur, atque ita paulatim abſolutam Reip. litterariæ formam excogitaſſe. Cujus fontes & capita quiſquis viderit, ut ævo interim ſuo nihil

nihil detrahat, ita quin plurimam etiam majoribus noſtris prudentiam diligentiamque adſcribat neceſſe eſt. Nam *Richardus Foxus*, fœlicis memoriæ *præſul* quondam *Wintonienſis*, idemque prudens rerum æſtimator, quantum *Waynfleti* inventis tribuerit, non modo hinc in Alvearium ſuum derivatis ejuſdem decretis ſatis declaravit, niſi diligentiſſimos mellificandi artifices duos, tanquam primarias apes, recenti examini præfeciſſet, alterum *Claimundum*, Collegii noſtri *Præſidem*, & *Morventum vicepræſidem* alterum: Sed multo etiam magis tacito quodam cultu, & veneratione tam præclaræ fundatæ Sodalitatis, Artium Bacchalaureos, & magiſtros omnes, ceu ſedulas quaſdam apiculas, ad Philoſophiæ utriuſque *thymum*, ſacræque theologiæ nectar colligendum huc convolare juſſit; quod ſi per ſævitiam peſtis, novas ſedes quæſitum ab *Oxonio* aliquando abigerentur, *tum ad locum aliquem propè Magdalenenſes ſi talis commodè* pro eis provideri poſſet, illos conſidere voluit. Præterea nè vitio noſtro, bonæ ſanctiones per deſuetudinem aliquam abrogentur, (magno, quod neceſſe eſt, Collegii cum diſpendio & jacturâ) neve certa, ubi opus eſſet interpretatio deſideretur: idcirco Collegium ſuum, reſque & perſonas, in fide & clientelâ *Præſulum Wintonienſium* eſſe voluit. Te vero, Reverende pater ac domine *Tho. Bilſone*, locum nunc duodecimum ab ipſo occupantem, verum patronum & protectorem præcipuum Collegii noſtri hactenus experti ſumus, indieſque eum te futurum omnes auguramur: quem incredibili ſtudiorum & religionis bono natum eſſe ſemper ſperavimus. Nam quid eruditio, prudentia, pietas, in te uno ſummæ, ſimul cum eminente dignitate conjunctæ efficere poſſunt, non tam opinione aliqua, quam preſenti fide omnes colligimus.

Ariſt. ca. 40. lib. 9. hiſt. animal.

E. lib ſtat. Coll. Corp. Chri. cap. 23.

Verba. ſtatut.

Sed enim inter ipſas munificentiæ *Gulielmi* noſtri laudes, quibus apud omnes hominum ordines gratiam ſibi conciliavit, abſque flagitio pietas diſſimulanda non eſt: quanto nimirum præſtabilius videtur eſſe, divini numinis cultu quam magnificentiæ opibus gloriam quærere. Itaque repoſitæ apud deum ſalutis ſuæ non immemor, virtutem nullam non magnopere exercebat. Adeò *Chriſtianæ* pietatis ſtudioſus, ut cæleſtis diſciplinæ ſex conſultiſſimos theologos aſſidue foueret, quorum oratione & precibus divinam miſericordiam ſibi conciliaret: Memorque repoſitæ in cælis beatitudinis illius, quam in omnes venturam pronunciaverat Servator Chriſtus, quotquot erga indigentes pii benignique extiterant, ſic erogandis in pauperum uſus opibus ſuis aſſiduus fuit, ut Elecmoſynarium huic muneri perpetuo inſervientem apud ſe haberet; ratus nimirum quod res eſt, Deum invocanti nemini ſubventurum, qui invocantem prius pauperem ipſe non exaudiverit. Sæpius ob eximiam ſanctimoniam in penetrale Regium adhibitus, cæteroque Senatu ſuper arduis regni negotiis conſilium inituro, Quin abite, (inquit Princeps) ego interim & Cancellarius meus pro ſalute Reipublicæ vota Deo nuncupabimus. Utque futuræ immortalitatis meditationi totus poſthac incumberet, mauſoleum quod mortis nunquam adrepere ceſſantis ipſum admoneret, condendum curabat. In quo ſtatua ſupino decubitu inſculpta, oculis in cælum contuentibus, manibus ſupplicantium more tenſis, & effigiem cordis humani complectentibus, devotiſſimi vatis exemplum referre videtur: *Ad te Jehova animam meam attollo, Deus mi, in te confido, ne erubeſcam, ne exultent inimici mei de me,*

E Regiſt. Coll.

In fine ſtatut.

E Teſtamento Fundatoris.

In templo Win. Pſal. 25.

me, Semperque de eô apud ſe cogitans, (de quo nemo nimis, perpauci meditantur ſatis) humanæ dico vitæ quàm brevis tàm in horas omnes incertæ, fugâ: quarto calendas *Majas* Anno ſalutis inſtauratæ. 1486. quaſi illud *Ezechiæ* nuncium divinitùs accepiſſet: *Da præcepta familiæ tuæ, nam tu brevi moriturus es, ac non vives*, Nihil prius habuit quam ſupremam voluntatis ſuæ ſententiam conteſtari. Ibi vero divinæ ſanctimoniæ ſapientiæque plena omnia, fuiſſe ipſum Angelorum quaſi conſortem, cœleſtiſque beatitudinis, etiam dum in terris agebat participem, propè faciunt ut exiſtimem. *Ego* (inquit) *ad vitam futuram, ad quam conditus ſum, anhelans, cernenſque diem expectationis meæ, in hac valle lacrymarum quaſi nunc adveſperaſſe, & quod tempus reſolutionis pænè jam inſtat: condo teſtamentum in hunc modum, &c.* Quot verò quantaſque donationes in pios uſus erogandas defunctus reliquerit, haud facilè fidem adhibuerit, niſi qui ipſe in teſtamento viderit. Nullus fuit in Eccleſiâ *Winton.* vel in *Monaſteriis* ſuburbanis Monachus aut Monialis, in πωχοτροφίῳ Sanctæ Crucis miſellus inops inter religioſos ordo, in urbe parochus aut clericus, in Collegiis *Wiccamicis* vel ſuo ſocius aut ſcholaris, Denique inter familiares aut domeſticos nullus, cui datum aut legatum aliquid non fuerit; ut non mortalem (utì Gilliam Agrigentinum dicit Val. maximus) ſed propitiæ fortunæ benignum eſſe ſinum diceres; quin abeant (igitur) quo digni ſunt nugivenduli quidam leves, qui ſic redactum ad ſummam rerum omnium inopiam illum contendunt fuiſſe, ut Collegii ſui præfecturam, ſtudioſiſſimè ambire non erubuerit: quando non ex egeſtate aliqua, ſed ex opibus manare neceſſe ſit hujuſmodi beneficentiam. Et ne tenuitatis priſtinæ conditionem, aut tam copioſæ benignitatis recordationem aliquando ex animo effluere pateretur, hanc beatæ virginis ſymbolam non ipſe modo uſurpare ſolebat, verum parmæ gentiliciæ adſcribendam curabat. *Qui potens eſt fecit pro me magna, & ſanctum nomen ejus.* Servos complures quos dura gentium conſtitutio dominio alieno contra naturam ſubjeciſſet, libertate donabat. Cum interim nullis ille famæ illecebris, nulloque nominis amplificandi ſtudio delinitus quicquam faciebat: ſed *ad exaltationem fidei, Chriſtianæ Eccleſiæ profectum, divini cultus augmentationem*, tanquam ad ſcopum omnia referebat. Nam quanta (bone Deus) verborum ſuavitate aures meas replent, quibus in ipſâ quaſi exacti operis peroratione uſus eſt. *Noſtri Collegii Præſidenti & ſociis & aliis omnibus commorantibus in eodem, juxta informationem Chriſti, tanquam ejus diſcipulis, divinum obſequium commendamus paciſque ac unitatis fœdus, ac perfectæ vinculum charitatis.* Ingens hoc in Deum pietatis ſtudium proximus honoris & reverentiæ gradus excipit: cui ille præſtando ut nunquàm deeſſet, Archipræſulum Cantuarienſium inaugurationibus præſentem ſe exhibere ſolitus eſt, id quod ſedulo feciſſe eum ſcribit *Mattheus Parkerus*. Quinimò *Thomas Bourchierius* Antiſtes *Cantuarienſis*, ubi ex reſcripto Pontificis *Romani* in ampliſſimum patrum purpuratorum Collegium cooptandus eſſet, in frequentiſſimâ præſulum & nobilium coronâ rubrum galerum *Wintonienſis* manibus indutum protenus geſtabat: id quod utrique perinde fuit honorificum. Sæpe convocatis ad comitia cleri ordinibus, Archiepiſcopo jubente, ipſum præfuiſſe legimus, iis nimirum inter cætera, quibus ad repellendos Scotos decretum eſt regi ſubſidium, quòd immunitates & Eccleſiaſtica jura, leguleiorum calumniis convulſa

E teſtament. Fundatoris.

E teſtament. Fundat.

Ex Arch. Winton.

E. Statut. Colleg.

In fine Statutor.

Parker in vita. Kemp. & Bourcher.

Ex lib. Jo. Ryd, in Coll. Corp. Chriſt. Cantabrig.

&

Ex aliis ſynodi Londinenſis. & labefactata, regio diplomate reſtauraſſet. Jam comitas, humanitas, affabilitas, quanta fuerint, eximiâ quadam in eum patrum plebiſque benevolentia ſatis declaratur. Sed enim inter hæc omnia liberalitas & magnificentia explendeſcebant maxime. Reges ipſos quos ille ereditores habuit, fecit debitores; nova ſcilicet ratione inventa, ut à quibus ipſe accepiſſet omnia, viciſſim & illi deberent aliquid. *Emanuelem* quendam auratæ militiæ equitem Conſtantinopolitanum, urbeque expugnatâ profugum, non modo benigniſſime ipſe accepit, verum etiam ut acerbam hominis fortunam leniret, viginti nummûm aureorum honorario è fiſco Regio donavit. Atque iſta quum nemo affirmare poteſt, non fuiſſe humani ingenii & perliberalis animi officia, tum demirari ſatis nequeo projectam *Gulielmi Botoneri Wyrceſtrii* (equeſtris præſertim ordinis viri) impudentiam: qui quod aureolum *M. Cic.* de Senectute libellum ſermone anglico donaſſet, eumque ſub ſpecie honoris *Fundatori* conſecraſſet, ob tam luculentum (ſi Diis placet) opuſculum conqueritur (videte interim elegantiam hominis) ſe *nullum regardum de Epiſcopo recepiſſe*; & dignus mea certe ſententia eras cum *tuo iſto regardo* nullam mercedem retuliſſe, qui venalem neſcio quam diligentiam tuam, ſi emptorem inveniret, proſtituiſti: & ei præſertim viro præmiolum aliquod extorquere ſperaſti; qui ultrò non rogatus beneficentiam in omnes erogare ſolitus eſt. de quo veriſſime uſurpari poſſunt illa quæ olim in gratiam *Alexandri Lincolnienſis* Epiſ. decantabantur,

E. telle Exitus.

E. telle Exitus.

Biblioth. Corp. Chriſt. Cantab.

Qui dare feſtinans aliis ne danda rogentur,
Quæ nondum dederat nondum ſe credit habere.

E. diario. ejuſdem Wirceſtri manuſcripto, & in Colleg. Corp. Chri. Cantab. ſervato.
E Regiſt. Coll.

Adeò ab omni partium ſtudio inter alumnos ſuos vel leviſſime inchoato alienus fuit, ut quos litium ſerendorum reos, aut dicto Præſidis minùs audientes ſemel deprehendiſſet, tanquam inutiles ramos amputandos cenſuerit, Epiſtolæ formam, ne fides quoviſmodo vacillet, hanc adtexui.

RIght entirely well beloued, We greet you well. It is come to our knowledge and to our diſpleaſure, that there is growne a diuiſion and diſcord within our Colledge, wantonly and vndiſcreetely for the election of the Proctors of the Vniverſitie. In caſe bee, that there bee any perſon of our Colledge vnder your rule, that will be ſeditious wilfull and not conformable to the aduiſe and the guiding of you, and of the more partie of the Maſters of our ſeyd Colledge, it is to be preſumed and of great likelihood, that ſuch a perſon is not apt nor diſpoſed ad conuiuendum. But that ſuch will be troubleous and full vnprofitable for my ſeyd Colledge, giuing greate impediment to vertue and cunning. Wherefore whomſoever ye and the more partie finde criminous & obſtinate, taking wilfully away contrary to the more partie, we command you that then you diſcharge

charge ſuch perſon & perſons from all manner intereſt that they haue in our foreſeid Colledge. Chriſt haue you in his guiding. Wrette in our Mannour of Southwaltham the xii of April.

W. B. of Winchester.

QUantum autem induſtriæ operæque poſuerit in comparandis utriuſque linguæ optimis authoribus, quantoſque in ea re & quam immanes ſumptus fecerit, dum octingenta plus minus librorum thesauro bibliothecam ſuam inſtruxerat, (ut ego nihil dicam) res ipſa loquitur. Tantis itaque virtutum dotibus inſignitus (& opinione quidem mea, in hoſte laudatiſſimis) quibus flantem ſubindè reflantemque fortunam moderatus eſt: ſimul ipſe dum vixit Reipub. commodus fuit, & principibus (licèt in diverſas partes abeuntibus) non infenſus. Nam capitalem illum Angliæ tyrannum, non modò in Collegium ſuum pertraxit, verum efferatum illius ingenium ita penitùs demulſit, ut eruditis ſtudioſorum diſputationibus gaudere, & amplis muneribus bene meritos afficere, denique univerſum Magdalenenſium cœtum vino & pingui ſerina donare, haudquaquàm gravaretur. Cujus interitu, quum patriam è lupi quaſi faucibus ereptam videret, & redditam denuò libertatem, *Walthamiæ* jam agens in graviſſimum morbum repentè incidit; qui ubi per artus & medullas in arcem cordis furtim irrepſiſſet, ſic hominem ſenio & laboribus confectum prorſus debilitavit, ut tertio Iduum Auguſti, horâ poſt meridiem quartâ, majore ſuperſtitum damno quam ſuo, ſupremum ætatis diem claudens cœlo ſit redditus. Hunc vitæ exitum habuit pientiſſimus Antiſtes, in extremo ſenectutis quaſi ſtadio hinc ereptus, vir ad omnia ſumma natus, poſtquàm annos triginta octo, dies duodecem, provinciam *Wintonienſem* ſanctiſſime adminiſtraſſet, ſupremum Cancellarii munus integerrimè obiviſſet, & extincta factionum ſemina, confirmatam in Repub. pacem, incomparabili divini numinis beneficio iterum vidiſſet: elatus eſt magnâ cum pompâ funeris ſepultuſque *Wintoniæ*, juxta *Henricum Beufortium*, cui ipſe vivus mortuo ſucceſſerat. Apparet neſcio quid ejus memoriæ ſacrum æneis characteribus in ſepulchri ambitu deſcriptum fuiſſe: verum illud ſacrilegorum hominum manus, in ipſas demortui umbras impunè ſævientium, nobis per ſummum ſcelus jamdiu inviderunt.

E. Regiſt. Coll.

E Regiſt. Colleg.

E Regiſt. Coll.

FINIS.

JOANNIS PICI

Mirandulæ & Concordiæ Principis V. C. *Vita, per* Joannem Franciſcum *Illuſt. Principem Pici Filium conſcripta.*

JOannis Pici patrui mei vitam ſcribere Orſus, præfandum lectoribus imprimis duco, ne aut quod fratris filius, aut quod diſcipulus fuerim mè aliquid in gratiam Blandientium more, dicturum ſuſpicentur. Nihil hic amicitiæ datum, nihil familiæ, nihilque beneficiis (quæ maxima profecto in me extiterunt) fictitiâ laude repenſum. Tantum quippe ab Adulatione ſejuncta eſt narratio mea, quantum abfuit adulandi neceſſitas, tantumque cavi, ne me, vel mentitum, vel vehementem in laudibus legentes arbitrarentur, ſi quicquid de ipſo conceperam, literis tradidiſſem, ut illud fuerit fortaſſe periculum, ne parum potuerint, vel ipſæmet virtutes excelſæ, vel earum aſſertores coarguere. Quod vel hoc argumento videre licet. Cum plurimæ doctorum noſtræ ætatis hominum & ex primoribus quidem elucubratiſſimæ ſcriptiones non modo his quæ ſumus dicturi, locupletiſſimum reddiderint teſtimonium, ſed dum uteretur hac luce & poſtquam eam cum potiore commutavit, in ejus me & morum & doctrinæ præconiis præcelluerint: quarum nonnullas in hujus libri calce poſt commentationes ipſius adſcribi juſſi ut firmior teſtibus, non gentiliciis fides adhiberetur. Paternum genus (licet ab Conſtantino Cæſare per Picum pronepotem, à quo totius familiæ cognomentum memoriæ proditum ſit, traxiſſe primordia) miſſum facientes, ab ipſo tempore nativitatis ſumemus initium, tum quod familiæ forſan non minus honoris ille contulerit quam acceperit, tum quod proprias animi dotes reliquaque totius vitæ & obitus ſeriem præ ſe ferentia, quæ vel propriis aut auribus, aut oculis hauſi, vel ab graviſſimis excepi teſtibus, aperienda duxerim, poſthabitiſque & ſtemmate & præclaris auorum facinoribus recenſenda.

Anno à partu virginis tertio & ſexageſimo ſupra milleſimum & quadringenteſimum, Pio ſecundo Pont: Maximo Eccleſiæ præſide, & Federico tertio, habenas imperii Romani moderante, mater Julia, ex nobili Boiardorum familia, Joanni Franciſco patri, ultimo eum partu peperit; jam enim Galeottum majorem natu, ex quo ſum genitus, & Antonium Mariam, ſororeſque duas

enixa

enixa fuerat, quarum altera, Leonello jam conjugi, Albertum Pium ex Carpi principibus unum edidit, nunc Rodulphi principis Gonzagæ conſors: altera Pino Ordelapho Forolivenſi principe, cui jam pridem nupſerat, vita functo, Montis agani Comiti ſecundas nuptias conceſſit. Prodigium haud parvum ante ipſius ortum apparuit: viſa enim circularis flamma eſt, ſupra parientis matris aſtare cubiculum, moxque euaneſcere, fortaſſe nobis inſinuans, orbicularis figuræ intellectus perfectione ſimillimum eum futurum, qui inter mortales eadem hora proderetur, univerſoque terræ globo excellentia nominis, circumquaque celebrandum, cujus mens ſemper cœleſtia ignis inſtar petitura eſſet, cujusque ignita eloquia, flammatæ menti conſona, Deum noſtrum (qui ignis comburens eſt) totis viribus quandoque celebratura: ſed ſtatim obtutibus hominum, ut illa euanuit, occulenda. Legimus quippè doctiſſimorum ſanctiſſimorumque hominum ortus, inſolita quandoque ſigna aut præceſſiſſe, aut ſubſequuta fuiſſe, veluti eorum incunabula infantium ab aliorum cœtu divino nutu ſegregantia, ſummisque rebus gerendis natos indicantia. Sic ut omittam reliquos, examen Ambroſiii magni ora luſtravit, in eaque introgreſſum eſt, deinde exiens, altiſſimumque volans, ſeque inter nubila condens, paternos, aſpectusque aliorum qui aderant viſus eluſit: quod præſagium Paulinus plurifaciens, ſcriptorum ejus favos nobis indicaſſe diſſeruit, qui cæleſtia dona enunciarent, & mentes hominum de terris ad cœlum erigerent.

Forma autem inſigni fuit & liberali, procera & celſa ſtatura, molli carne, venuſta facie, in univerſum, albenti colore, decentique rubore interſperſa, cæſiis & vigilibus oculis, flavo & inaffectato capillitio, dentibus quoque candidis & æqualibus. Sub matris imperio, ad magiſtros diſciplinasque delatus, ita ardenti animo ſtudia humanitatis excoluit, ut brevi inter Poetas & Oratores tempeſtatis illius præcipuos, nec injuria collocandus eſſet. In diſcendo quidem celerrimus erat, prompto adeò ingenio præditus, ut audita ſemel à recitante carmina, & directo, & retrogrado ordine, mira omnium admiratione recenſeret, tenaciſſimaque retineret memoria, quod cæteris contra euenire ſolet: nam qui celeri ſunt ingenio, natura fieri ſæpè ſolet, ut non multum memoria valeant, qui verò cum labore percipiunt, tenaciores perceptorum euadant. Dum verò quartum & decimum ætatis annum ageret, matris juſſu, quæ ſacris eum initiari vehementer optabat, diſcendi juris pontificii gratia, Bononiam ſe tranſtulit: quod cum biennium deguſtaſſet, meris id inniti traditionibus conſpicatus, aliò deflexit, non tamen abſque bonæ frugis fœtura, quando puer, & quidem tenellus, ex epiſtolis ſummorum Pontificum, quas Decretales vocant, epitomen quandam ſeu breviarium compilaverit, quo omnes conciſius, quàm fieri potuit, ſanctionum illarum ſententias, concluſit, conſummatis profeſſoribus, opus non tenue. Sed ſecretarum naturæ rerum cupidus explorator tritas has ſemitas derelinquens, intellectus ſpeculationi Philoſophiæque cùm humanæ, tùm divinæ, ſe penitus dedidit, cujus enanciſcendæ gratia non tantum Italiæ, ſed & Galliarum literaria gymnaſia perluſtrans, celebres doctores tempeſtatis illius, more Platonis & Apollonii ſcrupuloſiſſimè perquirebat, operam adeo indefeſſam ſtudiis illis impendens, ut conſummatus ſimul & Theologus ſimul & Philoſophus imberbis adhuc & eſſet

& haberetur. Jamque ſeptennium apud illos verſatus erat quando humanæ laudis & gloriæ cupidus (nondum enim divino amore caluerat, ut palàm fiet) Romam migravit, inibique oſtentare cupiens, quanta eum à ſummuſſoribus in poſterum manaret invidia. Nongentas de Dialecticis, & Mathematicis, de naturalibus diviniſque rebus quæſtiones propoſuit: non modo ex Latinorum petitas arculis, Græcorumque excerptas ſcriniis, ſed ex Hebræorum etiam myſteriis erutas, Chaldæorumque arcanis atque Arabum veſtigatas. Multa idem de Pythagoræ. Trimegiſtique & Orphei, priſca & ſubobſcura Philoſophia, multa de Cabala, hoc eſt, Secreta Hebræorum dogmatum receptione (cujus & Origenes & Hilarius ex noſtris potiſſimum comminiſcuntur) quæſtionibus illis intexuit: multa etiam de naturali Magia, quam non parvo interſtitio ab impia & ſceleſta ſeparari edocuit, idque multorum teſtimonio elegantiſſime comprobavit, nec non duo & ſeptuaginta nova dogmata Phyſica & Metaphyſica propria inventa & meditata, ad quaſcunque Philoſophiæ queſtiones elucidandas accommodata, defuerunt: his novam per numeros Philoſophandi inſtitutionem adnexuit, cunctaque ſimul publicis locis, quò facilius vulgarentur, affixit, pollicitus ſe ſoluturum eis impenſas qui ex remotis oris diſceptandi gratia Romam ſe contuliſſent.

Verùm obtrectatorum ſimultate (quæ ſemper velut ignis alta petit) nunquam efficere potuit, ut dies altercationis præſtitueretur, ob hanc cauſam Romæ annum manſit, quo tempore vitiligatores illi, palam eum, & libero examine non audebant aggredi, ſed ſtrophis potiùs & cuniculis ſugillare, clancularíisque telis ſuffodere, peſtifera corrupti invidia (ita enim arbitrati ſunt plurimi) conabantur. Livorem hunc, vel hac ratione ſibi maximè commoviſſe exiſtimatum eſt, quod multi qui vel ambitione fortaſſis vel auaritia literario negocio diu incubuerant, notam ſibi fore autumarent, ſi juvenis ille aggeſtis atavorum opibus, multaque doctrina, quaſi fertilis ager luxurians, in prima orbis urbe, de naturalibus diviniſque rebus, deque multis per plura ſecula noſtris hominibus non acceſſis, periclitari doctrinam, & ingenium non vereretur, & cùm nihil adverſus doctrinam veris machinis moliri poſſe animadverterent, attuliſſe eoſdem in medium tormenta calumniæ tredecimque ex nongentis quæſtiones, rectæ fidei ſuſpectas acclamaviſſe, quibus fortè ſe junxiſſe nonnullos, qui quæſtiones illas, utpote inſuetas eorum auribus, ut piè, ita fortaſſe parum eruditè, & zelo fidei & prætextu religionis inceſſerent: quas tamen quæſtiones, non pauci, & quidem celebrati Theologiæ doctores ceu pias & mundas priùs approbaverant, eiſdemque ſubſcripſerant: quorum cœtui Bonfranciſcus Regienſis Epiſcopus annumeratus eſt, vir omnigena doctrina, acerrimoque judicio, & morum gravitate præclarus, qui Romæ ad Pontificem Maximum ea tempeſtate, pro Ferrarienſium duce agebat legatum: adverſus tamen eum blaterones illi nihil attentarunt, cum fortè ab eis labefactari ejus famam non poſſe vererentur, quando quicquid tractaſſet, correctioni matris Eccleſiæ, & Pontificis ſubmiſiſſet. At is, famæ iſtæ diſpendia non perpeſſus, Apologiam edidit, varium certè opus & elegans, multaque, rerum ſcitu dignarum cognitione refertum, Vigintique tantum noctibus elucubratum, qua editione luce clarius conſpici datum eſt, non tam concluſiones, Catholicos potuiſſe ſenſus recipere, quam illos, qui primus adlatraverant inſolentiæ & ruditatis

Bonfrancisus Regiensis Episcopus.

ditatis coarguendos esse, librumque ipsum, & quæ scripturus erat in posterum matris Ecclesiæ, ejusque præsidis sanctissimo judicio Christianissimi hominis more commisit: id enim vel expresse vel tacitè geri oportere, persuasissimum est: quasi illud Augustini proferret: Errare possum, hæreticus esse non possum, quando alterum sit hominis proprium, alterum perversæ & obstinatæ voluntatis.

Sed ubi Innocentius octauus Pontifex Maximus accepit per editionem Apologiæ interpretatas conclusiones illas, quæ prius calumniis infestatæ fuerant in catholicum sensum, & à nota criminis relevatas, referentibusque nonnullis, quibus conclusionum examen demandatum fuerat, decipulas opponi posse fidelibus, si nonnullæ quæstionum illarum (crudè quidem & inexplicite disceptandarum more jacebant) passim vacarentur, libelli lectione, quo continebantur interdixit, quæ omnia per Alexandri sexti Pont. Max. sub quo nunc vivimus diploma, quod, Breve nominant, liquido visuntur, quod cum Apologia ipsa impressoribus tradere exarandum duximus. Verum in ipso Apologiæ calce quod postea Pontifex auctoritate præstitit, quibus ille poterat rationibus antea factitaverat: obsecraverat quippe amicos & inimicos, doctos & indoctos, ut Apologiam legerent, libellum vero ipsum conclusionum inexplicitarum præterirent illectum, quando in eo plurima continerentur quæ non passim vulganda triviis, sed secreto congressu inter doctos & paucos disputanda susceperat, scolasticamque exercitationem, more Academiarum meditatus, multa veterum Philosophorum, Alexandri scilicet & Auerrois aliorumque quàm plurimum impia dogmata proposuisset, quæ semper publice & privatim asseruerat, professus fuerat, prædicaverat, non minus à veræ rectæque Philosophiæ, quàm à fidei semitis declinare: atque in hunc modum de libello illo nongentarum conclusionum verba faciens, Apologeticum opus concluſit. Qui ergo me oderunt, ideo illa non legant, quia nostra sunt: qui me amant, ideo non legant, quia ex illis quæ mea sunt, cogitare plurima possent, quæ non sunt nostra: cæterum immensa Dei bonitate, quæ ex malis etiam bona elicit, effectum esse (quemadmodum mihi retulit) judicabat, ut calumnia illa falsò à malevolis irrogata, veros errores corrigeret, eique in tenebris aberranti (ut quantum exorbitasset à tramite veritatis, contueri posset) ceu splendidissimum jubar illucesceret. Prius enim & gloriæ cupidus, & amore vano succensus, muliebribusque illecebris commotus fuerat: fœminarum quippè plurimæ, ob venustatem corporis orisque gratiam, cui doctrina amplæque divitiæque & generis nobilitas accedebant, in ejus amorem exarserunt, ab quarum studio non abhorrens, parumper via vitæ posthabita, in delicias defluxerat: verùm simultate illa experrectus, diffluentem luxu animum retudit, & convertit ad Christum, atque fœminea blandimenta, in supernæ patriæ gaudia commutavit, neglectaque aura gloriæ, quam affectaverat, Dei gloriam & Ecclesiæ utilitatem, tota cæpit mente perquirere, adeoque mores componere, ut post hac vel inimico judice, comprobari posset. Cumque de ipso glorioſa statim fama, & per vicinas & per remotas oras volitare accepisset, plures ex Philosophis, qui eruditissimi habebantur, ad eum tanquam ad mercaturam bonarum artium (ut inquit Cicero) confluebant, vel ob commovenda literaria certamina, vel quibus inerat rectior mentis sententia, ad audienda tenendaque rectè vivendi salubria

ſalubria dogmata, quæ tantò magis expetebantur, quanto ab homine d octiſſimo & pariter nobiliſſimo profluebant, qui quandoque devios mollitudinis voluptariæ anfractu ſecatus fuerat. Videntur enim ad diſciplinam morum, auditorum mentibus inſerendam, ea plurimum habere momenti, quæ & ſuapte natura ſint bona, & à præceptore converſo ad juſtitiæ ſemitas, ex diſtorto & obliquo libidinum calle, proficiſcantur.

Elegiaco carmine amores luſerat, quos quinque exaratos libris, religionis cauſa, ignibus tradidit, multa itidem Rhythmis luſit Hetruſcis, quæ pari cauſa pari gnis abſumpſit. Sacras deinde literas ardentiſſimo ſtudio complexus, ſtatim in templo Deo, ceu frugum primitias, octauum tunc & vigeſimum annum agens, de operibus ſex dierum Geneſeos, & die quietis Heptaplum obtulit, opus quippè & perfectum ingenio, & elaboratum induſtria, cum ſublimibus Philoſophorum dogmatis, tum profundiſſimis noſtræ Chriſtiang Theologiæ myſteriis refertiſſimum, ſeptemplicique varia enarratione connexum, ſeptenario capitum numero cuilibet ſeptenæ expoſitioni conſerto libri nomini maximè quadrans. Quod tamen ob erutas è naturæ gremio res & difficiles divinarum quæſtionum evolutiones, atque ob Prophetæ reconditiſſima ſenſa ſermoniſque elegantiam non ſe paſſim Philoſophiæ & eloquentiæ rudibus offert, ſed precioſæ illius & raræ ſupellectilis uſus paucis paratur : quod & ipſe animadvertens, in ejuſdem Proœmii calce, mentionem de hac re non illepidam fecit. Cùm primùm ſacras deguſtavit literas, non tantùm veram ſapientiam, ſed & veram eloquentiam, inveniſſe lætabundus exultabat, multaque ut omittam, ab eo teſtamenti Novi allata præconia, Pauli epiſtolas, oratorum omnium ſcriptionibus eloquentia præſtare dicebat. Tullii etiam ipſius Demoſthenisque primarii (ut inquit ille) dicendi artificis, lucubrationes nominatim citans, non quod eſſent, ut illæ calamiſtris inuſtæ, & corraſis undique fucis, & cincinnis conſtipatæ, ſed ut veram, ſolidam, & redolerent, & ſaperent eloquentiam, veris ſententiis, vera arte ſuffultam, eſſentque ut dicam brevius, Aegyptiorum opibus non conſulto ſuffarcinatæ. Omnia porrò veteris Legis eloquia, conſummatiſſimæ ſcientiæ & ſapientiæ plena prædicabat, quod & ſi cum alii, tùm Auguſtinus in libro de Doctrina Chriſtiana luculenter oſtenderit, Septimiusque Tertullianus Euſebius Pamphili, & Caſſiodorus affirment: Grammaticos, Rhetores, Oratores, Philoſophoſque omnes priſcos eloquentiæ & doctrinæ ſuæ fluenta, ex divinarum Scripturarum fontibus epotaſſe: ipſe tamen aliis id muneris rationibus proſequebatur, quarum partem, in Heptapli celebratiſſimæ exordiis inque ipſo ſecundæ expoſitionis Proœmio videre operæ precium eſt. Inter tot juges divinæ legis evolutiones ſecundo anno ab Heptapli editione, opuſculum etiam de Ente & Uno decem capitibus diſtinctum, abſoluit: breve quidem corpore, ſed amplum viribus, ſed altiſſimis & Philoſophorum dogmatis, & Theologicis ſenſibus undequaque reſperſum, quo ſuperius Ente non eſſe unum, ſed ſibi invicem reſpondere, æqualique eſſe ambitu oſtendit, controverſiamque ſuper ea re à Platonis Ariſtotelisque ſectatoribus habitam, recenſuit, aſſeverans Academicos illos qui contrarium contenderunt verum Platonis dogma non aſſequutos, ſenſumque prorſus communem inter Ariſtotelem & Platonem de Uno & Ente, ſicut & de reliquis in univerſum, & ſi verba diſſiderent, demonſtraturus erat non defuiſſe :

fuiſſe: ultimo quoque Operis capite, totam diſputationem, ad inſtitutionem vitæ & morum emendationem, non minus ingeniosè convertit. Adverſum quod opus Antonius Faventinus, egregius alioquin Philoſophus, nonnulla quatuor epiſtolis objectamenta protulit, quarum tribus ipſe reſpondit, quartæ verò, vel quia fideliter delata non fuit, vel quia ex præſcriptis reſponderi poſſe putavit, vel alia quapiam de cauſa, quæ juſta tamen credenda eſt, mentionem quod ſciverim non habuit, cui nos, poſtquâm deceſſit è vita, ne falſa vel latranti malevolis, vel ſiniſtri aliquid credendi rudibus præberetur occaſio, reſpondendi munus obivimus. Illudque potiſſimum curavimus, ut ex præcedentibus ipſius ſententiis, fuiſſe magna ex parte reſponſum monſtraremus. Vidimus etiam nonnulla Platonica vernaculo ſermone ab eo digeſta, quibus multa ad priſcorum Theologiam enodandam facientia, multa in ænigmatibus & ſcirpis abſtruſa ſapientum ſenſa reſerantia, deprehenduntur, quæ forſan, majus ocium nacti, Latina reddere tentabimus, ne tanti hominis ſupereminens doctrina hiſce de rebus maximè pervia, quibusque vulgi ante ora feratur.

Hactenus de perfectis lucubrationibus, quas ante mortem emiſerat, veluti nuncios & anteambulones præclarorum operum, quæ conceperat, & procudebat. Vetus enim teſtamentum, interpretamenti jam facibus illuminârat, id ipſum muneris, ut Novo præſtaret accinctus, nec eos tantum, quos literæ ſeries ferre poterat ſenſus, protulerat, ſed in his locis, quæ treis alios divinorum eloquiorum proprios latura fuerat, ſuperædificabat, Græcisque & Hebræis exemplaribus noſtrorum codicum, diſcordes ſententias conferebat: ſed hoc potiſſimum in ejus mente conſitum fuit, hoc de univerſis propoſitis, quæ in commentandi genere conceperat, altius inſedit, ut aliorum dogmata non adduceret, utpote quæ jam haberentur, legerentur, noſcerentur, ſed ſua prorſus inventa, & meditata diſſereret, ut propriis, non alienis facultatibus, famelicas veritatis animas, pro virili ſaturaret: Poſt hæc Hebraico idiomate pollens, de veritate tranſlationis Hieronymi adverſus Hebræorum calumnias, libellum edidit, necnon, defenſionem pro ſeptuaginta Interpretibus quantum ad Pſalmos attinet adverſus eoſdem, libellum item de Vera temporum ſupputatione conſcripſit. Poſtremo ad debellandos ſeptem hoſtes Eccleſiæ animum appulerat, qui enim nec Chriſto, nec illius paret Eccleſiæ, & quod eſt ſequens, ejus eſt hoſtis, aut impius exiſtens, nullum recipit credendum dogma, ſive falſis inſervit idolis, ſubque hiſce ſimulacris dæmones adorat, ſeu Moyſaicam perditiſſimorum Judæorum ritu legem colit, nefandumve Mahometem ſequitur, deteſtandis illius placitis mancipatus: aut Chriſtianam auditu tantum non operibus & mente ſincera vitam vivens, Evangelica documenta pervertit, Catholicæque Eccleſiæ non conſentiens, obſtinato corde recalcitrat, vel non caſta fide, ſed variis adulterata prophanataque ſuperſtitionibus Evangelica ſuſcipit: aut licet ſolida nitidaque ac conſtanti fide receperit, operibus adverſatur. Hos itaque ſeptem, quaſi duces ſub quibus reliqui velut gregarii continentur, propriis eorum armis confliĉturus, ad congreſſum citaverat, adverſus impios Philoſophos, qui nullæ religionis jugo colla depreſſi nullique addicti numini, naturales tantum rationes adorant, eiſdem rationibus dimicabat: Veteris teſtamenti ſententiis, propriisq; Judaicæ

ſchuld.

ſcholæ auctoramentis, validiſſimè contra Hebræos præliabatur, cum Mahumetanis Alcorano nixus pedem contulerat, Idolorum cultores, & multis vulneribus, & vi non multa proſtraverat, ſuperſtitionibus vanis irretitos, eos præſertim qui divinatricem colunt Aſtrologiam, & veræ Philoſophiæ, & peculiaribus rationibus Aſtrologorum acriter taxaverat: duodecimque jam libris, & quidem abſolutiſſimis, ex tredecim ad hoc deſtinatis, eorum deliria inſectatus fuerat. Demùm Hydromantiam, Geomantiam, Pyromantiam, Haruſpicinam, & cætera id genus inania, ſigillatim exploſerat. Sed in Prophetantes Aſtrologos, cuneum ex profeſſo direxerat, totisque viribus Arietem temperaverat, quando eorum dogmatis, futilibus quidem & nullius momenti, ſuperſtitiones cæteræ ſuis erroribus fulcimenta aucupentur, vel inſpectæ Geneſeos momenta trutinantes, vel in elegendis horis, aut Hexagonos aut Trigonos aſpectus (quos benignos vocant) conciliantes, & ejuſmodi reliqua quibus nec inſanus Oreſtes accederet. Nec contentus Aſtrologiam omnem funditùs evertiſſe, ut oſtenderet noſtri temporis Aſtrologis Græcæ potiſſimum linguæ ignaris, Vaniſſimam omnium profeſſionum Aſtrologiam, perverſis tranſlationibus vaniorem, (ſi dici poteſt) effectam. Ptolomæi fructus, quos centiloquium vulgò nuncupant, inter ſcribendum adverſus eoſdem quaſi aliud agens è Græco in Latinum ſermonem vertit, & elegantiſſima expoſitione honeſtavit, quo in libro plura, ut ita dixerim, errata, quàm verba vulgata, illa tranſlatione contineri demonſtrat, quam tamen ſemper in arcanis veluti precioſum theſaurum cuſtodierunt, ejuſdem cultores ignavi. De Chriſti fide perperam ſentientes, nec matris Eccleſiæ parentes imperio, quos uſitatiori vocabulo nominamus Hæreticos, & Novo inſtrumento, & rationibus egregia objurgatione inceſſiverat, nonaginta ferè hæreſes in propatulo habentur. Verùm ille cuncta rimatus, ducentas invenit, quas ſigillatim non modò eliminare, & profligare propoſuerat, ſed & pariter docere, qua ex parte Philoſophiæ non ritè percepta, ſuos errores traxiſſent, aut furcilaſſent. In Chriſtianos poſtremò, quorum fides ſine operibus viſitur, vehementer invectus fuerat, necnon diligenter exploraverat, quî fieri poſſet, ut ignem in meditullio terræ conſtitutum homines credant, quo perpetuò datura ſunt pœnas damnatorum corpora, cæteraque id genus tàm animæ quàm corporis inexcogitata ſupplicia: immenſa quoque deitatis viſæ gaudia, quibus animæ corporibus junctæ beantur, atque dictis Eccleſiæ quæ ad credendum compellunt, obaudientes non ſint, & nihilominus paſſim debacchentur in vitia, divitiiſque incumbant cumulandis, nihilque minus formidetur ab eis, quàm pœnæ, aut affectetur quàm regnum Dei: pro morborum item qualitate idoneam opem admovere tentabat, tetros ſcilicet morbos, & ſuapte natura impuros, acribus acerbisque medicaminibus inurere: ea verò vulnera quæ minori infecta malitia depravataque forent cicatricemque obducere deſyderarent, lenibus placabilibusque fovere: adeptis verò valetudinem & recidiva metuentibus, ſaluberrimas potiones, celebrataque antidota præparare. Multa alia opera fuerat exorſus, quibus ſperari poterat futurum, ut Philoſophiæ ſtudia in univerſum, eliminatis erroribus, exploſaque barbarie reflorerent.

Inter hæc potiſſimum Platonis & Ariſtotelis numerabatur concordia, quam jam

jam cœptam brevi perfacturus erat, si vita comes paucis adhuc annis superfuisset, ita enim Philosophiam ab incunabulis lactando nutriverat, & ad usque nostra tempora perduxerat adultam, ut nostræ tempestatis Philosopho nil amplius aut in Græcis, aut in Latinis, aut in barbaris codicibus desiderandum esset: citasset udum Thaletem, ignitum Heraclitum, circumfusumque atomis Democritum, Orpheus item, & Pythagoras, priscique alii, ejus ope & gratia in Academiam convenissent. Postremò Philosophiæ principes Plato scilicet fabularum velamentis, Mathematicisque involucris constipatus, & Aristoteles vallatus motibus dextra data fidem futuræ amicitiæ sanxisset. Inter Auerroim quoque & Auicennam, inter Thomam & Scotum, qui jam diu conflictaverant, si non pacem in universum, in multis tamen impetrasset inducias, quando in eorum pluribus controversiis si quispiam dissidentia verba rimetur attentiùs & exactiùs libret, scrupulosiusque vestigans, cutem deferens, introrsum ad imas latebras profundaque penetralia mente pervadat, unionem sensuum indisse paratis pugnantibusque verbis citra ambiguitatem comperiet. Neotericorum turba partim pro meritis, partim pro culpis, & honorata fuisse & taxata.

Totus igitur Deo dicatus, Ecclesiam quibus poterat armis defendebat, atque latitantem (ut ajunt) è Democriti puteo veritatem educebat, & ignorantiæ gramen inexpugnabile, quo multorum mentes præfocantur, subnascentesque pernicioſas herbas abrumpebat penitùs, & detruncabat. Sed mors adveniens, tot tantarumque vigiliarum laborem, & excultæ lucubrationis partum inanem ferè reddidit, hocque potissimum fuit in causa, ut plurimas quanquam magna ex parte exasceatas, dedolatas, imperfectas commentationes dereliquerit, quòd scilicet sibi ipsi tantum, non autem nobis scribebat. Nam sicut celeri in commentando ingenio, ita veloci in scribendo manu fuit, & cum antea pulcherrimos literarum characteres delinearet, factum erat, ut ex usu nimiæ in commentando velocitatis, vix eorum quæ exarabat capax existeret: huc etiam & illuc scribere solitus erat, vetusta interdum supervenientibus novis obliterans, ea propter exoleta quædam & dispuncta reperit, quædam saltim & vellicatim exarata, omnia denique adeò confusa & inordinata, ut sylvæ aut farragines putarentur Ex libro septemplici quem Adversus hostes Ecclesiæ prætitulaverat, pars illa, quæ divinaculos Astrologos genethliacosque potissimum insectatur, ab incude (ut dici solet) ad limam perducta fuit, quam non parvo tamen labore, ne mediocri cura, ab exemplari liturato, & penè discerpto deprompsimus: quo in opere summum Philosophum, summum Theologum, summum Oratorem, acerrimum Christi Ecclesiæ propugnatorem, incomparabili præditum ingenio, quod in cunctis ipsius commentationibus cernitur, se demonstrat. Quædam item minutula non tornata adhuc apud me comperi, interpretationem duntaxat Dominicæ orationis, regulasque bene vivendi circiter quinquaginta, breves perfectò nimis & inexplicatas, quas in multa capita, si vixisset, deducturus omnino fuerat. Duas quoque ad Deum Deprecatorias, quarum unam Rhythmis Hetruscis, elegiaco metro alteram, qua gravioribus defatigatum quandoque studiis animum cantando ad lyram mulcere posset, composuerat: primis enim adulescentiæ annis genus omne musicæ artis adeò excolverat, ut

excogitata per ipsum modulamina, notatæque debitis concentibus harmoniæ celebres haberentur. Plurima quoque in ejus scriniis quanquam inordinata pervidimus, ex quibus tamen utile aliquid præsertim Psalmorum enarrationem compilari posse putaverim. Sed & epistolæ circiter quinquaginta diversis editæ temporibus, tum familiares, tum doctrinales, tum adhortatoriæ emersêre unà cum Oratione, quam Romæ, si disputare contigisset, habiturus fuerat, quæ non tàm juvenis quartum & vigesimum annum nondum nati perspicacissimum ingenium, & doctrinam uberrimam redolet (quod & cunctæ ipsius scriptiones faciunt) quàm fertilissimæ ipsius eloquentiæ locupletissimum nobis testimonium præbet.

Stylo quidem valdè probando usus est, semper non ascito, sed ingenuo, multiformi etiam, pro rerum varietate, qui & si totum (ut ajunt) Isocratis Myrothecion consumpserit, mundicie tamen & decore majestatis ornamento servavit. Nam & celebrata illa dicendi genera, quorum tria Gellius, Macrobius quatuor enarrat, ex commentationibus ipsius, nec impendio colliguntur : ibi copiosum, in quo Cicero dominari fertur : breve quod Salustio asscribitur : siccum Frontoni datum : pingue & floridum in quo Plinium & Symmachum lasciviisse prodiderunt. At fortè copiam hanc Brutus non vocasset elumbem, nec Salustius immoderatam, siccitatem quoque Frontonis humectatam, Salustii brevitatem elongatam, floridam pinguedinem Plinii latiori in campo deportatam, non difficile recto judicio orator deprehendet. Adde his Livii lacteum fontem, fortè sine Patavinitate (ut ille inquit) adjectis flosculis plurimis Apulci. Verùm non hic in mutuata à Græcis Philosophia se exercuit, non in Atticis noctibus, non in fictis Saturnalibus ad laudandam propè Vergilii Æneidem fabricatis : non in Romana historia, non in mera historia, naturæ altissimis difficilibusque speculatibus vacua, sed in admiranda illa mundi fabrica, in incessendis sacrosanctæ Catholicæ Ecclesiæ hostibus desudavit, in eliminandis Astrologis fatigatus est. In Theologicis quæstionibus excutiendis, in Aristotelis & Platonis concordia laboravit, in enarranda sacra eloquia incubuit, in commonendis & adhortandis amicis navavit operam. Verum hanc (de qua agimus) eloquentiam tantùm aberat ut affectaret, ut eos potiùs damnaret, qui pigmentata lenocinia scrupulosiùs exquirentes, omnes ingenii vires in vestigandis vocabulorum originibus accomodabant. Quæ omnia plurimos eò propensiùs in ejus admirationem convertere, quòd inter eorum literas diu & propensissimè versatus esset, qui Latinas literas eloquentiæ floribus refertas non sunt professi (patiantur hæc æquo animo nimii antiquitatis amatores) nam hæc & si concisiùs compendiosiusque tamen eò fortè veriùs, quò me doctiores, & Hermolaus Barbarus, & Baptista Carmelita, & Marsilius Ficinus, & Matthæus Bossus, & plærique alii doctissimi & eloquentissimi viri prodidêre, Bibliothecas amplas tàm Latinorum, quàm Græcorum incredibili celeritate & perlegit, & excerpsit, nullasque (si modò facultas data) commendationes illectas præteriit. De priscis Ecclesiæ doctoribus tantum cognitionis adeptus fuerat, quantum credere difficile est, etiam in eo, qui in ipsis solùm evoluendis totum vitæ tempus consumpsisset : de Neotericis verò Theologis qui eo stylo sunt usi, quem Parisiensem. vulgò nuncupant, tantum judicii apud eum residebat, ut si quis ex impro-

improviſo abſtruſam illorum cujuſpiam maloque explicitam quæſtionem, enucleandam petiiſſet, tanta ingenii fertilitate adaperiebat, tanta ſolertia referabat, ut diceres doctoris illius univerſa dicta, præ oculis & in numerato habuiſſe, cunctaſque pari modo familias agnoverat, cunctas ſchedas excuſſerat, nec uni illorum ſic addictum credas (qui noſtris hominibus mos eſt) ut cæteros aſpernaretur. Ipſe enim à teneris ſic inſtitutus fuit, ſic animatus, ut in illis veritatem quæreret, parique honore, quouſque illa eluceſceret inventa, quoſcunque veneraretur, privata affectione nudatus. Quid tamen de ſingulis ſentiret, qui in univerſum famoſiores habentur, in Apologiæ Proœmio, cùm de barbaris, Græcis, Latinisque Philoſophis, proprietates, peculiareſque laudes retulerit, videre datur. Thomam vero Aquinatem quando interloquendum de his Philoſophis Theologiſve, qui Gallico more diſceptando ſcripsere, mentio fieret præ omnibus laudare conſueverat, utpote ſolidiori præ aliis veritatis baſi nitentem: eum quoque in Heptaplo noſtræ Theologiæ ſplendorem nominat: de hoc percunctatus creberrimè & à me ipſo, idem reſpondit, nec oppoſitum ſuadere cuiquam debent, nonulla quæ in ejus Apologetico continentur diſputanda, alioquin Thomæ opinionibus ex profeſſo adverſantia, cum juvenis admodum eſſet, glorieque tunc cupidus, in urbe celebratiſſima Gorgiæ Leontini more quaſcunque tutando partis famam aucuparetur, adde quod ex decem millibus propoſitionum, tribus tantum, aut quatuor non conſentire, ſed & adverſari id non conuincunt.

Diſceptandi porrò peritiſſimus fuit, frequentemque & impenſiſſimam operam literariis agonibus, dum ferveret animus, impendit: eo objectante ſcilicet, Scoti acumen & vigilantiam, Franciſci acrimoniam, copiam & multitudinem Areoli deprehendere potuiſſes, nec deeſſe nodos illos multiplicibus flexionibus complicitos, nec tàm titillantibus argutiis, quàm gravitate ſubnixos. Eo reſpondente, Thomæ fortitudinem & robur, Alberti amplitudinem conſpexiſſes. Verum his conflictibus nuncium pridem remiſerat, & magis atque magis id muneris in dies peroſus fuerat, adeoque detractabat, ut Herculi Eſtenſi Ferrarienſium duci, & internunciis, & ſeipſo enixiſſimè poſtulanti, ut dum Generalis Prædicatorum fratrum ſynodus Ferrari celebraretur, diſceptare non ægreferret, diu obſequi reluctatus fuerit, multis tamen rogatibus, annuens principi illi, cujus amor in ipſum non mediocris extiterat, morem geſſit: unde datum eſt ambigi ſolertior ne an eloquentior, doctior an humanior appareret: ex ore quidem diſceptantis, talis ſemper animi patebat alacritas, ut de re comi, & placida potius, quàm ſubacida & difficili altercari videretur, quapropter qui ab ore pendebant audientes in mirum ejus amorem excitabantur, ſed frequens ei adagium inerat: Munus id eſſe Dialectici, non Philoſophi. Ajebat item eas diſputationes prodeſſe, quæ placido animo ad veſtigandam perquirendamque veritatem privatis in locis ſemotiſque arbitris, exercebantur: at illas obeſſe plurimum, quæ in propatulo fiebant, ad oſtendendam doctrinam, vel ad captandam vulgi auram, atque imperitorum applauſum, vixque poſſe fieri omnino conſebat, ut honoris cupidini, qua frontivagi illi diſputatores exagitantur, inſeparabili vinculo annexus non ſit, illius cum quo diſputatur, deſyderium infamiæ confuſioniſque, lethale vulnus animæ, venenumque charitatis mortiferum. Latuit eum nihil

omnino, quod pertineret ad captiunculas, cavillasque sophistarum & suiseticas quisquilias, quæ calculationes vocantur: hæ Mathematicæ commentationes sunt, subtilioribus, ne dixerim, an morosioribus excogitationibus naturalibus applicatæ: verùm & si in eis esset eruditus, ac ejusmodi scriptiones legisset, quas fortè ad plenum non novit Italia (nulla enim tam invia & innaccessa literarum reperiri poterant, quæ illius vestigio lustrata, abundè explorata non essent) odisse tamen & detestari videbatur, valere meo judicio, earum communem usum animadverrens, ad sociorum parandam infamiam labefactandamque in replicando memoriam, veritati vero inveniendæ, cui indefessam operam navandam arbitrabatur, aut nihil, aut parum conducere, sed ne plura consecter, lectoremque detineam, comprehendam brevi. Enicuit aliquis eloquentia, sed insicitia rerum naturæ secretarum dehonestatus est: alius peregrinas linguas, sed universa Philosophorum decreta non calluit: priscorum alius inventa perlegit, non nova dogmata concinnavit: scientiæ ab altero hominum tantum & humanæ gloriæ causa, non Christianæ Reipub. emolumento, & divinæ, & humanæ quæsitæ sunt: Ille vero cuncta hæc pari studio ita complexus fuerat, ut turmatim & coacervatim in eum confluxisse viderentur, nec ut multi, qui non aliquo uno excellentes, omnium participes sunt, sed in omnibus usque adeo profecerat scientiis, ut quamlibet ex his in ipso consideresses, eam sibi propriam & peculiarem elegisse judicavisses: hæc quoque eo admirabiliora erant, cùm à seipso vi ingenii, & veritatis amore, quasi absque præceptore assequutus esset, ut quasi de seipso, illud quod de se dicebat Epicurus, possimus proferre: Se sibi ipsum scilicet fuisse magistrum. Ad quos mirabiles effectus, tam parvo temporis spacio producendos, quinque ego causas conveniisse reperi, incredibile ingenium, tenacissimam memoriam, facultates amplas, quibus ad coëmendos tùm nostræ, tùm Græcæ, tùm barbaræ linguæ libros adiutus est. (septem quippè aureorum nummùm millia, retulisse mihi memoria repeto, in ascisendis sibi usque ad diem illam, omnifariæ literaturæ voluminibus, erogasse) juge & infatigabile studium, contemptionem postremò terrenarum rerum. Hunc igitur si prisca illa ætas Laconum tempore protulisset, si Aristoteli credimus, divinum illum virum appellavisset.

Sed virtutes intellectus, jam (ut arbitror) relinquendæ videntur, & nunc præclaræ ejus animæ partes, quæ actiones spectant, prosequendæ, exactissimique mores in publicum educendi sunt, ut flammatus ipsius in Deum animus innotescat, ut erogatæ in egenos divitiæ collaudentur, ut his, qui tandem divinæ legi sunt addicti, referendi gratias, in bonorum omnium auctorem quàm cumulatissimè, paretur occasio. Triennio igitur priusquam diem obiret, ut posthabitis dominandi curis, in alta pace degere posset, securus quo sceptra caderent, cuncta patrimonia, quæ Mirandulæ Concordiæque possidebat, hoc est, tertiam partem earum, mihi nescio an dono, an venditione tradidit: quod factum, postea Maximilianus Augustus, qui nobis est Rex & dominus, ut ita dixerim immediatus (neque enim alium tot seculis quot est exædificata Mirandula atque Concordia, nisi qui successivè in regali imperialive Romanorum throno consideret, recognovimus) Cæsarea liberalitate firmavit: quicquid autem ex hoc negocio pecuniarum acceperat, partim pau-

peribus

peribus elargitus est, partim in emendis agris, unde & ipse, & ejus familiares alerentur expositit, nominatimque Corbulas, in agro Ferrariensi, multis aureorum millibus nummûm sibi comparaverat, multa itidem vasa argentea, preciosasque supellectilis partes in pauperum usus distribuit: mensa mediocri contentus fuit, retinente tamen nonnihil lautitiæ prioris, quantum ad fercula, & ad vasa argentea pertineret. Diebus singulis preces ad Deum suis horis effundebat, pauperibus semper si qui occurrerant, pecunias tribuebat, nec eo contentus, Hieronymo Benivenio civi Florentino, literato homini, quem pro magna in ipsum charitate, proque morum integritate dilexit plurimum, demandaverat, ut propriis pecuniis, semper subveniret egenis, nuptum quoque virgines traderet, eique statim ut erogatos nummos, quam primum restituere posset, renunciaret. Id enim muneris ei delegaverat, quo facilius, veluti fido internuncio, pauperum civium calamitates & miserias, quæ ipsum latuissent, relevare quiret, dedit & sæpius (quod silentio prætereundum non puto) de corpore proprio eleemosynas, scimus plærosque (ut verbis utar Hieronymi) porrexisse egentibus manum, sed earnis voluptate, & illecebris superatos: at ipse propriam carnem diebus illis potissimum, qui Christi cruciatus & mortem nostræ salutis gratia repræsentant, in summi illius beneficii memoriam, delictorumque expiationem cædebat, meisque oculis sæpius (cuncta in Dei gloriam redeant) flagellum vidi. Vultu hilari semper erat & placido, adeoque miti natura, ut nunquàm se fuisse turbatum, multis etiam audientibus testatus sit: recolo mihi interloquendum dixisse. In nullum eventum (ut res pessimè cederent) ira commoveri posse credere: nisi scrinia quædam deperirent, quibus elucubrationes ejus & vigiliæ reconditæ stipabantur. Sed cùm animadverteret pro Deo Optimo Maximo ejusque Ecclesia laborare, eisdemque omnia opera, studia, actionesque dedicavisse, & id fieri minimè posse, nisi aut eo jubente, aut permittente, confidebat se non contristatum iri: ô felicem mentem, quæ jam nullis posset adversis deprimi, nullis quoque commodis (ut palàm fiet) extolli: non illum certè universæ Philosophiæ peritia, non Hebrææ, non Chaldææ, Arabicæque linguæ, ultra Latinam & Græcam, cognitio tumidum reddiderant: non etiam amplæ divitiæ, non generis nobilitas inflaverant, non corporis pulchritudo & elegantia, non magna peccandi licentia in mollem illam, & spatiosam multorum viam revocare poterant. Quid igitur poterat esse tàm admirabile, quod illius quiret mentem pervertere? quid, inquam, supra illum esse poterat, qui (ut verbis Senecæ utar) supra fortunam erat, cum illam sive secundis flatibus tumidam, sive adversis reflatibus humilem, aliquando contempserit, ut ejus mens Christo & supernæ patriæ civibus spirituali glutino copularetur: quod vel hoc argumento liquido percipitur: Quod dum Ecclesiæ officia & dignitates, à plærisque nostri temporis (proh dolor) licitatas actionatasque, non paucos videret expetere, flagitare, suspirare, enixissimè mercari, ipse à duobus regibus, per internuncios oblatas, testes adsunt gravissimi, testis ego, se sacris initiari nolle respondens, repudiavit. Alter verò quidam, cùm seculi dignitates & amplos redditus, se daturum spopondisset, si regem ejus adiret, conspicatus angulum non relinqui in quem se conderet, ademptaque esse cuncta suffugia, tale illi dedit responsum. Ut

intelligeret,

intelligeret, ſe non dignitates aut divitias expetere, ſed potiùs, ut Deo & ſtudiis vacare poſſet, illas neglexiſſe. Ferrariæ quoque eum ex amicis quidam, Pandulpho Collenutio Piſaurenſi, juriſconſulto perſpicacis ingenii viro, & multifariæ lectionis, quo amico familiariſſimè utebatur, ſuaſiſſent, ut eum adduceret quibuſcunque rationibus poſſet, ad Cardinalatus dignitatem petendam, vel certè ſi eam Pontifex offerret (quod multis futurum videbatur) amplectendam idque Pandulphus ſubhæſitans pertentaſſet, quippè qui non ignarus eſſet, omnia illum malle, quàm hujuſmodi honoribus commiſceri, ipſe qua erat animi magnitudine, reſponderi protinus propheticum illud, per epiſtolam juſſit: *Non ſunt cogitationes meæ, cogitationes veſtræ*, contemplans fortè de bonis Eccleſiæ, quorum pars maxima pauperibus hæreditario jure debetur, magnificos ducere apparatus non oportere. Sanctiſſimorum item hominum exempla ante oculos poſita, Ambroſii ſcilicet, Auguſtini, Martini, cæterorumque, qui Epiſcopatus dignitatem oblatam effugerunt, diuque id muneris antequam obirent, detractaverunt. quid quod & non modò ab Cardinalatu ipſo, ſed & ab ſuprema ſummi pontificii poteſtate, factiſſimum Cæleſtinum ſe abdicaſſe legerat, ipſumque totius Chriſtianæ reipublicæ humeris onus excuſſiſſe (onus verè, cùm ſubeuntibus maximum paretur præmium, invitis ſcilicet & parendi tantùm juvandique gratia illud amplectentibus) perſuaſiſſimum erat viro Philoſopho, non eſſe laudis cumulaſſe divitias, non quæſiſſe honores, ſed renuiſſe: & umbratilem renuendo gloriam, veram adipiſci, quæ ſemper virtutes, ceu comes individua & aſſecla comitatur, humanam gloriam vel pro nihilo habebat, ajebatque ſæpiùs, famam vivis non nihil, mortuis minimè profuturam, tantumque propriam æſtimaſſe doctrinam agnovimus, quantum utilitati Eccleſiæ, & eliminandis explodendisque adverſis erroribus conduceret. Quinetiam ad eam perfectionis metam perveniſſe percepimus, ut ſcilicet parum curaret, ſi ejus commentationes, non ſub proprio nomine publicitùs ederentur, dum tamen id ipſum quod ſub Pici nomine facturæ fuerant, afferrent hominibus emolumenti, minimumque aliis amplius aſſici libris, præterquam Veteri Novoque teſtamento, ætatiſque reſiduum in eis ſemper voluendis, conſumere ſtatuiſſe: niſi publica eum ſtimularet utilitas, cum videret tot, & tanta quæ conceperat, & parturierat paſſim ab omnibus non efflagitari modo, ſed & immatura exigi: minutulumque quantulumcunque devoti, vel ſeniculi, vel aniculæ affectum in Deum pluris quàm omnem ejus humanarum divinarumque rerum notitiam faciebat. Admonebat ſæpiſſimè familiares inter loquendum, ut animadverterent, quantum laborant nutentque mortalia, quamque caducum & fluxum quod vivimus, quàm firmum & ſtabile quod ſumus futuri, ſive ſcilicet detrudamur ad inferos, ſive ſublevemur ad cœlos, hortabaturque ut ad Deum amandum converterent & incitarent mentes, quod opus præponderaret, cuicunque, quam in hac vita habere poſſemus cognitioni, hoc etiam in libello ipſo de Ente & Uno luculentiſſimè eſt exequutus: quando ad Angelum Politianum, cui librum nuncupavit, in ipſa diſputatione converſus, hæc verba effatus fuerit. Sed vide, mi Angele, quæ nos inſania teneat amare Deum dum ſumus in corpore, plus poſſumus quàm vel eloqui, vel cognoſcere, amando plus nobis proficimus, minus laboramus, illi magis obſequimur: malumus tamen ſemper

per

per cognitionem nunquàm invenire quod quærimus, quàm amando poſſidere id quod non amando fruſtrà etiam inveniretur. Illud quoque Divi Franciſci (Tantum ſcit homo, quantum operatur) illius in ore frequens fuerat.

Cæterùm liberalitas ſola, in eo modum exceſſit, tantumque aberat, ut aliquid curæ terrenis rebus apponeret, ut etiam incurioſitatis nævo macularetur, ab amicis quoque ſæpiùs admonitum comperimus, ut in totum divitias non contemneret. Aſſeverantibus id ſibi probro dari, cùm vulgatum foret, ſive id verum, ſive falſum, furti diſpenſatoribus præbuiſſe occaſionem. Nihilominus mens illa quæ ſemper contemplandis perſcrutandiſque totius naturæ conſiliis inhærebat, demittere ſe facilè non poterat, ad hæc infima abjectaque penſiculanda. Memini dum Ferrariæ cum eo obverſarer, obſonatorem pagella quadam oblata expenſarum approbationem expetere, quo viſo mirabundus extiti, percunctatuſque illum, Mentemne ad id quod retroactis temporibus neglexerat, appoſuiſſet, reſpondit familiaris: Non modo ab eo eſſlagitaſſe, ſed exegiſſe, ut id ſubiret officii, quibus ut morem gereret factitaverat: tantum vero curæ, quantum prius habuiſſe. Quinetiam dum eius diſpenſator primarius eum interpellaſſet, ut ejus pecuniarum, quas per multos annos contractaverat, diſpunctionem fieri juberet, quò ſecurius menti ſuæ conſuleret: atque ejuſmodi libros, coràm attuliſſet, talia eidem verba reſpondiſſe percepimus: Scio me quàm ſæpiſſimè abs te & potuiſſe, & poſſe fraudari, quapropter liberatione expenſarum harum opus non eſt: ſi tibi debeo, quamprimum nummos exolvam, ſi mihi debes vel in præſentia, ſi potes, vel in poſterum, ſi non adeſt facultas, debita relue. Amicos verò ſemper multa indulgentia tractavit, quibuscum hortatoriis ad bene vivendum locutionibus uti ſolebat. Hominem novi qui dum ejus doctrina fretus & fama, ſecum loqueretur, & haberetur ſermo de moribus, duobus tantùm ipſius verbis commotum, ut via vitiorum deſerta, mores reformaverit. Verba fuerunt ejuſmodi: Si Chriſti mortem, noſtri amore perpeſſam, præ oculis haberemus, propriam quoque identidem cogitando caveremus à vitiis: Modeſtiam & comitatem in eos admirabilem exhibuit, quos non à viribus, aut fortuna probatos, ſibi devinciendos duxerat, ſed à moribus & doctrina: eos tamen qui quantulumcunque pollerent literis, vel ſaltem bonarum artium ſtudiis, gnavos aptoſque inſpiceret, diligere conſueverat. Similitudo namque amoris eſt cauſa, & erga ſapientem virum, ut teſte Philoſtrato, Appollonius inquit, affinitas quædam eſt: ſcentiam quoque perficere hominem, qua homo eſt: perfecta verò bonitatem conſequi ſuper alioſque probos eſſe diligendos non ambigitur. Cæterûm nihil ei intolerabilius, quàm (ut verbis Horatii utar) ſuperba civium potentiorum limina, militiam quoque ſæculi, & conjugale vinculum, peroſus fuerat: interrogatuſque inter jocandum. Quid ei ad alterum ſubeundum onus, ferendumque & neceſſitate cogente & optione data, levius videretur: hæſitabundus aliquantulum, nutabunduſque nec non pauxillum ſubridens: Conjugium, reſpondit, cui non tantum eſſet & ſervitutis annexum, & periculi quantum militiæ: libertatem enim ſupra modum dilexerat, quam & natura ſic affecta, & Philoſophiæ ſtudia ſuggeſſerant, vagumque ob id plurimum extitiſſe illum autumo, nec propriam ſibi unquam ſedem delegiſſe: licet Florentiæ ſæpius, & Ferrariæ quandoque commoraretur.

retur, quarum alteram civitatem sibi quasi domicilium præstituisse putaverim, quod scilicet in ea, post Bononiam primum literarum studia coluerat, illiusque princeps eum mirifice diligeret, quadamque veluti affinitate conjunctus, utpote ex cujus ego sorore scilicet Blancha Maria Estensi natus sim, nec etiam longè nimis esset a patria, quando triginta tantùm passuum millibus ab Mirandula orientem solem versus Ferraria distet: alteram sive aëris amœnitate, sive plurimum amicorum suavitate, sive ingeniorum subtilitate dilexit plurimùm, & incoluit, quos inter literarios amore, duos sibi potissimum devinxit: Angelum scilicet Politianum virum Græcè Latinèque doctissimum, nec non variarum literarum florum refertum, ac propè vindicem Romanæ linguæ: alterum, Marsilium Ficinum Florentinum, hominem omnisaria literatura redolentem, sed maximum ex his qui nunc viuunt, Platonicum: cujus opera in Academicis sibi vendicandis, usus fuerat.

Exterioris latriæ cultus, non multùm diligens fuerat, non de eo loquimur, quem observandum præcipit Ecclesia (gestasse hunc quippè præ oculis eum vidimus) sed de his cærimoniis mentionem facimus, quas nonnulli posthabito vero cultu Dei, qui in spiritu & veritate colendus est, prosequuntur, & provehunt: at internis affectibus ferventissimo Deum amore prosequebatur, interdum etiam alacritas illa animi propemodum elanguescebat & decidebat, majori quandoque nixu vires assumens, adeoque in Deum exarsisse illum memini, ut cum Ferrariæ in Pomario quodam de Christi amore colloquentes, longis spaciaremur ambulacris, in ejusmodi verba proruperit. Tibi hæc dixerim, in Arcanis recondito: Opes quæ mihi reliquæ sunt, absolutis consummatisque elucubrationibus quibusdam, egenis elargiar, & crucifixo munitus, exertis nudatisque pedibus, orbem peragrans, per castella, per urbes, Christum prædicabo: accepi postea illum mutavisse propositum, & Prædicatorum ordini se addicere statuisse, interim eorum quæ conceperat operum quæque inchoaverat, maturabat editionem.

Sed M. CCCCLXXXXIIII. Anno Redemptionis nostræ, dum ipse secundum & trigesimum ætatis annum impleret. Florentiæque moraretur, insidiosissima correptus est febre, quæ adeo in humores & viscera grassata est, ut nullum non medicamentorum genus adhibitum contempserit, eumque omnino naturæ satisfacere, intra tertium decimum diem coegerit. Sed quemadmodum in infirmitate se gesserit, licet eo tempore, ab eo procul essem, narrare tamen non desinam, quæ ab gravissimis testibus, qui aderant, acceperim. Quale illud, cùm post sumptum Eucharistiæ sacramentum, sigillum ei Crucifixi Christi offerretur, ut inde plenos amoris haustus, ob ineffabilis illius passionis nostræ salutis gratia memoriam, priusquam exhalaret animam sumere posset, fortissimum duntaxat, adversùs quæcunque adversa munimen, validissimumque contra iniquos dæmones propugnaculum: interrogantique mox seniori. An firmiter crederet, veram esse illam Dei veri, verique hominis imaginem: qui qua Deus est ante tempus, & ævum ab ipso Patre Deo, cui æqualis in omnibus genitus esset, deque Spiritu sancto, qui & Deus est, ab ipsoque & Patre, quæ tria unum sunt coæternè manente, in utero Mariæ semper Virginis conceptus esset in tempore: qui famem, qui sitim, qui labores, qui æstus, vigilias perpessus esset, qui demum pro

contractis

contractis ab Adæ semine sordibus nostris abluendis, proque reseranda janua cœli, maxima qua genus humanum charitate complectebatur, precioſissimum sanguinem, & sponte & libentissimè in ara crucis effudisset: cæteraque id genus recenseri quandoque solita: Non modò se credere, sed & certum esse, responderit. Et item illud, cum Alberto Pio sororis filio, quem nominavimus inter hujus vitæ initia, juveni, & ingenio, & bonarum artium studiis & moribus conspicuo, eadem ratione, qua Alexander ex Aphrodisiade, & Themistius in auscultatoriorum librorum Proœmio, fortitudinem è Physicis contemplationibus sumi, contra mortis metum declaravit, quam mox sententiam usurpavit Auerrois, conanti inquam Alberto mortis confinia reddere placabiliora, in hunc modum verba reddiderit. Non illa duntaxat ratione pacari animum, non finem mortis cruciatibus poni, sed hac potissimum, quod Dei sui offensis terminus jam poneretur, quando breviusculum vitæ ejus tempus, crebriores in Deum offensas non contenturum arbitraretur. Et illud prætereà, quando pluribus ex Prædicatorum collegio probatissimis testibus, & Alberto ipso, paulò antè citato, revelaverit Cœli reginam, ad se nocte adventasse miro fragrantem odore, membraque omnia febre illa contusa, contractaque refovisse seque morti omnino non concessurum promisisse, hilari placidoque ore, in strato, dum ægrotaret jacuisse, compertum est, atque inter mortis aculeos, quos sustinebat, quasi cœlos sibi patefactos cerneret loqui solitum, salutantesque omnes, & operam suam, ut moris est, pollicentes blandissimo ab eo sermone & receptos & exosculatos. Ab servis item omnibus, si cui molestus fortè fuisset, ignosci sibi postulasse, certiores facti sumus, quibus anteacto anno testamento caverat, victum aliis & tegumentum dum viverent, aliis pecunias pro meritis erogari. Hæredes Florentini Xenodochei pauperes instituit, eorum duntaxat, quæ moveri non poterant: mobilium verò Antonium Mariam fratrem.

P · PAULI

PAULI JOVII DE JOANNE PICO *Mirandula Elogium.*

JOANNES Picus Mirandula meritò cognomine Phœnix appellatus eſt: quòd in eum, Dii ſuperi, ſupra familiæ claritatem, omnis corporis, ac animi vel rariſſima dona contulerint: Mira enim altitudine ſubtilis ingenii, decora facie, lectiſſimiſque moribus, & incomparabili, quum diſputaret, aut ſcriberet, facundia omnes ejus ſeculi ſapientes in admirationem ſui facilè convertit: Graviſſimo autem opere, nec dum abſoluto, tanta eruditione atque vehementia Aſtrologos, totius divinationis vanitate confutata, perſecutus eſt, ut ſubtilium diſciplinarum profeſſores à ſcribendo deterruiſſe videatur. In Heptaplo autem dum Sacrarum literarum myſteria, divino ore nobis recludit, & in Apologetico graviſſimis diſciplinarum omnium rationibus propoſita ad diſputandum, ingenii ſui decreta defendit, ſeipſum doctrina atque memoriæ felicitate ſupergreſſus eſſe videtur. Exceſſit è vita dignus Cœlo, trium & triginta annorum Juvenis, eo die tàm celebri, quàm poſtea Italiæ maximè funeſto, quo Carolus Galliæ Rex octavus Florentiam eſt ingreſſus, ſcilicet, ut tanti funeris luctus, quum ſub ſignis ornatus in pompam externæ gentis exercitus urbem intraret, vel eo inuſitato ſpectaculo, & in tanta receptæ libertatis lætitia, minimè uinceretur.

JOANNES JOVINIANUS PONTANUS, *Lib. Tertio de Fortuna ad A. Colotium Baſſum, in Proœmio de* Joan. Pico *Mirandulæ Comite.*

NEC nos deterrebit Joannes Picus magna tùm nobilitate, tùm etiam ingenio, ac doctrina vir, qui nuper diruere prorſus ſyderalem conatus eſt diſciplinam. Cui quo minus ipſi reſpondeamus, labore eo nos omni liberavit, vir in omni diſciplinæ genere clarus, ac perquam acutus, Lucius Bellantius cui ætas noſtra multùm profectò debet: debituri autem longè amplius poſteri, ne ad eos tanta hæc indignitas penetraret.

ret. Quid enim indignius, quàm tot ſeculorum tradita, tot excellentium hominum velle inventa labefacere, & quæ diſciplinarum omnium eſt antiquiſſima, eam longo poſt tempore inſectari? Videlicet Picus noſter (voco eum noſtrum, quia magna mecum benevolentia conjunctus fuit, quodque doctiſſimum quandoque maximè mihi familiarem atque amicum ſtatuo) tractus ipſe quidem exemplo eſt aut Pyrrhonis, qui Phyſicam & moralem omnem doctrinam evertere conatus eſt olim: aut Laurentii Vallenſis, qui nuper vel decem Predicamentorum ſeriem, ne Dialecticam dicam omnem, ut ſubrueret quid non tentavit? Hæc Joan. Pontan. loco præfato.

VITA
REVERENDI PATRIS
F. HIERONYMI
Savonarolæ
ORDINIS FF. PRÆDICATORUM.

Auctore Illuſtriſſimo Principe D. Joanne Franciſco Pico Mirandulæ *Domino & Concordiæ Comite.*

PROOEMIUM.

VItam HIERONYMI SAVONAROLÆ FERRARIENSIS, viri ætate noſtra longè præſtantiſſimi, decreveram jam inde, terris ut mutavit cælum, litterarum mandare monumentis. Facturus enim videbar operæ pretium, ſi noſtris hominibus, quos ab eo rerum geſtarum veritas latuit, plurimorum etiam interpolata calumniis id aperirem, unde ſibi facilè conſulere poſſint. Idipſum quoque poſteritati gratum arbitrabar fore, ſi rariſſimis exemplis daretur occaſio, ut excitaretur ad bene beateque vivendum, & pro veritate certandum. Sed cùm & multa & dura emerſiſſent impedimenta, diſtuli ad hoc uſque tempus editionem, cui propterea non parva eaque ſincerior facta eſt rerum ſcribendarum acceſſio; dum & major & diligentior (longioris beneficio temporis) delectus haberi

potuit eorum, quæ variè à diverſis afferebantur. Veritatem ſanè quam per me ipſum novi, ſequutus ſum. Nam cum ipſo Hieronymo conſtitutam habui non vulgarem amicitiam ſexennium antequam apud mortales morari deſiiſſet, deinde non auritos tantum teſtes habere volui ſed oculatos, eis maximè de rebus quæ & mortem concernebant & miracula: in cæteris verò quæ quaſi per manus tradita cognoveram, quantum licuit explorandum ſtatui & mores, & diligentiam ejus qui retuliſſet. A te qui leges, (ſi forte meus tibi labor aliquando fuerit uſui) repenſum id mihi velim, ut in tuis ſis ad Deum precibus memor mei, ſimulque ad ipſum *Hyeronimum*, è Mirandula, anno M. D. XXX.

Quod Hieronymo genus, quæ patria, qui parentes, quæ ſtatura.

HIERONYMO paternus avus fuit Michael, patria Patavium, familia Savonarola nobils, ut hinc ex civitatis portis una cognomen habuerit. Nobilior autem cùm eſſet artis Medicæ profeſſione, Ferrariam ab ejus Principe Nicolao Atteſtino accitus eſt, qua in urbe diu vixit. Nam & ſub Leonello ejus filio grandior natu, & ſub fratre Borſio (qui primus ex ea familia Ferrariam, Mutinam, & Regium Lepidi titulo Ducis obtinuit, cùm inter medendum civibus, tùm inter ſcribendum exteris etiam prodeſſe ſollicitus, in extremo ſenio diem obiit. Michaëli fuere duo filii, *Joannes*, & *Nicolaus*. Hic ex Bonacorſiorum familia in matrimonium *Helenam* duxit, ex qua præter duas neptes, quinque tulit nepotes, *Hieronymum Albertumque* Medicinæ perdiſcendæ operam daturos, treſque alios, quorum duo rei domeſticæ curam exercuiſſe, alium, cui *Maurelio* nomen fuit, ſacris primò initiatum, deinde ſub Hieronymo fratre, dum floreret, arctioris vinculo degendæ vitæ religatum conſtat. Virum egregiè pium fuiſſe *Michaelem*, & pauperibus nulla mercede mederi ſolitum puer audivi ex *Blanca Atteſtina* matre, quæ dum virgo eſſet, ſub tutela fratris ejus *Principis Borſii* eo fuerat Medico uſa. Natus eſt Hieronymus undecimo Calend. Octobris, qua die Matthæi Apoſtoli peraguntur ſolemnia. Annus is fuit à partu Virginis milleſimus quadringenteſimus ſupra quinquageſimum & ſecundum. Statura fuit penè juſta, ſed quæ in parvam potius deſineret, quàm in magnam excelleret, erecta tamen & egregia. Cutis color in album ſubrufumque vergebat: ſublimis extabat frons, grandiuſculis per tranſverſum ſulcata rugis. Oculi penè caprini, quibus imminebant falcata ſupercilia pilis conſperſa craſſioribus. Hinc naſus inter malas turgidulas venuſtè incurvatus atque ori pleniori paululum impendens vultum honeſtabat. Subinde prominulum caſtigato ventri pectus incumbens, & collo ac brachiis cruribuſque conveniens oſtendebat in totius corporis habitu, ſic aptam eſſe inter ſe membrorum conſeſſionem, ut nec ea ſulcirentur toris, nec macie conficerentur. Oſſeæ tantum & carne propemodum exemptæ manus, quarum digiti oblongi protendebant ad ungues in acutum. Inceſſus ita ſibi conſtans, ut modeſtia ſimul, & urbana quadam præditus elegantia videretur.

Quæ

Quæ Hieronymo puero ſtudia, quale ingenium, qui mores.

AVUS *Michal* ut arte Grammatica inſtitueretur *Hieronymus* quoad vixit operam dedit, quo vita functo, tradidit artibus erudiendum: eo quidem conſilio ut imitatus avi veſtigia, & opibus & gloria familiam pergeret exornare. Addiderat ipſe literis & religionis cultum, cui à teneris (ut ajunt) unguiculis adeò ſe dediderat, ut ſi quando cum ejuſdem ætatis pueris ludere congreſſus eſſet, paulò poſt inde digrederetur ad altariola conſtruenda, quamquam pietas ubi aliquatenus adolevit occulebatur quodam quaſi velamento literarum, quas ſic excoluit, ut ſpem de ſe amplam illarum in gymnaſio concitaret. Erat Hieronymo intellectus perſpicax, erat ſolertia perrara, judiciumque quod in veritatem ipſam ſuaptè natura ferebatur. Accedebat huc & jugis lectio, & delectus authorum in verſandis Philoſophorum Theologorumque monumentis, quibus ſe totum crediderat, nihil ſibi ad ea non legenda modò, ſed ediſcenda reliqui faciens, nihil ferè temporis ab eis vendicans ſibi, niſi dum parcius linguæ vernaculæ & Etruſcis rithmis (quibus per id ætatis plurimum oblectabatur) operam daret. Philoſophiæ Peripateticæ, (quæ ferè ſola eo tempore excolebatur) pro viribus incubuit. Et cùm in eo multæ ſectæ haberentur, Aquinatis Thomæ Commentariis addicebatur, quem aſſidua contemplatione ſe perdidiciſſe referebat, & Latinorum Philoſophorum Theologorumque, qui antea ſcripſerant, extare principem. In ipſo autem philoſophandi munere ducebatur minimè eo impetu, quo feruntur innumeri, qui quem ſequi malint Doctorem, non lectione ipſa, ſed vulgi opinione deligunt; qui error omnium habetur perniciosiſſimus in diſcendo, quandoquidem non juxta voluntatis affectum, ſed ex ipſa rerum notitia, non de vaga, quam circumferat vulgus, opinione, ſed de percepta perpenſaque cognitione veritatis rerum ſectandarum & opinionum pendere delectum oporteat. Unde illud ab eo ſæpius repetitum, vitiari ob id plurimum ſtudia literarum, quod ordine præpoſtero in auctoribus deligendis voluntatem intellectus ſequeretur. Mirus erat veritatis amator, eo uſque provectus ejus gratia, & in his quos coleret Doctoribus, ut ſi quid non placeret ingenuè fateretur, quod ætate procedente, ſumpto jam Religionis habitu, & claritate nominis ejus ſeſe diffundente multò oſtendit apertius: quippe qui audiens Græca quæpiam *Sexti* Philoſophi monumenta adſervari, in quibus univerſæ doctrinæ humanitus inventæ eſſent, ea è Græca transferri in Latinum, paululum antequam moreretur mandaverat, peroſus multorum, qui ſe ſcire jactabant, ignorantiam. Idque ipſum muneris *Georgio Antonio Veſpuccio* utriuſque linguæ gnaro qui ex ejus erat ſodalitate, delegarat. Volebatque eidem operi *Zenobium* etiam *Acciaiolum* utriuſque linguæ compotem ejuſdemque virum ſodalitatis incumbere, feciſſetque votis ſatis, ni mors ipſum violenta rapuiſſet. Eatenus verò ducebatur amore veritatis, ut dum maximè floreret, & ingenti gloria quæ diceret, quæ ſcriberet circumferrentur,

rentur, cùm rogaretur ab amicis quatenus ſuis ſententiis acquieſcere auditores vellet, non aliter reſponderit, quàm aliorum quorumlibet, demptis iis quæ ſuperno lumine hauſta patefaciebat divino munere. Idque mihi tùm privatim dixiſſe memini. Ad Doctorum hominum coronas diſputare adoleſcens conſuevit. Unde oriri cœpit opinio, futurum eum magni nominis virum. Nam propter diſputandi peritiam & acumen ingenii multos ſibi conciliaverat. Non erat facilè judicatu, utrum ejus eruditio, morum gravitatem; an hæc doctrinam excelleret, virtutibus hujuſmodi ſic inter ſe certantibus, ut ex earum conflictu rarum quoddam, imò uni *Hieronymo* proprium reſultaret, quando inter eos qui liberalibus artibus vacabant, prodigio par eſſet, qui Philoſophorum literas Chriſtianis virtutibus redimitas profiterentur; quæ tamen, ſi eis non condiantur, uti gladius in furentis manibus, & hoſtem perſæpè & Dominum etiam jugulant. Conſuetudo ei cum aliis perrara, ſibi ipſi ſemper comes. Mos autem fuit ſpatiandi ſeorſum, fovendi animi gratia, illudque frequentiſſimè meditandi, maximam hominum partem laborare ſtultitia, ob id quòd finem, ad quem eſt nata, aut ignoraret omnio, aut notum non procuraret acquirere. Propterea à populari cœtu & curia abſtinebat maximè, atque ab aula Principis *Herculis*, qui *Borſio* fratri ſucceſſit, abhorrebat, adeò ut non niſi ſemel totâ vitâ in ejus arcem, quo cives omnes confluebant introierit, totus ſcilicet veritati contemplandæ mancipatus.

Cauſa ſumpti Religioſi habitus & Epiſtola ad parentes & amicos miſſa.

HOC vitæ tenore ad annum uſque ætatis ſecundum & vigeſimum ſervato, cogitare ſecùm cepit, perſeverandumne ſibi foret in ea vita quam vivebat, an alia potior quærenda: diuque ambigenti ei ac variarum concurſu opinionum anxio, nocte per ſoporem frigidiſſima quædam aqua in corpus illabitur, ob quam de ſomno continuò excitatus, animatus eſt ad novam capeſſendam vitam, Deo ita volente, qui animabus eum quàm coporibus mederi malebat, moderabatque in eo jam illecebras carnis; & ſaluberrimo illo frigore, fervorem ætatis ſæpenumero noxium reſtinguebat: Quare & Chriſtum omnino ſequi, & omni humanæ gloriæ nuntium remittere ſtatim conſtituit: ad quod faciendum non nihil etiam ex ſacerdotis cujuſdam ex Auguſtini Eremitarum ordine, quaſi divinis ſtimulis urgebatur. Sed cùm nulli religioni earum, quæ à quibuſdam Theologis *Factitiæ* appellantur, (una enim & ſola eſt Chriſtiana religio) quæque vivendi regulæ dicuntur à quibuſdam, nulli inquam magis afficeretur quàm ei quæ Fratrum Prædicatorum nuncupatur, tam ob egregriam ejus famam & merita, quàm ob id quod *Thomæ Doctoris* eorum præcipuè placita ſectaretur, in hac ſe militaturum præparat. Sed cùm parentes & fratres & amicos omnes id conſilii latere voluiſſet, die eo Aprilis qui & Martyri Georgio ſacer eſt & Ferrarienſibus celeberrimus habetur, occupata urbe in ſpectandis ludis omnifariam, ipſe Bononiam pergit, ibique Prædicatorum Fratrum habitum induit. In ipſo autem ingrediendæ Religionis

Religionis limine oblitus (idem ut ipſe mihi retulit) propoſiti cujuſdam, quod altè inſederat menti, ſacrorum ordinum refugiendorum & ſacerdotii renuendi, veritus ne de ſeculo (ut ajebat) in ſeculum prolaberetur parum diſtare religioni addictos viros, quibus Fratrum nomen eſt factum, à cæteris hominibus ſecularium appellatione ſignatis exiſtimans, qui literis, Ariſtoteli & diſputationibus plus nimium vacarent. Ipſe verò qui verſatus in eis etiam cum honore fuerat, metuebat apprimè, ne crederetur eiſdem ſtudiis, & diſputandi munere manciparetur, conducibilius ſibi fore exiſtimans aut hortum colere, aut tunicas ſuere, vel quippiam id genus efficere, quod fratres hi qui converſi vulgo dicuntur, conſueverunt. Sed hujuſmodi ſententiæ, cum cænobium adiit, profunda eum adeò tenuit oblivio, ut nihil omnino quod ad eam rem faceret, obreperet cordi: Dei ut arbitror decreto, qui eum ad erudiendos populos inſtituerat, quo factum eſt ut & comam præcidi & verticem radi & cætera ſibi fieri permiſerit, quæ conſueverant his qui ſacris ſolent initiari. Parentes autem & amicos quos ejus diſceſſus afflixerat, per Epiſtolam Italica vulgarique lingua conſcriptam, & objurgavit ſimul & conſolatus eſt. Objurgavit quidem, quod moleſto id animo tuliſſent, quod æquiſſimo alioquin & lætabundo decuerat excepiſſe, quando ſe ſpirituali quam aſſecutus fuerat dignitate triſtabantur, qui ſi temporariam adeptus fuiſſet, ſumma lætitia afficerentur. Conſolatus eſt autem, ſperare illis jubens, præſtituendum ſe à Deo hominum animis medicum, dum cuperet ipſe corporibus mederi.

De ſimplicitate Chriſtianæ vitæ quam delegit, & de militibus ad ejus verba converſis.

UT autem eorum quibuſcum vivebat fratrum mores & acta diligenter obſervavit, ea cum antiquis illis vel primitivæ Eccleſiæ viris, vel ſanctiſſimis Ægypti Monachis conferens, non eam eſſe ipſorum vitam collegit, quam nomen prætenderet, quando nec in eis, præterquam in paucis qui ſtrictiſſimæ ſe addixiſſent, Chriſtianum decus fulgeret. Alios namque ditandis cœnobiis intentos advertit, alios innumeris vanitatibus implicitos, alios vanis acquirendis literis & *Ariſtoteli* magis quam *Chriſto* deditos expertus eſt, & eò quidem moleſtius hoc illi fuit, quò ſe ad obeunda eadem munia compellendum timeret. Naturali namque Philoſophiæ & Metaphyſicæ perdocendæ (quarum peritiam plus ipſe nactus fuerat) ipſum addixere. Quod munus ubi per multos annos excoluit, & diſcipulos complures erudiit, poſthabitis diſceptationibus vanis & ambitioſa quæſtionum ſubtilitate ſepoſita, Chriſtianæ ſimplicitati ſe penitus dedit, eos libros ſibi familiares deligens, quorum lectione ad pietatem identidem provocaretur, & divinarum rerum, quarum aviditſimus erat, quandam quaſi animi faturaret ingluviem. Sed ad id officii quanquam à *Caſſiano* editæ collationes, perſcriptæ à *D. Hieronymo* SS. Patrum vitæ, *Auguſtini* Meditationes conduceret, horum tamen contemplatio ad nutriendum animum & ad replendum non ſatisfaciebat, niſi potiorem ſibi alimoniam

alimoniam quæſiſſet. Ea propter ſpirata divinitus eloquia Veteris & Novi Teſtamenti, quibus homines vivere (Chriſto referente) didicerat, comparavit ſibi; & nocturna diurnaque manu ita verſavit, ut totum fere ſacrorum librorum canonem & memoria teneret, & profundè exactèque (quantum homini licet) intelligeret. Per id tempus & peccatis hominum audiendis, & iis de ſuggeſtu profligandis addictus eſt; quæ delegata ſibi munera viribus omnibus implere ſatagebat, quanquam illud, ut hoc commodius exequeretur, poſtremis vitæ annis depoſuit, totis ſcilicet viribus ſacris Concionibus vacans. Quibus perorandis, tametſi & vocis & geſtus gratia, & ſelectu etiam dicendarum rerum in ipſis initiis deſtitueretur, divino tamen munere proficiebat, & non parum multos de ſummis vitiis ad virtutes ſummas avocabat. Nec ſolum quæ de pulpito ad plebem faciebat verba, verùm etiam quæ privatim etiam extrà ſuggeſtum & populi conventum diſſerebat, vim ſecum Evangelici illius probati ſeminis afferebant. Atque inter cætera quæ ejus linguæ miniſterio Deus omnipotens effecit, illud magnum & admiratione dignum videtur, quod dum Ferraria ſolvens Mantuam concionaturus navicula proficiſceretur, octoque & decem milites eodem navigio ſimul eandem urbem peterent, ludentibus illis, & obſcæna verba jactantibus, poſtulavit ipſe & impetravit dimidiæ horæ ſpatium verba faciendi; quibus nec dum finitis, undecim ex illis ad ejus pedes provoluti, & ingentia crimina eaque multis annis inveterata faſſi ſunt, & eorum ab ipſo veniam ſuppliciter atque cum lachrymis etiam poſtulaverunt.

De divinis citra velamen revelationibuss, quarum particeps factus Hieronymus futuras prædixit clades.

PER id tempus divinarum revelationum particeps factus, ingruentes & Italiæ & aliis regionibus calamitates ad futuræ renovationem Eccleſiæ prævidit, quamquam non adeo tunc ea extra dubitationem illi paterent, ut omnis ei ambigendi occaſio præriperetur: quod evenit ſi prophetiæ lumen citra velamen humanæ ratiocinationis effulgeat, Etenim adventitio lumine divino partim colluſtrabatur, & ex parte alia caligabat humano, ſed duce ratione in eam inclinabat partem, in quam divina quoque viſa inducebant. Exiſtere namque ſibi videbatur divinæ juſtitiæ majeſtatem, ut de ſceleſtis hominibus, de iis potiſſimum qui præſunt, pravoque ſubjectos exemplo populos corrumpunt, atroces pœnæ ſumerentur, cùm perditum humanum genus, divina patientia tot ſeculis abuteretur, pariterque eſſent Aſiæ & Africæ populi multis erroribus & ignorantiæ tenebris circumvoluti: ſummæ item providentiæ ordinem id poſcere dubio procul arbitrabatur; ſi quidem ab ipſo rerum primordio & conditi orbis incunabulis, mira quædam & imperſcrutabilis divinorum judiciorum ſeries innotuit, ut ſimul & amabilis clementia & juſtitia tremenda perſpectæ ſint. Sic & humani generis parentem nec ad inferos truſum, nec pœna etiam immunem fuiſſe. Sic in libidinis commune crimen, quo terra omnis infecta fuerat, non ſtatim animadverſum, ſed univerſali

ſali poſteà cataclyſmo vindicatum. Sic Pharaonis Ægyptii regis impietas non continuò ad internecionem ducta, ſed undis demum rubri maris abſorpta. Sic nefarii puerorum amores, quibus quinque urbes illæ penitus tabefactæ fuerant, non ex ipſo initio ſuppliciis affecti, ſed igne poſteà & ſulphure deleti. Haud aliter infecto orbi noſtris temporibus eventurum rebatur, ubi & virtutes omnes peſſum iverant, & ſcelera univerſa rerum potiebantur: videbaturque veroſimile, ut eorum tandem Deus miſereretur, qui tenebris affecti veræ lumen religionis ignorabant; hi verò qui relicta luce ſeſe barathro volentes immergerent, excitarentur ſic ut vel clementiæ participes fierent, ſi modo virtutes, abactis vitiis, amplecti vellent; aut juſtitiæ tribunal ſubirent, ſi obſtinatius ſordeſcerent in ſcelere, exemploque forent cæteris pravorum vindictæ facinorum. Conſentaneum quippe videbatur ſuam ut Eccleſiam Deus eodem perpendiculo, quo ſemper uſus fuerat, metiretur, & obliquos ejus parietes revocaret ad lineam, monitis primùm, deinde flagellis pro ſcelerum varietate diverſis. Pontifices ſummo aſtu & dolo, necnon ſimoniacâ perfidiâ ſupremum aucupari ſacerdotium dicebantur palam, ſic ut nec quiſquam id ferè revocaret in dubium. Mox adepti ſolium, ſcortis & cynædis eos, auroque coacervando vacare, fama publica circumferebat, atque ad eorum exemplum qui ſuberant Cardinales & Epiſcopi ſeſe inſtituere. Nullus in eis vel modicus Dei cultus, iis eadem vivendi ratio, nullaque religio. Quin etiam ferebatur eorum aliquos Deum non colere, & in fidei noſtræ contemptum & contumeliam pleraque ſpargere: ſed & plures eorum qui religioſæ addicti vitæ, ab inſtitutis ſe laxioribus ſecreverant, & traditas regulas profitebantur, unde & ſibi cognomen uſurpaverant, ad hypocriſim dilabebantur. Proinde fervorem illum Chriſtianis debitum non modò in univerſum tepuiſſe judicabant hi, qui Deum in ſpiritu & veritate colunt, ſed torpuiſſe penitus & friguiſſe. Ad hæc Principes tyrannicam vim publicè exercebant, & qui vexabantur, nihilominus rapinis, ſtupris, ſacrilegiis, concuſſionibus, adulationibus inſerviebant, ut illud ſacrum repeti poſſet, *non eſſe*, videlicet, *qui faceret bonum uſque ad unum.* Tantis itaque de cauſis, propter propheticum etiam ſpititum quo afflabatur, nonnihil de imminente clade pronuntiare cœpit, quanquam ſacrarum literarum involucris tegebat arcana, ut impuros homines à perceptione myſteriorum arceret, veritus ne ſanctum canibus traderetur, ſimul ne viſis adhuc ambiguis deluderetur. Hanc ob cauſam ſæpiſſime Deo preces fundere, & jejuniis corpus macerare, & flagellis atterere, & alios ad id officii cohortari ſtuduit: quo tandem hæc divinæ clementiæ munere extra dubitationem lucideque innoteſcerent ſibi quæ prius ambiguè & ſubobſcurè monſtrabantur. Oranti igitur ipſi & divinas laudes in Eccleſia perſolventi, dum in divinæ bonitatis contemplatione abſorptus eſſet, iſque præſertim verſiculus caneretur, *Bonus es tu, & in bonitate tua doce me juſtificationes tuas*: fugatæ à ſenſu & intellectu omnes tenebræ ſunt, & ſuborta lux, quæ dubitationem omnem de futuris quæ præviderat eventis expulit. Mihi enim hoc privatim narravit, publicè autem ſæpenumero dixit, quæcumque de futuris prædixerat, non ſecus (ipſa luce divinitus infuſa) vera ſe comperiſſe, ac quilibet compos mentis partem omnem ſuo tanto minorem eſſe novit, & de re qualibet aut affirmationem aut negationem veram eſſe opor-

tere. Proinde cœpit confidentiùs prædicere futuras clades, & eis veluti quibuſdam adminiculis, collabentem & tanquam intermortuum peſſimis moribus Chriſtianum orbem inſtaurandum.

Quibus de cauſis Florentiam appulerit Hieronymus, ibique quam magna egerit, miſſu'que fuerit ad Regem Carolum VIII. Legatus de Pace.

POST hæc & Angelicis colloquiis monitus, & ab ejus præpoſitis accerſitus, qui *Joanni Pico* patruo meo hac in re morem gerebant, *Florentiam* appulit, ubi & *Joannis Evangeliſtæ Apocalypſim* è Lunari ſuggeſtu Florentinæ plebi interpretari exorſus eſt in ſacra æde *Sancti Marci* Ordinis Prædicatorum. Agebatur tunc annus corporati Verbi octogeſimus nonus ſupra milleſimum quadringenteſimum, cœpitque tum ea quæ futura præviderat inter exponendum afferre, tametſi eas ipſas quas hauſiſſet futurorum notas, citra corticem non proferret, ſed velamentis illis Apoſtolicæ revelationis obtectas daret in vulgus, veritus ne multitudinis partem ſimpliciorem inſolito prophetici tonitrui fulgore terreret, duriorem autem & effrenem ad riſum & ſcommata concitaret, ob monſtruoſam illam perſuaſionem vulgo multis retrò ſæculis inolitam, non eſſe ſcilicet poſtremis hiſce temporibus Prophetas viros, neque poſt *Joannem* cognomento *Baptiſtam* hoc divinæ providentiæ munus in Eccleſiæ viſum. Quam quidem opinionem minuti & exiles Philoſophi Theologique comprobare auſi ſunt, quamquam ſucceſſu parùm felici. Nam & ab ipſomet propheta, & ab aliis atque etiam à meipſo cùm rationibus, tùm authoritatibus editis adhoc opuſculis confutati ſunt. Prædicabat itaque renovandam ſiue reformandam Eccleſiam, ſed cædendam prius & purgandam flagello gravi, ni pœnitentiæ partes ſuſciperentur. Et quamquam idipſum ex Apoſtolico textu decerpere videbatur, non potuit tamen effugere, quin & riſus ſubmoveretur ignaris, & invidorum linguæ acuerentur, quas, ubi publicè vitia eorum qui præerant aggreſſus eſt perſequi, in ſe atrociſſimas expertus eſt. Appropinquante vero calamitatum tempore apertius aliquid atque illuſtrius quàm conſueverat, de arcanis ipſis deprompſit. Quo factum eſt, ut ob multiplices in ſe conflatas calumnias, à cæleſti edicto promulgando penitùs ceſſare ſtatuerit, alioque animum convertere pavore quodam humano conſternatus. Priſtino igitur prænuntiandi munere depoſito, objurgandis ſolum criminibus, virtutibuſque ſuadendis operam dare decreverat; cæleſti nihilominus ad idem voce & minis revocatus eſt. Adduxerat autem jam in eum nonnihil populi fidem, & prædicta nonnullis mors Innocentii VIII. Pontificis, & prævisus ab eo prædictuſque Caroli ejus nominis VIII. Gallorum Regis in Italiam adventus, qui jam accelerare ferebatur ad expugnandum Apuliæ regnum, & pari voce aſſeverata *Mediceæ* familiæ calamitas & ejus potiſſimum capitis *Laurentii*. Is cùm eo tempore in republica Florentina princeps eſſet, & haberetur, ſic ut ferè omnia ad ejus nutum agerentur, quamquam

quam ſub ſpecie civilis inſtituti, audiſſetque *Hieronymum* apertiùs in tyrannicos uſus invehi, eum ut ſibi conciliaret multis tentavit; quod ubi fruſtra ceſſiſſe comprehendiſſet, quinque urbis cives magnæ authoritatis ad eum deſtinavit, monitos, uti ex ſeſe *Hieronymo* ſuaderent, ex re eſſe & Religionis & reipublicæ Florentinæ, ut aliorum more concionaretur, hoc eſt, in univerſum, & à futuris rebus prænuntiandis abſtineret, nec aggrederetur particulatim res non admodum neceſſarias.

Hos viros ad ſe venientes *Hieronymus* priùs benignè reprehendit, aſſeverans non, uti dicebant ipſi, proprio, ſed *Laurentii* Medices inſtinctu locutos. Deinde ejus nomine *Laurentium* monendum adjecit, ut erratorum pœniteret, quoniam ipſi, ejuſque domui calamitas divinitùs imminebat. Tres alios miſiſſe audivi, non jam opertis, ſed apertis *Laurentii* nomine verbis locuturos, quibus palam reſpondit, ſe *Florentiæ* manere, *Laurentium* autem ex ea diſcedere oportere. Cujus rei memor *Laurentius*, cùm æger non multò poſt temporis jaceret, & proximus morti fieret, *Hieronymum* vocari juſſit, virum ſcilicet intrepidum, & quem nec blanditiis nec ullis artibus à veritate flecti poſſe comperiſſet. Quem accerſitum (præſtò enim affuerat) comiter allocutus rogavit, ut Chriſtiano more peccata ipſius audire vellet, cui facturum ſe quod peteret annuit, ſi antequam noxas contractas confiteretur, tria præſtaret. Primùm fidem habeas oportet, inquit, *Laurenti*: Adeſt, inquit, Pater. Secundum, reſtituas opus eſt, ſi quæ injuſtè ablata ſunt. Tum ille cogitabundus aliquantulum repreſſit verba, mox ait, hoc dubio procul efficiam Pater, aut hæredibus efficiendum meis relinquam, ſi ipſe non poſſim. Tertium adjecit, Libertatem Patriæ reſtitue, ut in ſtatu priſtino Florentina Reſpublica collocetur. Quibus verbis cùm nullum reſponſum dediſſet, paulò pòſt diſceſſit *Hieronymus*, nec multò pòſt *Laurentius* exceſſit è vita.

Fuga deinde & exilium *Petri Medices Laurentii* filii, & nota *Hieronymo*, & prædicta fuerat, ſimulque Piſarum à Florentinis futura defectio, quo tempore Rex Gallorum Etruriæ Fines intraſſet. Quamobrem cùm *Carolus* ipſe Florentinorum cervicibus immineret, jam Piſas ingreſſus. Florentiam inde, deinde Romam petiturus, & Neapolim, potiundi ejus Regni avidus, quo obtento non difficile factu arbitrabatur, ſe poſſe ad invadendos Turcas Chriſtiani nominis hoſtes inſtructa claſſe tranſmeare: tum miſſus eſt. *Hieronymus* à Florentina Republica ad *Carolum* Legatus de pace, ut Regis animum & fretum Regni potentia, & ipſius invicto calore excitatum, necnon *Petri Medices* qui ei adverſatus fuerat, urbiſque vim omnem in ipſum duxerat, offenſis iratum, qua erat & ſanctitate & prudentia leniret.

Piſas *Hieronymus* acceſſit, Regi quod volebat perſuaſit, ſubindeque Florentiam pacatus venit, ibique cùm multa in Florentinos agitarentur, *Hieronymi* ingenio & authoritate ſedata ſunt. Eo ipſo tempore quo *Carolus VIII.* Rex Francorum Florentiæ morabatur, divina viſa cœpit confidentiſſime patefacere, ad idque venit ut *Joannis Pici* Patrui mei, viri utique doctrina & ingenio incomparabilis animam, quæ inibi proxime migraverat è corpore purgatorio igne torqueri, multis auditorum millibus (quibus ego tum forte aggregatus fueram) aſſeveraret. Multa itidem de imminente clade, multa de

Reformatione Eccleſiæ prædicere, multa de Pontificum & Regum vita dicere, multa de iis quæ paſſurus erat ob prædicatam veritatem prænuntiare divino juſſu palam exorſus eſt.

Quàm admirabilis Hieronymo gratia ſacris in concionibus effulſerit.

EA autem dicendi gratiâ, quâ ſcilicet antea diſtinguebatur, ubi ad prædicandas orbis clades, & Eccleſiæ ſpiritualem inſtaurationem divinis monitis accinctus eſt, adeò copisè abundavit, ut à quibus olim auditus fuerat, pro miraculo haberetur: quippe cum ipſa linguæ celeritas, rerum allatarum ſublimitas, magnitudoque, & verborum ſententiarumque elegantia prodigio par eſſent. Pronunciabat voce libera & acuta; non fervido ſolùm ſed ardenti vultu, geſtuque venuſtiſſimo. Ita verò illabebatur in auditorum aures, immò verò in præcordia, ut attentos eos extra ſe pene raperet. Et cùm vox ipſa nec legentis prorſus eſſet, nec clamantis, niſi cùm effulminaret in crimina, in ea tamen ſentiebatur utrumque, neutrum diſcernebatur. Super eo verba faciente, ſigna cælitus multa apparuere ſuo loco referenda: quæ ubi aliquantulum vulgari cepta ſunt, tantus in dies ſingulos per compita plateaſque, fiebat populorum concurſus, videre hominem affectantium, dum ab Eccleſia quæ *Sancta Reparata* dicitur, in qua ſermones habuerat, cænobium S. *Marci* repeteret, ut peregrinis propoſita ſibi itinera peragentibus, viarum aditus per confertam multitudinem non pateret. Armatis etiam cuſtodiebatur, dum iter faceret, qui ſe ſponte, ipſoque recuſante, ſæpius offerebant, & ipſum adverſus invidos & hoſtes propriorum laterum & corporum oppoſitione tueri pollicebantur. Res autem ſtupore digna exiſtimata eſt, per complures illum totque continuos annos ſic in eodem Prædicationis officio, eadem in urbe functum fuiſſe.

Quanta Hieronymo authoritas apud Florentinos: & quibus eos beneficiis cumulaverit.

EA ipſa in urbe duo potiſſimum procuravit efficienda & impetravit, quæ nullo pacto fieri poſſe una omnium voce perferebatur. Primum publicè pax inter cives inita eſt, eò difficillima factu, quò qui ſub *Laurentio* & *Petro* vexati fuerant, plurimi vindicare ſe, & acceptas reponere injurias, mutato rerum ſtatu ſatagebant. Aſſeruerant enim ſeſe in libertatem cives *Medicibus* expulſis, cùm primùm *Carolus* Civitati ſeſe proximum fecit. Deinde inſtaurata ſunt Reipublicæ officia, delapſa prius & ad potentiores devoluta. Neque enim qui *Petro Laurentii* Filio adverſati fuerant, æquo ferebant animo, populari inſtituto gubernari, ambitu enim honorum tenebantur, videriique volebant indignos non eſſe qui ad *Petri Laurentiique* faſtigium aſcende-

re

re non poſſent. Quibus rebus *Hieronymus* reluctabatur, & rationibus oſtendendo non ita debere fieri, & in concionibus publicè aſſerendo, quod ipſe procuraverat de pace omnino futurum eſſe eo uſque, ut in Comitiis fabæ, ſi qui forte albas darent, in nigras verterentur. Mos enim Florentinis erat, ut fabis nigris uterentur, ſi ſuffragari voluiſſent, albis verò ſi refragari, contra morem antiquorum, præcipuè Græcorum, qui lapillis atris damnabant reos, albis autem abſolvebant, Romani verò literis A, & C, tum abſolvebant tum condemnabant, & neutri faventes parti N. & L. utebantur literis: quaſi *Non Liqueret*, quod in quæſtionem venerat.

Probauit autem eventus (ipſorum etiam adverſariorum teſtimonio) vera eſſe quæ *Hieronymus* prædixiſſet, quando hi qui ſe fabas in pixide albas poſuiſſe certò ſciebant, ut adverſarentur, nigras inſpexiſſe teſtabantur, ſic ut inviti ſeſe ſuffragatos agnoſcerent. Cumulabat authoritatem tentatus fruſtrà reditus *Petri Medices*, quem ille neutiquam reverſurum in patriam & irritos conatus ejus omnes pronunciaverat.

Pari voce annua ſpectacula, & equi curſu victoribus more veterum propoſita præmia, (quæ tolli poſſe nemo exiſtimabat) ſublatum iri dubio procul aſſeruerat, idque evenit, quamquam omnes fere in adverſum Cives niterentur, albis uſi fabis quas nigras inſpexiſſent: Sublatorum ſpectaculorum cauſa bene moratis viris gratiſſima fuit, quoniam eo potiſſimum die *Joanni Baptiſtæ* ſacro luxus civitatis multus effundebatur, multaque ſubinde accreverat inconditæ plebi ſemper grata licentia (ex qua proclivis in mala facinora, nec difficilis lapſus) populoque nihil non permittebatur. In hæc enim ut aleæ ludum & perditos plurimum ritus acerrimè invehebatur.

Alia quoque non parum multa, quæ bene inſtitutæ beneque moratæ Civitati adverſantur, tolli penitus enitebatur, & quæ radicitus evellenda noſſet, ſepenumero prænuntiabat. Difficillimum eſſet colligere quæ prædixit antequam evenirent. Certè oppugnationem Piſarum, & eo tempore & eis quibus utebatur modis incaſſum tentari monuit, quod ſuo etiam loco ſumus indicaturi. Sed enim *Maximiliani Cæſaris* in vexandis Florentinorum rebus, dum Piſas appulit cum Genuenſium claſſe, Piſanis infructuoſum adventum prænunciauit, nec non alia complura, quæ veros exitus invenêre, ex quibus maxima illi fides habebatur ad ea quæ monebat de moribus, deque omni ſexu ad pietatis regulam & Chriſtianæ Religionis normam inſtaurando. Propterea que vitæ inſtituta adeò in pleriſque mutata ſunt, ut priorum comparatione morum multi in alios omnino homines evaſiſſe viderentur. Ordines Civitatis ſunt ſeorſum ad normam priſcæ ſocietatis inſtaurati, Pueri Chriſtianam ſimplicitatem edocti ſervare: cavere à laſcivis veſtibus, & à ſupervacaneo cultu, monebant ipſi viros antiquiores, incenſi adeò, calore pietatis Chriſtianæ excitarent, in eorumq; penetrarent domos, & illicita ſcelerum raperent. Quorum fervore multitudo ingens excitata, & mirum in modum ad bene beateque vivendum animata eſt. Fœminæ quas partes corporis minus opertas gerebant velare didicerant, authore *Hieronymo*, caſtiſque actionibus operam dare, illecebras, & malitiæ fomenta depellere; Primores urbis ab honorum ambitu deterriti, intra fines civibus conceſſos continere ſe didicerunt. Pecuniæ vim ingentem pluribus inceſſit reſtituendi cupido, qua in re non ſolùm frequentes

quentes erant, ſed in pios uſus longè profuſiores fiebant : adeò ut honeſtis ſanctiſque moribus Civitatis facies quodammodo videretur immutata.

Quibus ex cauſis multiplex invidia in Hieronymum exorta eſt, deque ipſius conſtantia & animi tranquillitate.

POSTQUAM autem ſanctitatis ejus crevit in univerſum opinio, crevit & apud multos invidia, atque ex invidia manarunt calumniæ ; nam ſicuti amicos ob eximiam ſibi virtutem complures conciliavit, ita inimicos etiam non parum multos, eadem ratione in ſe concitavit. Poterat ille quidem univerſos diligere, ita jubente Chriſto, ita ſuadente natura. Poterant & maligni homines ſuadente Dæmone, ſtrenuum Chriſti militem perſequi, quem odiſſe pluſquam vidiſſe nonnulli ferebant. Inter omnes vero perſequutores Hieronymi hi acerrimi inventi ſunt, qui moribus peſſimis, & potiſſimum Eccleſiæ præſides quorum vita fœdiſſima univerſum orbem fœtore repleverat, Florentinique illi Cives qui uſurariæ pravitati obſtinatè operam navabant, & vitiorum cœno impenſiùs volutabantur ; illorum libidinem avaritiamque, illorum luxus ſimoniacaſque labes inſectabatur ; publicè privatimque monere ſolitus, à Babilone (Romam intelligens) fugiendum eſſe, quoniam illuc & ea confluxiſſent vitia, quæ fuerunt olim dum rerum potirentur Romani, atque *in Tyberim Sirus Orontes deſlueret*, & quæ poſterioribus etiam ſeculis aut hominum malitia excogitaſſet, aut in Chriſti invidiam malignus dæmon terrarum orbi ſuggeſſiſſet, & ipſam flagitiorum omnium ſentinam cloacamque effeciſſet.

Monachorum, Monacharumque & pene Religioſorum omnium contumelias ob id in ſe conflaverat, quod tepiditatem eorum (ita enim appellabat) & abuſus quam plurimos coarguebat, ſuorumque Prædicatorum Fratrum calumnias & inſidias expertus eſt, quoniam Congregationem fratrum Etruſcam, ab ea quæ Ciſalpinam incolit Galliam, ſegregaverat Pontif. Maximi authoritate, atque illam divino juſſu conſtituerat. Dabant illi arrogantiæ nimiæ atque ambitioni, quod maximæ adſcribere laudi debebant : ſiquidem ſecretionem hanc fecerat, quibus fuerat antea juſtis etiam de cauſis inſtituta, ob varios provinciarum mores, variamque victus rationem ab ambientis aëris & ingeniorum diſcrimine pendentem. Optabat autem ut eam vivendi normam tenerent ſodales, quæ à *Divo Dominico* ſervata eſt, & paulò poſt fratrum omnium conſenſu, firmata & acceptata fuit. Nonnihil enim aliqui laxioribus habenis percurrere ſinebant quod alioquin eorum legibus cautum ipſe ſciebat ne fieret, præſertim de prædiis poſſidendis. Cùm autem factu hoc longe difficillimum videretur, multique & magni viri primores etiam ordinis totis ei viribus obſiſterent, eam prædixit tamen ipſe futuram, atque inde ad bene beateque vivendum commoda ſequutura. Ad hoc quippe divinis monitis & animatus & impulſus eſt ; ſelectus enim ad id erat officii, ut emortuum fere vigorem Chriſtianum, & perfectæ vitæ, publico exemplo, & ſacri eloquii permulga-

permulgatione revocaret, expurgandamque prius, deinde reformandam Eccleſiam præcineret, ea potiſſimum in urbe, quæ & præclaris ingeniis ſit referta, & quaſi in ipſo Italiæ meditullio collocata, ut Propheticam videlicet vocem, ipſi Florentini qui negotiationi multiplici & peregrinæ mercaturæ vacant, non ſolùm per Italiam, ſed per univerſum orbem diſpergerent.

Quæ delegata ſibi divinitùs munia quam libentiſſime obibat, doctrina ſimul & exemplo, tum diſcipulos, tum ſectatores inſtituens, nil amicorum elatus laudibus, nihil vituperatione inimicorum commotus, ſed per utraſque quaſi per vulgatos Syrenarum cantus & per Scilleos latratus auribus cera obductis medius pertranſibat, & Crucis vero, non navis fabuloſo ligno religatus, procelloſæ vitæ hujus æquora perſulcans, ad optatam patriam properabat, ita liber curis, ita ſine omni ſolicitudine (quamquam & perſecutores gladio mortem intentabant, & veneno etiam inſidiabantur) ut nihil minus quàm de tutela vitæ cogitaret, non ignavia quidem aut ſtupore, aut contemptu, verùm humanæ ſortis expenſione, meditationeque communis interitus, & contemplatione futuræ gloriæ, ad quam ſitibundo pectore ſic anhelabat, ut poſtrema vitæ hora, ſumme illi eſſet in votis. Deferebantur ſæpe ad eum fallaciæ & doli quos inimici procurabant, jactataque ab eiſdem in eum probra & contumeliæ: ad quæ lætus ille ajebat, putare ſe nil pati ab inimicis poſſe, ubi tranquillam animi pacem, quam poſſidebat, nequirent interturbare; quin immo optare (ſi modo id ita expediret aut commodè fieri poſſet) per compita plateaſque, per fora, per tabernas ire; ut quæ in eum jactabantur maledicta, propriis auribus exciperet.

Quænam Hieronymo eſſet victus ratio, qui ſermo, quæ proloquia.

VICTUS ratio illi cum aliis communis, id magni illius & nunquam ſatis laudati *Bernardi* pro comperto habens, mirari homines eum ſolere, qui agit quod non conſueverunt cæteri. In ipſa ſcilicet ratione cibi & potus ac hujuſmodi. In veſtibus mundities apparebat, ejuſdemque in id ſanctiſſimi viri verba repetebat, *Paupertatem ſibi placere, non ſordes.* Cibo & potu quantum fieri poterat abſtinentiſſimus fuit, quos ſemper de communi ſumebat menſa, niſi cum homines non omnino vulgares Florentiam ad eum viſendum accederent. Tum enim hoſpitum menſæ convivebatur, tametſi guſtum ob aſſiduas contemplationes poſtremis annis pene omnem amiſiſſet.

Sermo ei familiaris, qui & nullam ſanctitatis ſpeciem affectatam prætenderet, & in hortamenta virtutum, vitiorumque deteſtationem magna cum dulcedine ſpiritus accederet. Quæ autem ſepiſſime proferret, & quæ tanquam proloquia libentiſſime uſurparet, hæc fere in univerſum erant, *Tantum ſcire homines quantum operarentur*, quod à *Divo Franciſco Aſſiſino* (cujus vita vehementiſſime afficiebatur) prolatum olim memoriæ proditum eſt; nec id quidem abs re ut opinor, cùm ex operibus quæ de charitate procedunt pendeat beatitudo, cujus adeptione ſciendi deſiderium impletur. *Similem* item *eſſe*

animam

animam hominis ejebat, ferro, quod in medio duorum magnetum ponitur, quorum ſupernè unus, alter infernè collocetur, conandumque eſſe aſſidue, ut eum, qui inferius poſitus eſt, abdicemus, & ad ſuperiorem illum ſublimemque trahamur, terrenis videlicet voluptatibus, quibus ſenſus illiciuntur, & ad inferna trahuntur, omnino poſthabitis, hæreamus rebus ſpiritualibus & inviſibilibus, ad quas & facti ſumus & divinis monitis invitamur.

Illud quoque, ut à vanæ gloriæ quæſtu amicos removeret, ſolitus erat afferre, *Spiritualem cibum hac in parte non differre à corporali, quod ſicut hic etiam ſi ſuaviſſimus ſit, ſi laudatiſſimus, non in ejus tamen qui nutritur naturam evadit univerſus, ſed pars ejus inſito calore non omnino concocta modificataque per corpus in excrementa vertitur, & loca petit inferna. Sic & ille ſimiliter, qui tametſi bonitate fultus videatur, & prima fronte cœlum petere, parte tamen aliquantula vergit in ima quæ veneno gloriæ præditur, ne charitatis calore concoqui poſſit ex integro, modificarique per corpus & numeris omnibus abſolvi.*

Ad indagandam quoque veritatem & ad invidias reliquaſque affectiones animi pravas effugandas, profatum hoc perſæpe repetebat; *Eum qui exquiſitiſſime videre velit, infecta oculorum conſpicilia deponere oportere: nam ſi pura & nitida ſint perſpicilia, rerum ſpecies uti ſunt in pupilla recipi: ſi verò viridia, cærulea, purpurea, cerea, vel fuſca fuerint, adulterari quodammodo formas quæ ex rebus depromuntur, taleſque qualia ſunt conſpicilia videri ſolent; haud ſecus evenire intellectui, qui phantaſmatibus tanquam ſpeculis quibuſdam utitur ad contemplandum: ea, ſi adventitiis coloribus impermixta fuerint, lucidam in reſpiciendo & in ratiocinando veritatem patere, necnon tranquillam & congenitam pacem præſentari: ſi rubedine, fulcedine, viriditat maculata, falli primum ſpiritualem viſum, deinde vitia, contumelias, cædes, livorem, triſtitiamque ſuaderi.*

Solebat item monere ſtudioſos literarum, ne authores ſibi voluntariè deligerent, ſed ratione, nec præponendum ſibi putarent *Ariſtotelem* vel *Platonem*, vel illum aut alium ex Theologis, quoniam ex nimia affectione, veri judicium inficitur: duce igitur intellectu, non voluntate hujuſmodi in rebus utendum eſſe, ut liberum poſtea fiat de veritate judicium.

De mira Hieronymi lenitate & amore paupertatis.

VISENDI eum & alloquendi omnibus facultas data eſt, ut inimicis etiam & perſecutoribus aditus non negaretur: qui ſi quando colloqui cepiſſent, eorum plerique qui oppugnatores venerant, mox propugnatores facti diſcedebant, dulciſſimo quodam humanitatis & lenitatis vinculo irretiti. Idque nonnullis aliquando contigit, ut ab ejus aſpectu ſe prius non ſubtraherent, quàm quæcumque in eum maledicta ſparſiſſent, quaſcunque decipulas moliti fuiſſent, ſuapte ſponte faterentur: quibus ille nihil ſuccenſus, non ignoſcebat modò, ſed ea manſuetudinis & benignitatis verba rependebat, quibus ſe ab eis veniam poſtulare magis quàm præbere videretur. Ea quippè nativa fuit hominis placabilitas, ut nunquam ad acerbam reprehenſionem infrendere viſus ſit, nunquam iracundiâ vocem extollere, nunquam vultum

quantum-

quantumvis plurimum laceſſitus, indignabundus mutare, In eliminandis vitiis exardeſcebat quidem, ſed cum è ſuggeſtu verba faciebat ad plebem; communi autem in ſermone, preſſa potius & leni oratione, verbis ſimplicibus, quàm aut ſoluta exageratione & impetu, aut exerta voce utebatur. Et quamquam vitia, non homines inſequeretur, in ipſis tamen vitiis objurgandis commodius interdum etiam & utilius arbitrabatur, pacato & tranquillo ſermone quàm turbulento & exagitato uti, probatos corporum imitatus medicos, qui vulneribus quidem medicamenta interdum admovent cauſtica & acerrima, adhibentque ferrum & ignem, ſi fomenta non proſint, ægris autem non modo non ſuccenſent, verùm & compatiuntur potiùs, quin aliquando, ſi conducere putent, blandiuntur. Diſcipulos ſuos crebro monebat, ſibi à Principum hominum qui omnino Chriſtianè non viverent, cavendum eſſe commercio, ratus iis qui Chriſti ſe Cruci affixiſſent, divitum & Principum virorum amicitias venenum fore. Quod quidem tantùm aberat, ut ipſe non modo ſervaret, ut & ab affinium conſanguineorumque converſatione, poſteaquam religionem adiit, enixè caverit. Sed neque unquam curavit, ut & illi opibus juvarentur, quæ non ſatis etiam ad decentiæ victum ſuppetebant. Cùm enim *Nicholaus* ejus pater vir probus, ex honeſtis opibus ad modicas, ob crebra vadimonia deveniſſet, abſtinuit etiam vir ſapientiſſimus ab hoc pietatis officio, tum quia divitias illis impedimento fore ad conſequendam animi ſalutem rebatur, mediocritatemque eam quæ in paupertatem declinat conducibiliorem eſſe, tum etiam quia calumnias in ſe non parùm multas conflaſſet, quibus ei officio quod ſibi delegatum divinitus fuerat derogatum iri cognoſceret eoque magis quod ejus perſecutores ſpargebant in vulgus, quæſiſſe eum ſororibus dotem, à qua ſæpe etiam oblata quàm maxime abhorruerat: quandoquidem *Joannes Picus* patruus meus, dum venditis mihi patrimoniis duo aureorum millia dempſiſſet ex acervo pecuniæ, ipſamque egenis erogare propoſuiſſet, qua potuit voluntaria propenſione *Hieronymum*, quem ad id negotii delegerat, rogavit, ut quadringentos ex eis in dotem ſororibus daret quod tunc maturo ipſe conſilio renuit. Renunciatum tamen *Laurentio Medicis*, qui tunc Florentinam Rempublicam gubernabat, aliiſque permultis, perſuaſiſſe *Hieronymum Pico* ipſi eadem de cauſa, omnia illa ducatorum millia pauperibus diſtribuenda, ut inde nuptui ſorores traderet. Quam quidem rem tantum abfuit ut aut cogitaret, aut proponeret, aut acciperet, ut etiam ipſe *Joannes Picus* patruus meus, in maximam *Hieronymi* laudem & mihi & aliis retulerit, ut acciperet ab eo nunquam nec rogantem ſe potuiſſe impetrare. Voluntariæ paupertatis ardentiſſimus amator fuit, ad eamque totis præcordiis ſtiendam ſodales ſuos identidem hortabatur. Nec ſecus honoratos habebat Chriſti ſervos ſtrictiori addictos religioni, pannoſis indutos veſtibus & rudibus, ac ſeculi divites in auro & coccino, ſervorum etiam cuneis conſtipatos. Fratrum Sodalium veſtes breviores ſtrictioreſque aliquando conſtituit quàm eſſe conſueverant, ad normam eos & exemplum revocans antiquorum, qui pauperrimam (ut ita dixerim) paupertatem docuere. Monuit item, ut à geſtandis crepidis abſtinerent, ſuperfluas eas exiſtimans, quando earum loco ſoleas quaſdam calceamentis inſerere, & commodius foret, & his etiam à quibus victum mendicabant gratius, quos minus quam

fieri poterat vexandos dicebat, exemplo Pauli, qui tametsi victum à Corinthiis jure suo vendicare posset, maluerit tamen scenofactioriam artem exercere, unde sibi ad tolerandam famem provideret.

De Hieronymi mira totius vitæ puritate, in Dei amorem etiam per extasim propensa, deque miraculis quibusdam.

NULLIS omnino earum rerum, quæ sub lunari machina continentur, intento afficiebatur animo, nec discipulos arrici vólebat, ut in Deum totis viribus commodius ferri possent, & quo pacto id facilè assequerentur nonnullis regulis explicatum reliquit. Idipsumque exemplo prius quam verbo monstravit, siquidem implendæ superiorum voluntati promptissimus fuit, cella sua contentus, nihil doctrina elatus, nihil ob id quod præsideret tumidus, nihil curiositate inquietus, verùm calcatis animi pede terrenis omnibus, jugi divinorum meditatione & satur & placidus. Qui si quando vehementius quam oportuerat affectu se rei cuipiam inhærere comprehendisset, id à se quanto ocius fieri posset, abjiciebat, etiamsi tale esset ut spirituale magis quam, sive temporarium sive seculare dici posset. Namque & sacros libros, & sanctorum imagines, & quæ etiam in Dei honorem ipse cuderat commentaria, vel quibus suberat, vel discipulis, vel (impetrata venia) amicis tradebat, ne qui totus in Deum ferri animus atque integer esse debet, ad sublunaria isthæc diligenda divisus paulatim procumberet, Integritatem carnis ad extremum custodivit & qui eo pollebant munere, mirificè ab eo diligebantur. Inter omnia verò à quibus caverat vitia, insultus humanæ gloriæ diligenter observabat, simulacrum ob id cranii ex ebore fabrefactum frequenter habebat in manibus, quod attritu digitorum assiduo ferè consumpserat: ajebat enim, ejus aspectu gloriæ vanæ stimulos obtundi; quando & quæ fuerant, suntque, & quæ item futura putarentur hominum capita, horrida falce mortis, quæ humanæ gloriæ flosculos quantumlibet florentes exscindit, calvario illi essent evasura similia. Sed & pro ea maxima quâ pollebat augenda fide æneam crucifixi Jesu præ manibus habebat effigiem, aut tunicæ manibus insertam frequenter gerebat: ut si quando (quod futurum expectabat) occideretur, gestu saltem & opere, si linguæ officium intercluſum fuisset, Christianam fidem, ipsa exhibita Christi Crucifixi imagine, profiteretur. In orando Deo & frequentissimus & assiduus fuit tantaque in eum animi propensione ferebatur, ut Evangelicum orationis indefessæ decretum se implesse palam faceret. Noctis tempus omne, præter id parum quod somno dabatur, oratio sibi & contemplatio vindicabant. Dies inter publicas & privatas orationes finem accipebat, ea duntaxat ejus parte vix dempta, quæ naturæ necessitati & ordinariis divinorum eloquiorum lectionibus impendebatur: quamquam præpediebatur sæpe amicorum concursu, qui variis de causis hominem consulebant, atque eo veluti internuncio quid esset opus facto, Deum scisitabantur. Eam namque cum ipso amicitiam ob cordis puritatem & assiduas orationes inierat, ut nihil à Deo sibi, quod non impetrarit, revelari petierit: eoque

que jam devenerat ut per decennium antequam moreretur, nil de ſermonibus quos habiturus erat ad populum (tantâ erat in Deum propenſione) inciperet cogitare, priuſquam id de quo dicturus eſſet, divinis oraculis erudiretur. Rariſſimum quidem donum pauciſſimiſque à Deo conceſſum: Et quamquam ſcribit *Areopagita Dionyſius*, *Carpum* illum Cretenſem Epiſcopum nunquam conſecraviſſe myſteria, niſi viſione propitia præeunte: hoc tamen illi huic homini, ex innumera multitudine munus eſt commodatum. Rapiebatur in cœlum etiam ejus anima perſæpe, divinæque Luci adeo copulabatur, ut deſtitutum ſenſibilibus officiis corpus velut emortuum relinqueret. Eveniebat hoc illi dum divina faceret; atque ob eam cauſam ſemotis, quantum fieri poterat, arbitris, Dominicum ſub altaris Sacramento corpus & ſanguinem pertractabat: ſed qui lucernam, non ſub modio, ut occulatur, verum ſub candelabro, ut patefiat ponendam ſtatuit, quandoque in cœtu ſodalium fratrum corpore ejus exanime remanente, mente eum ad cæleſtia gaudia trahebat. Brixiæ olim dum eſſet, nocteque ea qua Chriſti Nativitas præſentatur, cum divinæ laudes in Eccleſia vocibus peragerentur, corpus ejus immobile per quinque horas manſit, ſic mente & affectu penitus in Deum abſorptus ob ſancti Spiritus præſentiam, ut facies ejus magnum lumen emitteret. Exactis enim divinis, qui regreſſi poſtea ſunt ad finem rei contuendum, ſe vidiſſe teſtati ſunt, ipſam *Hieronymi* faciem, extinctis etiam lampadibus noctis tenebras fugaviſſe, ejuſque fulgore Chorum ipſum Eccleſiæ univerſum illuſtratum fuiſſe. Sic me præſente *Auguſtinus Morus* Brixienſis, ejuſdem profeſſor Ordinis non auritus tantùm ſed oculatus hujuſce rei teſtis, noſtræ Mirandulanæ plebi de pulpito aſſeveravit. *Silveſter* ejus vitæ comes & martyrii conſors, roganti mihi de *Hieronymi* ſanctitate, atque obſecranti ut occulti quippiam proderet in rerum ejus confirmationem (ſciebam enim eum multorum ſecretorum conſcium) affirmavit, columbæ ſpeciem, quæ ſancti Spiritus præſentiam gratiamque indicaret, ſemel atque iterum ſe vidiſſe *Hieronymi* humero inſidentem, argenteis aureiſque coruſcantem pennis redimitam, & roſtro in aurem ipſius porrecto inſuſurrantem. Eodem Spiritu ſancto revelante, humanarum ille mentium arcana exquiſitiſſima prope perſpexit, & pleriſque hominibus ſuorum maculas criminum leniter coarguendo & detexit ſimul, & ut eas eluerent author extitit. Objurgavit enim ex ſodalibus quempiam, & peccata nonnulla ſub oculos poſuit, quæ ille poſtea in penitiſſimis receſſibus diu celaſſe ſolique Deo nota fuiſſe conteſſus eſt. Sed & Florentinum quoque civem, detecto animi, quod tegebat, ulcere ſanavit. Nam licet is divina diu mandata ſervaſſet, in id tamen impegerat criminis, quod viſam de feneſtra venuſtiorem feminam concupivit, & mente adulterium commiſit. Poſtea verò cum *Hieronymo* per Bibliothecam ambulanti occurriſſet, ſalutatus ab eo ſtatim & reprehenſus eſt, quod non is eſſet qui pridie fuerat, quo audito ad ſacerdotem ille tremebundus confitendi criminis gratia ſtatim cucurrit, & ſupplex veniam deprecatus eſt. Dæmones qui vel obſeſſa corpora vexabant, vel ad hominum terriculamenta per ædes ſancti Marci ſtrepebant, mirum in modum ab aſpectu *Hieronymi* formidabant, nec unquam ejus ſincere nomen præ rabie exprimebant, ſed aut literas invertentes, aut nomen decurtantes, aut in aliud ludicrum alludentes transformabant. Illud maxi-

mèdolebant, magnaque vociferatione conquerebantur, impetrare illum à Deo quæcunque vellet, nec unquam genua ubi ea posuerat levare solitum priusquam voti compos evaderet. Minabantur illi persæpe, sed illico evanescebant, sanctissima quæ in eos effunderet verba subveriti. Eo tempore quo Ethruriæ sodales fratres à Cisalpinis secreverat, dæmonum numerosa cohors, bono quod inde sequi conjectabantur infesta, cœptum præpedire opus molita est: proinde & cœnobii habitatores universos molestiis impetere, & terroribus quatere, quorum insultibus, tum orationibus, tum adjurationibus continuis *Hieronymus* obsistebat, & noctu etiam sanctæ aquæ aspersione per monasterium psallens eos à cellis & ædibus abigebat. Sed postquam juvari discipulos *Hieronymi* precibus magis quam lædi suis infestationibus ac umbratilibus bellis animadvertêre dæmones, cessandum sibi duxerunt: plus tamen in *Hieronymum* conaminum, quo poterant impetu molientes, cui & noctis intempestæ silentio consuetum dum iter arriperet, & cellas omnes psalmis & aquæ sacræ guttis seu propugnaculis armaret, sic densarunt aërem (mihi postea sicut ipse retulit) ulterius ut sibi facultas omnino per cœnobium incedendi præclusa videretur; hisque sint illi verbis interminati. Quot tibi malorum acervas & quæris; Nos in te namque tot & tanta concitabimus ut sustinere non valeas. Ad quæ lætus ille respondit, quæcumque vellent pararent & exercerent, horum nihil se formidare, quia *adjutorium ejus in nomine Domini qui fecit cœlum & terram.*

Tanta erat ejus animi puritas, ut semper eadem polleret lætitia, sive à dæmoniis tentatus, sive à pessimis hominibus molestiis affectus, sive à carne vexatus: Convenereque omnes qui mecum eo familiariter utebantur, nihil in ejus conversatione mirabilius ea videri pace, quam & corde gestabat & vultu prætendebat. Quæ quidem inter omnifarias procellas secura semper & immobilis perseveravit, eademque cum illa fuit aut illius certe particeps quam Christus Apostolis dedit & mundus dare non potest: nihil enim in ea momentanei, nihil perituri, imò iisdem omnino spretis, in æterna illa & semper mansura quiete sui radices amoris fixerat. Proinde meritò pax illa florebat. Nam qui res fluxas amat, difluit & ipse animo, momentisque mutatur: qui verò stabilioribus rebus affectu inhæret, fluxis calcatis omnibus, ab omni motus & temporis injuria, mente liber æternitatem ipsam assequitur, & felicitati futuræ initiatur. Quandoquidem ea est amoris conditio, ut res natura ipsa discretas colligat, uniatque, adeò ut amantem in amatum ipsum quoad fieri potest planè transformet. Quapropter ibi esse quemque ubi desiderium ejus est, & receptum jam ab antiquitate, & divinis etiam atque humanis libris extra omnem controversiam confirmatum est adagium.

De Commentariis, libris, opuſculis, Epiſtolis, ab Hieronymo compoſitis atque editis.

SED etſi tot & tantis, ut diximus, occupationibus detineretur *Hieronymus*, ea tamen non deſtitit, quin & ſuo & poſteritatis ſeculo, non tam exemplis vitæ quàm literarum monimentis opem ferre niteretur. Multa namque varii generis latina linguâ compoſuit: nonnulla quoque italico idiomate tam proſa quàm verſu, ex omnibus autem quæ unquam cuderit operibus, præcipuum id certe fuit quod in probationem Chriſtianæ fidei editum quatuor diſtinctum libris, *Triumphus Crucis* inſcribitur, atque ceteris præponendum, non tantum ſtilo, qui certè cæteris eruditior eſt, ſed & ipſa, quam tractat, materia. Proximum & illud huic exiſtimo rerum utilitate, cui *De vitæ ſimplicitate* titulum fecit, quinque libellis exaratum, in quo certiſſimum eſt ea contineri omnia, quæ ad bene beateque vivendum homini Chriſtiano judicantur utilia; ſed & illud, cui titulus *Solatium itineris mei* nihilo inferius, ſi ejus & doctrina & ſubtilitas probè ſpectetur: quanquam illius materia plurima ſui parte duobus quæ recenſuimus ſuperioribus voluminibus pertractata fit. Ad hæc viſa quæ ſibi divinitus offerebantur ſcriptis mandata, uno complexus eſt libro, cui titulus eſt *Revelationum compendium*, in quem inſipienter invectus eſt quidam *Samuel Caſſinenſis* ex ordine Minorum, qui vulgo Zoccolanti dicuntur libello proprio & peculiari, quem vix in publicum datum inita defenſione *Hieronymi* confutandum ſuſcepi, defenſionemque illius inſcripſi *Hieronymo Tornelio* Præſidi ordinis Minorum. Opuſculum item edidit, quo illi erudirentur qui & audiendis peccatis & impertiendo pœnitentiæ Sacramento præſunt: quod *Manuale confeſſionum* vocavit, ex aliorum opinione magna ex parte confectum. Librum quoque in defenſionem fratrum ſodalium, qui ſub Ethruſca Congregatione degebant, inſtituit, ob Summi Pontificis *Alexandri VI.* moleſtiam, qui laxioris vitæ fratribus in ea quæ Romana dicebatur congregatione degentibus miſcere modis omnibus volebat eos, qui ſub auſpiciis *Hieronymi* ſacris, & diſciplina militabant. Cui nuſquam voluit acquieſcere Hieronymus reunionem illam & Dei contrariam voluntati & in proximum charitati proteſtatus. Quam ob cauſum in *Hieronymum* magna eſt conflata calumnia & anathematis irrogata ſententia: minas autem ille non eſt veritus, Pontifice rem minimè inſtam & ſacris literis adverſam procurante. Namque is, ubi creſcere Chriſtianum vigorem animadvertit, ſuffragarique bonos viros undequaque Hieronymo tam in ipſum Pontificem, quam in cæteros Romanæ Curiæ vitiis immanibus implicitos, divinis armis palàm ferocienti paratas illi cohoneſtare ſategit inſidias. Volebat igitur, ex *Ethruſca* atque *Romana* quam nuper in id erexerat congregatione una hoc prætextu coaleſceret; quæque ſub *Hieronymo* merebatur *Ethruſca*, aliam quæ deſertoribus plena erat reformaret: Cui Hieronymus, & malis bonos inquinari non ſuſtinens, præterquam quod ad ſe unum res illa non pertineret, ad ſanguinem uſque reſtitit, ſciens his non religionis zelum & incrementum, ſed ſuorum quæri diſcipulorum populationem & exterminium, qui ſub jugo

pravorum

pravorum præſidum ſic attererentur & à reprehendendis emendandiſque criminibus eorum ipſe juſſis & minis & carceribus arceretur: Eam autem ſententiam Pontificis vanam, irritam, nullius roboris & momenti, ipſemet in ſuis ad populum ſermonibus multis rationibus oſtendit. Ego quoque duobus libris editis, quibus titulum feci *De injuſta excommunicatione* idipſum monſtrare curavi. Extat & ejus liber, cui *de Prophetica veritate* titulus eſt, in multas diſtinctus diſputationes, ſub myſticis vocabulis divinorum munerum exactus. Extant & *Epitomata in naturalem moralemque Philoſophiam* confecta. Extant & *decem libelli de Dialectica* ſcripti more pene Mathematico, poſteaquam centum queſtiunculas breviſſimas de eadem facultate compoſuit; opus item *de Poetis* edidit, idque, ut ipſe dixit, *Joannis Pici* Patrui mei rogatu, ad retundendam quorumdam in Poëtis gentium colendis nimiam curam, quamquam ipſimet *Hieronymo* ſacra placebant poëmata, hoc eſt quæ pura ſinceraque eſſent, nil ſuperſtitionis immixtum haberent, niſi inter confutandum aut objiciendum, ut noſtra magis, hoc eſt Chriſtiana religio reſplendeat, licet hujuſmodi carminum ſcriptoribus appellatio Theologi verius congruat quàm poetæ: Quin nec ipſe dedignabatur cudere carmina. Edidit enim quandoque *Ruthmos* religione fretos, lingua vernacula, quorum multi extant & decantantur. Commentationes præterea plurimas in ſacra eloquia perſcripſit. In mundi *Geneſim* a Moiſe narratam, *In eandem Geneſim* ſparſim complura. *In partem libri Levitici*, In *Pſalterium Davidicum* curſim & paucis, ſed in nonnullos plaſmorum ampliter, In eum præſertim cujus initium. *Qui regis Iſrael intende*. Quinquageſimum quoque pſalmum dum eſſet in vinculis abſque ullo librorum adminiculo, imò omni corporis vexatione & mentis anguſtia jactatus latiſſimè interpretatus eſt. Explanavit item quinque verſiculos ejus pſalmi cui principium eſt. *In te Domine ſperavi non confundar in æternum.* Ad hæc commentarios cudit *in Solomonis Cantica* breviſſimos, & ſtilo quaſi laconico exaratos. In *Hieremiæ Threnos* etiam, quæ *Lamentationes* à nobis dicuntur. Sed & *Quadruplicem Dominicæ orationis expoſitionem* perfecit, & quì fieri commodo poſſit ſimul edocuit, ut ex lectione ad orationem, ex eaque ad meditationem & contemplationem aſcenderemus. *Job* quoque *librum* interpretari aggreſſus, at in quinto & decimo capite ejuſdem variis diſtentus occupationibus deſiit, quæ impedimento etiam fuere ne cœptam *Evangeliorum interpretationem* abſolveret. Adde *Concluſiones perbreves Pontificiorum decretorum*, quæ expoſuit, ac *Expoſitionem exactam in Gradus Bonaventuræ Ordin. Minorum*, quibus ad perfectionem vitæ ſpiritualis aſcenditur, quam *Agamemnonis Bononienſis* rogatu edidit. *Queſtiones* etiam plurimas, tùm *Philoſophicas*, tùm *Theologicas* terminatas reliquit vario argumento; nec non *bene vivendi Regulas* complures extruxit. Simul & *Epiſtolas complures* ſcripſit variis de cauſis: & hæc quidem omnia Latina lingua ad meam notitiam pervenere, quamquam & multa alia extare, ab his qui videre, perdidici. Quæ autem vernacula lingua Italica perſcripſerit hæc fere habentur. *Liber de Chriſti amore*. Liber *de oratione*, alius *In mentalis orationis defenſionem*. Tractatus unus *de Humilitate*. Alius *De ſacrificio Miſſæ & myſteriis ejus*, alius quo *Decem præcepta divina* explicantur. Opuſculum *De viduali vita*. Aliud opus *Contra divinatricem Aſtrologiam*, quod ex *Joannis Pici* Patrui mei diſputationibus

onibus collegit. Idque in ejus ipſe proœmio præfatur. *Ad Sacerdotes* item *& Clericos* themate ex Levitico ſumpto *Monitorium opus* quod pro eorum vitæ norma haberi poteſt. Sed & *Regulæ ad Religioſos viros exhortatoriæ* & *monitoriæ*. *Epiſtolæ* non parum multæ ſpectantur, quarum præcipua eſt ea quam *ad Magdalenam* ſororem meam cenobium Virginum ſub ſanctæ Claræ Regula jamjam ingreſſuram, rogatu meo conſcripſit. Quæ circum tria quæ vocant eſſentialia Religioſorum vota diligentiſſimè verſatur. Scripſit & *Expoſitionem ſalutationis Angelicæ ad Virginem Chriſti matrem*. Et *ſpirituale adverſus corporalem peſtilentiam antidotum* confecit. Et *Hymnos* cecinit carmine Italo, *Laudes* vulgus appellat. *Crucis* præterea. *Triumphum* & *Revelationum compendium* quæ Latino ſermone prius ediderat, vernacula etiam lingua exaravit, ad eorum utilitatem qui Latinas literas ignorant. Extant & *Sermonum* eorum quos habebat ad populum nonnulla volumina, quæ formis excuſa ſunt, & in publicam data utilitatem: & de ſuggeſtu pronunciantis ab ore notarii velociſſimi calamo & opera excepta ſunt, & pro miraculo eſt habitum potuiſſe quemquam ſcribentem manu, viri linguam tam velociter & fervide diſſerentis immo fulminantis aſſequi.

Laudes prædictorum operum Hieronymi ſummatim attinguntur.

CONARER lectoribus librorum hujuſmodi utilitatem pandere ni vererer in re tam aperta verba prodigere: Illud duntaxat proferam, præter Philoſophorum, præter *Thomæ Aquinatis* Theologica dogmata, præter proprias in utraque facultate non parum nobiles inventiones, quibus ejus referti ſunt libri, tria etiam hæc in eis peculiaria nec laudata ſatis plurimum elucere; maximum ſcilicet fidei lumen, clariſſimum prophetiæ jubar, ardentiſſimamque in Deum hominesque charitatem. Tria quoque alia, in quorum ſingulis inſignes etiam excelluiſſe viros, magno ſemper eſt honori datum, in eo uno ſimul egregiè fuere collecta, hoc eſt partis rationalis irascentiæ & concupiſcentiæ munia, peculiari quodam modo fulſere, cùm tamen laudi non modicæ ſit *Auguſtino* datum, & *Thomæ*, quod in ea quæ rationalis eſt parte fuerint eminentes; *Hieronymo* & *Ambroſio* quod irascentiæ; *Gregorio* & *Bernardo* quod concupiſcentiæ facultatem exornaverint. Primi ordinis viri veritatis contemplatione celebres habiti: Secundi, criminum oſores & expulſores egregii; Tertii, præcellentes divinæ bonitatis dulcediniſque ſcrutatores. Et quamquam propriæ virtutes hæ, quas recenſuimus, in antiquioribus illis, communes non excluſerint, *Hieronymi* tamen *Opera* ſcorſim, hæc & ſpecialiter, ſimulque omnia quæcunque alia complecti videntur egregiè: quæ tanta facilitate explicuit, tantaque dexteritate protulit, ut horum in quolibet tam ſummus habeatur ac ſi uno tantum conſummatiſſimus toto vitæ tempore laboraſſet. Illud ſilere noluerim, de probationibus fidei quas meditatus eſt, memoriæque mandavit, ſi periculum fiat, facilè inventum iri, nec tot nec tales unquam ſuperioribus ſeculis excogitatas. Prophetica

vero

verò munia novo illum & eminenti modo tractaſſe, conſtat, utque prioribus, ſic & noſtro huic corrupto etiam congruere ſeculo oſtendiſſe, quòd hominum pars maxima humanæ ignorantiæ caliginem, luce divinæ ſcientiæ fulgentiorem autumet. Dei autem proximique charitatem notum eſt eum ſic excoluiſſe, atque ſic in ea maximè ſuccenſos homines inflammaſſe, ut hoc longè lateque ſerpat adhuc incendium: tam vividus erat ignis, adeo & illius cordis & oris & calami follibus exagitatus eſt.

De propoſito ignis periculo ſuper concertatione rerum Hieronymi.

CÆTERUM perſeverante in eum malevolorum civium rabie, quæ Pontificis invidia creverat *Franciſcus* quidam *Apulus* ex Minorum Ordine, qui *Zoccolanti* vulgo nuncupantur, tunc Florentiæ in eorum ſanctæ Crucis templo concionabatur: Pontificis pollicitationibus (ut creditum eſt) animatus, *Dominicum Piſcienſem* calumniis impetere cepit, quem ſibi *Hieronymus* ſacris habendis Concionibus ſubrogarat, atque ob eam præcipue cauſam, quod ad populum verba faciens, pro veritate doctrinæ *Hieronymi*, ac Prophetiæ, nec non pro aſſerenda anathematis irrogati vanitate, igni ſeſe expoſiturum obtulerat, ſi quis ex adverſo periculum ſubire voluiſſet. Res hæc à Dominico ne fieret ſacris canonibus cautum prima fronte videbatur, ob id quod vulgaris probationis prohibitum aliquando videretur à Canonibus experimentum: animadverſum tamen ab eruditis eſt longo hanc ab ea diſtare intervallo: quin obſervatum, hunc veritatis manifeſtandæ modum olim in Eccleſia uſu fuiſſe receptum, cùm ab *Heleno* Heliopoleos antiſtite, qui ad abolendam hæreſim imperterritus inſilivit in ignem, & evaſit incolumis: tùm à *Coprete* ſanctiſſimo Monacho, qui ad confutandam Manichæorum hæreſim non ſolùm ardentiſſimum ignem tranſivit, ſed in eo dimidia hora illæſus omnino perſtitit: tum etiam in ipſa civitate Florentiæ per *Joannem Gualbertum* virum ſanctiſſimum, id poſſe fieri confirmatum; quandoquidem ob pellendum è ſede Florentinum quendam Epiſcopum, qui labe ſimoniaca pollutus erat, quòd contradiceretur ex adverſo, & negaretur illius eſſe criminis Antiſtitem inquinatum, in veritatis ipſe teſtimonium, fecit ut unus è ſuis Monachis ignis rogum paſſibus pertranſiret. At majoris momenti eſſe quæ à *Hieronymo* dicebantur, aſſerebant; quandoquidem non ad unius urbis ſolùm ſed ad orbis univerſi pacem felicitatemque pertinerent; nec ob unum duntaxat crimen, quo Florentinus unus afficiebatur Epiſcopus, ſed ob univerſa quæ & Pontificem Maximum & reliquos fere omnes cùm Eccleſiæ præſides, tum ſeculi Principes infecerant crimina, atque ex eis maxima populis univerſis immineret pernicies. Agitabantur hæc fortè inter prudentes & eruditos viros: horum verò nihil ad *Apulum* offerentem ſocium ad id experimentum pravorum civium impulſu, nec eo quidem conſilio, quod immunem à conflagratione ſe fore putaret, (identidem ut ipſe jactabat) verùm ut adverſæ partis defenſore pari concrematione conſumpto, res *Hieronymi* vana probaretur. At ubi

Dominicus

Dominicus urgere cepit, & de ſtandis promiſſis *Apulum* poſtulare: involvit ille verba, & honeſtam ſubterfugiendi viam ratus, non cum *Dominico* ſe, ſed cum *Hieronymo* tantæ molis authore congredi velle profitetur. Hoc ſe perfugio tutum exiſtimans, minimeque ſibi datum iri confidens Hieronymum, qui omnes Eccleſiæ primores, quos rebus à ſe prædictis repugnare noverat, in certamen ciebat, & ipſum *Apulum*, modò & Pontificis Maximi & inimicorum omnium ſummam delegari ſibi imprimis obtineret. Res ad ſummum Magiſtratum urbis defertur, à quo & accerſitur uterque, *Dominicus* quidem ſubſcribit alacriter, *Apulus* autem cum *Hieronymo* duntaxat paratum ſe ait diſceptare, corpuſque ſuum & flammis objicere, non quod inde præſidio veritatis evaſurum ſe confideret (ab hac enim ſpe longiſſimè aberat) ſed ut ipſe quidem conflagraret, *Hieronymumque* unà ad incendium raperet. Reclamat *Dominicus*, multò æquius ad ſeipſum quam ad *Hieronymum* hanc pertinere contentionem, ut quo cum cœpta eſſet abſolveretur. Provocatus namque ab eo fuerat in Prati oppido ad id diſcriminis, qui mox & annuente *Dominico* tacita ſe fuga ſubduxerat. Inſtat itaque *Dominicus*, polliceturque non tantum ſui corporis, ſed ſuorum etiam omnium fratrum in flammas ingreſſum. Idemque *Hieronymus* per autographos codicillos confirmat, fratreſque omnes circiter 300. viris urbis Principibus offert, non utique arſuros, ſed futuros incolumes, quibus tanta erat alacritas, tamque certa victoriæ fiducia, ut eam quaſi frontibus inſcriptam præ ſe ferre viderentur. Aſſurrexit etiam innumera populi multitudo, ſexus, ætatis & conditionis cujuſque, longo ignis periculum depoſcens agmine. Ad hoc tandem poſt longam concertationem ventum eſt, ut *Dominicus* iſque quem *Apulus* ſubrogaſſet, flammis ſe crederent. Ignis aperto foro maximus in longitudinem aſtruitur, ut ſubeuntium vel ſalute, vel interitu veritas patefieret, definitur dies, partes conveniunt. Prior *Hieronymus Dominicuſque* innumera comitati turba, ad forum ubi pyra ſtructa fuerat, perveniunt; pars altera eodem proficiſcitur cavillis & dolis inſtructa; ſi quidem *Dominico* ſe ad ingrediendum ignem præparanti objicit *Apulus*, exuere eum, qua indutus erat, tunicam oportere, ob id quod incantatam putaret, & magica fortaſſe ſuperſtitione munitam, ne poſſet exuri. Nihil ille cunctatus libens, ea ſpoliatus alia mox induitur, opponit iterum *Apulus* Chriſti corpus (uti volebat Dominicus) in ignem una deferre ſecum non licere, quod & perafcilè comburi poſſet, tutelamque geſtanti præſtare, ne incendio periret. Reſpondet Dominicus in pactis eſſe, nihil ut objici poſſit alterutri partium, modò *Dominicus* ipſe cum eo quem *Apulus* obtuliſſet per flammas ingrederetur; vanam præterea hanc eſſe cenſerique objectionem, cùm ſola quæ foris apparent, panis accidentia flammis obnoxia forent, corpus autem Chriſti læſionis aliquid ab igne pati nequeat, ſed nec perfidum (ut obtendebat) hominem ſolam ob ejus ſacramenti præſentiam illeſum evadere poſſe oſtendit. Quibus etiam addebat *Hieronymus*, reum ſe mortis ſore & confiteri, idemque pro ſectatoribus ſpondere, ſi vel pilos panni ejus è ſerico vellere, quo conſecrata tegebatur hoſtia, vel leviter ignis exureret. Renuunt tamen *Apulus*, impiique cives, veriti ne miraculum illud perageretur futurum toti orbi conſpicuum. Quare diſcedunt omnes re infectâ, quod modis omnibus *Dominicus* peregiſſet, ni *Silveſtro Florentino* ejus ſodali

& ſacerdoti revelatum fuiſſet angelico affatu nullo pacto debere *Dominicum* ſe flammis committere, niſi conſecratam manibus hoſtiam geſtaret. Id autem ea forte de cauſa potuit evenire, ne magicæ ſuperſtitioni (cui myſterium illud maximè obſiſtit) miraculum adſcriberetur, neve alio quopiam verti poſſet, & in malignum dæmonem referri, cui facultas ſublunaria iſta hæc movendi ſuapte natura data eſt.

De tumultu plebis in Hieronymum & ejus captivitate.

EFFERBUIT hanc ob cauſam pravorum civium furor, qui magnam populi manum die ſequenti ad ædem *ſancti Marci* oppugnandam ſuſcitant, ut *Hieronymus* eis omnino tradatur. Occluduntur fores ab amicis, ingruunt inimici, quorum illatam vim perpauci ſtrenui retundunt. *Hieronymus* choro cum ſodalibus clauſus preces ad Deum pro amicis & inimicis fundit, ſtratus humi ad Chriſti corpus conſecratum quod diu manibus geſtaverat. Ignis interim valvis Eccleſiæ ab oppugnatoribus admotus patefacit ingreſſum, invadunt hoſtes, nullaque habita ſacri loci ratione, obvia quæque diripiunt deprædanturque: Tentat interim diſpoſita jam hoſtium turma chori aditum, & alia parte quâ ad clauſtrum itur: quod animadvertentes Religioſi quidam tirunculi, Deo fiſi fores aperiunt, accenſiſque cereis obviam exeunt: quorum aſpectus ſacrilegos illos adeò perterruit, ut non ſecus ac tacti fulmine ad terram ruerent, excuſſis etiam amiſſiſque armis. Suffuſi pudore regrediuntur, ad ſeptem horas acriter utrimque certatum eſt, concurſus in horas fiebat major, cùm ab octoviris qui primores urbis conſenſu conſtituuntur, palam edicitur capitali pœna, ne quis ædem *ſancti Marci* defendat, eodemque mox edicto cavetur, ne *Hieronymus* intra ditionis Florentinæ terminos præterquam paucas horas immorari audeat; cui libens ille paruiſſet, ni qui tutabantur, honeſta quadam cum violentia detinuiſſent. Ubi hoc à Magiſtratu ſupremo reſcitum eſt, ad *Hieronymum* ipſum mittitur, accerſiturque fide publica ut incolumis ad cœnobium reverti poſſet, pariter & *Dominicum* & *Sylveſtrum* citant. Arripit itaque iter cum ſociis, inimicorum cuneis ſtipatus, nocte intempeſtâ, veſpere namque pugnari cœptum eſt: Prius tamen fratres omnes hortatus eſt præceptis ſtare, fidereque divinæ bonitati, ſciviſſe ſe jam pridem addens futuram hanc cladem, ſed deſtinatum diem ignoraſſe, ipſoſque monens, ut quæcunque prædixiſſet pro certiſſimis haberent, æternum etiam ſibi (ni vera loquutus fuiſſet) imprecatus interitum, Chriſti corpus quod manu retinuerat inſumit. Confertque ſe ad Palatium Reipublicæ multis oppreſſus, inimicorum crudelitate, & opprobriis & ictibus, quæ ſuis locis operis progreſſu convenientius explicabuntur, cum pœnas ſimul eorum qui ſævierant recenſebimus. Tum vero fidem fefellerunt, qui futurum eum incolumem polliciti fuerant, capiunt enim detinentque in cuſtodia.

De carcere ac tormentis Hieronymi & ejus reſponſis.

POST QUAM igitur ad palatium ventum eſt, ſciſcitantur ab Hieronymo Præſides, vera ne an falſa eſſent quæ divinitus ſe dixerat accepiſſe? quem ſolita ſua & cœlitus impertita libertate affirmantem, ſpreta, poſthabitaque data ſecuritatis fide, carceri mancipant, ſimulque ſocios diſparatis cellis concludunt, cruciatibus falſum ab iis extorturi. Deliguntur infeſtiſſimi viri quindecim ex omni inimicorum ejus numero ſelecti, quibus examen demandant, facturos eos in ipſum carnificinam (quo flagrabant odio) exiſtimantes: quod quidem illis evenit ex ſententia, eoque vehementius, quò majoris hebdomadæ ſacramentum nihil veriti divinum excruciare hominem aggrediuntur, eo potiſſimum tempore quo Chriſti cruciatus in Eccleſia ſolemnibus officiis explicantur. Datus enim vinculis eſt nocte eâ, quæ ſacrarum palmarum diem ſubſequitur, & biduo poſt tormentis hujuſmodi traditus: manus decuſſim poſt terga revinciunt fortiſſimis vinculis, quibus ab alto demiſſus funis religatur; quo primùm in ſublime trahitur, mox in præceps ruere ita ſinitur, ut & terram corpus non tangat, & in aëre ſuſpenſum ita proprio pondere reſiliat, ut luxatis humerorum oſſibus ac lacertis, maximus toto corpore dolor inuratur; alios demum excruciandi modos excogitant. Multæ tum in eum calumniæ, multa congeſta ſcommata probraque, ſputa & ictus, ſuis ut diximus referenda locis, variaque torquendi inſtrumenta ob oculos poſita, illud tantùm ab eo quærentes, ut quæ de futuris præcinuerat recantaret, & ſe, quem futurarum rerum à Deo nuntium eſſe aſſeruerat, modò iret inficias. Ad id quoque extorquendum pedibus carbones accenſos admoverunt, ut carne & nervis ſemiuſtulatis, præ dolore & cruciatus acerbitate dicta retractaret. Negat alacriter ſe facturum *Hieronymus* quod petunt. Repetunt ipſi funis tormina, eumque identidem exagitant, qui nihil aliud præterquam hæc in veterum Prophetarum ore verſari ſolita, iterum atque iterum afferre voluit, *Tolle, tolle Domine animam meam.* Et ut cumulatius merit[illegible] proveniret, genibus poſitis, ubi tormina ceſſaverant, pro tortoribus ſupplex Deum rogabat: Antea verò his qui eum vexabant proteſtatus eſt, ſe vera prædixiſſe, ea credi ab iis ipſis deberi, ſi qua tamen illis adverſa vi tormentorum dicturus eſſet, pro falſis tenenda. Inſiſtunt tamen carnifices, nonnullaque ejus reſponſa tabellione adhibito excerpunt, id potiſſimum molientes ut falſum vatem oſtenderent. Reddit Hieronymus ambigua obſcuraque verba; ſed alia quam interrogantium iniquitas exegiſſet, quæ omnia illi pro liquidis accipiunt & falſa quæpiam addunt, atque aliena pleraque & inſulſa non parum multa comminiſcuntur, bene actum putantes ſibi, ſi plebis ignaræ & rudis animos ludificent, conceptamque de eo ſanctitatis opinionem de univerſorum mentibus extrudant.

Sed quamquam homines erant alioquin pravi, adeò tamen ſive occæcante malitia, ſive Deo ita volente improvidi, ut nihil auſi ſint intexere libellis ipſis quæſtionum, quos vocant proceſſuum, quo jure neci poſſet adjudicari. Siquidem nec ob ea omnia, quæ commenti ſunt, quivis, etiam ex inimicis ra-

tione utens judicare, vel dare ſuſpendio *Hieronymum*, vel afficere capitali pœna, ut ullo demum genere mortis plectere poſſet. Verum ut iis qui prudentia pollerent, mentis oculos perſtringerent, ſex ex illius collegio ſodales aſciſunt, atque in Palatium ducunt quo *Hieronymus* detinebatur quem coram advocant, ut tabellionem libellos recitantem audiat. Hic cum ambages omnes quas veris quibuſdam ſententiis commiſcuerat, exerta voce recenſuiſſet, *Hieronymum* interrogat, *verane an falſa legiſſet?* Cui vir Dei, *Quod ſcripſi verum eſt, Totum-ne* repetit, reſpondit *Totum*; ait iterum, *ad verbumne? ad verbum inquam.* Tum ad ſuos qui accerſiti fuerant ſodales converſus, ad hanc ſententiam verba fecit. *Quali* ait *vita & doctrina inter vos uſus ſim, eorum cum quibus verſabar, latet neminem. Duo, magna hac & extrema in clade poſitus vobis mando: primum Novitios fratres omnes commendatos habete, proque viribus procurare memineritis, ut Dei timorem in quo enutriti, & chriſtianæ vitæ, quam edocti ſunt ſimplicitatem cuſtodiant. Secundum, ex intimo cordis affectu pro me ad Deum preces fundite, quem ſpiritus pene prorſus deſeruit.*

Autumarunt quidam, quibus mens non omnino bona, negaviſſe Hieronymum reſponſis ad tabellionem factis, quas prius affirmaverat rerum prædictiones, dixiſſeque non *quæ ſcripſi* ſed *quod ſcriptum eſt*, quippe cum Italica lingua vulgari duo hæc invicem adeò conſonent, ut niſi magna prolationi verborum diligentia adhibeatur, difficillimè diſtinguantur, ſiquidem mutata vocali, aſpiratione que interpoſita, alterum in aliud quam facillimè vertitur. Fuit & alia ſententia, dixiſſe illum *verum eſſe quod ſcriptum eſt*, non ad eos qui pravè interrogabant, ſed ad id quod probè ſcriptum erat referens verba. Sed quoquo modo reſponſum dederit, compertum eſt ex re illud reddidiſſe, quamquam varia ab audientibus interpretatio facta eſt: Nam alii ambiguè de induſtria loquutum eum, & quidem conſentaneè judicarunt, quo accipi ſimul poſſent, verum eſſe & notarii ſcriptiones fuiſſe ſcriptas, & ſuamet commentaria illis adverſantia & divina etiam verba: Quum mos in Eccleſia ſit apud eos qui de divinis loquuntur, identidem dicere *ſicut ſcriptum eſt*, id ſemper ad ſacra utriuſque inſtrumenti verba referentes. Alii qui prædictionibus ad illam horam firmiſſimè perſtiterunt, mutato gradu vacillarunt: Alii negationis expreſſæ avidi prorſus deciderunt: nutabundi [illegible] expectandum rei finem ſtatuerunt: attamen eorum qui aderant plurimi, quos inculpata Hieronymi vita & clariſſima doctrina, rerumque prædictarum conſentanea ratio & viſa miracula in fide ſtabiliverant, verbis quæ proferebat acrius intendentes animadverterunt, non quæ à tabellione contra jus & fas extorta, tum aut adulterata fuerant, ſed quæ ipſe de rebus futuris ſcripſerat vera aſſeruiſſe, & in hanc ipſam ſententiam pleroſque confirmarunt. Illud affirmantes fuiſſe in uſu prioribus illis veteris Teſtamenti prophetis, perfidis interrogantibus obliquè adeò ambigueque reſpondere, ut quæ affirmaverant negaviſſe viderentur, contraque quæ negaverant viderentur affirmaſſe. Sic *Micheam* Acabo Regi de Aſſyriis expugnandis reſpondiſſe; Sic Prophetam *Amos* nec ſe Prophetam eſſe, ſed nec Prophetæ filium dixiſſe. Sic *Joannem Baptiſtam* dum de Prophetiæ munere rogaretur loquutum fuiſſe. Et in hanc quoque ſententiam Prophetæ *Ezechielis* nonnulla, deque reſponſo *Eliſei* ad Hazaelem depromi dicebant. Addi poterat ex *Hieronymi, Auguſtini,* & aliorum teſtimonio,

teſtimonio, quod clariſſimus Propheta *Joannes Ægyptius Eremita* ſe non eſſe Prophetam aſſeruit. Sciviſſe autem hæc omnia virum ſanctiſſimum, & in ſacris literis præterea eruditiſſimum, qui & *Thomam Aquinatem* legerat, affirmantem non teneri quemquam in judicio veritatem aperire, qui non ſecundum ordinem legibus præſcriptum percunctaretur, quemadmodum illis evenerat, quibus nihil erat curæ, jure an injuria procederent, modo ipſum vexarent *Hieronymum*, & ex humanis rebus eximerent. Nec enim ulla malitiæ indicia præceſſerant, quibus opus eſt æquo ſanoque judici, ſi cruciatibus uti velit ad veritatem extorquendam.

Inventum eſt etiam in quæſtionum libellis, confeſſum fuiſſe Hieronymum Pontificis Nuntio, quæ prius negaverat Florentinis judicibus: at in illis plurima contradictoria pugnantiaque reperiebantur, quorum & pars magna conſona erat iis, quæ ille liber à vinculis & ſolutus aſſeruerat. Inventum eſt item in poſterioribus confeſſionum libellis obteſtatum *Hieronymum*, ſe vi tormentorum multa dixiſſe & abalienari animo cum torqueretur. Atque hiſce rationibus adducta permotaque vulgi pars præcipua, in fide rerum prædictarum ſtabilis perſeveravit. Quin etiam plerique in dogmate perſtiterunt, tametſi ambigerent *Hieronymum* tormentis victum, quæ prius de futuris teſtatus erat; iviſſe inficias; quando & martyres complures, ut apud multos, & apud ipſum *Cyprianum* videre eſt, præ carnis imbecillitate torturam non ſuſtinentes, ne torquerentur amplius mortem elegiſſe & peroptaſſe quo citius victoriam reportaren & coronam acciperent, quibus à tyrannis negabatur occidi, meritis tamen illorum fuiſſe poſtea conceſſum prioribus quod noviſſima carnis infirmitate fugerant, illud & addentes, hanc fortaſſe ſui prævidiſſe Hieronymum infirmitatem in quam debebat impingere, & propterea præmonuiſſe plebem ſæpius, ne etiam ſibi ipſi fidem haberet, his ubi contraria loqueretur, quæ ſemel divino juſſu de pulpito promulgaſſet.

De duobus judicibus ab Alexandro VI. contra Hieronymum miſſis, atque oratione morituri ipſius ad altaris Sacramentum, & de patefacto ſociorum cordis arcano prædictioneque noviſſima.

PONTIFEX autem infenſus *Hieronymo*, quem non eatenùs quia futura prædiceret, ſed quòd in ſacerdotes multa diceret, odiſſe ferebatur, ubi per Florentinorum Epiſtolas reſcivit, captum eum & datum in vinculis, ſategit ad ſe Romam mitti: cui obſiſtunt qui tunc Rempublicam gubernabant tumultum plebis ſubveriti. Verum ſatiandæ immanitatis occaſionem ſibi præreptam intelligens, inſtat per judices tradi neci, nuntioſque ipſe duos mittit Florentiam, idipſum qua ratione poſſint effecturos: Alterum Clericum Ilerdenſem Hiſpanum nomine *Franciſcum*, cognomine *Romulinum*, qui tunc erat miniſter Romani gubernatoris; alterum Prædicatorii Magiſtrum Ordinis *Joachimum* nomine. Ii poſtquam Florentiam applicuere, hominem

conveniunt,

conveniunt, quem etsi reperiunt vigiliis & orationibus fractum, inedia maceratum, tormentis semimortuum, cruciatibus tamen iterum exponunt, ut crimina quæpiam, quæ plecti capitis pœna debeant, fateretur; quæ ubi nec quicquam se quærere, ob *Hieronymi* constantiam, animo comprehenderunt (siquidem nihil de quo sumi posse hujusmodi vitæ supplicium, in ejus tota vita ab incunabulis usque ad sextum & quadragesimum quem tunc agebat annum, repererunt) de nece statuunt, & ei mortem indicunt in crastinum; quod ille nuntium intrepido imperterritoque excepit animo, statimque sacerdotem sibi dari petit, cui peccata quamquam minuta Christiano ritu confiteretur, huic illius petitioni & voto per adversarios satisfactum est, tametsi oblique & præter usus, quandoquidem non de ipsius Collegio, hoc est, ex Ordine Prædicatorio (ut par erat) sed de Florentino sub regula *Sancti Benedicti* Monasterio tres illis accersiti sunt sacerdotes, ut *Hieronymo, Dominico, Silvestro* morituris pœnitentiæ Sacramentum impertiant. Nox ea quæ supplicium præcessit huic muneri destinatur. Hinc sub ortu solis, sumendæ Eucharistiæ avidi in oratorium, sive triclinium ab ergastulo producuntur. *Hieronymus*, priusquam illam insumeret, dari sibi in manibus postulavit, quam cùm accepisset, mira perfusus animi lætitia in ejusmodi verba prorupit, *scire se ibi esse Deum illum Maximum Optimum, qui cœlum teramque & universam denique naturam condidisset: scire & perfectam esse Trinitatem, indivisibilem & inseparabilem, tribus personis à se distinctis complexam, quæ Pater est, Filius & Spiritus sanctus, Filiumque ipsum æterni Patris verbum è cœlis ad terram in Mariæ Virginis uterum descendisse, in lignum crucis ascendisse, proque miseris nobis à peccato liberandis preciosissimum sanguinem effudisse, rogare eum & obsecrare se, ut sanguis iste non frustra, sed in peccatorum suorum effusus sit abolitionem: eorum se demum quæcumque à die qua sacris undis ablutus, ad hanc usque horam perpetrasset mala, veniam suppliciter petere.* Hæc ubi ipse & socii pari sententia sunt effati, sumpta ipsa Eucharistia ad locum inferendo supplicio constitutum, quasi latrones trahuntur. Cupidus autem alloquendi socios *Hieronymus*, vix potuit esse voti compos, Jacobo Nicolino intermedio idipsum consecutus, cui secreta magnarum, quæ ab ipso prænuntiatæ fuerant, calamitatum Florentiæ præsertim & tempus aperuit, easque jussit expectandas, cum in Petri Cathedra sederet qui *Clemens* diceretur. Hoc enim ex ore ipsius *Jacobi*, *Hieronymus Benivenius* vir probus & prudens manu sua literis testatus est, socios autem monuit, ne quæ corde premebant foras exprimerent, cum essent morituri: cogitaverant enim ad populum verba facere, alterque se innocentem mori dicere proposuerat, alter qui senior erat *Dominicus* tantum abesse ut mortem perhorresceret, quin etiam se vivum flammis paratum asserere, certiores facere cupiebat spectatores. Vetuit hoc *Hieronymus* Christi salvatoris exemplo, qui tametsi supra quam dici potest innocentissimus esset, noluit tamen hujusmodi quicquam afferre, sed tanquam agnus ad victimam ductus est, & non aperuit os suum. Agnoverunt illi conceptum errorem, & abstinuerunt. Agnovit *Jacobus* peculiare Dei munus *Hieronymo* collatum, ut arcana cordis humani perspiceret; hoc verbis *Jacobi* ipsius, narravit *Jacobus Nardus Vicentio Scevolæ* Episcopo Hieropolis, qui mihi prior id negotium patefecit.

De

De his quæ geſta ſunt ipſo tempore mortis Hieronymi, deque ipſius ſuplicii genere & reliquiis membrorum.

IN deſcendendis autem Palatii gradibus, ſpoliatus Religionis habitu, quem ubi comprehendit manibus, flevit, eum ſe olim appetiviſſe cupidè, & immaculatum hactenus cuſtodiviſſe teſtatus. Quibus quam fuiſſet innoxia & inculpata ejus vita, ſuſceptæque religionis ſervantiſſima, & verbis, & lacrymarum abundantia ſatis manifeſtum erat, quamque inaniter in eo noxas & maculas minis atque tormentis extorquere judices adniſi. Tum *Sylveſter* qui timidiſſimus omnium ad id uſque temporis fuerat, futuræque mortis horrore tremebundus, divino quodam quaſi cœtro percitus, inflammataque adeo facie, ut quodammodo radios emittere videretur, *Hieronymum* alloquitur adveniſſe tempus, inquiens, quo bono deberent eſſe animo, modo opus eſſe fortes ut permanerent, & eam quam erant ſubituri mortem, alacriter & animoſè perferrent. Ad quem *Hieronymus* ſic faciendum eſſe reſpondet, eumque ac *Dominicum* ſimul adhortatur, eadem ut in ſententia ſtabiles perſeverarent, pavorem omnem ex animo procul abigant, curas mittant univerſas, proque certiſſimo habeant cœlum ſe quam citius adepturos, ubi illud Davidicum canerent, *Ecce quam bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum.* His peractis eò perveniunt, ubi antiſtes quidam & ſacerdotes nonnulli ſeſe comparabant, morituros ut exauthorarent: ritus hic apud vulgus *degradatio* nuncupatur. Illos itaque ſacerdotalibus veſtibus induunt ſpoliantque, & cætera peragunt quæ fieri hoc ipſo ritu conſueverunt. At cùm ad illud eſſet deventum, ut eos è manu mitteret, apprehenſa Hieronymi dextera, dimiſſaque ait Antiſtes, *Separo te ab Eccleſia triumphante.* Cui Hieronymus, *militante, non triumphante, nec enim id potes.* Aderant qui morituros ad perferendam libenti animo necem ſuaderent, iiſdemque cibo etiam & potu defeſſos eorum corporis ſpiritus excitare ſatagebant. Horum cuipiam hujuſmodi recreamenta procuranti *Hieronymus* ait. *Quidnam cauſæ eſt ut hæc mihi paretis, qui de præſenti vita jam jam emigro*; Alteri item, qui inter confertam adhortantium multitudinem, vocem in ejus laudem extulerat, reſpondit; *humana laude & gloria non egeo.* Erat & quidam *Nerottus* nomine, officio Sacerdos, qui cupidus *Hieronymi* fortitudinis conſtantiæque explorandæ, ipſum interrogavit, æquone animo mortem imminentem Chriſti amore tolleraret? Cui & voce & vultu mirum ſupplicii deſiderium præ ſe ferens inquit: *Nonne ob eum emoriar ego libentiſſimè, qui pro eo quo me hominem peccatis infectum amore complectebatur, voluit innocentiſſimè mori? Nonne ego animam hanc ejus gratia libenter effundam, qui nec pro milleſima eorum unquam, quæ pro me tulit, parte, ſatisfacere poſſim?* Inque his verbis oculos ad Crucifixi ſignum, quod illuc attulerant, flectens, deoſculatus eſt eum. Non multo poſt Hieronymum interpellat *Nerottus*, ſuo an in diſceſſu quicquam ſupremo monendum haberet atque commendandum ſectatoribus ſuis & fratribus? cui reſpondit, cunctatus aliquandiu tamen, *Magna viſuros eos eſſe*: Cui iterum

illo,

ille, *Qualia nam Pater? Veſtris*, inquit, *animis conſuletur.* Nerottum ergo *Fr. Dominicus* ad ſe vocat amicitiæ vinculo ſibi devinctiſſimum à puero, quam pridem inter eos literarum ſtudia conciliaverant, inque hunc modum illum alloquitur. *Scias, Nerotte, velim innocentem me mori, & pro certo habeas futurum omne illud quod prædictum eſt.* Ille autem quaſi verbis ipſis offenſus, *Cave*, inquit, *ne falſis promiſſis deludaris.* Ad quem *Dominicus. Futura omnino etiam atque etiam affirmavit, que Hieronymus præcinuiſſet.* Quibus peractis, *Hieronymum* deinde & ſocios ſuſpendendos exurendoſque prehenſant carnifices. Ingentem rogum medio in foro ſtruxerant, quem cubitorum fere viginti ſupereminebat palus. Superiorem ejus partem quæ vergebat in aërem tranſverſum ligni fruſtum quoddam ſecabat in modum crucis; illuc verſus dum vehuntur, Monachus hic, à quo *Hieronymus* Sacramentum pœnitentiæ ſuſceperat, percunctatur eum, velit ne quicquam extremo in diſceſſu proloqui? Cui altum ſuſpirans ait nihil ſibi reliqui eſſe, hoc excepto, quod enixius eum rogaret, ut Deum pro ſe morituro orare dignaretur, ſuæque doctrinæ ſectatores præmonere, ne mortis hujus, quam ſubiturus erat, infamia foret illis offendiculo, ſed in ea quam illos edocuerat vivendi regula & ſancta pace conſtantes perſeverarent. Ad crucem perducti, *Silveſter* primus ad ſummum ipſius per ſcalas trahitur, & capiſtro quod cervici ejus injecerant, cruci religato, præceps à carnifice dejicitur. Deinde *Dominicus* pari ſuſpendio traditur; mox & *Hieronymus* Apoſtolorum ſymbolo recitato, medius inter enecatos ſocios injecto ad collum fune de cruce mittitur, decimo Calendas Junii, & vulgi more tertio atque vigeſimo menſis Maji, die quo Chriſti Aſcenſionis in cœlum tunc agebatur vigilia, anno à Deiparæ Virginis partu milleſimo quadringenteſimo nonageſimo octavo, ætatis vero ſuæ quadrageſimo quinto, & menſe octavo. Ubi animam exhalavit; puerorum immanium multitudo, & ipſum & eos qui priùs pependerant, diu ſaxis impetivere, & extructæ piræ faces admovere, quæ ſtatim ſtruem illam lignorum oleo plurimo illitam, eoque aſperſam pulvere quo per ænea tormenta in murorum oppugnatione ſaxa & ferrei mittuntur orbes, temporis momento incenſam inflammaverunt. Deinde corporum abſumptorum cineres quoſcumque potuerunt in unum redactos, plauſtriſque delatos, in Arni fluvium injecerunt. Ex incendio ſuperfuêre nonnulla, quæ cautè rapta religioſeque ſervata ſunt. Item os, quod puer quidam dum veheretur in Arnum, delapſum vehiculo pertulit ad matrem: Item & digiti cujuſdam pars dum penderent de cruce, ſaxorum decuſſa grandine. Ab ipſis reliquiisquæ prodierunt ſigna divinitùs, ſuis referemus locis. Sed & biduo poſt ejus obitum, dum molendino ad Arni ripam puer quidam inſiſteret, rapi perſpexit à fluvio quamdam, quaſi pilam orbicularem puniceam, uſtulatam, actutùmque, ab his qui aderant, magna ſubſannatione acclamatum eſt, *Hieronymi* cor illud eſſe, quibus puer (ita enim antea pater, perſecutionem veritus, ſtatuerat faciendum) verbis conſentiebat, mente verò adverſabatur. Atque hac diſſimulatione quaſi clypeo tutus, cor de Arni fluctibus ſublatum in ſinu repoſuit, & ad genitricem detulit, quod poſtea Prophetæ cor eſſe, quemadmodum impii illi neſcientes acclamaverant, miraculis multis quæ decurſu operis enarrabuntur probatum eſt. Hujus cordis divino dono & amicorum charitate & diligentia,

ab

ab eadem muliere partem obtinuimus nobis utique & gemmis & auro chariorem, propter viri conjunctiſſimi amicitiam: ſed habuimus longè chariſſimam gratiſſimamque, poſtquam ad ejus præſentiam depulſos morbos & torta divinitus fugataque dæmonia cognovimus.

Quòd & mores & mors perſecutorum Hieronymi fautoribus collata magnam rebus ejus atque martyrio fidem cumulaverit.

CÆTERUM præter prænuntiationes impletas, præter ſanctiſſimam ejus nitidiſſimamque doctrinam, præter inculpatam vitam, quibus & lumen fidei, & ratio & miracula adſtipulantur: par eſſe ferebatur, ut æqua etiam penderetur lance, quàm fœtidi hoſtium mores, quàm putida perſequentium vita, quàm ſancta ſectatorum converſatio, & quàm undequaque pietate ſuffulta, etiamſi numero perſecutoribus hoſtibuſque poſthaberentur. Neque enim ſemper & omnino majorem numerum præſtari debere minori in opinione deligenda receptum eſt: quandoquidem innumera contra Chriſtum, & Apoſtolos, Scribarum, Phariſæorumque, & Sacerdotum, populorumque adverſantium caterva ſurrexit. Contra *Athanaſium* & *Hilarium* paucoſque alios rectæ fidei defenſores, numeroſiſſimi hæretici præliabantur. Numerus quoque Epiſcoporum copioſior quæ Arimini fuit Synodus, quàm quæ in Nicæa Bithiniæ, quæ in Biſantio: quæ in Calcedone. Sed hæ rectæ fidei propugnatrices ſanctis viris munitæ, Ariminenſis autem illa pravis, ſubdolis, impiiſque ſacerdotibus freta impugnatrixque, & in æternum rejecta & damnata.

Quare expendenda cauſa ſeorſum, expendendaque vita & mores hic faventium, illinc perſequentium, unde illud tandem corrogetur, tres illos ſacerdotes ſanctiſſimos, nihil ob aliud quàm ob invidiam, quam in ſe propter veritatem prædicatam armaverant, veluti ſceleſtiſſimos latrones à peſſimis hominibus ſuſpendio datos. In probatiſſimam enim vitam, in ſanctiſſimam doctrinam nil niſi livor & odium inveniri poteſt. Confirmabantur autem hæc omnia literariis monumentis, quæ ab amicis multifariam ſcribebantur; quæ ſi fortè Præſidum malitia non haberentur in pretio, nec tutò ab hominibus legi poſſent, meminiſſe probos tamen viros ea optare, quæ nunc & magno æſtimantur, ſed & ipſa quoque Evangelia quondam ſine cæde & ſanguine culta non fuiſſe. Qui enim ea prædicabant tormentis afficiebantur, & morte; atque ita quæ dicebant proprio ſanguine teſtabantur: unde Martyrum ad nos manavit nomen, inter quos egregium ſibi locum vindicaſſet *Hieronymus*, tametſi non fuiſſet occiſus à vetuſtis illis cultoribus idolorum. Neque una ſolum de cauſa Martyres, ſiquidem novimus ab *Herode Juniore* trucidatos infantes quibus Innocentum Martyrum nomen factum eſt. Alterius *Herodis* juſſu, caput abſciſſum *Joanni Baptiſtæ*, ut puellæ ſatisfaceret inceſtæ matri gratum facturæ, cujus cauſa truſus in carcerem *Joannes* antea fuerat, obteſtatus fas non eſſe fratris abuti conjuge, cujus veritatis teſtimonio martyris palmam adeptus eſt. Lapidatus à Judæis *Stephanus*, dum Chriſtum

prædicaret: à Gentibus varii & innumeri eandem ob causam trucidati Martyres. Sed ab Hæreticis *Petrus Martyr* Ordinis Predicatorii neci datus est. *Thomas* vero Cantuariensis Episcopus, Christianorum non quidem re, sed nomine, ob res Ecclesiæ repetitas gladio occubuit: Et tamen quos recensuimus, titulo sunt martyrii celebres. Hic autem trucidatus ob celebratum lumen fidei, ob vitia depulsa, ob veritatem Christianæ fidei patefactam.

Accedebat putidæ prorsus & infami persecutorum vitæ, mors horrenda, contaminatis moribus congrua, siquidem de multis qui eum & socios ceperant, deluserant, inter eundum ad carcerem vexaverant, debitum parvo temporis spatio supplicium sumptum est: quorum alii statim ad extremum positi, sed ducti pœnitentia temporarias (quantum nobis conjectari licet) pœnas dedere; alii non in præsenti duntaxat, sed in futuro etiam, quoad probabilibus signis comprehendi licuit, suppliciis plectuntur, siquidem fuere qui dum in vinculis torqueretur *Hieronymus*, & affereret vera esse quæ prædixerat, ab eo petierint, ut thoracibus quibusdam clam appensis juberet ut ambularent, & fabarum mutaret colorem, & id genus alia, quæ etiam interrogantium vanitatem simul manifestant, simulque Christo cum aliis in rebus, tum in hac maxime parte fuisse similem, qui de peragendis miraculis, ubi patiendi tempus advenerat, in derisum & contumeliam rogabatur.

Fuere qui levioribus calumniis non contenti, barbam vellere, vultum sputis fœdare, calcibus impetere, pudibundas corporis partes nudare, injuriari, insultare & necem denique, quibus possent modis, procurare; sed paulò post miserando obitu exemplum posteris tribuerunt. *Joannes Manettus* civis Florentinus, ex eis unus, qui prophetam calcibus impetiverat, ejusque pudenda patefecerat, paucis post diebus ad mortem ægrotans, propriam dexteram dentibus moriens dilaniavit, ipsamque etiam manum, qua sacrilegium patraverat, moribundus intuens; dixit *O manus! O manus!* Tum ubi paululum quievisse videbatur, in hanc vocem, semet allocutus erupit. *Nunc, nunc, de Hieronymi Savonarolæ salute, & de tua damnatione factus es certior:* quo dicto exhalavit animam.

Tabellio ipse qui libellos quæstionum commentus fuerat, non multò post viri obitum, pestilenti tabefactus febre dixit, *non posse pœnitentiæ Sacramentum ob id percipere, quòd virum Prophetam, quem cum Angelis etiam colloqui perspexerat, fretus pecunia prodidisset.* Alius qui dum perduceretur ad carcerem, manus pudendis injecit, paulò post diro circum pudenda morbo correptus, liberè ac ingenuè confessus est, se dare pœnas ejus, quod in Prophetam sceleris perpetrasset. In municipio Florentinorum *Piscia* nomine, *Julianus* quidam *Hieronymo* ejusque doctrinæ cùm maledixisset, & ejus Sectatoribus sanguinis fluxum imprecatus esset, sequenti nocte sanguinis fluxu miserabilem animam crebra invocatione dæmonum effudit. Faber ille qui ferrea percuderat monilia, quibus *Hieronmus* & socii de trabe pependerunt, dum super urbis mœnibus in eminenti turre succensa facula *Hieronymo* illuderet, identidem clamitans id esse verum lumen, cujus crebra in concionibus *Hieronymi* mentio habetur, præceps ruit, confractisque membris vita spoliatus est. Alii apoplexia correpti; morbis enecati, omnibus præterquam his qui divino judicio excæcati fuerant, palam fecere sumi pœnas de justorum hominum effuso sanguine.

Pontifex

Pontifex Maximus, à quo in *Hieronymum* infesta persecutio emanaverat, haud multo post tempore miseranda morte diem clausit extremum. Cujus obitus duplex est fama: alii produnt à malo dæmone strangulatum quocum ineundi supremi sacerdotii pactum fecisset; dediturum sese illi pollicitum ferebant, si suis artibus illud assequeretur, & in eo multos annos viveret. Alii sibi venenum imprudenter propinavisse intulerunt, dum illud Cardinalibus quibusdam, ut ante diem eorum bonis potiretur, magna diligentia paravisset. Certè constat eum more utris inflatum distentumque periisse.

Augebat fidem rectæ mentis hominum isthæc observatio, quòd ex fide rerum *Hieronymi* pacem animi & tranquillitatem, & spem aut oriri aut ortam adolescere, aut adultam proficere, nonnulli se dicebant expertos; contraque illis, qui rebus ejus tanquam vanis abnuntiarent, fluctus animi, perturbationes, solicitudines scaturire, ut ad desperationem quodammodo impelli viderentur, quæ tamen precibus pio ac humili ad Deum affectu fusis pellebantur, ubi de illo sanè sentiebant & optimè, pristina animi pace & tranquillitate affatim eis reddita. Illudque animadversum à multis divinum extra controversiam haberi signum quod ex omni sexu & ordine qui ei verè atque sincerè hærebant, eosdem promebant charitatis fructus, qui olim apud Christianorum primitias visebantur; illisque erat cor unum & anima una in Domino. Et quanquam non ea prorsus, quæ inter eos, qui Religionibus addicti sunt per tria vota, bonorum quæ fortunæ dicuntur communicatio; mira tamen & liberalis erat cùm daretur opportunitas: idem sapere inter eos, idem & velle erat. Persecutorum verò, quot capita, tot sensus, nulla opinionum, nulla facultatum communicatio, sed animi perturbatio, & quædam quasi rabies, unde *Rabidorum* nomen obtinuerunt.

Nec quemquam reperias qui verbis aut scriptis *Hieronymum* lacessierit, qui aut vitiis animi & corporis, aut judicii vanitate non laboraverit: Consentaneum est quippe discerniculis ejusmodi futuram agnosci renovationem. Nam alioqui promiscui sunt omnes Christianorum ordines, discernique haud eos posse securius quàm ex operibus, maximè probabile videtur. Æquum quoque videtur, ut & hisce temporibus ea Deus conferat signa, quæ inter initia prædicati Evangelii tradita fuisse, sacra nobis monumenta testantur, utque instaurata Religionis facies conditæ atque perfectæ legitimis planè respondeat signis. His omnibus non modò conjiciebatur, falso contraque jus & fas *Hieronymum* cum sociis damnatum, nec aliam ob causam, quàm ob simultates & odia, quæ ob veritatem prædicatam in semet concitaverat: sed etiam constabat, virum fuisse sanctissimis moribus & divinis donis illustrem, quandoquidem ejus opera factæ erant fœneratricis pecuniæ restitutiones innumeræ, Christique fides & voce & scriptis indefessè prædicata, roborataque & explicata fuerat. Renovatus item erat in plurimorum mentibus emortuus jam Christianus vigor: spectabaturque multorum à pravis & impiis moribus ad probos pioque conversio. Quod quidem authore *Gregorio* non tantùm majus est resurrectione mortuorum, sed etjam majus quàm cæli & terræ creatio, si *Augustino* credimus. Accedebatque quod futurarum rerum multarum atque magnarum prædictiones ipso eventu confirmatæ, eò majori viderentur admiratione dignæ, quo dum proferebantur, fieri posse non crederentur;

Atque hinc fides, inde livor & perſecutio: hæc ab improbis hominibus, illa improbis conſpicua manaverit.

PETRI BEMBI VITA.

PETRUS BEMBUS VENETIIS NATUS EST, annis poſt Chriſtum ortum MCCCCLXX. Patrem habuit Bernardum Bembum, hominem, cum vetere nobilitate, tum doctrina, tum etiam dignitate clariſſimum: nam res Venetum publica à certis nominatim familiis adminiſtratur: eæ claræ habentur: reliqui cives; quamquam ſunt eorum multæ amplæ honeſtæque familiæ, neque genus ſuum magnopere extollunt, & in ſua quique re gerendâ occupati, civitatis procurationem fere non attingunt. Inter eas familias Bembi antiquiſſima ſtirpe orti, cum omni tempore in rep. floruerint, ampli in primis, illuſtreſque numerantur; erat præterea Bernardus ſuo etiam privatim nomine, propter juris ſcientiam, qua plurimum excellebat, apud civitatem multum admodum gratioſus; & propter ſummam prudentiam, multiplicemque rerum uſum, propterque vitæ gravitatem, magna in homine erat auctoritas. Hic cum à ſua civitate ad populum Florentinum legaretur, qua in legatione obeunda biennium domo abeſſe Venetorum legibus cogeretur; faciendum ſibi eſſe exiſtimavit, ut Petrum filium, quamquam admodum is tum puer erat, ſecum educeret; propterea quod Florentinorum inſtituta parum à Venetorum moribus illo tempore abeſſent: nondum enim ſub unius dominatione illorum erat reſpublica, ſed nobilitatis fere arbitrio regebatur; &, quod ea civitas præſtare ingeniis creditur, acui puerum, in quo jam tunc præclara indoles eluceſceret, volebat: tum Italicam linguam, qua non elegantiſſime Veneti, illis præſertim temporibus, uterentur, emendari in illo, Florentinorum hominum conſuetudine, exiſtimabat poſſe: nam omnium Italiæ nationum commodiſſime eam loqui civitatem autumant. Nec vero patris conſilium filii ſefellit induſtria: ſic enim excitatum puerile Bembi ingenium Florentiæ eſt, ſic teneræ pueri aures, animuſque puro ac dulci illo Etruſcorum ſermone imbutus, ut jam inde à prima adoleſcentia, multa cum Latine, tum vero Thuſce à ſe ſcripta ediderit, quibus nihil hominum auribus politius, nihil omnino

omnino elegantius, aut ſuavius accidere poſſit. Jacebat omnino temporibus illis eloquentia: inquinate enim loquebantur; nullus erat verborum delectus, nullum ſcriptorum diſcrimen, nam & ipſe negligebatur Cicero, vel contemptui potius erat; & Cæſarem propter hiſtoriam modo curſim & negligenter legebant; Terentium, Virgilium, bonos ceteros, in ludo tantum, idque perpauci, ediſcebant: poſt puerilem illam diſciplinam ſumebat eos in manus nemo, duros, obſcuros, aſperos ſcriptores adamabant; conſectabanturque abditas, abſtruſaſque hiſtorias, aut fabulas: qui iis ineptiis referti eſſent auctores, ii eruditi numerabantur: itaque unus Ovidius de veteribus in honore erat, ergo, ſi verum quærimus, nihil ante Bembi ætatem Latine ſcriptum octingentis ipſis annis, aut eo amplius eſt, quod Romam illam veterem redoleat; aut magnopere lectione dignum ſit: ſoloeciſmum enim vitabant, quantum quidem ex arte grammatica didicerant, idque ipſum haudquaquam ſemper: id unum præſtare qui poterant, Latine loqui ſeſe putabant: nulli, qui purus ille, incorruptuſque veterum Romanorum ſermo eſſet, noverant, ac ne ſuſpicabantur quidem. Par erat atque idem eorum error, qui Italice ſcribebant: qui cum duos haberent ſcriptores, mea quidem ſententia, vel cum Latinis, vel cum Græcis conferendos: nam alterius verſus et ſuavitatis plurimum habent & dignitatis: & variis ingenii, aut etiam artis luminibus referti ſunt, & animum ſæpe permovent atque impellunt; ut de amore ne Græcus quidem quiſquam melius; alterius oratio dulcis, copioſa, polita, ornata, mollis, faceta, rem ante oculos ponens, ut geri ea, quæ legas, non narrari videantur. Hoc cum haberent auctores duos, utrumque in ſuo maxime genere excellentem, ſcribebant ipſi inepte, abjectiſſimis verbis nullus erat orationis ornatus, nullæ homine erudito dignæ ſententiæ, nulla compoſitionis, aut numerorum ratio: licet in manus ſumere, quæ tunc multi ſcriptitarunt: præter unum Politianum, illumque ipſum minus dulcem, minus omnino elegantem, quam ut legiſſe Petrarcæ lectiſſimos verſus videatur; ceteros ad unum indignos dicas, qui in ſcriptorum numero habeantur: unum ſcurrile vigebat genus; in eo ſane ridiculi nonnulli; ſed ipſi quoque multis in locis inertes ac languidi.

Hanc igitur inter erroris atque inſcitiæ caliginem Bembus ad veterum ſcriptorum tamquam lumen ac lucem reſpexit primus, primuſque ab hominibus, magnis quidem hortationibus, magno ſuo labore, multis reclamantibus ac repugnantibus, impetravit, ut Ciceronis ut Virgilii, ut Cæſaris ſimiles ſeſe in dicendo, quam Apuleii, Macrobii, Statiique eſſe mallent, cum contenderet oportere, qui ſcriberent, eam dicendi formam, quæ optima eſſet, habere animo & cogitatione comprehenſam; ad eam tamquam ad exemplum aliquod orationem ſcriptionemque ſuam dirigere; Demoſthene autem, aut Cicerone perfectius in dicendo aliquid promere ſe poſſe qui profiterentur, ſua quidem ſententia nimium ſubire oneris, nimium ſuis fidere viribus; quorum etiam jam olim errore ac temeritate factum eſſe exiſtimabat, ut malos multos ſcriptores haberemus: nam, cum nonnulli à Cicerone diſcedere, ſuique plane eſſe vellent, cum aliter, atque ille, dicere ſtuderent; quoniam is perfectus, abſolutuſque eſſet; deterius dicere cogebantur. Hæc Bembus cum dictitaret, cumque etiam litteris mandaret, egrè ille quidem;

ſed

ſed multis tandem perſuaſit, ſpretos ac repudiatos antea ſcriptores optimos illos, repeterent : propoſitoſque ſibi ad imitandum haberent. Quo quidem Bembi labore, quibuſque præceptis, quantum eloquentia adaucta ſit, cuiuis facile eſt noſcere ; ſi ea, quæ ante hanc illius diſciplinam ſcripta ſunt, cum hujus ætatis ſcriptoribus conferantur. Ea obita legatione domum Bembus cum patre rediit, jam bonarum artium ſtudiis incenſus, jam eloquentiæ, ac ſcribendi magno quodam amore flagrans ; itaque in Siciliam uſque ad Conſtantinum Laſcarem Græcarum literarum cauſa profectus, trienniumque ibi commoratus eſt ; tantumque ingenio, labore, aſſiduitate profecit, ut Græce non modo optime ſciret, ſed etiam polite, luculenterque ſcriberet : atque in Sicilia cum eſſet Latine de Ætnæ incendiis ſcripſit ad Angelum Gabrielem : qui liber, ab eo editus, in manibus hominum eruditorum non ſine aliqua laude verſatur. Poſt eam peregrinationem celeriter Bembus aſſecutus eſt, ut maxima apud omnes Italiæ civitates, tum apud exteras etiam nationes, ejus eſſet ingenii admiratio : ita enim, uti res eſt, ſic homines ſtatuebant ; perdifficile factu eſſe unum atque eundem duabus linguis tam ſcite, tamque ornate copioſeque uti poſſe ; quodque pauci uno in ſermone unquam præſtiterunt, ut præclare ſcriberent, id ab adoleſcente Bembo & in Latina & in Italica oratione effici, omnibus, qui de iis ſtudiis aliquid judicare poſſent, permirum videri neceſſe erat : præſertim id ipſum in utraque lingua & proſa oratione & verſibus, id quod Ciceronem ipſum expertum, ſunt, qui negent aſſequi potuiſſe. Ac miramur profecto interdum, quid cauſæ ſit, cur, cum oratori poëta maxime finitimus ſit, negent fieri poſſe, ut idem orator bonus, idem egregius poëta euadat ; idque non hominum modo exiſtimatione, ſed etiam re ipſa comprobatum eſſe : nullos enim, aut certe perpaucos utramque facultatem adeptos videmus : ſed cum diuturno ſtudio, magniſque lucubrationibus utraque ars egeat, non ſuppetit ad utramque tempus, atque otium : & quoniam longa exercitatione, aſſiduoque uſu conſueſcimus aut oratorie dicere, quod vitio maxime datur verſus ſcribentibus, vel poëtice, quod contra in proſæ orationis ſcriptoribus vitioſum in primis habendum eſt : ſi quis utrumque ſtudium copularit atque conjunxerit, magnæ cujuſdam intelligentiæ, acriſque judicii eſt, præſtare alterum genus, ne incurrat in alterum, præterea oratorum, poëtarumque ingenia atque naturæ contrariæ propemodum inter ſe ſint, oportet : hi enim ratione atque humanitate reguntur ; illos, furoris afflatus ac divinitas quædam, impellit : atque omnino proximis, conjunctiſque in rebus facilior à recto declinatio, ac lapſus eſt, reprehenſio vero vel inſignior : creat enim errorem ſimilitudo ; & cum variatum eſt, celeriter, propter rei ſimilis comparationem ac propinquitatem, inverſio animadverſa internoſcitur ac reprehenditur. Neque ii tamen nos ſumus, qui aut Ciceronis verſus valde improbandos exiſtimemus, aut Platonem atque Æſchinem (utrumque enim verſus in adoleſcentia ſcriptitaſſe memoriæ proditum eſt) malos, contemptoſque fuiſſe poëtas credamus. Poſt Sicilienſem illam peregrinationem, perpaucis interjectis annis, Ferrariam Bembus pater Prodominus miſſus eſt : eum magiſtratum, magnum in primis atque honorificum, illis temporibus Veneti, virtutebelli partum, victoriæque tamquam inſigne, gerebant in aliena civitate ; eo quoque cum patre

filius

filius exiit: ſicque eo in oppido perdiu fuit, ut cum ab omni juventute, ab omnique nobilitate plurimum coleretur, tum verò Herculi Eſtenſi, maximo ac fortiſſimo viro, qui in ea civitate imperium obtineret, Lucretiæ Borgiæ, quam in matrimonio Alphonſus habebat, gratus in primis, acceptuſque eſſet. Per idem tempus, cum annos natus eſſet haud amplius XXVI. Eos ſermones, qui Aſulani ab eo inſcripti ſunt, confecit; opus omnium pigmentorum flore atque colore diſtinctum, fæminas omnino cum adoleſcentibus de amore loquentes amœniſſimis quibuſdam in hortis facit, ita lectiſſimis verbis feſtive ac venuſte, ita ſententiis copioſe atque ornate, nihil ut ejus oratione cum uberius, tum vero ſuavius modulatiuſve eſſe poſſit. Eos libros tanta hominum, mulierum etiam medius fidius approbatione & tamquam plauſu exceptos recentes eſſe meminimus, ut extemplo cuncta eos Italia cupidiſſime lectitarit atque didicerit: ut non ſatis urbani, aut elegantes ii haberentur, quibus Aſulanæ illæ diſputationes eſſent incognitæ; erat per id tempus Urbini Guiduſubaldus Feltrius, vir maxime ſpectata, maximeque nobilitata virtute: is ſuæ civitatis tenebat imperium; atque cum eo Heliſabetha Franciſci Gonzagii, qui itidem civitati imperabat, ſoror, nupta erat: cujus de mulieris laudibus mira quædam litterarum monumentis, cum ab aliis multis, tum etiam ab hoc ipſo Bembo mandata ſunt. Ac datum eſt profecto Urbinatum civitati, ut non ſuos domi modo principes omni genere laudis claros atque inſignes habeat, ſed etiam, ut ex alienis civitatibus mulieres, quas illi in matrimonium duxerint, lectiſſimæ fere, præſtantiſſimæque illi fœminarum omnium obtingant: Nam præter eam, quæ à me appellata eſt, Heliſabetham Gonzagiam, habuit Franciſcusmaria hujus Guidiubaldi pater ex eadem familia uxorem Eleonoram, quæ proximis diebus mortua eſt, omni muliebri laude præter ceteras ornatam atque illuſtrem. Nec vero de Victoria Farneſia, quando in hunc ſermonem venimus, ſileri ullo modo poteſt (quamquam invitus facio, ut de iis, qui nunc ſunt, dicam aliquid) cujus quidem mulieris modeſtia ac pudor ingenuus illud profecto præſtitiſſet, quod Periclem ajunt dixiſſe, primam in muliere laudem eſſe, ut ne de virtute quidem illius ulla ad viros fama emanet: ſed nulla ratione occultari tanta primariæ fæminæ virtus poteſt, quin ad viros quoque emergat, ac ſuo ipſa ſplendore ſe prodat.

Fortunatus igitur Guiduſubaldus cum ſua illa animi magnitudine atque æquabilitate, ſuaque illa prudentia; tum vero hac tali conjuge, vitæque ſocia. Sed cum Urbini quemadmodum dicere incœperam, Guiduſubaldus atque Heliſabetha Gonzagia eſſent, hominum excellentium peramantes, perque hoſpitales, conveniebant ad eos ex omni Italia, ut quiſque præſtanti aliqua in arte præcelleret: eo cum Bembus quoque forte veniſſet; præcipuo præter ceteros in honore haberi cœptus eſt: multa enim habuit Bembus, quæ, ad hominum animos conciliandos, plurimum valere conſueverunt: nam & in forma ſumma quædam oris ſpecies ac dignitas inerat, & in ſtatura ac proceritate decor; mira præterea in moribus ſuavitas quædam lenitaſque amabilis; dulciſque cum ſermo, tum tota vitæ, victuſque conſuetudo mitis ac clemens: ad ea cum præclara ingenii vis ac natura accederet, expetebatur, ſcilicet unus omnium, maxime ab illuſtri illo virorum, fæminarumque conven-

tu:

tu: quibus rebus efficiebatur, ut multum domo abeſſet, Urbinique fere viveret: quam rem multum etiam vicinitas adjuvabat, atque ultro citroque Piſaurum quidem uſque perfacilis atque expedita navigatio: ita factum eſt, ut minus domi honores aſſueſceret admirari, minuſque ambitionibus implicatum animum haberet. At vero id pater reprehendere, graviter ferre, ac prope patrio jure, ut uxorem duceret, ut remp. capeſſeret, atque ex ordine magiſtratus peteret, imperio cogere: fit enim fere, ut qui in libera civitate, præſertim clara atque opulenta, vivant, omnia ad honores referri putent oportere; id unum conſectentur & expetant, ut dignitates, ut magiſtratus adipiſcantur: ſiquæ ſint laudes, quæ alio pertineant, eas aut non agnoſcunt, aut leves atque inanes judicant: atque hæc liberorum populorum conſuetudo, quamquam per ſe ipſa, vique ſua fortaſſe minus probanda, eſt: nec enim compendii, honoriſve cauſa, ſi ad veram illam rationem dirigas, petendi magiſtratus ſunt, civibuſve aliis ullo ſtudio, aut ulla contentione præripiendi; ſed unius reip. ratio habenda eſt, ejuſque unius utilitati, ſalutique ſerviendum; ut dignioribus concedamus; & ſæpe delatus nobis major aliquis, aut magiſtratus, aut imperium, aut curatio, ſi minus ei rei gerendæ nos idoneos ſentiamus, accipiendus non ſit, aut etiam deponendus: nec enim errare patriam, pati æquum eſt. Sed, quoniam non vivitur cum perfectis hominibus, percommode popularis hæc ambitio cecidit: honorum enim cupiditate incenſi, non ad ſuum ſe quiſque format atque inſtituit arbitrium, ſed ad populi, civitatiſque judicium, conſilia, mores, vitam, voluntatemque inſtituunt; dantque operam, non ut ſibi ipſi, aut aliis fortaſſe quibuſdam probati ſint; ſed, ut populo, civitatique, à qua honores ſcilicet expetant, placeant: ita fit, ut una, eademque perpetuo permaneat civitatis forma, atque una, eademque ſit omnium civium communiter diſciplina; neque ſingulorum privatim ſtudiis, voluntatibuſque variatis, reip. quoque ratio atque inſtitutio vertatur atque mutetur; quam quidem cautionem, prudentiamque, una, præter ceteras omnes, Venetorum civitas ſemper adhibuit; ut domeſticos ſuos mores diligentiſſime retineret, eſſetque plane ſua, neque quicquam exterum infundi in civitatem, aut ulla infici ſe peregrinitate pateretur. Cum igitur Bembus pater in eum curſum, quem tenuerat ipſe, quemque ſumma cum laude, plauſuque confecerat, filium induceret, atque compelleret, ille contra, alia ſpatia, curſuſque alios animo agitaret, quamquam patri obſequi ſuadebat pietas, civium conſuetudo hortabatur, propinqui, neceſſariique efflagitabant; tamen ſic animo cogitabat, cujus ipſe gloriæ cupidus eſſet, eam ad ſe non à ſuis modo civibus, ſed ab omnibus etiam gentibus ultro deferri; prehenſandum ſibi ejus rei cauſa neminem eſſe, ſupplicandum nemini, nullius ſuſcipiendas inimicitias, nemini os lædendum: unam enim eſſe, ex omni laudum genere, ingenii gloriam, qua, ſine ulla cujuſquam querela, perfrui, ad extremum uſque, homines ſoleant: honores imperitæ modo multitudinis teſtimonium præ ſe ferre; ingenii laudem ac famam, etiam intelligentium hominum habere comprobationem: nec vero aut voluntatum mutationem, aut fortunæ temeritatem extimeſcere; ſed ſtabilem, firmamque etiam ad poſteros commendationem habere: poſtremo permultos omnibus ætatibus exoriri, quorum opera, pro ſua cujuſque parte,

reſp.

reſp. geri poſſit; at, cujus ingenii monumentis civitas ornetur, ne multis quidem ſæculis unum extare, aut alterum: ſatis vero jam Bembos, magnos honores in republica, ad illuſtrandam familiæ dignitatem, eſſe conſequutos; ſatis nobilitatam, majorum ſuorum rebus geſtis, ſuæ memoriam ſtirpis eſſe; quando & vetuſtiſſima templa à ſuis jam olim gentilibus conſtructa, ea ſcilicet, quæ Juliano dedicata ſunt, Bemborum nobilitatem illuſtrent, & pietatis ſint teſtes; & Franciſci Bembi ejus, qui, multos annos ante Patriarcham Venetiis inſtitutum, ſacrorum antiſtes ac pontifex fuit, memoria, gentis vetuſtatem oſtentat; tum maritima imperia, clariſſimæque Franciſci itidem Bembi victoriæ; tum Marci, qui à Cypriis interfectus eſt; aliorumque multorum ob remp. ſuſceptæ calamitates, interituſque, Bemborum et virtutis, & in patriam caritatis teſtimonio ſint: nec vero ne in præſentia quidem defuturos, qui ſtirpis, gentiſque gloriam tueantur atque adaugeant; habere ſeſe Carolum fratrem, in quo mirificam ingenii indolem, maximam virtutis ſpem ineſſe intelligat; eſſe præterea cum alios nonnullos, tum Joannemmattheum Bembum ſumma itidem virtutis & ingenii ſpe præditum adoleſcentem. Et vero hic quidem, nec Bembi de ſe judicium fefellit, & multis, magniſque in rebus domi, foriſque perutilis reip. civis eſt, ſemperque fuit: nam Carolus, priuſquam patriæ prodeſſe per ætatem potuiſſet, extinctus eſt: unam hanc litterarum atque ingenii laudem minus illos adhuc eſſe adeptos: eam ſe in ſuam gentem inferre cupere, ac propemodum etiam ſe id perficere, ac præſtare poſſe compertum habere: ſin honores ſectari velit, certo ſcire, minus eam ſibi rem ex ſententia ſucceſſuram, quam invitus ſuſcipiat, & injucundam exiſtimet; & multa præterea à natura impedimenta habere ſe, ſibi ipſe ſit conſcius: nam & blandiri ei qui poſſit, quem fortaſſe minus aut probet, aut diligat, pudore ſeſe quodam ingenuo impediri; & exiſtimationem ſuam vulgi voluntati, comitiorumque caſibus, & tanquam undis, quotannis commiſſam eſſe, propter animi quandam aut libertatem, aut, ſi quibus ita videtur, faſtidium, pati non poſſe; nullam autem omnino rem facilem eſſe, quam invitus facias. Scire ſeſe illam alteram honorum atque ambitionis incertam, ac periculorum plenam viam, plus fortaſſe utilitatis, plus apud parvi, anguſtique animi homines ſplendoris polliceri; ſed eam ſe ſequi malle, quæ plus veræ ſolidæque dignitatis habeat: ut enim fructuoſos fundos parare utilius ſit: voluptarios autem, atque animi modo cauſa inſtitutos, honeſtius ac magnificentius; ſic, illam ambitionis rationem uberiores in vulgus fructus fortaſſe ferre, hanc certe bonarum artium ac litterarum inſtitutionem, plus apud præclara hominum ingenia magnificentiæ, plus honeſtatis oſtendere: ac, ne multa, nihil ægrius factum eſt, multis filii contentionibus, multa contra patris, matris quoque Helenæ Marcellæ, primariæ fœminæ, caſtigatione, ſæpe etiam objurgatione, quam, ut ne ſingulare ac prope divinum Bembi ingenium, ad bonarum artium ſtudia atque ad has manſuetiores muſas natum, vulgo atque imperitæ multitudini proderetur: ſed pervicit tamen, ut, per parentes ac neceſſarios, perque cives ſibi ſuos aliquando vitam in litteris agere, idque unum, relictis rebus, curare ſibi liceret. Sed paucis poſt annis dum ſeſe Bembus libris, litteriſque obruit, dum ſolitudines, receſſuſque ſibi pro foro, ſibi pro curia, proque comitiis

per ſummum otium, ſummamque tranquillitatem habet; Joannes Medices Cardinalis, is cui Leo. X. nomen poſtea inditum eſt, Pont. Max. Romæ creatur. Mos, conſuetudoque Pontificum eſt, ut ſi quid publicæ privatæve rei incidat, quod prolato opus non ſit, quodque ſecreto per litteras agi oporteat, ſi quando, aut regibus, aut civitatibus reſpondendum, aut ſi quid poſtulandum ab iis ſit, ſi quid denique paulo majoris negotii implicitum cum aliquo eſt, id, quaſi per familiares epiſtolas, tranſigant: eas litteras cera obſignant; nam publicis decretis in plumbo ſignum eſt: earum litterarum ſcribendarum negotium datur hominibus, ob ſcribendi prudentiam, atque elegantiam, eruditiſſimis; ob muneris, locique dignitatem, graviſſimis atque honeſtiſſimis, ob autem rerum pondus ac magnitudinem, ſumma fide, ſummaque probitate præditis: ii magna cura ac diligentia conquiruntur, magnis præmiis evocantur. Eum Leo morem cum vehementer probaret, cumque ad dignitatem pertinere arbitraretur, diligentiſſimeque eum retinere vellet, ſine ulla dubitatione Bembum accerſiri, eique muneri, negotioque præponi jubet. Magnam in ſpem, magnam in dignitatem vocabatur Bembus: munificentiſſimus enim Leo, liberaliſſimuſque & habebatur & erat: ipſi autem res erat familiaris pertenuis; vix ut neceſſarios ſumptus ſuppeditaret, idque ipſum magno Caroli fratris, quem ſui amantiſſimum, obſervantiſſimumque habebat, labore atque induſtria: confluebant præterea ad Leonis famam ac bonitatem, ut quiſque in quaque excellebat arte, aut diſciplina; ut propemodum homini erudito, Roma abeſſe, turpe eſſet. Huc accedebat reprehenſores ſuos convincendi ſtudium quoddam; cum quanti ſuæ illæ attes fierent, quas illi nulli rei eſſe dicerent, quaſque, tamquam nugas ac deliramenta, ſæpe Bembo objicerent, oſtendendi magna data eſſet occaſio: nec vero à ſuo vetere inſtituto, aut à litteris abduci ſeſe propterea arbitrabatur, quippe, qui ad ſcribendum invitaretur, qua una in re omnis ſibi cura atque opera poſita ſemper fuiſſet. Proficiſcitur Romam Bembus, cum annos natus eſſet tres & quadraginta; præponiturque epiſtolis Pont. Max. nomine ſcribendis; eoque in munere gerendo datur illi ſocius, & tamquam collega, Jacobus Sadoletus is, qui poſtea Cardinalis factus eſt. Scripſit eorum uterque eas epiſtolas cum plane Latine, quod ante id tempus neque acciderat ulli, nec adeo fieri poſſe ullo modo homines exiſtimabant; ac, ſi verum quærimus, ne cogitabant quidem: noſtri enim homines, ſæpe etiam Tranſalpinæ nationes, ſic Latine ſcribebant, ut ſuæ quiſque civitatis tamen loquendi formam, conſuetudinemque retineret; ac Latinis verbis, quamquam ne id quidem uſquequaque, Gallice nihilominus, aut Italice, neſcio quo pacto, loquerentur: ſed eæ epiſtolæ cum plane Latine à Bembo, Sadoletoque ſcriptæ ſunt; tum vero ſumma à doctiſſimis, exercitatiſſimiſque hominibus adhibita eſt elegantia, ſummaque dignitas; id quod ex iis libris intelligere licet, qui à Bembo editi, epiſtolas à ſe Leonis. X. nomine ſcriptas continent. Cum itaque Pontifici Bembus, homini nec natura hebeti, nec in ſcribendo rudi, cumulatiſſime ſatisfaceret, magno ab eo honore afficiebatur: tantum porro in illum ſuæ liberalitatis Leo contulit, ut, qui Romam pauper tandem veniſſet, ſuis ex fructibus Seſt. amplius CXX. caperet, Pontificis plane beneficentia dives factus. Fuit ætas, tempuſque illud humanitatis ſuavitate nimia

prope

prope quadam perfuſum; ut delectationum multarum ſtudia ſæculi illius licentiæ, propemodum omnium permiſſu, conceſſa eſſent: nec enim ne voluptatum quidem quarundam blandimenta nimium ſevere aſpernabantur; ſed multa ad oblectationem, multa ad ludum data erant cujuſque ordinis, cujuſque ætatis hominibus: nec vero religioni habebatur, honeſtos, graveſque homines in hortis viſos eſſe; aut paulo liberiore in convivio, ſymphonia cum caneret, & mulieres accumberent, interfuiſſe quamquidem ſæculi illius nimium plane profuſam hilaritatem, eorum temporum, quæ ſequuta ſunt, triſtitia, vehementer corripuit, magnoque opere caſtigavit: quo magis vereor, id, quod dicturus ſum, ne multis ſecus, atque eſt, de Bembo, exiſtimandi aliquid det loci. Sed quoniam nobis ſuſceptum id eſt, ut de illius vita, non de laude, dicamus, ne hoc quidem reticendum nobis eſſe arbitrati ſumus. Ac fit fere, ut mores, conſuetudineſque locorum, aut ætatum, pro ratione ſibi, proque diſciplina homines habeant: denique, quod fieri vident, licere putant; atque id, quod in præſentia minus reprehenditur, in poſterum quoque tolerabile, conceſſumque fore arbitrantur, atque omnino apud omnes gentes, etiam, quæ natura gravia ſunt, fieri conſueverunt moribus leviora. In ea igitur morum, ſæculique licentia, eximia forma mulier quædam perpuliſſe Bembum dicitur, neque, diu reſiſtentem, continere eum ſe à lapſu potuiſſe, præſertim qui nullis dum ſacris initiatus eſſet: verum ea, ut temporibus illis lapſio, ut hac ætate fortaſſe labes, eum habuit eventum, ut magno, ſi modo naturam audire volumus, fructu compenſaretur: ſuſcepit enim ex ea muliere liberos tres; qui ut nominentur à me, res propemodum poſtulat, nec ipſi nolunt; Lucilium, Torquatum, & Helenam Bembam, fæminam lectiſſimam, quæ cum Petro Gradenigo primario adoleſcente nupta eſt: cui etiam liberos ex ſeſe peperit totiuſque orbis terrarum præclariſſimam civitatem civibus nobiliſſimis auxit: ut, ſi qui ſunt, qui in eo Bembum gravius accuſandum cenſeant, meam illi quidem ad ſuam ſententiam adſcribant licet: ſed ii tamen ſe meminerint id improbare factum, quod infectum eſſe, optare certe non audeant. Nec vero in litteris modo ſcribendis Bembi fidem atque eruditionem Leo periclitatus eſt; ſed etiam in rebus agendis hominis prudentiam, ſollertiamque plurimum adamavit, itaque cum conſpirare adverſus Galliæ regem cum Cæſare Maximiliano, cumque Hiſpaniarum rege catholico, ita reip. temporibus poſtulantibus, cogitaret; miſit de ea conſpiratione Bembum ad Venetorum ſenatum, qui eam magnopere civitatem hortaretur, uti à Gallorum, quibus cum conſenſerat, amicitia diſcederet, ac ſeſe cum Pontifice reliquiſque conſpirationis auctoribus, ducibuſque fœdere & ſocietate conjungeret. Habita eſt à Bembo in Venetorum ſenatu ea de re oratio pergravis ſane perque vehemens, quam etiam ſcriptam reliquit: perlegant eam noſtri homines; nihil Italice ſcriptum, gravius ornatiuſve ea oratione, dicent eſſe. Tenebatur præterea impendio magis Bembus ſtudio ſignorum antiquorum, idque genus rerum reliquarum, credo, quod eam pulchritudinem, ordinem, partium convenientiam, quam mente atque animo in ſcribendo unus cerneret præ ceteris, iis etiam minus liberalibus in artibus cum propemodum agnoſceret, paulo magis commovebatur, atque omnino fingendi pingendique artem poëticæ ex altera parte ajunt reſpondere:

illa enim animorum, hæ ſenſuum mulcendorum magiſtræ: quam quidem ingenii doctrinæque cauſam, ii, qui noſtra ætate eouſque harum rerum cupiditate efferuntur atque inſaniunt, magno ut propterea ære in alieno ſint, cum afferre homines ſine ingenio, ſine litteris, non poſſint, quam morbi furoriſque ſui rationem allaturi ſint, ipſi videant: quid enim attinet, cum animum partim per ſe, vique ſua turpem rudemque, partim malevolentia, invidia, perfidiaque inquinatum gererent: domum modo atque hortos, villaſque tot verſuris faciendis, tot fruſtrandis, fraudandiſque creditoribus, affabre factis ſignis ex marmore, aut ex ære ornatas habere.

Cumque in dictis factiſque honeſtatis faciem nunquam, ne inſomnis quidem, aſpexerint, decorem pulchritudinemque tanto in ære ac lapidibus opere adamare? equidem nec domum, nec villam, nec vero oppidum umquam, non modo exornatum, ſed ne ſatis quidem mundum dixero, ubi illi cum ea fæditate, cum iis animi ſordibus habitent. Nam ſiqui ſunt, qui talium rerum intelligentiam, tamquam ſuæ, in reliqua vita, munditiæ atque elegantiæ, aut rectarum artium, in quibus ipſi excellant, corollarium quoddam adferant, id quod in Bembo uſu evenerat, iis non modo ſuſcenſendum non eſt, ſed etiam gratiæ habendæ ſunt: at, qui omnium diſciplinarum expertes, in omni vita rudes atque agreſtes, hujus unius ſtudii commendatione nitantur, aut in eo non virtutis quaſi appendiculam, ſed tamquam vitiorum ac ſcelerum ſuorum, ut ipſi ſperant, integumentum, ut ego interpretor, additamentum quoddam, quærant; ii non modo acriter vituperandi, ſed etiam vehementer illudendi ſunt. Sed cum tenui Bembus valetudine atque imbecilla eſſet, cumque noctu magnis lucubrationibus, magnis vigiliis ſcribere neceſſe haberet; nam interdiu, cum à Pontificis latere diſcedere veſtigium vix liceret, cumque multi audiendi, ſalutandi, deducendi, honeſtandique, ut Romanus ferebat mos, eſſent; relinquebatur otii nihil: gravem diuturnumque in morbum incidit; ex quo cum ægre ac difficulter convaleſceret, nec recreari reficique videretur poſſe, de medici conſilio, ipſius Pont. hortatu, cæli mutandi cauſa, Patavium petiit: atque eo anno Leo moritur. Incredibile dictu eſt, quanta animi alacritate, quantaque lætitia Romanis laboribus, curiſque liberatus, longa ſane, annorum novem, ipſorum intermiſſione facta, optatum ad otium ſtudiumque ſuum vetus ſeſe Bembus receperit; nullum ut urbis urbanarumve rerum, aut deliciarum deſiderium in eo reſediſſe, liquido appareret. Et vero eos, qui à pueris, bonarum artium ſtudiis dediti, ætatem egerunt in litteris, mordere in adoleſcentia interdum ſolet, quod à rebus agendis abſint: quod ſi caſus eos forte aliquis ab otio ad agendum evocaverit atque traduxerit, næ illi rem totam, quam, incognitam dum haberent, admirabantur, expertam atque perſpectam, præ ſuo vetere ſtudio, contemnunt, quid enim in ſe continet, quod magnopere aut laude, aut etiam appetitione dignum ſit, præclara iſta agendi ſollertia? ſi modo rem inſpicimus, ac ſpecioſa illa vocabula, communitas, utilitas, ſalus hominum, pauliſper ab hac diſputatione faceſſant, rogamus: qua enim tota in re non ratio, ſed, maximam partem, fortuna dominatur, quamque non prudentia, ſed plerumque (non enim libet ſemper dicere) malitia, regit; quid aut gloriæ, aut jucunditatis ineſſe poſſit? quaſi enim cum ludas teſſeris, neque

contra

contra ejus ludi formulam ut venias, adverſarioque ut fucum facias, animum inducere velis, ſi te is, quicum ludas, contra ſine ulla dubitatione circumveniat, atque decipiat, numquam tu tantum ſcientia atque artificio profeceris, ut cum illius dolo atque fallacia certare poſſis; ſic in hominum vita hac, & tamquam alea, cum viri boni, ut à juſtitiæ certa quadam præſcriptione, ne latum quidem unguem, diſcedant, abduci ſeſe nullis aut honorum, aut pecuniæ præmiis patiantur; alii autem vulgo fraude, præſtigiis, ſæpe perjurio, perfidiaque pugnent, vincitur nimirum ſimplicitas calliditate, ingenuitas impudentia, pudor moleſtia, fides ſcelere, veritas mendacio: itaque tardi, parumque efficaces habiti boni inter improbos, ludibrio ſæpe ſunt.

Careant igitur inſigni hac rerum gerendarum laude homines litteris dediti, animo non modo æquo, ſed etiam hilari; ac ſic habeant, nihil fere honeſtati hominum, in vita hac communi, eſſe relictum loci; ſed ſcelus pleraque, ac turpitudinem invaſiſſe; quamquam, operam dare ſe reip. maximam plerique prædicent, eam omnem, communis rei ſimulatione, in ſua quemque privatim utilitate augenda poſitam, occupatamque habere. Unos omnino excipio Venetos; Nam Chriſtiana quidem res communis Romæ, non hominum conſilio, ſed dei immortalis mente, regitur. Unos igitur Venetos excipio, quorum præclariſſima in rep. optabile ſtatuam eſſe verſari: quam quoniam peregrinis nobis non licet capeſſere; nec vero ea civitas, poſt hominum memoriam, prudentiſſima ac fortunatiſſima, noſtræ, aut cujuſquam opis eget, illam, utpote libertatis arcem, prudentiæ gymnaſium, juſtitiæ domicilium, veneremur: otium autem hoc ignobile litteratum, adoleſcentes ſeneſque retineamus. Quam quidem Bembus prudentiam ſtudio ac voluntate hujus ſententiæ auctoribus præclare emenſus, re atque exitu ad extremum uſque præſtare non potuit: nam, cum Patavii multos jam annos eſſet, in civitate quietis ac tranquillitatis pleniſſima, ab omnique contentione, ambitioneque longe ac multum remota; cumque omnem curam, cogitationem, operam, ad ea ſtudia, quæ à puero adamaſſet, celebranda, contuliſſet, vel in iis jam conſumpſiſſet potius, magno quodam caſu clementem illam vitam, quietam, tranquillamque prope jam decurſo ſpatio, atque ætate jam fere exacta, recuſans atque ingratiis coactus eſt mittere. Erat Romæ temporibus illis, vir ſummus atque clariſſimus, ſingulari prudentia, admirabili animi magnitudine præditus, Alexander Farneſius Cardinalis, qui Paulus III. appellatus eſt, qui, ſimulac Pont. Max. factus eſt, extemplò tanto imperio ac poteſtate accepta, ut initium rerum, actionumque ſuarum ab illuſtri aliqua laude duceret, faciendum ſibi eſſe exiſtimavit, ut qui quaque in civitate, quibuſque in terris homines eſſent, illuſtri quadam aut pietatis, aut prudentiæ, aut doctrinæ laude, celebrati; illos ultro ipſe, eam dignitatem haud quaquam petentes, ac ne tale quidem quicquam ſuſpicatos, ampliſſimum in Cardinalium collegium cooptaret. Ea re ſperabat cum pontificatus, collegiique, tot clariſſimorum hominum acceſſione facta, auctum iri majeſtatem; tum, ſpecimen ſe quoque ſuæ virtutis maximum cum dediſſet, magnam de ſe famam, opinionemque eſſe facturum: itaque ſemel atque iterum, magna cura, magna adhibita diligentia, ſummos viros perveſtigavit atque delegit, quibus

quibus graviſſimam illam dignitatem, nimio à pleriſque opere ſæpe fruſtra ac nequicquam expetitam, ultro mandaret: quo facto, opinione majorem eſt gloriam conſequutus.

Sed, ut aliis ea res evenit, Bembo quidem perincommode cecidit, quod ſuo ex otio, ſuaque ſolitudine dulci illa erutus, rurſum in eam turbam, moleſtiamque ſenex raperetur, à qua, vix dum inclinata ætate, ſeſe tamen cupidiſſime vindicaſſet: etenim cum præſtantes denuo gloria viros Paulus conquireret, atque indagaret, quos in collegium legeret; occurrit in primis homni Bembus: is forte Venetiis erat. Gaudeo, gaudeo, optima poſt homines notos, atque ampliſſima civitas, cum inveſtigaretur perquirereturque virtus, ad te iterum potiſſimum ventum eſſe, etenim cum bonorum, prudentiumque hominum res Chriſtiana publica egeret; ſumpſerat à te ſcilicet, jam antea, Gaſparem illum Contarenum, Italici nominis lumen; in quo, cum ſumma probitas, caſtimonia, moderatio, prudentia cum ſumma doctrina atque eruditione contenderet, ejus ipſius inſignita pietate ac religione longe eæ laudes omnes vincebantur: ergo de tua magnorum virorum copia bis ſuppeditatum paucis annis rei Chriſtianæ communi eſt: ſemel in Contarenos, iterum in Bembo. Ad eum cum Pauli miſſu Carolus Gualterutius Fanenſis, vir apprime bonus, navuſque & induſtrius, veniſſet cum diplomate, cumque ejus dignitatis inſigniis, ille enimuero recuſare ac deprecari, neque abduci, nunc demum ætate confecta, pati ſe poſſe dicere, à quiete ac ſolitudine illa, quam unam, rerum omnia jucundiſſimam, antiquiſſimamque, jam inde à prima adoleſcentia habuiſſet; magnas tamen ſeſe Pontifici, magnas collegio gratias agere atque habere; quod ſenectutem ſuam honorificentiſſimo de ſe judicio, clariſſimoque decreto tantopere honeſtatam voluiſſent, cum in eo, multos jam dies, perſeveraret, neque de ſententia depelli poſſe videretur, nihil propius factum eſt, quam, ut Romam Gualterutius, re infecta, reverteretur. Non ſum neſcius multos fore, qui noſtræ orationi hac in re parum fidei habeant: plerique enim omnes, quid de aliena voluntate credendum ſit, de ſua conjecturam faciunt: itaque incredibile multis viſum iri intelligo, Bembum id vere atque ex animo aſpernatum eſſe, quod omnes, fere ſumma cupiditate, expetendum atque optabile eſſe exiſtiment; tametſi ſcribimus hæc recenti hujus facti memoria, multiſque, qui in agendo adfuerunt, ſuperſtitibus, quos, mendacii atque impudentiæ noſtræ conſcios ac teſtes, habere, cur velimus cauſa nulla eſt. Sed quoniam par eorum peccatum eſſe conſemus, qui mentiri in hiſtoria audent, atque eorum, qui dicere verum reformidant; mendacii ſpeciem, verum cum dicturi eſſemus, non horruimus. Erat perinvidioſum futurum, reſpui tantam dignitatem, præſertim quæ non honoris modo ſplendorem, ſed etiam muneris contineret officium: eam enim ob cauſam collegium dicitur Cardinalium à majoribus inſtitutum, ut ii & adſint Pontifici, & ad omnia reip. tempora præſto ſint; ægerrimeque laturus eam rem Paulus erat; quod minui Chriſtianæ civitatis majeſtas, cujus ipſe princeps conſtitutus eſſet, videbatur, atque ejus privatim & conſilium condemnari, & auctoritas contemni, qui non beneficium modo Bembo à ſe datum exiſtimaret, ſed etiam onus quoddam officii pro ſua poteſtate impoſitum: ut ſi de ſuo ille honore putaret ſibi liberum eſſe recuſare, dicto certe

te pontificis audientem non esse, in eo vero & collegium, quod sanctum esset, & Pontificem violari, itaque accurrunt ad eum undique amici ac necessarii; agunt, hortantur, obsecrant, si sua ipse gloria minus moveatur, gentis ac posteritatis tamen memoriam nomenque respiciat; ac tantam dignitatem in domum suam illatam ne ipse à se abjudicet. Parum primo Bembus eorum moveri oratione; utpote qui eadem sæpenumero audisset jam olim prope omnia, ac refutasset: ubi vero ad eum Petrus Landus adiit, qui civitatis, haud multo post, princeps fuit; qui unus apud Venetos magistratus amplissimus est, idemque perpetuus; isque longa atque accurata oratione cum eo agere cœpit, cum ostenderet quantum ea re subiturus esset offensionis atque invidiæ; quam indigne Pont. Max. quam graviter omnem sacerdotum amplissimum ordinem eam ignominiam ferre necesse esset; cumque adderet numquom hæc, sine nutu atque consilio dei immortalis, accidere solere; diligenter videret, ne divino numini refragaretur; tum vero, animo sane suspenso ac perturbato, hominem Bembus in præsentia dimittit, rem in diem posterum differt; &, quoniam religionem sibi iniecisset, diligentius deliberaturum sese pollicetur. Postridie ejus diei, cum res homini in religionem plane venisset: fuit enim non versuta hac, atque ad hominum opiniones captandas simulata, quam in multis videmus, rugis supercilioque horridam, tristitia; sed, vere atque ex animo, pietatis colentissimus; proximum in fanum mane ingressus est. Erat tum forte sacerdos ad aram, atque historiam de iis, quæ à Christo dicta, aut gesta in terris sunt, quod evangelium appellamus, clara voce, ut mos sacrificium facientibus est, effari incœperat: vix dum pedem in templum intulerat Bembus; ac sacerdos, Petre, ait, sequere me, ea vero illi vox, dei prope ipsius ore mitti, visa est. Itaque, cum omnem ex animo dubitationem sustulisset, quasi dei accitu, Romam proficisci statuit, magnus fit ad domum ejus omnium hominum atque ordinum concursus, frequens gratulatio, maximus totius civitatis plausus, ille vero, paucis post diebus, silvas, recessusque suos, in quibus placatam, tranquillamque vitam prope omnem traduxisset atque exegisset, crebro appellans, atque identidem respectans, Romam ire perrexit. Vere hoc dicere possum; sic homini hoc discessu hilaritatem prorsus excussam, ut ejus pristinam jucunditatem, suavitatemque amici, familiaresque ex illa die desideraverimus, atque, in omne tempus amissam esse, doluerimus. Cultus est Romæ Bembus cum à bonis plerisque omnibus Contareno, Sadoleto, Cortesio, Morono Cardinalibus amplissimis, hominibusque eruditissimis; tum vero præcipue à Reginaldo Polo, homine, dei immortalis, dubio procul, beneficio, ex ultima usque Britannia ad nos vecto, vel de cælo potius, si modo dictu fas est, lapso; cujus de laudibus, quamquam de tam præclara ac plane divina virtute nemo satis digne umquam loquetur, alius mihi profecto dicendi locus dabitur, hoc certe haud facile in præsentia dijudicare audeam; plus ne eam insulam, multis vulneribus Christianæ reip. per summam impietatem infligendis, nocuisse dicam? an, quod in illo solo talis, tantusque vir ortus & procreatus sit, unde vere, planeque Christianæ pietatis, vitæque exemplum peteremus; profuisse. Is igitur cum Bembo familiarissime vixit; cumque senis optimi multas, magnasque animi dotes maximi fecit; tum vero apertum, simplexque

ſimplexque hominis ingenium, ſuæ ipſius voluntati atque naturæ conſimile ac par, plurimum ſemper adamavit. Sed, cum diligentiſſime Bembus coleretur à multis, ſummo etiam à Paulo honore afficiebatur; tantaque apud eum fuiſſe gratia dicitur, ut nullam unquam rem ab eo poſtularit, quin perfecerit, atque abſtulerit: ſed enim hoc non ſolum auctoritatis, gratiæque fuit, ſed etiam moderationis & pudoris. Tum ea erat Bembi, in dicenda ſententia, libertas, ea ſimplicitas, eaque in omni vita clementia atque ingenuitas inerat; ut, ſi ante eum Paulus mortem objiſſet, quod natura poſtulare videbatur, aliquot enim annos illum Paulus anteceſſit ætate, creatum iri eum Pont. Max. plerique compertum haberent. Sed, cum equo Bembus forte veheretur, paulùm in oſtio ad parietem latus offendit; qua ex plaga, homo ſenex ac debilis, in febriculam incidit; atque ex ea, cum ſenſim extenuari, conficique ſe intelligeret, cumque mortem multos dies quaſi præſtolatus eſſet, animo non modo forti, ſed etiam æquo; ut de ſua illa migratione cum amicis interdum etiam jocaretur; diem ſuum pie, ſanctèque obiit. Cultus erat jam pridem omni officio Bembus ab Hieronymo Quirino Iſmerii filio; homine partim genere ac nobilitate, partim fide, munificentia, humanitate, morum ſuavitate ac dulcedine, clariſſimo. Is illi ſtatuam mortuo poſuit nobili artificio factam ex marmore, atque eam celeberrima Antonii in æde Patavii locavit; inſcripſitque in baſi in hanc fere ſententiam: propterea ea ſe illam ſtatuam Bembo ſtatutam, atque in publico poſitam eſſe, ut cujus animi ſimulacra orbis terrarum cerneret, ejus ne corporis quidem deſideraret imaginem.

Fuit omnino perpolitum Bembi ingenium, perque acre; maximeque perſpicax, acutumque judicium; plurima in alios, in ſe nimium pæne multa inquirens; in ſeligendis, collocandiſque verbis, multum ponebat operæ, atque in ea re magnam cum prudentiam, tum vero etiam diligentiam adhibebat: hoc enim unum ſibi perſuaſerat eſſe, quod in oratione novitatem, & quaſi, patriis moribus conſervatis, peregrinitatem tamen quandam effingeret; quæ, cum multum omnibus in rebus admirationis habeat, ob id ipſum plurimum etiam non modo dignitatis, ſed etiam jucunditatis adferre ſolet. Ac profecto, quantum intelligere nos poſſumus, præclare hoc, quod difficillimum ſemper habitum eſt, Bembus præſtitit, ut, cum minus fere uſitate loqueretur, hoſpitis ſpeciem tamen effugeret, quod ſi qui ſunt, qui vulgi opinione ducti, quotidianam hanc tritam, communemque dictionem in hominum eruditorum, aut verſibus, aut proſa oratione vel poſtulent, vel expectent, atque ob eam cauſam Bembi orationem, quæ à plebeio ac pervagato hoc tabernariorum atque opificum ſermone longe diſſonat, minus delectentur; ii erunt ex eorum numero, qui de iis ſtudiis exiſtimare aut leviter, aut nihil poſſint. C. quidem Cæſar, ut litteris proditum video, & ipſe bene loquendi laudem, non populi conſuetudine, ſed multo ſtudio, multiſque litteris, & iis quidem reconditis & exquiſitis, aſſequutus eſt; & cum de ratione Latine loquendi ad Ciceronem ipſum accuratiſſime, pluribus quidem libris, ſcriberet, verborum delectum, originem dixit eſſe eloquentiæ. Jure igitur Bembus, majore quadam cura, in verbis eligendis torquebatur, præſertim cum Etruſce ſcriberet: itaque nova, ſplendida, decoraque ejus in primis oratio eſt: parum enim fidei conſuetudini ſemper habuit; quod ea partim varia atque inconſtans

inconſtans, partim etiam vitioſa atque corrupta eſſet; &, quoniam ne Romam quidem, nec adeo Athenas illas ipſas Atticas, quibus temporibus eloquentia maxime floruit, diutius tenere illud potuiſſe ſcriptum legerat, ut ne barbarie earum infuſcaretur, atque inquinaretur oratio; repudiandum ſibi hunc ſermonem, qui nunc eſt, ſtatuebat eſſe; atque eum, qui fuerat in Etruſcis olim hominibus purus atque emendatus, cum minus dum exterarum nationum in Italiam confluxerat, adſciſcendum: qui cum illi non de populo, futili inanique doctore, diſcendus eſſet; ſed e veterum libris, graviſſimis auctoribus, percipiendus; illud etiam eadem opera adſequebatur, ut ejus, dignitatem, gravitatemque haberet oratio: nam quotidianus quidem, vulgariſque hic hominum ſermo, è ſordidis artibus maximam partem ductus, multum ex officina, multum è taberna, è ſellaque redoleat, neceſſe eſt. Sunt igitur Bembi de ratione Etruſce loquendi libri tres, in dialogo mirabiliter ſcripti; quibus profecto effectum eſt, ut, quod homines Etruſce loquantur, non bonæ modo jam conſuetudinis ſit, quam tamen fluxam atque inſtabilem videmus eſſe, ſed jam etiam ſcientiæ ac rationis, quæ mutari nullo modo poſſunt: quamquam video non deeſſe, qui, cum cogitandi laborem ferre ipſi aut nolint, aut etiam nequeant, Bembi ſcripta non tam expurgata, quam religione nimia prope quadam attenuata eſſe contendant. Sed ſit ſane ſuus cuique modus: difficile eſt enim, in omni re ſtatuere quatenus: & tamen, ſi cum aliorum libris Bembi ſcripta conferantur, facile judicium erit: mihi quidem ejus oratio vehementer probatur: non modo, quia elegans, nova, ſplendidaque eſt, &, ut ita dicam, nobilis; ſed, quia eſt etiam, Iſocrateo prope more, uber atque ornata. Sunt etiam ejus verſus Etruſce ſcripti, & quidem permulti, graves atque pleni, ut hanc quidem laudem, ſi modo nos de iis rebus exiſtimare aliquid poſſumus, Bembo à ceteris omnibus concedi, neceſſe ſit: in iis eſt carmen de Caroli fratris morte: videor mihi hoc vere affirmare poſſe, neminem unquam tam plane, tam ornate, tam dolenter quemquam luxiſſe, atque illis Bembus verſibus fratris obitum lamentatus eſt. Scripſit præterea volumina epiſtolarum aliquot: quarum paulo magis decoram video à nonnullis locutionem exiſtimari, ſuum cuique omnino judicium; eamque ob cauſam difficillimum eſt, omnibus æque placere: nam, ut Theognis ait, laudatus à Platone poëta.

Οὐ γὰρ πάντα ὁ Ζεὺς
Οὔθ' ὧν πάντας ἀνδάνῃ, ἔτ' ἀνέχων.

Mihi quidem, cum has epiſtolas cum iis, quæ à Græcis, Latiniſve ſcripta olim ſunt, contuli; valdè hæc cum illis congruere videntur. Sed pollutas plerique lue quadam etiam nunc aures habemus; nec plane dum è vulgi fæce enatavimus atque emerſimus: paucos enim adhuc bonos auctores Etruſca habuit lingua, quibus lectitandis noſtrorum hominum expoliretur, expurgareturque judicium. Itaque homines ornatæ, factæque orationis inſueti, nec pulchritudinem intelligunt, aut cernunt, & ſplendore ipſo præſtricti læduntur; præſertim qui in veterum Græcorum ac Latinorum libris uſque adeo verſati, volutatique non ſint, ut illorum virtutes aut transferre ipſi in ſua ſcripta, aut in alienis agnoſcere non poſſint: atque Etruſce quidem à Bembo ſcripta hæc ſunt. Latine vero de Ætna ad Angelum Gabrielem ſcripſit adoleſcens;

ſcens; quem video libellum illi poſtea Seni non valde probatum fuiſſe: de Virgilii Culice, & Terentii fabulis librum unum: de Guidoubaldo Feretrio, atque Eliſabetha Gonzagia ad Nicolaum Teupolum librum itidem unum, qui valde doctis omnibus probatus eſt; à Gabriele quidem Faerno, homine eruditiſſimo, atque hujus generis acerrimo exiſtimatore, in cælum fertur. Sunt etiam Bembi, præter eas epiſtolas, quæ Leonis nomine ab eo ſcriptæ ſunt, ſuarum quoque privatim epiſtolarum volumina; ac ſeorſum epiſtola de imitatione ad Joannem Picum, libri prope inſtar, ſane perlegenda, ſunt prætera ejus verſus Latini multi, dulces, elegantesque; ut me quidem æque propemodum, ac veterum illorum poëtarum ſcripta, delectent, ſcripſit etiam magna cura, magnaque aſſiduitate civitatis ſuæ hiſtoriam, nudiuſculam illam quidem: eſt enim unum Cæſarem imitatus; ſed puram in primis atque illuſtrem.

GASPARIS CONTARENI, VITA,

Auctore Joanne Caſa, *qui &* Petri Bembi *vitam ſcripſit.*

CUM PERMULTUM INTER LAUDATIONEM atque hiſtoriam intereſſe oportere facile intelligerem; propterea quod illa virtutis modo præconium quærit: hæc veritatis in utramque partem teſtimonium continent; ſæpe mihi de GASPARIS CONTARENI vita cogitanti veniebat in mentem, vereri, ne, ſi eam litteris mandaſſem, laudare me hominem magis quam, qui ejus vitæ curſus fuiſſet, narrare voluiſſe, multi arbitrarentur, qui cum commemoratum à me de illo nihil viderent, quod eſſet à laude ſejunctum, quæ reprehenſionem habitura fuiſſent, dedita opera à me prætermiſſa eſſe exiſtimarent. Sed cum laudatoris ſit, de cujus laude dicit, ejus bona verbis amplificare, aliquid etiam alieni affingere; vitia oratione attenuare, aut etiam ſilentio præterire; in altero facile præſtare poſſum, ut hic meus commentarius plurimum à laudatione diſſentiat: nec enim ſermone noſtro Contareni virtutem augere conandum nobis eſt: in altero, ut de ejus vituperatione indicem nihil, non eos, ſed res ipſa laudationi perſimilem narrationem noſtram efficiet. Quod ſiqui erunt, qui cum plus de aliena virtute prædicari ſentiant, quam quantum de ſua ipſi ſibi polliceri ſoleant; aut ægre id ferant, aut orationi meæ fidem non habeant, ii ſic cogitare debebunt; dici hæc à nobis de eo, qui jam non ſit: quique cum ſuæ civitatis probis viris omnibus, tum aliarum gentium, exterarumque nationum clariſſimis quibuſque hominibus notus, beneque cognitus fuerit, quorum cum magna pars ſit ſuperſtes, nulla nobis cauſa

cauſa eſt, cur de mortuo mentientes, tot vivorum, illuſtrium præſertim hominum, vanitatis impudentiæque noſtræ teſtimonia colligere velimus: clarorum autem virorum laudibus, favere potius quam obtrectare omnes debebunt, mihi certe aut de Contareno tacendum fuit: aut de eo, ni mentiri fore maluiſſem, cum laude dicendum.

VENETORUM Civitas optime morata, optimeque conſtituta eſt: id ex eo intelligere licet, quod una temperatione, unis legibus, ſine ulla ſeditione, ſine ullo inteſtino malo, annos eorum reſpublica amplius mille manet: quodque à parvis initiis profecta ad eam opulentiam atque ad id imperium, quod videmus pervenit: complures urbes, eaſque magnas atque florentes, ſocias vectigaleſque habet: Corcyræ, Cretæ, Cypro, multis magniſque inſulis, tranſmariniſque provinciis dominatur. Claſſem inſtructam paratamque habet, quantam nullus rex, nullæ nationes valeant comparare. Ea civitas una omnium, de quibus memoriæ proditum ſit, libertatis æquabilitatiſque maxime amans, maximeque retinens eſt: quippe quæ duriſſimis quondam Italiæ temporibus; ſervitutem fugiens, è continenti ſeſe in undas æſtuſque conjecerit; fortuniſque omnibus relictis, unam modo ſecum extulerit libertatem, atque in ea tuenda tot ſæculorum ſpatium verſata, ſtudium voluntatemque, uſu etiam atque exercitatione corroboravit. Itaque libertatis fortaſſe nomen alibi quoque gentium invenias; libertatem ipſam puram atque incorruptam, ab omnique metu vacuam, utinam aſpicere in aliis civitatibus, utidquondam fuerat, Deorum nobis beneficio aliquando liceat. Illud ſalutare inſtitutum mordicus à Venetis retentum eſt, ut reipublicæ attingendæ præterquam iis, qui initio in civitatem convenerunt, quique germani Veneti & tamquam Aborigines ſunt, poteſtatem præterea facerent nemini; niſi ſiquando deliberata re, bene de republica meritis, ejus urbis inquilinis, aliiſve quibuſdam, id jus nominatim ad hodiernum diem conceſſum eſt. Ex eo igitur priſcorum genere civium Aloiſius Contarenus fuit, cum prudens paterfamilias & locuplex, tum præſtans ſenator & nobilis: atque is Polyxenam Malipetriam in matrimonio habuit, fœminam primariam; ea, cum aliquot jam perperiſſet pueros, neque ii diutius viverent, ad amicas æqualeſque dicitur rurſum prægnans retuliſſe; à quibus, ut ſunt pleræque mulieres religioſæ, admonita eſſe dicitur; uti qui natus eſſet puer, ei nomen imponeretur unum ex iis nominibus, quibus vocati ii reges ſunt, qui ad Chriſtum Deum noſtrum paruulum ac lactantem venerunt: fore enim ut vitalis eſſet. Cum ſalva igitur paucis poſt diebus perperiſſet, puerum nominari GASPAREM juſſit, qui primus ejus familiæ hoc nomine appellatus eſt. Is ubi adolevit magna in eo ingenii indoles erat, magna ad litterarum ſtudia propenſio: itaque facile Aloiſius pater, conſilium, quod de puero ceperat, mutavit: mercaturis enim illum faciendis, reique augendæ, quippe cui multæ atque amplæ multis in locis res rationeſque cum multis eſſent contractæ, filium ſcilicet natu maximum Venetiis deſtinaverat: eſt enim fere in liberis civitatibus, mercaturis rem quærere, nobilitati quoque non modo non turpe, ſed, ſi bono modo fiat, etiam honeſtum, verum ubi pueri ingenium naturamque, majus quiddam ſpectare atque polliceri intellectum eſt, conſilium illud de mercatura funditus pater abjecit; neque ulla in re filii voluntati ac ſtudio

defuit. Is ubi quod satis esset operæ Antonio Justiniano, Laurentioque Bragadeno Venetiis visus est dedisse: nam ii publice à civitate constituti erant, qui juventutem in dialecticis, atq; in philosophia erudirent: Patauium profectus, Petro Pomponatio Mantuano, magno nobilique philosopho, in disciplinam sese tradidit. Erat in adolescente naturæ vis peracris illa quidem, &, ut mihi videbatur, peracuta, sed tamen nescio, quo modo, magnitudine & firmitate potius præstans; &, quod maxime rem continet, ad sapientiæ studia accommodatum & tanquam philosophum inerat ingenium, memoria omnino valebat plurimum: huc accedebat animi ac victus vitæque totius constantia quædam, ut, quam semel instituisset rationem, de ea non defatigatione, non pistritia, nón voluptate depelleretur. Opinio est in omni vita re venerea illum omnino usum esse nunquam, defixa mens scilicet in eo studio, cui se ab ineunte ætate dediderat: eoque capta atque alta, nihil præterea concupierat, itaque celeriter assecutus est, ut æqualium magister, grandiorum natu magistrorumque tanquam æqualis, & compar haberetur, certum temporis spatium, horarum sane haud amplius trium, meditationi & bibliothecæ attributum, & tanquam, sepositum habuisse dicitur, cui tempori nec unquam quicquam detraheret nec fere adderet; qui reliquus erat dies in congressionibus amicorum, collocutionibusque consumebatur: eæ de litteris scilicet erant, ut in suo studio, ne cum vacare quidem videretur, cessaret. Idque ipsum, nihil agens, ageret tamen urgeretque propositum, & tamen animum à contentionibus relaxaret. Illud etiam narrari nobis ab eo ipso meminimus, cum diceret nunquam se in omni adolescentia commisisse, ut mane aliquid postridie aggrederetur ediscere, quin prius ea quæ pridie percepisset, diligentissime reminiscendo recordatus esset: vitandam enim asotorum consuetudinem ajebat, qui crudi sese tamen ingurgitant, quoque magis cibo replentur, oneranturque, minus virium, minus valetudinis habent, in eo igitur cursu, cum sedulitate magis quam contentione, aut labore, admirabiles progressus efficeret: atque eos, qui in eodem curriculo erant, longo intervallo antecederet, mortem Aloisius pater obiit. Duodeviginti ille annos natus erat eo tempore. Liberorum autem, magnum sane numerum, filios septem, quatuor filias, præterea magna cum multis contracta implicitaque negotia, Aloisius reliquerat. Atque odiosum omnino negotium est homini in cogitationis ac doctrinæ studiis occupato, familiaris rei procuratio; ut minus mihi mirum videri soleat, Democritum, nobilem quondam philosophum, ut ea cura, eoque impedimento liberaretur, omnes fortunas suas, sicuti litteris proditum est, abjecisse. Verum tamen quanquam invitus ac mærens discedebat à litteris, tamen Patavio profectus est: atque eandem illam animi moderationem æquabilitatemque adhibens, fratribus partim in Apuliam, partim in Alexandriam (ibi enim magnas societates Aloisius pater habuerat) distributis, partim Venetiis relictis; bene domi constitutis rebus Patavium reversus est: studiumque haudquaquam longo intervallo à se intermissum, cupide renovavit, in ea urbe doctissimorum hominum plena, ac liberalibus artibus affluenti, aliquot annos commoratus est: cum in principibus jam philosophis numeraretur, atque ejus nomen plurimum indies increbresceret. Atque hoc loco postulari exigique à

nobis

nobis arbitrati ſumus, ut, qui ejus progreſſus & quale tanquam iter ad percipiendas fuerit diſciplinas, demonſtraremus. A primis igitur dialecticæ elementis profectus ſic omnem philoſophiam perluſtravit, ut illius ſingulas tanquam oras non viſeret modo atque inſpiceret, quod plerique facimus, ſed in unaquaque etiam illius quaſi regione commoraretur, & habitaret, itaque illud aſſecutus eſt, nihil in ea ut arte, ita copioſa & magna atque varia, tam eſſet magnum atque arduum, aut tam minutum atque parvum, quod ejus aut diligentiam lateret, aut fugeret intelligentiam: nihil autem tam abſtruſum aut reconditum, quin promptum illi expoſitumque, quamvis ſubito eſſet atque ex tempore. Ejus nos rei permagnum quondam ſpecimen cepimus: nam cum Florentiæ forte eſſemus, qua ille Roma profectus, iter in Germaniam habebat ad Cæſarem, erant in ea urbe, cum alii complures in ea philoſophia, quæ de natura eſt, docti atque exercitati, tum duo præter ceteros Petrus Victorius, & Franciſcus Medices, quorum erat utriuſque & natura admirabilis & exquiſita doctrina; tum ſtudium ardens in utroque ac peacre vigebat, flagranſque & ſingularis in utroq; induſtria: ſed alterius breve tempus doctrinæ augendæ & declarandæ fuit; Victorius qualis vir, quantuſque jam tum eſſet, ea, quæ nunc eſt ejus doctrina, librique ab eo editi declarant: ii per eos dies ad Contarenum ſane ventitabant, à quo nos quoque non fere diſcedebamus: hoc affirmare poſſum, cum omnis inter eos ſermo eſſet de phyſicis, nullius rei mentionem eſſe factam à ſummis illis viris, ingenio præſtantibus, animo vacuo, otio abundantibus ſtudio incenſis, tempore paratis, à bibliotheca & litteris recentibus, quin eam Contarenus, & memoria teneret, & intelligentia comprehenſam haberet, & oratione tam facile explicaret, quam quæ facillima ſunt. Præſtabat id non tam credo memoria, qua tamen valebat, ut antea dictum eſt (natura enim quoque plurimum ille excellenti fuit) quam ipſa, via ac ratione percepta, doctrina: ſic enim eum ipſum dicere ſolitum eſſe accepimus. Non modo certam artium multarum inter ſe quandam naturalem eſſe diſpoſitionem, ut aliam alia ſuo quæque loco deinceps tanquam ſubſequatur, & cum priori poſterior quaſi coagmentetur: ſed unius quoque ejuſdemque cujuſuis ſcientiæ ſi quis ordinem & tanquam ſeriem conturbaverit atque reſciderit, ad exitum perveniri non poſſe: magnoque in errore verſatos, ſuperioris ætatis homines ajebat eſſe, qui multa properantes tranſilirent; aut ullam artem ediſcere ſe poſſe diſſipatam arbitrarentur, aut mutilam atque hiantem: ambutatis enim interſciſſiſque diſciplinis progredi pervenirique ad ſcientiam non magis poſſe, quam interruptis iter pontibus confici. Unum autem omnino ſibi comitem ac monitorem ad Ariſtotelis iter, multis ſæpe obſtructum difficultatibus, Thomam Aquinatem aſciverat, hominem non contentionis, ſed veritatis amantem, qui & ſubtilitatem habeat, nec ultra, quam par eſt, progrediatur acumine; atque idem articulatim partiteque ac diſtribute doceat; doctus etiam Græcis Latiniſque litteris erat. Poëtas, Homerum, Virgilium, Lucretium, Horatium lectitaverat atque didicerat. Itaque cum non artis factitandæ, ſed eruditionis liberaliſque doctrinæ fruendæ cauſa, philoſophiæ ſe dedidiſſet, omnes tamen artifices, magiſtroſque omnes, non ſcientia modo, ſed fama quoque & celebritate facile ſuperabat. Erat hominis vita atque victus non tam excultus

atque

atque expolitus, quam cum gravitate quadam ſimplex, ac lenis, placatuſque; oratio inculta illa quidem atque inornata, ſed hoc ipſo, quod omni careret fuco elegans, ac cum auctoritate. Nulla mollities, nullæ, ne in adoleſcentia quidem, animi aut corporis deliciæ; ſermo nulla aſſentatione ſuffuſus, nulla animus malevolentia infuſcatus. Et cum feſtivitas lepoſque haud magnopere adeſſet, aberat etiam ruſticitas atque triſtitia. Quin etiam hoc ab eo dici memini; devorare ſeſe certorum hominum (qui in aliqua vitæ parte claudicarent) incommoda, aut etiam vitia ſolere, ſimulac de bonis, quibus illi excellerent, aliquid deguſtaſſet. Ac cum Galeatius Florimontius, qui nunc Sueſſæ epiſcopus eſt; vir cum omnibus honeſtis artibus perpolitus, tum præcipue caſtus atque integer, tum religione ac pietate in primis incenſus; in notandis autem reprehendendiſque amicorum vitiis unus omnium maxime acer ac liber: caſtigator nonnunquam etiam ſubamarior, atque is à Contareno in fratris locum diligebatur. Cum ille igitur nobis audientibus nequire ſe ſatis mirari diceret, illum, qui omnium eſſet mundiſſimus ac ſaniſſimus, cum hominibus quibuſdam, quos ipſe appellabat, id, quod nobis minime neceſſe eſt, qui turpitudine aliqua, tamquam morbo, adfecti atque inquinati haberentur, tam ſæpe conflictari. Quæ ille cum ſane commotus ac ſtomachans diceret. Quid nos, inquit Contarenus, nunquamne abſinthio aut ſcamoneæ radice curari nos patimur? Quid ni? inquit ille. Ergo inquit Contarenus earum potionum exſorbemus ſapores tæterrimos, ut ſucco epoto, illius juvemur vi ſalutari, horum vitia, ſiqua ſunt, non devorabimus, & tanquam amaritiem perferemus atque exſorbebimus, ut illorum tanquam veſcamur virtute, atque alamur bonis? quid autem ipſis nobis fiet, ſi amandum ſtatuerimus, niſi qui perfectus abſolutuſque fuerit, eſſe neminem: laudare ſe, quod in quoque probaret, libenter ajebat, quod reprehenderet, vituperare non ſe neceſſe habere. Hanc animi æquitatem, hanc tam præclaram maximarum artium doctrinam, alia longe iis majora bona decorabant. Summa integritas, ſumma innocentia, pietas, non hæc quæ facie, motu, amictu commendatur, quam in multis cernimus, ſimulata, & ſpecie, atque oratione hominum opinionem captans, ſed ſolida, nuda, ſinceraque, in mente atque in animo inerat, quibus ille rebus inſtructus, cum magnum ejus eſſet nomen, magnaque non ſolum laus, ſed etiam admiratio, aliquanto citius quam conſtituerat Patavio deceſſit. Nam cum omnis, prope dixerim, terrarum orbis eo tempore contra Venetos conſpiraſſet, tæterrimumque ei civitati bellum intuliſſet, afflictis Venetorum opibus, Patavio ipſo obſeſſo, nec multo poſt amiſſo, maturius omnino, quam in animo habebat, invitus, nondum diſcendi ſiti ſcilicet expleta, domum ſeſe recipere coactus eſt. Erat ejus ætas nondum firmata, ut reipublicæ operam navare poſſet: itaque in iis ſeſe ſtudiis aliquot annos continuit, cum ejus domus tanquam bonarum artium gymnaſium quoddam ab iis, qui doctrinæ deſiderio tenebantur, frequentaretur. Verum tamen ad rempublicam ubi primum acceſſit, ejus ingenium, quod de Hortenſio eſt memoriæ proditum, tanquam Phidiæ ſignum, ſimul aſpectum ac probatum eſt. Itaque cum tres & triginta tum haberet annos, à civitate ad Cæſarem Carolum hunc V. in Germaniam orator (ſic enim Veneti appellant) eſt miſſus. Legationis munus magnam apud Venetos habet dignitatem,

tem, magnam ad ſummos honores magiſtratuſque adipiſcendos commendationem; ſæpeque à multis una petitur, & in comitio ſuffragiis oratores magna ambitione creantur.

Gerebat illis temporibus in Italia bellum Cæſar cum rege Galliæ, cum quo illi antea quoque continentia bella interceſſerant, atque cum eo Pont. Max. Leo. X. ſeſe conjunxerat: cum rege Veneti conſpiraverant, atque omnis impetus belli ad Mediolanum confederat; nam eam urbem Gallis Venetiſque defendentibus, Cæſaris ac Leonis copiæ oppugnabant. Ad eum, qui cum bellum ſuæ erat civitati, planeque ad hoſtem ire ſe Contarenus intelligebat, apud quem exploratoris, non legati locum obtinere eum neceſſe eſſet, atque ipſa res cogeret. Accedebat etiam quod Cæſarem quibuſcum inimicitias exerceret, iis ſolere eſſe amariorem audierat: illiſque maxime, qui Gallorum faverent rebus. Itaque animo ſane commoto ad Cæſarem adiiſſe dicitur; nam & ſponte ipſa ſua verecundus, ingenuo quodam, quod tamen ſine ſegnitia eſſet, pudore fuit. Verum eadem illa doctrinæ, caſtitatis, ingenuitatis, innocentiæ opinio, multo ante ejus adventum ad exteras quoque nationes perlata, Cæſaris illi animum voluntatemque conciliaverat; nam amare ille plurimum ingenuos apertoſque hominum animos dicitur. Itaque ut ſemel in primo illo, qui ei cum Cæſare fuit, congreſſu, hilari vultu acceptus & comiter appellatus eſt, faciles ad eum deinde ſemper aditus habuit: & illo, quamquam civitati erat iratus, non modo pacato, ſed etiam propitio uſus eſt. Ac paulatim cum eam, quæ antea de ſe fuerat, opinionem magis ac magis indies confirmaret atque augeret, jam ipſi Cæſari non modo gratus, ſed etiam familiaris erat.

Itaque cum certior factus eſſet, Gallorum Venetorumque copias in Inſubribus fuſas ſuperataſque, Gallos ex oppido eſſe expulſos cæde & fuga ſuorum, qui eam rem nuntiarent Contareno miſiſſe dicitur, atque iis præcepiſſe, ut de incommodo, quod Veneti accepiſſent, reticerent, neque illorum copias in eo prœlio dicerent interfuiſſe: eam in illo ſeſe corporis imbecillitatem aſpicere, ut excruciari eum illam noctem ſuæ tanta illa patriæ clade nuntiata nolit. In Hiſpaniam Cæſar conſtituerat reverti, neque per Gallorum fines, qua proximum erat iter, quod exercitum non habebat, ire poterat, itaque per Belgas profectus ad oceanum perrexit, atque ibi navibus conſcenſis in Britanniam appulit, pauciſque intermiſſis diebus rurſum naves ſolvit atque in Hiſpaniam contendit. Toto hoc itinere eum Contarenus proſequutus eſt, cumque in Hiſpaniam perveniſſent, biennium apud eum eſt commoratus, atque in ea legatione omnino quinquennio conſumpto Venetias rediit. Cum illud re confirmaſſet, quod à Græcis quibuſdam poëtis mandatum verſibus video: Magnam gratioſi nuntii eſſe utilitatem.

Nam cum omne id temporis ſpatium inimico inter ſe animo Cæſar & Veneti eſſent, ac fere continenter bello inter ſe contenderent: multa ille tamen ob eam, qua ſuo nomine erat apud Cæſarem, gratiam, obtinuit: multa ſuæ civitatis mandata confecit: magno quoque uſui reipublicæ fuit: ſimulque illud eſt aſſequutus, ut multarum magnarumque rerumdiuturna tractatione ac conſuetudine; tot nationum naturis, moribus, inſtitutis cognitis atque perceptis, magnam rerum agendarum uſum, magnamque habere

beret prudentiam. Itaque cum diligentiam, operam, curam, prudentiamque ſuam civitati mirifice probaſſet; abſens & in ſenatum lectus eſt: qui honos Venetorum legibus non fere diuturnior anno & menſibus quatuor eſt: & quod olim, exiguis etiam tunc civitatis rebus, precibus rogandi erant, qui domeſticis ſuis relictis negotiis, ad conſilium de publicis capiendum convenirent, Rogatorum concilium appellatur: ejuſque permagna & poteſtas eſt & dignitas; quippe cui omnis reſpublica permiſſa ſit, viciſſimque in hac civitatis amplitudine ac dignitate à clariſſimis quibuſque civibus ſummis opibus, ſumma contentione expetitur. Magnæ præterea auctoritatis eſt in ea civitate magiſtratus, cui ab eo nomen inditum eſt, quod præcipua, magna atque ampla procuratio demandata illi eſt, ærarii ac vectigalium, quæ in continenti, Veneti magna atque ampla habent; nam eum magiſtratum illi Sapientes terræ firmæ appellant, hanc quoque poteſtatem Contarenus ſtatim renuntiata legatione; maxima totius civitatis voluntate, omnibus ſuffragiis adeptus eſt. Habuit de ea ipſa legatione, more majorum orationem in ſenatu uberem ac plenam, cum de Cæſaris ingenio, voluntate, inſtitutis, opibus, copiiſque diſſereret; earumque nationum, ad quas adjiſſet, mores, leges, facultates, conſilia exponeret: quæ cum ab eo diſtinctius ſcilicet atq; eruditius dicerentur quam Venetorum hominum aures audire ad eam diem conſueſſent; tanta diligentia; tantoque ſilentio atque attentione audiebatur, ut vocis bonitas, qua ille ſane exili fuit, non magnopere deſideraretur. Non ſum vulgi opinionis, judiciique neſcius: arbitrantur enim philoſophiam, hominum, vitæque hujus communis quaſi corruptelam eſſe quandam: atque eos, qui in ſtudiis cogitationis ac doctrinæ, paulo ulterius progrediente ætate verſati ſint, homines in ſolitudine atque in angulis educatos, curiæ lucem aſpicere, aut in hujus civilis turbæ, ac fori ſtrepitu & concurſatione, & in rerum agendarum tumultu, & tamquam acie, ſine magna animi titubatione negant auſuros eſſe conſiſtere, hominum conſuetudinis imperitos legum, morum, ſermonum, voluntatumque ignaros, atque à communi vita et hominum ſenſibus, victuque longe multumque abhorrentes: ſic vulgo exiſtimant. Sed falluntur ſane, multoque id aliter evenit. Nam, qui, tanquam inermes, ad prœlium & pugnam; ſic nullis aut levibus doctrinæ præceptis, quaſi armis, inſtructi ad rempublicam accedunt, ii artem, quam facere intendunt, unam quidem omnium maximam ac difficillimam, reipublicæ patriæque periculo diſcere coguntur; atque ut in vetere Græcorum proverbio eſt, dolio faciendo figlinam aggrediuntur percipere: idque ipſum de malis auctoribus, magiſtriſque ſane inſciis atque improbis, vulgo & foro. Quamquam nobilitari homines iidem Græci in foro ajunt: qui ſi hoc ſentiunt, virtutem, ut majore in luce poſita locataque ſit, ita magis magiſque ſplendeſcere atque illuſtrari, ipſi ſane videant, ubinam eam potiſſimum in bono lumine collocent: ſin illud præcipiunt, à populo, bene vivendi rationem, tuendarumque civitatum diſciplinam peti oportere, aut in foro cum reliquis mercibus expoſitam, virtutem vænire, næ ego, mihi locum modo demonſtrari, magno emere poſſum. Sed non eſt ita.

Nam ſponte quidem ſua, aut prudentiam hominum animus atque ingenia non magnopere gignunt; aut hujus nobis ætatis, tamquam ſterilitas quædam vehe-

vehementer lamentanda eſt, quibus autem opinionibus imbutæ eorum mentes, & tanquam conſitæ, ad remp. è populi diſciplina, & quaſi cultura prodire ſoleant operæ pretium eſt attendere. Nam ii, qui animum philoſophiæ præceptis excoluerunt, regendarumque civitatum artem edidicerunt; neque timidi ſunt, quod ſcientia earum rerum, quas quiſque tractet, animum addere, non adimere ſolet; neque audaces ac temerarii, quod ſtultitia ac temeritas plurimum ab arte ac ſapientia diſſident. Reipublicæ vero gubernator ille de populo, nec ignaviam à verecundia ſegregare, neque præcipitem aut pertinacem civem ſejungere à forte atque conſtanti magnopere novit, niſi uſu demum atque experientia doctus, cum ſæpe lapſus, ſæpe deceptus multa in rep. offenderit, & civitatis periculo ac detrimento (ut antea à me dictum eſt) prudentiam didicerit. Philoſophia autem, quæ vel maxime in effingendis, atque ad virtutem conformandis, hominum ſenſibus atque motibus occupata ſit, &, utut illi morati tandem ſint, quemadmodum cum iis conflictari non incommode queamus, vias rationeſque tradat, neque ab hominum abhorret moribus, &, qui ſit optimus reipublicæ ſtatus, intelligit, & quibus artibus, inclinatæ ruentes civitates ſubleventur, tenet; & ad eas, quæ non optimis inſtitutis ac legibus temperatæ ſint, accommodari ſeſe tamen non recuſat: remediaque temporum, locorum, caſuumque incommodis adhibet ſalutaria, eadem multa de hominum vitiis, quæque eorum cautiones ſint præcipit, eadem qui, cuique arti, cuique fortunæ, cuique animi aut corporis affectioni, mores ſenſuſque comitari ſoleant, commonet. Ad eam doctrinam tam fructuoſam, tamque opimam ubi uſus quoque atque exercitatio acceſſit, tum vero præclari illi ac ſingulares cives exiſtunt: qualis vel in primis Contarenus ſua in republica fuit: qui cum ingenuarum artium in gremio educatus & tanquam philoſophiæ alumnus quidam, ad agendum deſcendiſſet, maximoque ſibi uſui ea præcepta, quæ olim imbiberat, eſſe intelligeret, ſuos cives hortari non deſiſtebat, ut ea perveſtigarent, quæ de naturis humani generis, deque rerum publicarum gubernationibus à philoſophis explicantur. Nec vero occultabat hoc ipſe de ſe; nam à principio, cum primum in ſenatum lectus fuit, ſæpe factum eſſe ajebat, ut in ſuggeſtum aſcendere, ſententiæ dicendæ cauſa, cum cuperet, auſus non ſit; quod pudore quodam & rei inſolentia retraheretur: eamque rem magno ſibi dolori eſſe ſolitam; itaque in animo habuiſſe, niſi eum animi timorem ac verecundiam pervinceret, ad rempublicam poſthac non accedere, ſuumque locum aliis conceſſurum, quibus ad dicendum animus non deeſſet: nec enim verum eſſe, fortibus ac ſtrenuis civibus ab ignavis timidiſque locum præripi: verum nihil neceſſe fuit, talis civis prudentia ac conſilio remp. privari. Nam paucis menſibus, cum ſeſe animo facile confirmaſſet, ſic ſententiam dicebat, ut neminem magis prudenter, magiſve compoſite loquutum unquam fuiſſe conſtaret. Docebat ille quidem verbis, quam maxime poterat, propriis, cum partite ac diſtincte, tum memoriter ac copioſe, animos autem cum oratione minime conaretur impellere, auctoritate ipſa vehementer permovebat & fide, lingua celeri ac volubili leporem atque ornatum illum oratorium neque adhibebat, neque adhiberi æquum eſſe conſebat: animos enim civium inflecti atque incitari, quo maxime tempore ſedatos rectoſque eos eſſe oporteret, cum conſilium capturi

de rep. eſſent, turpe atque inutile eſſe exiſtimabat: eoſque qui magno quodam conatu orationis vim ad ſenſus atque impetus animorum & motus commovendos admoverent; ſi id ſuæ privatæ utilitatis cauſa ſuſciperent, improbe; ſi reip. cauſa, arroganter ſine controverſia facere ajebat; quod tantum ſibi ſumant, ut non communi remp. conſilio regi velint, ſed ſuo; quamque ipſi probarent ſententiam, in eam ceteros cives non adducere, ſed compellere ſtuderent. Eodem tempore Contarenus Brixiæ præfectus renuntiatus eſt, cum magiſtratum Capitaneum Veneti appellant: quo cum proficiſci cogitaret: jamque impedimenta impoſita in lintrem haberet, repente horribilis nuntius affertur; Romam à Cæſaris militibus captam, Pontificem Max. in arcem compulſum, urbem ipſam diripi ac vaſtari, quibus rebus Venetias nuntiatis, magnus ſubito cum dolor, tum etiam terror invaſit. Itaque mutato conſilio Contarenus, cum vereretur aliis armis Brixiam egere, quam, quibus ſeſe ipſe aſſuefecerat, conſilio atque auctoritate, eum magiſtratum recuſavit, atque interim otium à rep. nactus, ſtudiis ſcilicet ſuis illis priſtinis obſequebatur. Bellum, cum gravis hæc plaga accepta eſt, cum Cæſare Veneti, ac Clemens VII. Pont. Max. communiter gerebant; ſed totius imperii ſumma tradita erat Franciſcomariæ Urbinatium principi, quem illi ducem appellant; eum Veneti ſuarum copiarum ſeorſim ducem habebant; nam civem terreſtres copias ducere, per leges non licet: ac cum deditione facta, Clemens jam complures menſes in cuſtodia à Cæſaris militibus aſſervaretur, cumque urbis depopulandæ, vaſtandæ, incendendæ, modum homines feri ac barbari ſibi ſtatuerent nullum; cui rei Cæſarem, quod longe abeſſet gentium, cum maxime cuperet, negant potuiſſe occurrere: commoti rei indignitate atque acerbitate Chriſtianorum principes plerique omnes inter ſe de Pont. Max. è cuſtodia educendo conſpiraverunt, ejus rei cauſa concilium Ferrariæ indictum eſt, quod Alphonſum Eſtenſem, qui ejus urbis imperium, à majoribus acceptum, eo tempore obtinebat, maximi animi hominem, reique militaris peritiſſimum, adjungi ſibi vehementer ſtudebant: à quo cum propter conſilium ac virtutem, tum propter oppidi opportunitatem, opes, bellique inſtrumenta, quibus ille abundaret, earumque rerum omnium facultates, quæ ad bellum uſui erant, multa, magnaque auxilia ſubminiſtrari ſibi ad id bellum intelligebant poſſe. Eo Galliæ Britanniæque reges Legatos miſerunt cum mandatis homines nobiliſſimos; idem & ii, quibus Pontificis Max. ſalus privatim curæ erat, fecerunt, & Mediolanenſis dux Franciſcus Sfortia. Eodem Veneti Contarenum mittunt: maxime enim eorum reipublicæ intererat eam confici rem, propterea quod cum Pontifice, quemadmodum dictum à me eſt, ſocietate & fœdere conjuncti, continentibus bellis, non longe ab ſuis finibus, cum Cæſare contenderent. Eo concilio peracto, atque haud ita multo poſt Pontifice liberato, ad eum Contarenus, ſuæ civitatis juſſu legatus profectus eſt. Magna erat eo tempore omnium rerum perturbatio, magni Galliæ, Italiæque totius videbantur motus impendere, quod & Clemens ipſe iniquiſſimo animo contumeliam, quam acceperat, ferre exiſtimabatur, quod per pacis ſimulationem circumventus in hoſtium poteſtatem veniſſet, quod ſuperbe crudeliterque tractatus, & in deditionem receptus tamdiu in cuſtodia fuiſſet retentus, atque ad extremum quod non dimiſſus, ſed elapſus è manibus & catenis eſſet: quod omnia exempla

crucia-

cruciatuſque in ſuos editi Romæ atque in omnibus vicis, & oppidis eſſent. Accedebat quod Florentini Hippolytum atque Alexandrum Pontificis fratrum filios, qui ipſius potentia in ea urbe imperium antea obtinuiſſent, è civitate ejecerant, quod ille graviſſime atque indigniſſime ferebat: ejus dolor quam in partem erumperet, expectabatur ab omnibus. Eadem Galliæ regis cauſa erat, atque conditio: nam & bello ſuperatus captuſque, tantum ſe de vetere virtutis opinione deque bellica gloria deperdidiſſe, maximo erat illi dolori; & ſui liberorumque ſuorum mercatu (ut ipſe exiſtimabat) nundinationeque illa Cæſaris, hoſtili ſcilicet in eum odio exarſerat. Tum Veneti multis de cauſis Franciſcum Sfortiam in regnum reſtitui volebant: atque eam rem ad ſuam remp. magnopere pertinere arbitrabantur, quibus omnibus rebus efficiebatur, ut, in tanta animorum incitatione & diſcordia renovari in Italia bellum neceſſe eſſe, omnibus videretur. Interim Clemens cum Cæſare in gratiam redierat, amicitiamque conciliaverat: &, quo liberius in patriam iracundiam exercere poſſet, juſtiſſimas ſuas in Cæſarem minuerat inimicitias; & ſuas illi injurias aut condonaverat, aut viciſſim pacis ſimulatione, idoneum doloris ſui ulciſcendi tempus expectabat. Atque cum Cæſaris duces & exercitus, illius nomine Florentiam oppugnarent, faciendum ſibi eſſe exiſtimavit, ut propius ipſe accederet: itaque Bononiam ſeſe contulerat. Eo Cæſar quoque ex Hiſpania venit, ut à Pont. Max. cujus unius ea poteſtas eſt, diadema ceteraque imperii inſignia acciperet, atque ei advenienti cum obviam Contarenus extra urbem proceſſiſſet, dicitur eum Cæſar perquam longo ſane intervallo à ſe viſum agnoviſſe, atque iis oculis, eaque vultus hilaritate eum aſpexiſſe, ut id à multitudine, quæ viſendi cauſa prodierat, & omnes vias oppleverat, animadverteretur; atque ex ea re conjectura fieret, rem inter Cæſarem & Venetos conventuram: id quod exitus comprobavit. Nam præter omnium opinionem, in tanta animorum incitatione & diſcordia, tot ultro citroque illatis acceptiſque injuriis ac detrimentis, cum pacificationi locus vix ullus videretur eſſe relictus, receſſum tamen ab armis eſt, paxque inter omnes conſtituta. Quæ res per Contarenum acta magna ex parte & confecta, cum ſuæ civitati gratiſſima atque optatiſſima accidiſſet, mirifice ejus & gloriam & auctoritatem auxit, ut nullam rem tantam, aut tam difficilem eſſe cenſerent, quin eam ille animo & cogitatione ſuſcipere, & conſilio tueri, & auctoritate atque induſtria conficere poſſet. Memoria teneo me Romam illis temporibus veniſſe; tantus erat omnium, qui in ea urbe tunc aderant, de Contareni doctrina, prudentia, continentia, pietate, conſenſus, tantaque admiratio, ut non amarent modo eum, qui tunc erant civitatis principes, ſed etiam vererentur & colerent. Atque omnino multa præclare legibus ſancita ſunt apud Venetos, in his, quod vetantur legati ab his, ad quos miſſi ſunt, ulla aut munera, aut beneficia accipere; quod utinam aliæ quædam civitates aut reperiſſent, aut repertum à Venetis, imitari ſaltem vellent; ne ſuos cives (id quod uſu fere evenit) pleroſque foris venales, domi hoſtes haberent. Quam diu enim abſunt neglecta, quam ſuſceperunt, reipublicæ cura, à quibus locupletari ſe ſperant, eorum gratiam aucupantur, atque iis ſeſe venditant: iidem domum reverſi, beneficiis ac muneribus alligati, atque deuincti, quam patriæ caritatem debent, eam alienis, ſæpe etiam hoſtibus, præſtare ac perſolvere

coguntur, ita dum alii aliorum aut regum aut nationum rem gerunt, deserta nimirum à civibus publica res eorum jampridem labat & corruit. At Contarenum eæ civitates, apud quas magna cura, summaque fide ac diligentia rem suam publicam gessit, præclarissimis muneribus donaverunt: tot enim tamque variarum gentium constantissimo consensu mirifice probatum, summoque laudatum opere, maxima dignitate, existimatione, gloria muneratum, ditatumque domum dimiserunt. Severissimis legibus Venetiis ambitus constrictus est; suffragium ne per se, neve per alium quemquam rogent interdictum est, itaque cum à civitate ipsa universa, non à singularibus civibus nominatim, petendi magistratus sint: idque sæpe (iidem enim eosdem magistratus, certis intermissis temporibus, crebro gerunt) una virtute nixam omnium civium ambitionem esse oportet: ut qui sæpissime amplissimas dignitates adepti sint, ii non amicorum aut propinquorum diligentiæ, aut tenuiorum hominum officii, aut etiam fortasse avaritiæ, sed ipsius reip. certissimum de se testimonium habeant: nam multis locis reprehendendi erroris sui civitati facultas datur: itaque sæpe usu venit, ut, qui semel primo aliquem honorem cunctis suffragiis assecuti sint; iidem, iterum petentes, repulsam ferant. Quo major eorum civium splendor est, qui omnium dignitatum cursum & tamquam spatia & circuitum iterum & sæpius sine ulla offensione confecerint, ii clarissimi apud civitatem sunt: iis honos ab omnibus ætatibus, omnibusque ordinibus habetur, ii, cum opibus & potentia ne infimos quidem cives antecedant, dignitate, existimatione, auctoritate, gloria anteferuntur omnibus: eadem est enim civium omnium parque species, una toga, eaque simplex; nullis omnino non modo comitatus, sed ne comes quidem; ut primi civitatis (si quis illorum consuetudinis ignarus intervenerit) uni de multis facile videri possint. Sed ii, quoquo venerint, salutantur, appetuntur: iis in viis deceditur, obviam itur: in curia, in foro assurgitur: ut mihi virtus nudata phaleris omnibus & adventitiis ornamentis exuta, in una ea civitate sua ipsa pulchritudine & lumine nitere ac splendescere semper sit visa. Prorsus visendæ Venetiæ sunt, non propter urbis modo eximiam pulchritudinem, novitatemque antea inauditam, etenim maximam formosissimamque urbem, in mediis excitatam æstibus sese è fluctibus erigere, quis non miretur? naves onerarias maximas, passim ad privatorum januam religatas, triremes in plateis navigantes, quis sine magna admiratione ac voluptate aspexerit? Mihi quidem sic videtur, hanc profecto urbem si conspicata modo esset antiquitas, Neptunum nimirum aliquem ex profundo ac latebris excitasset, atque eum celsissima illa tecta struentem ac fabricantem fecisset: qui tametsi nullus scilicet unquam fuit, tamen si sit, aut esse si possit aliquis, nullum illi attribui munus aut opus illa urbe præclarius posset: aut quod magis divinæ conveniret naturæ. Sed hæc oculorum, illa animi ex ejus urbis cognitione voluptas capitur, ut equidem sentio, vel maxima, quod unæ dominantur apud eos leges: iis & magistratus obtemperant, & cives æque ad unum omnes: atque eo usque mihi potentiam execrata prudentissima civitas videtur, ut neminem unum ulli magistratui præesse passa sit, terni, quini, seni, deni imperia, potestates, singulos magistratus gerunt, ut non solum domini os, quo nulla tætrior, nulla oculis detestabilior objici species potest, aspiciendum civibus non sit; sed ne domini quidem imago & similitudo,

litudo, aut effigies. Quamobrem ſpectatum exteræ nationes alacri animo Venetias eant; nec urbis modo cauſa, quod dicere inſtitueram, ſed vel maxime civitatis; pulcherrimo totius orbis terrarum ſpectaculo ſeſe ad eam diem caruiſſe profecto intelligent.

Poſtquam Roma Contarenus rediit, confeſtim ad ſummos honorum gradus ſine ulla dubitatione vel controverſia elatus eſt, nam & maturius, quam civitatis conſuetudo antea tuliſſet, Sapiens magnus factus eſt, & Conſiliarius, qui duo magiſtratus ſummi apud Venetos ſunt, neque dubium erat quin, ſi quis ex Marci Procuratorum collegio demortuus eſſet, ejus Contarenus in locum ſubſtitueretur, ea una procuratio perpetua Venetorum legibus eſt; id unum ad honorum perfunctionem Contareno abfuit. Itaque ſic in republica verſabatur, ut etiam ſi litteras omnino non didiciſſet, illuſtriſſimum tamen civitatis locum obtinere eum neceſſe eſſet; ſic autem doctrinæ gloria celebrabatur, ut, tametſi rempublicam attigiſſet nunquam, civium omnium, qui fama ac nomine excellunt, clariſſimus ſuo tamen nomine fuiſſet futurus. Accedebat Chriſtianæ Theologiæ ſingularis quædam atque exquiſita cognitio: eaque non ſcientiæ modo aut oſtentationis diſceptationiſve, ſed vitæ ac diſciplinæ cauſa comparata: ad ejus enim præcepta animum mentemque referens, omnes ſuas cogitationes, conſilia, actiones, vitam denique omnem conformaverat atque direxerat: ut non modo ad philoſophorum regulas bene beateque, ſed etiam ad Chriſtianorum divinum hoc præſcriptum pie ſancteque viveret. Eſt Venetiis quidam, quaſi Romanorum, qui quondam fuit, campus ille atque comitium, quod Magnum ab illis Concilium nominatur, ad id concilium omnes, quibus ferre ſuffragium per ætatem licet, ſtatutis diebus conveniunt, ibi cum Contarenus forte eſſet conſiliarius, cuſtoſque poſitus ſortibus, quibus Veneti in petendis magiſtratibus utuntur; nam quorum ſors exiit, ii pronuntiant quem potiſſimum ſua ſententia ei magiſtratui, cujus comitia habentur, gerendo idoneum eſſe exiſtiment: itaque mirifico caſu accidit, ut ibi cum eſſet, in univerſæ civitatis conſpectu atque oculis, publice Roma allatæ litteræ ſint, in quibus res omnibus nova, omnibus inopinata: illi quidem certe ipſi prorſus incredibilis, ſcripta eſſet, cooptatum Contarenum à Paulo Pont. Max. in Cardinalium collegium eſſe. Legerunt eas inter ſe litteras primum ejus Collegæ; à quibus ſatis magno interpoſito ille intervallo, ad ſortium urnas, ut dixi, aſſidebat. Itaque excepta inter legendum vox ab iis, qui proximi conſederant, ſuſurro primum & rumore dubio, bonam evenire, felicem, fauſtamque eam illi dignitatem precante, ad aures Contareni profluit, ille vero reſpuere, nec adduci poſſe ut eam ſibi rem narrari ſaltem pateretur: atque omnino ne aures quidem ad audiendum præbere. Verum recitatis palam litteris magna univerſæ frequentiæ approbatione ac lætitia, inter ſe collocuti conſurrexerunt Collegæ, atque ad eum cum magna, cum lætitiæ, tum etiam obſervantiæ ſignificatione adierunt, quod ille cum vehementer commotus recuſaret, ac ſeſe id ætatis ad aliud vitæ genus negaret poſſe traduci, ad curiæ veſtibulum ab iis, univerſo eo concilio comitatus, deductus eſt. Cumque Collegæ, hominis honeſtandi ſtudio, domum reducere eum ſumma contentione pergerent, prorſus non tulit. Erat eo tempore inter collegas Aloiſius Mozanigus, grandior natu vir, qui apud civitatem gratiſſimus cum eſſet, princepſque conſilii publici haberetur,

beretur, ſæpe à Contareno de republica diſſenſerat: is ad eum gratulatum cum aliis non adiit, credo quod pedibus erat admodum infirmis, hic clara voce, ut à cuncto exaudiretur ſenatu, rei novitate percitus, adjurans, cum frontem feriret ac Paulo malediceret, affirmaſſe dicitur maximam ab eo civitati injuriam fieri, quod eam cive privaret, quem illa unum omnium habuiſſet optimum. Concilio dimiſſo, id enim is conventus nomen habet, univerſa civitas domum ad Contarenum læta atque alacris confluere cœpit, ille vero ſuſpenſo animo incertuſque etiam nunc quid ageret, minus multo erat, quam ceteri, hilaris; nec mehercule injuria, quid enim honos ille homini in re ſua familiari ampla atque illuſtri, in republica principi, in toto orbe terrarum claro atque nobili, afferebat, præter moleſtias ac labores? mutanda, vitæ victuſque quinquageſimo demum anno ratio tota & conſuetudo; ſuæ civitatis dediſcendi mores, alienæ ediſcendi, haud parum quidem ab ea, ad quam ille ſeſe exercuerat, diſciplina abhorrentes; vivendum ad unius hominis non ſemper prudentiſſimi, pæne arbitrium atque nutum; comitatus magni alendi, ſæpe diu eodem cenſu; aliæ cogitationes, conſilia, inſtituta, officia, actiones, perſona ſuſcipienda prorſus alia. Sunt hæc homini, æquabilitatis ac dignitatis potius, quam potentiæ atque opum cupido incommoda vehementer odioſa, gravia ac moleſta, præſertim ſiquis antepartis honoribus tamquam exſaturatus, & parta jam gloria contentus eſt. Sæpe mihi narravit vir omnium clariſſimus atque graviſſimus quem Romæ his paucis annis à ſua civitate legatum, ſumma apud duos Pontifices Max. auctoritate ſummaque gratia vidimus, Paulum & Julium tertios (in utriuſque enim tempora ejus legatio incidit) Mattheus Dandalus: ſeſe, cum vehementer auctor Contareno fuiſſet ejus honoris accipiendi, qui non ab eo expetitus, ſed ad eum delatus eſſet, magna contentione ratiocinandoque vix ægre ad extremum homini perſuaſiſſe, ne committeret, ut Pauli conſilium, in quod non ille temere incurriſſet, ſed ſine ulla dubitatione duce Deo deveniſſet, aſpernari videretur: præſertim his reip. Chriſtianæ temporibus: multos enim fore, qui eam rem aliorſum acciperent, atque ille faceret: quique in Romanam Eccleſiam impietatis ſceleriſque nefarii Gaſparem Contarenum, virum unum omnium maxime pium, maximeque religioſum, ſubſcriptorem habere gloriaturi, ſeſeque in eo impudentiſſime jactaturi eſſent; quippe qui, cum à Pont. Max. ne beneficium quidem accipiendum ſibi eſſe ſtatueret, quid de cauſa illa tota judicaret nemini dubium relinqueret. Hæc cum Dandalus diceret; adderetque, eos, qui Contareno æquiſſimi futuri eſſent, ſuſpicaturos tamen eſſe non ob animi magnitudinem atque æquabilitatem, tantam illum dignitatem à ſe removiſſe, ſed propter imbecillitatem atque ignaviam defugiſſe: pervicit homo gravis atque eloquens, omnique neceſſitudinis genere cum eo ab adoleſcentia conjunctus, cum propter affinitatem, tum præcipue propter morum, voluntatum, ſtudiorum ſimilitudinem, ut dubitantem confirmaret: atque in ſuam ſententiam diu multum cunctantem ac tergiverſantem perduceret: qui maximam partem eorum quæ à me poſita in hoc commentario ſunt, nos docuit. Omnino verum id eſt, quod ait apud Euripidem Theſeus, cum Herculem, quo tempore ille Athenas in exilium venit, multis honoribus ac beneficiis proſequeretur: ſic enim ait. Laudem feremus omnium pulcherrimam univerſa à Græcia, Feciſſe cum memorabimur bonis bene:

bene: quod ille Græce optime, nos Latine ut potuimus. Verum tamen is eſt virtutis ſplendor, ut non modo ii, qui ejus compotes ſint, honore digni habeantur, ſed etiam ſiqui honorem illis, qui adepti eam ſint, habeant, honorati ipſi & clari ob eam rem evadant. Id, quod Theſeus de ſe ſperabat, Paulus etiam aſſequutus eſt: nec enim dici poteſt quantum in Contareni dignitate amplificanda ſuam ipſe gloriam propagarit.

Quanquam fuit ille ſuo quoque nomine inſignibus laudibus ornatus, virque egregie magnanimus & plane maximus. Ab hoc tempore aliud tamquam vitæ exordium & quaſi origo, Contareno naſcitur. Antiquiores habentur Venetum mores, propterea quod inquinari ſe externis conſuetudinibus ea civitas paſſa non eſt. Victu & cultu non modo à luxuria longe abſunt, ſed etiam de lautitia hac, quæ, pleraſque Italiæ civitates nuper invaſit, per multum circumſcripſerunt: quippe qui priſco more eſſe ſe principes, quam videri malunt; conſuetudo autem eorum moderatioque vitæ quotidiana diſcrepat illa quidem fortaſſe nonnihil, ſed ita, ut ad ſummam expolitionem deſit forſitan aliquid; firmum autem quiddam ac ſolidum certe ſubſit, & levitate atque ineptiis vacet, quod Romæ contra mihi viſum eſt fieri: aptiores enim in convictu & congreſſionibus Romani homines ſunt: ſed accerſito quodam interdum genere, minimeque vernaculo, vitæ autem cultus lautior eſt, atque, ut video nonnullos exiſtimari, etiam delicatior, in principibus quidem luxus pæne regalis; magnus equorum, jumentorumque numerus, multitudo familiarium; lauta, ſplendida, ſumptuoſa ſupellex: ut dediſſe mihi operam videantur non modo re magni ut eſſent atque clari, ſed etiam ſpecie ac pompa. Neque eo hoc dico, quod exterarum rerum, quæ ad dignitatem ac decorem pertinent, rationem non habendam eſſe exiſtimem, aut quo mihi id arrogem, ut utrius civitatis ſtudia rectiora ſint, dijudicare me poſſe profitear: ſed illud affirmo, hanc quaſi migrationem è ſua in alienam, non illam quidem deterius, ſed longe longeque aliter moratam civitatem Contareno, ingraveſcente jam ætate, ſubitam ac repentinam neceſſario moleſtam fuiſſe. Verum tamen ita vitæ victuſque mutatio facta ab eo eſt, ut ingenium tamen, inſtitutaque illa ſua priſtina retineret: nec ullos ſpiritus, tanta facta acceſſione dignitatis atque fortunæ, ſibi ſumeret: ſed probitas, affabilitas, & eadem, quæ in privato fuerat, facilitas atque humanitas (quamquam invidioſa illa, tantoque opere à multis expetita purpura recens induta erat) integumentis involuta, & quaſi perſonata elucebat tamen, & agnoſcebatur ab omnibus. Nam cum intempeſtivi ipſi complures, moleſtique ſæpe eſſent, propterea quod omnibus præſto ille ſemper erat, admonitus eſt à ſuis, non tam faciles ejus ordinis ceteros ſeſe præbere conſueviſſe, ſed certam die horam conſtitutam habere, antequam adiri ad ſe non paterentur: neque cuique ſui poteſtatem facerent. Quibus ille reſpondit non ſe putare honorem illum ſibi ſoli eſſe datum, ſed ejus partem amicos, partem inopes homines & egentes jure ſibi optimo vindicare, ad quorum arbitrium vivendum ſibi eſſe ſtatueret, non ad ſuum: nec enim æquum eſſe amicorum clientumque negotiis, tempus, idoneum quod ſit, à ſe præſcribi, ſed ab iis ipſis, quid rerum ſuarum occaſiones ac momenta exiſtant, ſtatui oportere. Itaque ut quique ad eum veniebant, ſtatim admittebantur, ac quibus operam ſuam ſemel eſſet pollicitus, fidem in eo religioſiſſime ſervabat; ut ſæpe tenuium aut miſerorum

hominum

hominum cauſa ad ſummos reges iterum & ſæpius adire non dubitaverit: cum id præcipue Chriſtiani eſſe officii contenderet, id maxime hominum genus auxilio juvare, quod maxime opis & auxilii egeret.

Quod judicium ipſius etiam faciebat, ut reliquias Græcæ nationis, multis gravibusque malis conflictatas, foveret, ac, quibuscunque rebus poſſet, ſublevaret; accedebat autem huic animi propenſioni erga illos, ut miſeros & duriſſima ſervitute oppreſſos, quod memor erat veterum beneficiorum, quæ univerſi mortales ab erudita ea gente accepiſſent: inde namque & bonas artes, & cuncta ingenua ſtudia profecta per omnes terras manaſſe affirmabat. Nam quin majores eorum pietatem Chriſtianam, cultumque hunc optimum noſtræ vitæ ſtrenue juviſſent, dubitari non poſſe dicebat, cum Baſilius, Chryſoſtomus, Nazianzenus quaſi ſigniferi hujus ſanctiſſimi doctorum hominum gregis fuiſſent, qui pectora noſtra excoluerunt, ac ſcriptis laboribusque ſuis veros ritus, explosis inde falſis opinionibus, eo inſeverunt, quare oportere nos, ſi grati eſſe velimus, lapides etiam ſtirpeſque ejus telluris amplexari, ne dum homines, cum quibus tot arctiſſimis vinculis conjuncti ſumus, omni amore proſequi non debeamus: vigebat autem eo magis in animo ipſius hæc opinio, quia illos ipſos ſummos theologos, quos appellavi, ut philoſophos quoque ejuſdem gentis, quotidie in manibus habebat, & eorum laboribus, vigiliisque ſe inſtructum eſſe recordabatur. Benigniorem eum eſſe cum res non pateretur, quod proximum erat, fidem diligentiſſime præſtabat, ut ad diem, quibus deberet, ſemper perſolveret, quæ res à potentoribus non paucis neglecta, efficere ſolet, ut multis in locis ſit fides anguſtior, neque, hoc tantum majoribus in nominibus cuſtodiebat: ad tempusque his, qui ſe grandiore pecunia juviſſent, reſpondebat (quod tamen ut faceret ægre & urgente tantum aliqua neceſſitate committebat) verum etiam adverſus tenues homines, quibus aliquid deberet, ſe talem præbebat, quæ culpa moribus eorundem inhærens, inquinat non parum eorum ſplendorem; miſerosque illos creditores ad deſperationem & laqueum aliquando adigit. Declarat quantopere maculam hanc fugeret: quamque omni in re juſtitiam coleret, vox edita aliquando ab ipſo, quum forte audiſſent diœcetem ſuum jubere minutum quendam opificem cras redire: caſtigatum enim illum juſſit pecuniam eam ſtatim diſſolvere: addiditque, ſi unde id faceret, non eſſet, ſumeret ex abaco vas, ipſumque divenderet: arbitrari enim ſe tenuem illum hominem magis mercede ſua, quam ſe argento illo, menſæque ornatu egere.

Eodemque pacto toto animo abhorrebat ab indignis gravi & honeſto viro quæſtibus: non pauci enim ne deſit ipſis pecunia in minime neceſſariis ſumptibus, & ut inanem ſplendorem retinere poſſint, cogunt illam illiberaliſſima quavis ratione ac ſordidiſſima. Quum igitur eo tempore, quo Bononiam legati nomine obtinebat, qui, pars illius muneris obeundi, illatarum injuriarum cauſas audiebat, ita cum eo egiſſet (putabat enim Contarenum ejuſdem animi eſſe, cujus plerumque ſunt, qui negotiis illis implicantur.) Eſuribimus profecto: nullum enim emolumentum parit impoſita mihi cura: cunctaque in civitate concordiæ atque otii plena ſunt: inquit ille: Voluptatem magnam mihi nuntias, cupioque hunc ſtatum rerum permanere, videreque diem illum, quo ego, ut habeam ſumptum unde faciam, mulam etiam, qua vehor, cum omni ornatu

ornatu proſcribere cogar. Non putavi autem alienum eſſe has etiam ipſius voces memoriæ mandare, quùm præſertim hujuscemodi brevia dicta, quia ab intimis ſenſibus proficiſcuntur, ſubitoque prolata ſunt, in ſingulis factis ac motibus animi, ut reliquis etiam caſibus humanis, videantur in primis mores voluntatemque eorum, unde erumpunt, indicare: eædemque voces multum valere non ſine cauſa ſemper exiſtimatæ ſint, ad homines informandos: illoſque etiam emendandos, qui contariis vitiis tenentur, quam cauſam fuiſſe puto, cur plures & docti prudentes viri ſedulo multas collegerint, & volumina etiam ex ipſis confecerint. Sæpe multumque ineunte adoleſcentia cum iracundia, quæ paulo ſibi conſueviſſet eſſe moleſtior, quaſi luctatum, ad extremum proſtratam illam & domitam ajebat oppreſſiſſe: non modo enim turpe, ſed etiam miſerum ſibi ſemper viſum, ira incitatos à conſilio atque à nobismetipſis abſcedere; quod de ſe Terentianus ille prædicaret, Præ iracundia Menedeme non ſum apud me: Bibulum autem illum, qui cum L. Libone fuit ad Oricum (quamque hoc Scribonio ab inimiciſſimo homine memoriæ traditum eſt, & qui quacumque re potuit, exiſtimationem ejus ſemper violavit) ſibi nullius pretii hominem videri fuiſſe, qui cum de compoſitione agendum eſſet cum Cæſare, ad colloquium non prodiit, ob eam rem, quod furenter conſueviſſet iraſci; ne res maximæ ſpei, maximeque utilitatis ejus iracundia impedirentur. Itaque non modo ſtomachantem, ſed ne commotum quidem viſum illum à ſe unquam eſſe, qui cum eo familiariſſime vixerunt, affirmant, ut nimium prope patiens ac lentus exiſtimaretur: neque iis, qui in epulis, in cubiculo ipſi miniſtrarent, ſæpe ceſſantibus, ſæpe etiam peccantibus, non modo non convicium faceret, ſed ne verbo quidem malediceret. Quod igitur de nonnullis doctis viris memoriæ proditum eſt; ut Socrate, Stilpone Megareo; quum illi natura propenſi eſſent ad aliquod vitium, effeciſſe tantum eos ſtudio ac diligentia ſua, ut nullum unquam in vita ipſorum veſtigium rerum illarum appareret, id vere de hoc noſtro prædicari poteſt: in illiſque ſine dubio Contarenus enumerari debet, qui vitioſam naturam compreſſerint: ac quidquid illic aliquod majus malum, ſi creviſſe, ferre potuiſſet, tenerum adhuc & imbecille fregerint, & omnes ejus fibras extirparint. Superbiorem ipſum (de quo etiam ſupra nonnihil ſignificatum eſt) copia bonorum, quæ aut à fortuna acceperat, aut ipſe ſuo labore induſtriaque quæſiuerat, non fecerat: in quod vitium paſſim multi, minoribus multo ornamentis decorati, ruunt, & ſane hanc culpam ille, ut ſcopulum aliquem, magnopere vitabat, quod ſi unquam in ſermone aliquo aliquid à ſe forte prolatum intelligeret, quod tenuem modo umbram illius mali retineret, valde dolebat, ut contigit quodam tempore. Cum enim Paulus III. loqueretur cum ipſo de augendo numero Summorum Antiſtitum, oſtendiſſetque ſe in animo habere quoſdam in eum ordinem cooptare, Contareno minime probatos (quod ille etiam pre ſe ferebat, atque id tunc palam dicebat) videns ipſum ſuæ voluntati refragari Pontifex Max. inquit, iis ipſis verbis. Inſitum fuit ſemper Cardinalibus, ut novis repugnarent, ne ſibi alii dignitate exæquentur, reſpondit igitur ille commotior quam ſolebat. Noli ſanctiſſime pater ita de me exiſtimare: cognitum enim tibi plane eſt, quot ego nominarim, idoneam prorſus materiam huic operi efficiendo: & unde fingi poſſint perſonæ tantæ dignitati ſuſtinendæ aptæ, nam quod ad me attinet, non puto purpuram hanc

maximum esse eorum, quos in vita assecutus sum, honorum. Extrema hæc verba, illa occasione edita, statim ut domum rediit, doluit sibi excidisse, ut qui noluisset specimen aliquod à se unquam datum, aut superbi hominis, aut inanis hujus honoris & gloriæ cupidi. Quin etiam dictitabat ampliſſima sacerdotia plus in se oneris, quam splendoris habere: quoque majora illa forent, eo molestiæ plus sollicitudinisque continere, quare se sæpe vicem dolere solitum eorum, qui Pontifices Maximi creati forent, quia pondus Ætna gravius humeris suis sustinerent, cujus judicii Seleucus quoque rex quondam fuit: ille namque dixit; quæ vox ejus monimentis litterarum mandata est à doctis viris, ut errorem eorum coarguerent, qui falso putant, opulentissimos quosque homines beatos esse, magnisque semper voluptatibus frui, cernentes splendorem vitæ illius ac florem; inquit igitur ille, nescire privatos illius status incommoda: ideoque magnopere falli in judicio de illo faciendo, quod si scirent tantum, quam arduum sit, ac molestiæ plenum, tot Epistolas scribere ac legere, futurum prorsus ut diadema abjectum jaceret sine honore ullo: nec quemquam inuentum iri tam stultum, qui ipsum tolleret ac capiti suo imponeret, nec tamen non multo majoribus gravioribusque curis premi necessario illos, si munus suum fideliter obire vellent, qui vitam moresque eorum, quibus præsunt, regendos susceperunt, animosque ab omni labe purgandos, quam qui in eo tantum eximio statu rerum suarum, regnoque conservando, occupati sunt. Quum igitur hoc crimen Contarenus vehementer reformidaret, ac, siquis vere existimare posset, vacuus prorsus ab ipso foret, non tamen penitus potuit ea suspicione carere. Erat ille in omni suo sermone, factoque, integer ac liber: remotus ab omnibus blanditiis orationis: acerrimus inimicus vanitatis illius, assentationisque, quæ nunc in locum invasit simplicis veritatis, libertatisque loquendi, merito quondam magnopere probatæ; ob quod etiam ingenii bonum ferunt eum Carolo Cæsari valde acceptum fuisse, quum ob alias etiam animi dotes ab eo diligeretur. Hæc igitur probitas nuda, experſque omnis fuci ac fallaciarum: quæque, uti eo venerat, ita se Romæ in longe aliis moribus, institutisque conservarat, causa fuit, ut superbiæ à nonnullis insimularetur, quasi ille contemnens ceteros præ se, quidquid sentiret de omni re contra commoda illorum diceret: nec sua quicquam interesse putaret potentioribus adversari, quam ansam quidam arripientes, ipsum, ut contumacem & inhumanum apud Paulum III. criminati sunt, quod nimis libere in senatu contra ipsum sententiam diceret, atque honestissimos quosque viros offenderet, ipse vero id diverso consilio faciebat: neque ut impediret commoda aliquorum, sed ut religioni suæ & ei, quod rectum esse sentiebat, serviret. Ut autem, quod non verum esset, nec ordine factum, quamvis intelligeret se apud aliquos offensurum, accusabat, ita gratiam aliorum astuta simulataque oratione non aucupabatur: cui rei ostendendæ in utramque partem exemplum hoc satis accommodatum erit. Contigit aliquando, ut eo astante in senatu ageretur de Camarino in potestatem tradendo uni alicui Pont. Max nepotum, eo genere juris, quod feudum appellant, admonuit igitur Contarenus Paulum, ut antequam de tanta re quicquam statueretur, colendæ justitiæ causa, vacuæque à culpa conservandæ sanctissimæ sedis, mandaret ut jura Varanæ familiæ, quæ diu in possessione ejus oppidi fuerat, diligenter noscerentur: ne injuriæ aliquid

quid ipſa in ea re acciperet. Hæc ſententia, præſenti animo dicta, illa ipſa die per urbem ſparſa diſſeminataque eſt: quare Hercules Varanus, qui Romæ tunc erat, ſtatim domum ad Contarenum venit, gratiaſque illi maximas egit, cauſamque ei ſuam totam commendavit, cui quidem ille, eadem animi ſimplicitate, quod tamen quidam ab agreſti inhumanoque ingenio profectum potius dicerent, reſpondit.

Non neceſſe erat te mihi iſto nomine gratias agere: quod enim feci tunc, ut æquitati officioque meo ſatisfacerem, feci, nec quicquam amplius cogitationis ſuſcipiam de iſta re, præter id, quod mihi fides mea præſcripſerit, niſi aliquid à Pontifice ipſo, quod eo faciat, curæ meæ mandatum fuerit. Blandus aliquis, illa occaſione uſus, ſtuduiſſet gratiæ illi, ſine ullo ſuo labore partæ; novam gratiam addere: animumque honeſti viri inani ſpe, falſiſque pollicitationibus, lactaſſet. Quare mihi venit in mentem arbitrari non paucis in rebus ſimile fuiſſe Contareni ingenium naturæ moribuſque Dionis Syracuſani: ut enim reliqua, in quibus ipſis inter ſe magnopere convenit, taceam, non deerant etiam in regia illa Dionyſii filii (ut ab eruditiſſimis viris memoriæ proditum eſt) qui caſtiſſimi illius & integerrimi viri maximas virtutes & ſane eaſdem has, propinquis vitiorum vocabulis deformarent, ac gravitatem ſuperbiam eſſe dicerent: libertatemque loquendi contumaciam vocarent: qui Dion, cum induci non poſſet, ut una cum aliis peccaret, qui ſe omni genere vitiorum contaminarent, eorum peccata videbatur diſſimilitudine vitæ coarguere. Fertur tamen ille durior fuiſſe natura, triſtiorque, unde temperare indolem illam ſummo ſtudio ipſum debere à doctiſſimo viro, ſtudioſiſſimoque gloriæ ipſius elegantiſſima voce dictum eſt: hortatus enim eſt Plato ut Gratiis hoſtias immolaret, ſuaſitque ut aliquid etiam daret moribus ſuorum temporum, inſtitutiſque reliquorum mortalium, non quia id omnino verum eſſet, ſed quia ad congreſſus hominum frequentandos: benevolentiamque eorundem retinendam, obſequium ſæpe neceſſarium foret. Atque hæc privati officii ſunt, illa publici; quod malas conſuetudines tollendas curavit, illas veteres renovandas; quod multarum legum præclariſſimarum auctor ſuaſorque fuit; quod in dicenda ſententia nunquam invidiam reformidavit; multaque contra Collegarum ſuorum commodum ſæpe ſuſcepit atque perfecit. Vitioſa quadam conſuetudine duabus, ſæpe etiam pluribus civitatibus, unus & idem dabatur cuſtos, qui Græco verbo Epiſcopi appellantur: neque in iis ipſis ætatis progreſſus expectabatur, qui annalibus Pontificum Maximorum legibus conſtitutus eſt; adoleſcentuli, ſæpe pueri, maximis adminiſtrationibus præficiebantur. Has atque hujuſmodi alias pravas corruptaſque conſuetudines ſua Contarenus ſententia delebat: moreſque ſacerdotum hominum, nimium nonnunquam deformatos emendabat, magnaque ſua ipſe offenſione communem reipublicæ levabat invidiam. Non eadem conditione eſt collegium Cardinalium ceterarumque civitatum Senatus aut Concilium; nam illæ ex ea, quam habent, civium copia in ſuos Senatus, qui aptiſſimi viſi ſint, legunt, in Collegium Cardinalium è toto orbe terrarum, qui aut doctrina, aut nobilitate, aut prudentia, aut probitate, religione, pietate excellunt, ſi Pontifici Maximo viſum ſit, eos cooptare licet: eoque factum eſt, ut ſumma is ordo amplitudine, ſumma auctoritate, ſummo ſplendore, omni ille quidem tempore fuerit; quippe è Chriſtianorum flore

decerptus atque collectus. Verum tamen iis, de quibus institutus mihi sermo est, temporibus præcipuum quoddam in eo lumen enituit: propterea quod Paulus Pont. Max. magni atque acris judicii vir, eximia singularique virtute homines nactus, ad eam illos dignitatem ultro ipse evocaverat, ut ei Collegio, quod per se antea esset clarissimum, ea re lucis tamen permultum attulisse videretur. Ex hac virorum clarissimorum copia, cum mittendus ad Cæsarem Legatus esset, Contarenus potissimum ad id munus delectus est: causa mittendi ea fuit. Vehementer erat Cæsar anxius sollicitusque, quod Germani, qui plurimum armis possunt, neque præsto illi in bellis erant, neque eum pecunia juvabant; propterea quod maximis inter se seditionibus de religione contendebant, atque intestinis dissensionibus distenti, nullo illi usui esse poterant. Abjecti quidam perditique ac desperati homines, XXXX. fere abhinc annis, jampridem receptas ratasque disciplinæ Christianæ sententias in controversiam revocaverunt, multitudinique persuaserunt imperitæ, uti à Romano Pont. quod caput Christianæ reip. atque Ecclesiæ est, desciscerent, seseque in libertatem vindicarent, quod malum tarde initio serpens, ab iis neglectum à quibus opprimi id & poterat & debebat, paulatim infimæ plebis, vulgique mulierum, animis, legum vinculis laxandis & dissolvendis, pollicendaque cupidatum multarum licentia in fraudem inductis, paucis annis opinione magis accrevit, idemque nefarius furor, postquam populare existimari cœptum est pietatem evertere, multos quoque principes invasit. Alios metus impellebat, veritos ne à suis desererentur, si ab illis dissentire pergerent, partim rerum novarum studio, partim levitate & stultitia, quod Deo immortali, legibusque spernendis, fortitudinis opinionem facere sese de se nonnulli arbitrarentur; partim etiam auaritia, quod sacerdotum maximas ampliſſimasque possessiones publicatas, inter se partiebantur, multi tamen, quibus esset Deus pro sua ipsorum pietate propitius, veram integramque pietatem constantissime complexi, nullis permulceri illecebris, nullis illici præmiis, nullo timore depelli sese passi sunt, eaque à majoribus, quæ acceperunt, instituta ad hoc usque tempus fortissimo animo retinuerunt. Sed tanta inter utrosque extitit non modo contentio ac disceptatio, sed jam concertatio atque pugna, tantumque exarsit odium, ut maximæ, bellicosissimæ, florentissimæ, atque adeo, ante hunc furorem, religiosissimæ, optimæque de rep. meritæ nationis, vires, opes, & copiæ absumptæ, in sese ipsa conficienda atque delenda, sint. Quibus rebus permotus Cæsar animo & cogitatione in ea cura defigebatur, si per compositionem minui id malum sedarique discordiæ possent, qua de re cum omni contentione cum Germaniæ civitatibus ageret; primo Christianorum omnium concilium in iis maxime locis indici postulaverunt, quo adire tuto ipsi possent; is erat locus nusquam gentium: quippe cum ab omnibus defeciſſent, nec ullis sese gentibus committere auderent, præterquam in eorum ipsorum finibus; ad id concilium venturos, ejusque decretis judiciisque staturos sese pollicentur, id eo ab illis consilio fiebat, quod Pontificem Max. nunquam eo descensurum sibi persuaserant, verum ubi probari à Paulo III. conditionem, ac ne de loco quidem, cujus iniquitate deterritum iri eum maxime sperabant, recusari senserunt; paulatim regredi, neque in eo quod ultro ipsi postulaverant, manere; dirimi controversias per colloquium posse; id brevius, expeditius, certiusque

tiuſque eſſe, dicere; longum eſſe expectare, dum ex ultimis terris conveniretur. Omnia ſibi Cæſar experienda exiſtimabat, ſi ulla ratione mederi ei tanto malo poſſet. Itaque deliguntur homines docti ex utroque numero undeni, ad colloquium venitur; magna contentione, magna pertinacia, ab iis, qui ſe ipſi Proteſtantes appellant, diſputatur, atque in omni generi calumniæ deliteſcitur: eos ii, qui ratas veteres ſententias eſſe volunt, Catholicique appellantur, acriter refellunt, conſtantiſſimeque in ſententia perſeverant. Ad extremum, cum concertationum exitus nullus reperiretur; nec quicquam inter eos conveniret, prorſus disjunctis diſcordibuſque opinionibus, infecta re à colloquio diſcedunt: quod, quoniam ſe abſente factum erat, Cæſar ſperans Germanos ſuum aſpectum atque auctoritatem reveritos, aliquid de pertinacia atque calumniis remiſſuros, iterum deligi homines jubet, qui colloquendi cauſa Ratisbonam conveniant: atque eo ipſe proficiſcitur, ut majore auctoritate de concordia ageretur, ſimulque magnopere à Paulo III. per litteras petit, legatum ut ad ſe mitteret, qui ad rem tantam & tam gravem maxime eſſet idoneus. Paulus è tanta præclariſſimorum hominum facultate & copia Contarenum ſine ulla dubitatione delegit, atque hominem in Germaniam mittit; quod is & magnum jam antea ejus gentis propter eas cauſas, quæ commemoratæ à nobis ſunt, haberet uſum, & Cæſari eſſet gratiſſimus: idemque innocentiæ, doctrinæ, prudentiæ, facilitatis, animique moderationis, magna apud Germanos opinione excelleret: quique (id quod Cæſar magnopere poſtulaverat, maximeque ad rem pertinere arbitrabatur) in diſputando minime eſſet ambitioſus, minimeque pertinax: eo cum veniſſet mirabiliter acceptus à Germania eſt, & magno in honore apud Cæſarem fuit.

Nam cum omnes Germaniæ principes, tum rex Romanorum ipſe, officii, honoriſque hominis cauſa, domum ad eum venit; & in ſacris cærimoniiſque ſolennibus, datus ei locus eſt ſecundum Cæſarem primus: nihilque earum rerum, quæ ad homines magnos honeſtandos adhiberi conſueverunt, in eo prætermiſſum eſt, quæ, tametſi ordini ſcilicet debebantur & dignitati, tamen cum alacrius aliquanto, tum etiam cumulatius, quam antea ſolita ſint, perſonæ dicuntur eſſe perſoluta. Accedebat quod Cæſar, jucundiſſima ejus conſuetudine & ſermonibus delectatus, ſæpe hominem ad ſe extra ordinem vocabat; cumque de gravioribus negotiis, deque republica collocuti inter ſe eſſent, multa ad eum Cæſar de ſuis privatim rebus referebat; multa de Geometria, multa de Geographia quærebat quibus ille ſcientiis, quod eæ ad rem militarem (quæ illi ſpectanda erat maxime) pertinent, operam multam illis temporibus dabat, illa autem cum in promptu Contarenus haberet, quod puerili diſciplina erat in iis artibus ſtudioſe verſatus, omnia ſcilicet certa, dilucidaque reſpondebat. Quæ cum de Contareni apud Cæſarem familiaritate ac gratia, apud omnem autem Germaniam auctoritate & fama, Romam eſſent allata; ventum eſt in ſpem fore, ut res conveniret, mitigatiſque Contareni lenitate & prudentia Germanorum animis tæterrimæ diſcordiæ tollerentur, quæ res quoniam majorem in modum illi gloriæ futura erat, homini vehementer invideri cœptum eſt. Nec deerant etiam Romæ, qui dicerent, nulla alia de cauſa ipſum Germanis gratum acceptumque eſſe, niſi quia adverſariis indulſiſſet; ac decreta, quæ pugnaciſſime defendere debebat, iiſdem prodidiſſet. Hæ ve-

ro

ro graves acerbæque voces ab iis, qui æquo animo laudem gloriamque Contareni non ferebant, emanabant : nec tantum illic ubi plurimum ipſi obeſſe poterant, improbe mittebantur, verum etiam per omnem Italiam fuſæ ac diſſeminatæ, magnopere illius exiſtimationem ac dignitatem lædebant, quas tamen ille, magno animo præditus, reique ipſius naturæ non ignarus, primo contempſit, ad eum namque malevoli hi ſermones invidorum in Germaniam uſque delati ſunt ; ſimulque ſperabat exitum earum rerum innocentiam ſuam, fidemque patefacturum : cui ſane ipſe toto animo incumbebat. Contigit tamen tunc, quod ſæpe in magnis arduiſque rebus uſu venit, ut negotium illud, Chriſtianæ reip. magnopere utile, atque adeo ſalutare, in medio curſu fractum ac diſſipatum ſit, id autem magna ex parte factum eſt malitia fraudeque illorum, qui Cæſaris potentiam, quæ multum compoſitis rebus, Germaniaque pacata creviſſet, ſuſpectam habebant, ſuiſque rebus periculoſam exiſtimabant, hi namque non modo veterum diſcordiarum fibras, ut oportebat, communis utilitatis cauſa non evellebant, verum etiam novarum ſimultatum ſemina occulte jaciebant, in aures eorum, quibus commiſſa res erat, inſuſurrantes, ac falſos quoſdam metus eo inferentes.

Ut autem aſtuta hæc conſilia rem morabantur, & ne ad exitum adducerentur impediebant, ita ſubito exortum eſt, quod animos Germanorum ad longe alias curas traduceret ; finemque diſputationi illi ac colloquio faceret : hoc autem fuit incurſus Turcarum regis in Pannoniam cum maximis copiis, communiſque hoſtis metus : nec enim effecit tunc timor ille, quod plerumque conſuevit, magnopere exacerbatis animis, ut ſtimulum periculum tantum admoueret ad odia extinguenda & gratiam reconciliandam ; ſed potius ſpem, quæcumque erat, malorum illorum ſedandorum eo tempore intercidit, ac ſuſtulit. Miſſis igitur ſermonibus illis, quod factum eſt extremo menſe Quinctili, ceperunt Germani arma : totoſque ſe ad impetum illum coërcendum, fineſque ſuos tuendos contulerunt. Cæſar vero aliam rationem iniit ejus periculi callido conſilio propulſandi ; quod à veteribus etiam ducibus non ſemel uſurpatum fuit, & ſatis tutum ſemper utileq; cognitum eſt : ſtatim nempe cum claſſe, quam maximam ædificaverat, ornaveratque, in Africam navigare : magno namque ſpatio Solimanus inde remotus, auxilium illis locis ferre nullo modo poterat, & ne majorem etiam aliquam plagam in Græcia acciperet, non ſine cauſa metuere debebat. Urgebant præterea Carolum, ut hoc faceret, aſſiduæ preces Hiſpanorum, crebraque damna ſtimulabant, quæ cuncta illa maritima regio quotidie accipiebat, ob frequentem irruptionem Piratarum, adeo ut mare pæne omne clauſum illic foret. Quare ut tam gravibus malis regnum illud ſuum liberaret, deleretque maculam, quam ſibi videbatur ſuſcipere ob tantam licentiam prædonum, ſtatuit, ut dictum eſt, apparatui illius belli non deeſſe, ſedemque nefariorum hominum, ſi poſſet, omni ratione evertere : quamvis inimici timoris ipſum arguerent, quod ferociſſimum hoſtem declinaret, ac tellurem, quam maxime tueri debebat, tanto impendente periculo, deſtitueret : in Italiam igitur celeriter venit. Cum vero muneri, quod ſuſtinebat, non ſine magna animi ſui moleſtia finem factum eſſe vidiſſet Contarenus, nec ſe poſſe amplius navare operam reipublicæ, una cum Cæſare reverſus eſt. Poſtea vero quam Tridentum ventum eſt, Imperatorem, ut ſe dimitteret, rogavit : velle enim

enim ſe, quum commode id facere poſſet, Eccleſiam ſuæ fidei commiſſam, quæ non longe inde abeſſet, inviſere: ac, poſtquam publice non poſſet, privatim religioni officioque ſuo ſervire. Venerunt tamen eo tempore Roma à Pontifice Max. litteræ, quæ juberent ipſum, perſona legati retenta, apud imperatorem eſſe, Mediolanumque una cum eo proficiſci, in quam urbem ille, ut veteris Imperii juris, non multo ante receptam, volebat (ut moris eſt) cum pompa ingredi, indeque Lucam accedere, quo in loco Pontifex ipſe Cæſarque ſtatuerant ſimul congredi, ac de communibus rebus ſtudioſe agere. Accidit hoc in itinere res, quæ vehementer animum optimi viri commoveret: cum enim Brixiam ventum eſſet, civis ejus loci, honeſtus ſane vir, ac vetus amicus Contareni, qui ad ipſum ſalutatum venerat, quæſivit ex eo ſimpliciter, quæ mens ipſum impuliſſet, ut capita, quæ ferrentur prolata ab adverſariis, adeo abſurda, & à vera ratione aliena, in Germania comprobaret, cui ſtatim reſpondit ille; eas eſſe meras nugas, rumoreſque prorſus inanes, & quos omnium aures reſpuere deberent, ſe namque, nedum anceps quod eſſet, & in quo ſcrupulus aliquis reſideret, ſine auctoritate Pontificis Max. conceſſurus adverſariis fuiſſet, ea etiam quæ rata in primis ſunt & firma aliter recepturum non fuiſſe, non deſtitit auctor ejus ſermonis, ſed addidit; rem aliter, atque ille putaret, ſe habere: neq; enim incertam eſſe, ac nullo auctore prolatam famam illam: ſe namque litteras vidiſſe ab ejus ordinis homine ſcriptas, ſummo viro, quem etiam nominavit, quæ id commemorarent, ac verum eſſe contenderent, non potuit tunc homo leniſſimus ſibi temperare, quin ſtomacharetur exclamaretque. Digna vero merces hæc eſt meorum laborum: ſi vera ſunt, quæ narras. Statimque ut innocentiam ſuam, exiſtimationemque tueretur, miſit epiſtolam ad Pontificem Max. qua valde queſtus eſt de injuria, ſermoneque improbiſſimo, quem Roma profectum, ac per omnem Italiam ab iniquiſſimis diſſipatum, contra dignitatem ſuam comperiſſet: rogavitque ſimul, ut, ſi penitus eum non aſpernaretur, ſaltem ſe indicta cauſa ne condemnaret: nec quicquam de illa re ſecum ſtatueret, antequam ipſe ad eum perveniſſet: ſperare enim ſe facile cauſam ſuam probaturum, oſtenſurumque, laude ſe ac præmio, non reprehenſione aut pœna ulla, ob ea, quæ in Germania geſſiſſet, dignum eſſe. Cum Mediolanum perventum eſſet, quæ civitas omni genere lætitiæ, magnificentiaque apparatus Cæſarem excepit, mirifice ſuo quodam facto Contarenum Carolus decoravit, ac, quid ſentiret de virtute, ſingularique probitate hominis, notum teſtatumque omnibus eſſe voluit: lateri enim ſuo ipſum in omni ea pompa hærere voluit: cumque hoc ille modeſtiæ cauſa recuſaret, ſequereturque aliquanto poſt, mandavit humaniſſimus Princeps uni è famulis, ut pæne invitum ipſum traheret ac prope ſe collocaret, omneque id tempus, donec eo perveniret, quo paratum illi hoſpitium erat, conſumpſit cum eo jucundiſſimis ſermonibus, id vero quum perſonæ dignitatique datum non ſine cauſa aliquis arbitrari poſſet, licet tamen exiſtimare, multum etiam ad hoc valuiſſe judicium, quod fecerat de homine; quod putaret, ut qui veræ gloriæ non ignarus eſſet, eam rem non minus ſibi, quam Contareno, laudi & honori futuram. Et ſane litteris mandatum eſt, ejus nominis primum Auguſtum Cæſarem, quum primum Alexandream, quam bello ceperat, ingreſſus eſt, in magna copia honeſtorum ac clarorum virorum, Areum, graviſſimum & eruditiſſimum

mum hominem, ſibi adjunxiſſe, familiariterque cum eo ſolo in tanta illa lætitia, fortunæque ſuæ magnitudine locutum eſſe, quem etiam, ut magis cum cives ſui ſuſpicerent ac fortunatum judicarent, manu teneret: erat enim philoſophus ille Alexandrinus.

Sed aliæ quoque res, dum illic manſit, indicio eſſe potuerunt, quantopere Contarenum diligeret: id quod animadverſum ab aliis opulentis viris, qui in eo comitatu erant, fecit ut omnes ipſum colerent, ac de illo celebrando quaſi inter ſe contenderent. Cæſar, qui, ut ſupra oſtendi, mare tranſire ſtatuerat, quæ ad curſum illum neceſſaria erant, ſtudioſe parabat: imperaratque ut Genuam claſſis, propinquoſque in portus cogeretur, quare, ut id celerius fieret, ſtatuit ſibi in eam urbem accedendum, indeque Lucam eundum, quo Pontifex Max. ſe venturum ſignificarat. Contarenus igitur breviore via ſe Lucam contulit, atque illic, quod maxime cupiebat, poſt paucos dies Pontificem Max. vidit; qui ſane hilari vultu, nulloque ſigno edito offenſionis, ipſum accepit, nec multo poſt eodem Imperator venit, qui non ceſſavit etiam in aliis magnis rebus, quas cum Paulo III. egit, multa prædicare de prudentia, induſtria, probitate Legati; quibus omnibus virtutibus, in munere illo obeundo, uſus fuerat in Germania: nec non queſtus eſt, quod Romæ multa falſo jactata forent contra fidem & dignitatem ipſius, quum ille integre ſincereque perſonam eam ſuſtinuiſſet, ac negotia cuncta cum fide adminiſtraſſet, cui ſtatim ſapientiſſimus ſenex, quique ignarus non erat artium malarum, quibus plerique Romæ utuntur, aut invidia commoti, aut, ſi alios depreſſerint, ſperantes ſe in locum illorum invaſuros, reſpondit, ſibi eximie cognitam eſſe ac probatam Contareni virtutem; ſeque eam ob cauſam ipſum tunc in Germaniam miſiſſe; tantumque oneris ei impoſuiſſe; facturumque etiam brevi, ut nemo dubitare poſſit de benevolentia ſua erga illum, ac, quo denique loco eum haberet, ſe omnibus declaraturum. Non contentus autem hoc Pontifex, ut omnem ſcrupulum ex animo Contareni evelleret, gauderetque ille ſecum tam prompto erga ſe animo fortunatiſſimi hominis ac tam præclaro teſtimonio ſuarum virtutum, notum eſſe voluit ipſi eum ſermonem: ſimulque ſuaſit illi, ut contemneret malevolas voces improborum, nec putaret eas quicquam valere ad exiſtimationem ſuam violandam, fontem etiam hujus mali aperire volens, teſtimonium citavit veterum poëtarum, qui naturam invidiæ verſibus ſuis expreſſerunt; moremque illam habere tradiderunt, ut ſumma loca feriret non minus, quam venti editiſſima quæque appetere, ac violentius verberare conſuerunt: omnique demum ratione, qua potuit, oſtendit ſe eum valde carum habere: cumque etiam gratias amanter egiſſet pro ſuſceptis laboribus, fecit ei poteſtatem, ut tot itineribus defatigatus Romam reficiendi ſui cauſa breviore via accederet: ipſe namque vicinitate invitatus, Bononiam profectus eſt; indeque Ariminum venit, ac Flaminia denique via Romam reverſus eſt, nondum autem duobus menſibus tranſactis, memor ejus quod dixerat, de augenda dignitate Contareni, legatum ipſum Bononiæ declaravit: quæ publica cura provinciaque reliquas omnes ſuperat, quas intra ſuos fines imperiumque ſtatus reip. poſſidet. Ille igitur hoc novo onere ſibi impoſito, ut qui non minus rebus gerendis, quam contemplandis factus erat, Martio menſe ſe in provinciam contulit, factumque eſt, ut VI. K. Aprilis in urbem ingrederetur: qui dies apud eos maxime

maxime celebris agitur, conſecratus genitrici ejus, qui ſalutem nobis dedit, ſumma igitur lætitia totius civitatis exceptus eſt: conataque eſt illa, quam ſpem conceperat animo de probitate & prudentia ipſius, externis etiam rebus, honoribuſque omnibus indicare: certo enim ſciebat futurum ſibi illum potius eſſe optimum parentem, quam durum aliquem & avarum dominum, aut etiam fortunarum ſuarum expilatorem, in quo certe illi falſi non ſunt: ut primum enim res illas attigit nullo negotio cognitum eſt, non minus ipſum in rebus judicandis clementia uti & æquitate, quam ſummo illo jure, quod ſæpe merito reprehenditur, ac, ſi quis vere exiſtimet, quod alio nomine appelletur dignum eſt. Totos dies ille cauſis audiendis, controverſiiſque tollendis operam dabat: nec unquam moleſto ſane hoc, & odioſo munere, præſertim homini in aliis curis ſtudiiſque educato, defatigabatur, hoc autem faciebat: naturamque ille ſuam, conſuetudinemque flectebat, quia veræ gloriæ deditus erat, ac prodeſſe mortalibus, quacunque re poterat, ſtudebat, quare quodcunque munus obiret, dignum viribus operaque ſua, in ipſum tota mente incumbebat. Erant hæ curæ cogitationeſque hoc tempore Contareni; procurabatque ille commoda ejus nobiliſſimæ civitatis: cum repente, inopinante illo, Roma litteræ venerunt, quæ ipſum ad aliud munus traducerent, in quo ſane ille diutius verſatus fuerat, quodque omnes numeros honeſtatis in ſe habebat. Cum enim ſedari nunquam potuiſſent ulla ullius opera iræ inter Franciſcum Gallorum regem, & Carolum V. imperatorem, ſed quotidie magis novis injuriis inferendis inflammarentur eorum animi, gereturque aut pararetur ab ipſis ſemper bellum tæterrimum, quod in ſingulos dies reip. Chriſtianæ graviſſima vulnera imponeret, & ad internecionem denique redigeret maxime pias nationes, officii ſui eſſe ratus eſt Paulus Pont. Max. tanto malo, ſi ulla ratione poſſet, mederi, tantumque & tam ſæuum incendium extinguere; quare mittendos ſibi eſſe cenſuit ſeorſum ad ambos potentiſſimos reges, legatos, prudentiſſimos viros & tanto oneri ſuſtinendo pares: præclare enim ſciebat, quanta vis eſſet in Miniſtris ad unamquamque rem efficiendam; hancque curam, omnium maximam, requirere perſonas in primis ſapientia & auctoritate præditas atque ornatas, & non minus gratas acceptaſque principibus iis, quorum animos delinire ac flectere deberent. Elegit igitur, quem ad Cæsarem, in Hiſpaniis tunc degentem, mitteret, Gaſparem Contarenum: & ad Gallorum regem ire voluit Jacobum Sadoletum; ambos viros probos, atque omni ingenii laude florentes; &, ut Collegas in ampliſſimo ſacerdotio, ita multis honeſtis artibus inter ſe conjunctos, ac maxime bonis omnibus probatos: quæ res geſta eſt Sextili menſe. Erat eo tempore Sadoletus Romæ, quare ſignificavit per litteras Pontifex Contareno, qui de illo ſtatuiſſet: mandavitque, ut, quæ ad iter neceſſaria erant, expediret: ſocium namque ipſius in honeſtiſſimo illo munere intra paucos dies in viam ſe daturum. Hoc accepto nuntio ille, qui nullum unquam utilitatis aliorum cauſa laborem recuſarat, quamvis ætate jam confectus eſſet, & ſatis imbecilla valetudine, æquo tamen animo tulit ſibi onus illud imponi, quod ſi animam etiam in ea legatione ſe profuſurum eſſe certo ſciſſet: tanta erat pietate præditus, & ita dicto audiens eſſe ſummi Pontificis cupiebat, ut ipſam prorſus repudiaturus non fuerit. Appropinquabat ſane illi mors, quæ tamen longe alia ratione, & ubi minime expectabatur, ipſum oppreſſit:

nec enim (ut à me nunc diligenter narrabitur) aut laboribus, aut defatigationibus novis accelerata est.

Agebat Contarenus ætatis suæ annum LIX. in his curis, quas ostendi, toto animo occupatus: partem tamen illarum jam in id munnus, quod instabat, derivans. Incumbens igitur illis, quæ multæ profecto ac graves erant, molesto anni tempore, ut par esset ipsis sustinendis, aliquando reficiendi sui causa se in propinquum urbi locum conferebat: ubi manens & æstum declinaret, quo conficiebatur domi, & aliquantulum à perpetuis suis laboribus animum relaxaret: nam si quid majoris momenti subito eveniſſet, facile illuc adibatur; ubi etiam potestatem sui omnibus faciebat. Locus autem valde animo ipsius, temporique illi accommodatus, ac quo plurimum variis de causis delectabatur, erat sacellum Divæ Mariæ à Monte vocatæ, cujus possessio procuratioque est sodalium Divæ Justinæ. Acciderat autem, ut illis ipsis diebus, qui primi Sextilis mensis fuere, fratris filius, illius salutandi & visendi causa, Bononiam veniret, qui superiore anno Patavii inter sodales illos receptus fuerat: vocabatur vero novo nomine, ut consuetudo est eorum, qui se sacris aliquibus initiant, Placidus. Cum autem probus adolescens esset, seminaque nonnullarum virtutum in se contineret, à Contareno diligebatur, ille igitur primo apud suos in urbe mansit in Divi Proculi dicato ipsis domicilio, ut tamen eo facilius frui posset Contarenus, ipseque itidem sitim suam expleret videndi virum, quem maxime optabat, secum sanguine conjunctum, cujus etiam visendi alienigenæ desiderio flagrabant, impetravit à suis, ut se illic esse paterentur, quæ causa reliquis causis addita est frequentandi recessum eum, diutiusque illic commorandi. Hic collis ab urbe abest spatio mille passuum, amœnissimus, & natura & arte factus ad animum multis modis pascendum, atque omni honesta voluptate explendum, & sane qui desideria optimi hujus viri, gaudiaque cognita haberet: quod non magno negotio omnibus contingere potuit, qui familiariter cum eo vixissent: facile judicaret paucos illos dies, quos illic traduxit, jucundissimos ei fuisse omnium, quos in vita unquam degustasset: vivebat enim cum sui amantissimo fratris filio, cumque aliis nonnullis comitibus illius, eorundemque sacrorum sociis, honestis sane viris & eruditis: rem divinam crebro faciebat; omnisque sermo illic erat de rebus, quibus maxime capiebatur. Cum igitur, ut traditum à me est, calores essent maximi, crebro in porticulam quandam declinandorum illorum causa veniebant: &, ut illic frequentius deambulabant, ita etiam aliquando posita mensa cibum capiebant: vergit enim illa ad Septentriones; urbemque ipsam quasi ante pedes positam prospicit, planitiemque omnem, quæ ipsam cingit: quin etiam remotiores urbes illinc commode cernuntur, Mutina, Ferraria, aliaque nobilia oppida, quare non sine causa expetitur prospectus ille, paritque oculis incredibilem voluptatem: quamvis tunc, capto jucunditate illius, Contareno nihil tale timenti, exitium comparaverit: aura enim illa lenis, quæ flabat: frigidiusculusque aër; cum temperamentum corporis ipsius rarius esset, parvoque momento sæpe commoveretur; facile ad imas partes penetravit, sanguineque inflammato absessum in latere creavit, è genere eorum, quæ Ἀποστήματα Græci vocant, quare, statim febris consecuta est, quæ septimo die ipsum consumpsit; quamvis magna diligentia summorum medicorum curatus sit: simul ac enim primum cognovit se ægrotare,

ægrotare, Bononiam reverſus eſt. Ipſe autem in primis naturam vimque ejus morbi mature perſpexit: tribus namque diebus, antequam animam efflaret, omnem rem Ludovico Beccatello, uni è familiaribus ſuis, quo plurimum in rebus majoris ponderis utebatur, enarravit. Dixit igitur gravitatem ejus morbi non apparere: reconditaſque corporis partes magis ipſum oppreſſiſſe, quam exteriores male habere, in promptuque eſſe: addiditque genus id morbi periculum magnum in ſe continere: quod ſi vires corporis eæ forent, ut ſpatio trium quatuorve dierum reſiſterent, ſine dubio morbum ipſum impetum ſuum remiſſurum: ſe tamen magnopere vereri, ne contra ipſe deficiat; naturaque penitus frangatur: intelligere enim ſe venæ motum valde imbecillem eſſe. Cui ille, qui ſaluti ipſius omni ſtudio proſpiciebat, reſpondit, rogans ut abduceret pauliſper animum ab his moleſtis cogitationibus, rationemque omnem ſui curandi in prudentia diligentiaque medicorum poſitam eſſe vellet: affirmans præterea Deum optimum maximum, quem ſemper ille pie coluiſſet, ipſi præſidio futurum: eſſe autem accurate incumbendum valetudini recuperandæ, ut cito mandatum ſibi munus obiret, iterque ad imperatorem faceret. Ille vero ſtatim hilari vultu, ad alium longe majorem imperatorem ſibi iter inſtare, dixit, idque ipſos brevi cognituros: neque tamen ſe hoc dicere, quia mortem valde perhorreſcat, parumque animo æquo ferat ſe è vita diſcedere: intelligere enim ſe præclare quot quantaque beneficia à Deo acceperit, quorum etiam plæraque commemoravit, non gloriæ cauſa oſtentationiſque, cui tunc locus minime erat, verum ut ſe gratum eſſe erga auctorem illorum ſignificaret. Inquit igitur ſe ortum eſſe ea in civitate, quæ nulli earum cederet, quæ in univerſo terrarum orbe exiſtunt: è familiaque, quæ haud poſtremum locum in ea rep. teneret: conſecutumque itidem illic eſſe honores non parvos: &, ut domi, ita etiam foris gradus maximos dignitatis adeptum eſſe: utramque vitam ſe cum laude aliqua coluiſſe: & eam, quæ in contemplatione rerum verſatur, & eam, quæ rebus agendis incumbit: perveniſſe ad ætatis annum L I X. quem terminum vitæ non multi attingere potuerunt: quare ſecum quoque hac parte non male actum eſſe: canereque ſe debere una cum ſacro Hebræorum vate carmen, quod ad æquum gratumque animum ſignificandum pertinet, nomenque illius laude gloriaque cumulandum, quia non tam liberaliter ſe geſſerit erga multos, neque tot bonis expleverit omnem populum, gentemque. Unum tantum ſibi moleſtum eſſe, quod, ut optabat, commodis quorundam tenuiorum hominum non proſpexerit, qui ſibi, poſtquam ad ſacrum illum honoris gradum aſcenderit, fideliter miniſtrarint: ſperare tamen ſe Deum optimum max. Pontificemque, cujus dignitati toto animo inſervierit, fortunas eorum ſublevaturos. Nec oblitus eſt ſuo opportunoque tempore mandare cuſtodi ipſius, ut privilegium, quod beneficii loco à Pontifice impetrarat, ad delicta penitus abſtergenda traditum, ſibi legeret, dum mente orationeque conſiſteret. Cum hæc animo verſaret, ſane conſtanti ac forti, atque hoc ſermone conſolaretur; ſuos, qui præſentes aderant (ii autem erant, ut quiſque maxime illi acceptus probatuſque fuerat) angebat, atque ita perturbabat, ut lacrimas vix tenere poſſent: à quibus tamen ſibi diligenter temperabant, quamvis intelligerent ne magna quidem copia ipſarum ſpectante illo effuſarum, poſſe ipſum commoveri, & è ſtatu illo animi dejici. Eadem vero

hominis providentia in intelligendo, prædicendoque ſuis vitæ ſuæ fine, exitu ipſo comprobata eſt, quæ in ceteris rebus judicandis ſignificandiſque ſæpe apparuerat: creſcente enim ſemper vi morbi, remediiſque omnibus ſuperatis, oppreſſus ille eſt; animamque efflavit . K. Sept. meridie. Quamvis autem horas circiter ſex antea voce orbatus eſſet, non tamen ſenſu animi, intelligentiaque extremo illo tempore caruit, ut certis quibuſdam notis indiciiſque perſpectum eſt; confiditque clementia conſervatoris noſtri, ut Chriſtianum virum decet; & cum aliter non poſſet, ſe ſpem omnem ſuam in eo collocatam habere nutu, admonitus diligenter de hoc, ſignificavit. Ut vero ſe conſtantem in hoc, maximeque pium præbuit, ita, quæ moris eſt conſuetudiniſque, non ſolum magno, verum etiam alacri animo geri, cuſtodirique paſſus eſt; quæ ſane, ut nuntia mortis, perterrefaciunt plæroſque; ac valde omnes, qui non firmas radices egerunt in perſuaſionem Chriſtianam, perturbant.

Reliquit vero ille diſceſſu ſuo ſuos omnes mœroris ac luctus pleniſſimos: ut uniuerſam quoque civitatem dolore magno affectam, quæ ſane, quacunque ratione potuit, funus illius honeſtavit, & quam moleſta ipſi optimi cuſtodis mors fuiſſet, planum fecit, die autem, quæ ſecuta eſt mortem ipſius, funus ductum eſt. Orationem de laudibus ejuſdem, & honeſte acta cuncta vita, habuit Romulus Amazeus, diſertus & nobilis orator, qui tunc in ea urbe, domicilio quodam vetere omnium diſciplinarum, & humaniores litteras docebat, & negotia publica reip. adminiſtrabat, corpus in Divi Proculi depoſitum eſt, eo conſilio, ut Venetias poſtea comportaretur, in ſepulchroque majorum ipſius, clariſſimorum virorum, collocaretur. Paulus III. nuntio allato de obitu Contareni, ægre admodum illum tulit: declaravitque quanti hominem feciſſet, omni genere liberalitatis uſus erga domum illius, nec tantum Pontifex Maximus, qui ſæpe opera ipſius fideli & utili uſus fuerat, verum etiam Romæ ceteri probi viri morte ipſius vehementer conflictati ſunt, nam, quantum luctum eadem in patria excitarit, non facile dici poteſt, omnes denique, qui aliquando doctrinam illius guſtarant, ſingulariſque probitatis hominis ſpecimen aliquod acceperant, publicam illam cladem exiſtimarunt. Civis autem collegaque ipſius in ampliſſimo ſacerdotio Petrus Bembus quantum dolorem cepiſſet ex gravi morbo Contareni, deſperataque jam à medicis ſalute, notum omnibus eſſe voluit: in Epiſtola enim ad Flaminium Tomarotium, quomodo affectus animo eſſet audito caſu illo, & propinqua morte optimi & honeſtiſſimi viri, diligenter narravit. Verbis ipſis, quum illuſtri loco poſita ſint: alioque ſermone edita, ſuperſedebo. Poſſem etiam aliorum multorum, doctorum & excellentium virorum, teſtimonia citare, qui quantum damnum morte illius factum eſſet, ſcriptis ſuis teſtati ſunt: in quibus etiam nonnulli, qui ab eo vehementer diſſentiebant de ratione vivendi, veroque cultu Chriſtiani hominis, & acerrimi adverſarii opinionum, quas ille in Germania defendit, extiterunt: magnifice tamen de eruditione, continentiaque illius in illis ipſis libris, quibus ſententias ipſius oppugnabant, locuti ſunt, quod fere uſu venire non ſolet, ut à quibus de veritate homines diſſentiant, non eoſdem etiam conentur deformare, atque ita auctoritate omni ipſos ſpoliare. Et quoniam de dolore, quem illo tempore cepit Paulus III. mentionem feci, libet etiam commemorare, quod ab eodem illo familiari Contareni, & omnibus officiis cum eo conjuncto,

junćto Ludovico Beccatello, honeſto in primis & fide digno viro, accepi, ad id confirmandum vehementer accommodatum: declarat enim manſiſſe diu in animo Pontificis ægritudinem hanc, ac levi quoque momento refricari ſolitam tantam plagam, niſi forte aliquis putet ſapientiſſimum illum ſenem quotidie magis, in magna penuria talium virorum, cognoviſſe quantum incommodum olim acceptum fuerit obitu ejus viri, qui ut quietorum temporum ornamentum ingens, ita perturbatorum præſidium firmum erat: quum enim ad ſe illum evocaſſet, opera ipſius quibuſdam in rebus uſurus, diligenter ex eo quæſivit, an præſens forte ille adfuiſſet, quum fato Contarenus functus eſt: rogavitque ut diceret aliquid de inſtitutis & vita illius, cui ſtatim, mihi affirmavit ille, ſe reſpondiſſe id, quod erat: mirificam fuiſſe Contareni integritatem fidemque in iis omnibus rebus gerendis, quæ mandatæ illi ab ipſo forent, intelligeretve ipſe ſua ſponte, facere ad dignitatem Romanæ reip. conſervandam, virumque illum vera probitate prædítum fuiſſe, non ficta ac ſimulata, quam perſonam plærique, ut eo perveniant, quo cupiunt, ſibi callide imponunt, unumque omnium Contarenum veteres ac maxime ratas opiniones & animo probaſſe, & verbis etiam ſemper defendiſſe, quo ſermone accepto commotum Pontificem Maximum, qui deambulabat, ſtetiſſe, manuque iterum percuſſiſſe menſam prope poſitam, dixiſſeque non ſine gemitu quodam ac ſuſpirio, quod indicavit evulſam fuiſſe penitus omnem ex animo ipſius ſuſpicionem, quæ quondam eo inculcata de illo vocibus malevolorum fuerat. Amiſimus profecto magnum virum, ac valde utilem reip. noſtræ civem, ſed, ut alia, ita hoc magno conſtantique animo ferendum.

Quoniam autem non ſemel dictum eſt in hac vita de magna labe animi quorundam, quum ab ipſo illo vitio magnopere Contarenus abhorreret, qui alienam perſonam induentes (unde Græco vocabulo, ſumpto ab actoribus fabularum, vulgo ὑποκριτὰι appellantur) & eam quidem ſemper meliorem, vel optimam potius omnium, longe alii videri volunt, quam vere ſint; atque ita magnis in rebus imponunt ſimplicibus hominibus, nihil inde mali ſuſpicantibus, unde plurimum ipſos expectare oportebat; non alienum eſſe duxi de hoc etiam diſſerere: etſi enim nunquam defuerunt, qui fallacias & dolos horum nefariorum hominum aperirent, ac maxime illos eſſe cavendos in vita admonerent, nunquam tamen ita probi viri eruditi & inſtructi fuerunt, ut ſatis poſſent artes eorum intelligere, atque inſidias etiam vitare. In primis autem in pietatem noſtram Chriſtianam, quæ tota in ſimplicitate animi fundata eſt, radices egit, atque incommoda ſæpe magna apud nos peperit hæc fraus. Quo majore odio digni ſunt hi peſſimi mortales, qui in re, quæ quo magis pura integraque eſt, eo magis probatur, aſtutis conſiliis utuntur, ac dolos malos exercent. Hoc etiam aliquo modo ſignificaſſe videtur doctiſſimus vir Plato, qui, hoc genus hominum notans, inquit, poſtremam injuſtitiam eſſe, videri velle optimum virum, quum minime ſis. Idemque ab Æſchylo, non ſolum gravi poëta, ſed etiam docto in diſciplina Pythagorea prolatum eſt, quum ferret in cælum magnis laudibus Amphiaraum, ſummum illum augurem, eundemque ſanctiſſimum virum: inquit enim ipſum non ſtuduiſſe quod multi faciunt, ut videretur optimus, verum ut eſſet, nam quod nos, malis multis doctos, reddunt etiam aliquando dubios & incertos: faciuntque, ut probos honeſtoſque viros

ab

ab improbis & impuris diſtinguere nequeamus, non dici etiam poteſt quantopere hoc pacto obſint, cum apud Euripidem etiam ſapiens antea ſemper habitus Theſeus, eo nomine ſuſpectam habuerit eximiam probitatem, caſtitatemque filii: inſimulatus enim falſo Hippolytus, quod cubile ipſius violaſſet, quum ſe ille apud eum purgaret, quod vita ſua ab eo ſcelere valde remota eſſet, fidem ea de cauſa non fecit: timuit enim pater ne tenuis victus, cultuſque, quo filius delectabatur: abſtinentiaque à veſcendis animantibus, ſimulata foret: ſimulque ne diſciplina Orphei, quam ille profitebatur, familiaritaſque demum Dianæ, in qua ſe valde jactabat, ficta eſſet, quare in alteram partem miſerabiliter peccavit. Sed eo redeamus unde digreſſi ſumus. Idem etiam intimus conſiliis Contareni, nec minus ſtudioſus famæ exiſtimationiſque hujus optimi, ac pudentiſſimi viri, quem ſibi in vita tanquam viuum quoddam exemplar probitatis propoſuerat, notam, quam improbe vitæ ipſius inurere præpoſterus quidam amicus ſtuduit, hoc pacto delevit. Narrat enim forte eveniſſe, ut illo ipſo tempore, quo graviter Contarenus ægrotabat, Bernardinus Ochinus, illæ novæ condendæ Franciſcanæ familiæ dux & auctor, Bononiam venerit, Romam ad cauſam dicendam evocatus: inſimulabatur enim in iis concionibus, quas Venetiis habuerat nonnulla dixiſſe, quæ veteribus decretis Romanæ reip. adverſabantur: additque habuiſſe illum litteras ad ſe ſcriptas à Giberto Epiſcopo Veronenſi, quibus à ſe petebat, ut diligenter ageret cum Legato, ut hortaretur hominem ad ſiſtendum ſe in judicio: coramque ad ea, quæ ipſi objiciebantur, defendenda: quum cognouiſſet ipſum timide ad id deſcendere, egereque ſtimulo quopiam & auctoritate magni alicujus & gravis viri: neque enim adhuc Gibertus hominis levitatem inconſtantiamque perſpexerat: is autem veſperi venerat, quum jam cenaſſent omnes, Legatus tamen adhuc in lectulo vigilaret: qui, quum ſperaret morbum poſtridie leviorem fore, ut commodius eum audire poſſet, loquique cum ipſo familiariter, juſſit ut præberentur illi, quæ ad curandum corpus pertinerent: contigiſſe vero contra, ut ea nocte morbus ingraveſceret: quare mane Legatum totum diſtentum fuiſſe in remediis, quæ medici adhibenda juſſerant, ſumendis, noviſque curationibus: unde factum fuerit, ut neque de hoſpite illo, neque de alia ulla re agi cum eo potuerit. Bernardinus interim, cui in primis mala ſua mens, malusque animus cognitus erat: atque umbras etiam, ut, qui ſibi alicujus ſceleris conſcii ſunt, faciunt, reformidabat, cœpit vereri ne aſtute illic detineretur: putabat enim fingere morbum Legatum, quo metu homo oppreſſus (nam hoc verum eſſe non multo poſt è conſilio, quod cepit perſpectum eſt) non ceſſabat Ludovicum urgere, ut rogaret Legatum poteſtatem ſibi faceret abeundi; in quo ille ipſi non obtemperabat, putans brevi fore ut melius eſſet Legato: videbatur enim ſibi perſpexiſſe cupere illum magnopere cum Bernardino loqui; qui ſane uſque ad id tempus magnum ſibi nomen ex facultate illa dicendi, & opinione ſanctitatis conciliarat. Cum autem, magis magiſque ſemper timore creſcente, inſtaret, Ludovicus importuno ſane tempore coactus eſt, cum æſtu febris in lectulo Legatus jactaretur, eo irrumpere, rogareque ut pateretur ipſum abire: in quo ſane humaniſſimus vir ei morem geſſit, quumque ad eum Bernardinus introductus eſſet, hæc ipſa verba protulit. Vides quo in ſtatu ſim, excuſatio hæc apud te juſta ſit: & ora, ut Deus opt. max. mihi propitius ſit: fæliciterque

inſtitutum

inſtitutum iter perage, cui ille tantum, demiſſo (ut moris eſt) capite, reſpondit ſe prorſus ita facturum: illicoque abiit. Hic eſt ſermo, quem Bononiæ habuit cum ſanctiſſimo, & modeſtiſſimo viro Bernardinus, nec verbum præterea additum eſt, qui tamen poſtea, quum ſuſceptam vitæ rationem deſerviſſet: accerrimumque ſe hoſtem Pontificiæ poteſtatis præbuiſſet, ut ſe ſapienter id feciſſe oſtenderet: à perditaque cauſa & flagitiis multis contaminata, merito defeciſſe: habereque ſe multos ſocios ejus conſilii probare vellet, non veritus eſt criminari amicum, memoriæque ac litteris prodere: queſtum ſecum eſſe eo tempore Contarenum de moribus inſtitutiſque Romanorum antiſtitum: & inſectatione ſæva atque injuſta bonorum: hujuſcemodique alia multa ſcribere prorſus inania, & quæ non ſolum à veritate abhorrerent, ſed etiam vitæ ejus, cui afficta erant, nullo modo convenirent, quæ cuncta Ludovicus (ut eſt vir optimus & omnis officii, quod in amicitia coli debeat, obſervantiſſimus) aſſeverabat, refellendi ejus mendacii cauſa, & purgandæ innocentiæ viri illius mortui, quem vivum magnopere dilexerat, nec tantum hoc ſe ita habere, teſtimonio ſuo confirmabat, ſed alios etiam teſtes hujus rei producebat, qui præſentes illic adfuerant: in quibus etiam nominabat Julium Contarenum, fratris Legati filium: qui poſt ejus mortem & ob naturæ probitatem, & ob commendationem patrui, creatus eſt Pont. Civitalis, cui præfecturæ regendæ præpoſitus antea fuerat. Cum hoc tanti momenti ſit ad integritatem Contareni oſtendendam, abſtergendamque maculam illi falſo aſperſam, volui totam rem, ut factam eam accepi, ac pæne iiſdem verbis, quibus mihi expoſita eſt, commemorare.

Rebus autem geſtis ab eo dum vixit enarratis, nunc quæ monimenta ingenii reliquerit, fructuſque otii ipſius indicabo, prius tamen, quod adhuc valet aliquid ad confirmandam doctrinam hominis, teſtimonium de ea re graviſſimi & eruditiſſimi viri citabo: quod additum ſuperioribus teſtimoniis, quæ prodidi de eximio ingenio ipſius, præſtantique cognitione omnium diſciplinarum, vera eſſe declarabit: ſimulque non ſinet quempiam dubitare, quomodo ille, in vita plerumque occupata, tot tamque præclara opera efficere potuerit, quæ multum etiam poſteris proſint, perpetuoque teſtentur, qualis ille, quantuſque vir fuerit. Ludovicus igitur, cui cognomen ferrei oris fuerit, nobilis philoſophus, & qui multos annos in Bononienſi gymnaſio ſumma cum laude & admiratione omnium, qui aliquando ipſum diſputantem audierunt, matrem eam omnium optimarum artium coluit, mortuo Contareno, quum ſermo ipſi eſſet inſtitutus cum honeſtis quibuſdam viris de damno, quod eo tempore factum eſſet interitu illius, plurimiſque animi dotibus, ac maximis virtutibus, una cum eo extinctis, inquit doloris plenus: (nam virum eum valde dilexerat, in familiaritatemque ſe ejus inſinuarat illo tempore, quo Legati nomine urbem eam rexit.) Ego, quod mihi videor meo jure facere poſſe: nec enim malum me omnino eſſe exiſtimatorem harum rerum arbitror; affirmo hunc hominem omnibus, quos aliquando cognovi in philoſophiæ ſtudiis merito laudatos, qui ſane non pauci fuere, præſtitiſſe & ſcientia multarum rerum, & judicii firmitate: ipſumque vere philoſophi graviſſimo nomine dignum fuiſſe judico. Certe quum ego de aliqua re, propria ejus ſtudii, cum eo diſſerebam, videbar mihi præ illo minutus quidam philoſophus eſſe; vel potius novus quiſpiam auditor,

ditor, & plane rudis ejus artis, quam profiterer, quare ad ipsum sæpe me conferebam, ubi locus aliquis obscurior mihi negotium facesseret: in qua quæstione quum paulo antea ipse toto animo versatus essem, & aliquas etiam horas, evolutis pluribus voluminibus, præterita die consumpsissem: ille vero, ut existimari potest, spatio multorum annorum nullam cogitationem de ipsa suscepisset, ita tamen apte & exquisite nodos illos dissolvebat, ut videretur diu multumque non multo antea de ea cogitasse, quare (inquit) sæpe ego pæne stupidus evasi; mihique potius cum cælesti aliqua natura, quam cum mortali homine visus sum loqui: idque nunc, quia res ita se habet, verumque id prorsus est, prædico, nulla alia causa impulsus, quis enim non videt assentationi nunc locum non esse; quæ præterea à persona, quam sustineo longe semper abesse debet? Hæc asseveranter tunc ab illo prolata quum essent, auxerunt magnopere opinionem, quam, qui aderant, de præstanti Contareni ingenio antea in animis habebant. Sed etiam scripta, quanta fuerit eruditio ipsius, aperiunt: quæ sane, ut ordine à me tradantur, hæc sunt. Edidit juvenis adhuc (xxx. enim tertium ætatis annum tunc agebat) librum contra judicium Petri Mantuani doctoris sui; nec tamen ea de causa minus pius, quamvis contra pietatem facere videretur, fuit: ille enim in omni sermone suo affirmare solitus erat, ex opinione sententiaque Aristotelis existimari debere animos nostros esse mortales, quum contra ipse, sedulo adversus eum disputans, citatis multis locis, & tanquam tabulis obsignatis, ostenderit longe aliter principem Peripateticorum de ea re sensisse: viderique potius immortalitate donatos ipsos Aristotelem esse voluisse, cujus opinionis antea Plato, unde didicerat, sine ulla dubitatione fuerat. Argumenta autem illa firma ad probandum & gravia fuisse, opusque totum valde elaboratum, perspicitur, quia acutissimus ille physicus in libro, quo defendit opinionem illam suam, acriter oppugnatam ab eo, quem instruxerat, tradit eum librum & doctissimum omnium & uberrimum esse, qui omni tempore materiam illam persecuti sunt: additque videri prorsus eum divina opera & manu fabricatum fuisse. Scripsit etiam de Elementis libros quinque; in quibus viam omnem, rationemque Aristotelis diligenter expressit: misit autem illos ad Mattheum Dandalum sororis suæ virum: cujus hic supra mentio cum magnis verisque ipsius laudibus facta est. Addidit his, in altiore philosophiæ parte, libros quatuor, quos dicavit Paulo Justiniano, nobilissimo & clarissimo suo civi, qui odio rerum humanarum, quum pertæsum esset varietatis ipsarum; ut facilius divinas contemplaretur, Deoque ipsi toto animo serviret; in Etruscos montes cœtumque Camaldulensium se contulerat. Hi libri ei, qui attente legerit, nullo negotio patefacient, quæ fuerit vis animi ipsius, & quanta prudentia in rebus gravioribus tractandis. Sed idem etiam (ut melius adhuc intelligatur factum illum natura et studio fuisse ad personam eam sustinendam, quam ipsi multo postea sapientissimus Pontifex, multumque semper omni in re providens, imposuit) juvenis adhuc, vitamque colens liberam, ac nullis sacris astrictam: occasionem hanc ejus rei nactus, quod familiaris ipsius Pontifex Bergomas destinatus fuerat, ipsum instituere cupiens, duos libros scripsit de officio eorum sacerdotum: finxitque ita atque informavit talem virum, quales si forent, quibus tantum hodie commissum est, non laboraremus. Quis enim non fateatur pias in primis castasque fuisse cogita-

tiones

tiones ipſius: totaque mente ac ſtudio ſolitum eſſe in illis volutari optimum virum, poſtquam alium inſtruere & ornare in ea vita auſus eſt, quam ipſe adhuc non attigerat: nec unquam cogitarat, præcepta illa ſibi utilia aliquando futura? Præterea, quum orta quæſtio eſſet in ſenatu de Pontificis max, poteſtate, divinitusne illa ſtabilita foret, an humanis conſiliis regeretur: quumque multum de ea re illic in utramque partem diſputatum eſſet, domum reverſus, ut quid ipſe de eo ſentiret, oſtenderet: omnique errore cives ſuos liberaret, ſpatio unius noctis libellum confecit, qui nunc excuſus in manibus verſatur. Sed, ut iiſdem etiam in ſuo proprioque ipſorum munere prodeſſet: effigiemque ejus reipublicæ, in qua natus erat, exprimeret, quinque libros confecit de magiſtratibus, reque publica Venetorum, qui itidem divulgati ſunt. Poſtquam vero in ampliſſimorum Antiſtitum collegium cooptatus eſt, perlectis diligenter ſynodis omnibus, quæ variis temporibus ob emendandum ſtatum Chriſtianæ reip. coactæ ſunt, in breve quoddam corpus graviſſimas quaſque ipſarum collegit: ſervato temporum ordine, materiaque omni, quam perſecutæ ſunt, demonſtrata. Utile vero mirifice potuit eſſe volumen illud ei ſynodo, de qua tunc ſummis contentionibus agebatur: quamque Paulus III. adverſariis, reconciliandorum animorum gratia, proponebat: multumque opis afferreillis omnibus, qui in eo certamine verſari deberent, miſit autem opus hoc multarum vigiliarum ad eum, cujus maxime intererat, quid de ea re fieret: & qui eo tempore tota mente in illam curam incumbebat. Abſoluto autem illo, par huic opus; & quod eundem finem haberet, aggreſſus eſt: ſcripſit enim quatuor libros de ritibus cerimoniiſque noſtræ religionis perſuaſioniſque Chriſtianæ, quæ Sacramenta appellant: quibus libris complexus eſt materiam illam omnem, &, quæ radix viſque ipſarum fuiſſet, declaravit: quidque demum pie credi, & cuſtodiri de illis deberet, veris rationibus, argumentiſque ſatis firmis comprobavit, nam ipſum, argumento hoc ſumpto, ſi, quod pollicitus erat, præſtare voluiſſet, debuiſſe omnem quæſtionem, de qua nunc tot tantæque lites & concertationes inter diſſidentes partes reip. exiſtunt, explicare planum & exploratum eſt, quare ſic quoque præclare inſtruxit & armavit illos, qui pro veritate comminus congreſſuri erant cum hominibus magno errore inflatis, & cauſam eam malam obſtinate defendentibus.

Ut autem libellum alium, admodum utilem pravis opinionibus ex animis hominum evellendis, conficeret, occaſionem hanc habuit. Factum eſt, quum ille Bononiam Legati nomine obtineret, ut vir prudens, ſalutiſque gregis illius, qui fidei ipſius poteſtatique commiſſus foret, ut paſtorem bonum decet, valde ſtudioſus, ad eum veniret, medicinam ab eo petens; rationemque accipere cupiens, qua ſalvum ipſum incolumemque redderet, quum graviter ægrotare non parvam partem ipſius cognoſſet: quam tamen totam rem ille ita tractari volebat, quum honeſtam nobilemque civitatem regeret, ut ne ignominia illa notaretur, & tamen remedium cito adhiberet, ne magis malum ſerperet. Conſilium ipſius quum mirifice probaſſet Contarenus, multa animo revolvens, ut erat ſummus & accuratus medicus hujus peſtilentis morbi, ſtatuit demum ita rem eſſe agendam. Confecit tanquam inſtitutionum quandam brevem Chriſtiani hominis: collegitque, quæ magis mordere animum debent, probra omnia: & ita, ut aperire ipſa oporteat cum dolore ſacerdoti: illum au-

tem commentariolum κολήχησιν appellavit, qui ſane non uni illi civitati ſanandæ factus videretur, ſed Chriſtianis omnibus in officio retinendis, & ab illa contagione liberandis; eum vero gravis ille vir ad ſuos comportavit, divulgatumque ſtudio quodam & arte effecit, ut vulgo reciperetur, cunctique ſe viæ illi tenendæ, legibuſque ſervandis aſtringerent: ſtatim enim probatus fuit omnibus, exceptis paucis illis, qui plane perditi ac deſperati forent: poſteaque & ipſe formis excuſus eſt. Quum autem, ut geſta tunc res eſt, temporique illi aptum fuit, nomen & civitatis & præfecti ipſius in ſacris rebus curandis celaverim, illa poſtea patefacta, quum incommodi nihil amplius inde naſci poſſit, deberi puto perſonam etiam à me indicari. Moronus enim Mutinenſium Epiſcopus is fuit, qui & ipſe non multo poſt ob ſingularem prudentiam in rebus gerendis, præclaraſque alias animi dotes, auctus dignitate eſt à Pontifice maximo: cujus ampliſſimi ſacerdotii inſigne Bononiæ manibus ſuis Legatus capiti ipſius impoſuit. Illuſtravit etiam Scholiis quibuſdam ſuis Contarenus multos obſcuros locos in Epiſtolis Divi Pauli, quum ipſas accurate legeret, quo ſane in ſtudio toto animo occupatus erat, cum mors eum oppreſſit. Sed etiam Epiſtolas ipſe non paucas conſcripſit eruditas, & optimorum præceptorum plenas: ut libellos etiam nonnullos alios, aliquam occaſionem illorum conficiendorum nactus: præcipue autem ſtudiis amicorum, variiſque eorum temporibus ſerviens, in quibus eſt quæſtio diligenter explicata, perdifficilis ſane, magnique ſemper momenti habita ad vitam bene beateque degendam; qua traditur liberam eſſe poteſtatem noſtram, omnique nexu cauſarum ac neceſſitate ſolutam, veteres illi περὶ ἡμᾶς ἐφ' ἡμῖν ipſam vocabant, & qui de fato diſſerunt, re huic contraria, neceſſario de ipſa diſputationem ſuſcipiunt, eum vero librum miſit ad Victoriam Columnam: fæminam lectiſſimam, & quæ ob eximium amorem erga virum mortuum, admirabilemque ingenii laudem in condendo carmine, maximo quoque honore digna eſt. Sed etiam, ut ſorori ſuæ, quæ ſe in caſtiſſimum cœtum mulierum Muranarum conjecerat, morem gereret: animumque ipſius ſuaviſſimo cibo aleret in ea ſolitudine, cui ſe dicaverat, interpretatus eſt duos Hebræorum illorum cantus Italico noſtræ ætatis ſermone: cum enim ille doctrina ingenioque ſuo prodeſſe quoque alienis ſtuderet; non viſus ſibi eſt poſſe ſuis ullo modo deeſſe.

Quin etiam, eodem honeſto deſiderio incenſus, ut utilitatibus fratrum ſuorum ſerviret, qui crebro, mercaturis faciendis operam dantes, navigabant, confecit libellum de æſtu maris, &, quam cauſam reciproca illa fluctuum agitatio haberet, diligenter monſtravit: qui tamen liber amico ipſius commodatus magno adhibito ſtudio, recuperari nunquam potuit. Sed ne omnia diligenter minutiora ipſius opera, quæ plurima ſunt, enumerem: in quibus tamen appareret ſpecimen illius doctrinæ ac judicii, finem faciam: poſſum enim vere affirmare, quodcunque temporis vacuum à negotiis nanciſcebatur, in his rebus ipſum conſumere ſolitum: omneſque vigilias ſuas cum conſueſſe temporibus amicorum neceſſariorumque ſuorum conſecrare: neque enim oſtentationis & gloriæ cauſa hujuſcemodi ſcriptiones ſuſcipiebat: in hiſque ſe dies atque noctes macerabat: quamvis juſtus inde honos, nec magnopere reprehendendus conſequatur: ſed ut dixi, voluntati amicorum, commodiſque indulgens: ſive ſtudiis ſuis memoriæque ſerviens, à ſcribendo nunquam ceſſabat.

VITA

COMPENDIUM VITÆ
ERASMI ROTERODAMI.

NATUS Roterodami in Vigilia Simonis & Judæ. Supputat annos circiter 57. Mater dicta eſt Margareta, filia medici cujuſdam Petri, Ea erat à Septimontio, vulgo Zevenberge, Fratres illius duos vidit. Dordraci pene nonagenarios. Pater dictus eſt Gerardus. Is clam habuit rem cum dicta Margareta, ſpe conjugii. Et ſunt qui dicant interceſſiſſe verba. Eam rem indigne tulerunt & parentes Gerardi & fratres. Pater erat Helias, mater Catarina: uterque pervenit ad extremam ſenectutem, Catarina pene ad nonageſimum quintum annum. Fratres erant decem, nulla ſoror; ex eodem patre & matre; omnes conjugati. Gerardus erat natu minimus, uno excepto. Viſum eſt omnibus, ut ex tanto numero unus Deo conſecraretur. Noſti affectus ſenum. Et fratres nolebant mimi rem, ſed eſſe apud quem ipſi convivarentur. Gerardus videns ſe modis omnibus excludi à matrimonio magno conſenſu omnium, fecit quod ſolent deſperati, clam aufugit, & ex itinere miſit parentibus & fratribus Epiſtolam cum manumanum complexa; addito elogio, Valete, nunquam vos videbo. Interim relicta eſt ſperata conjux gravida. Puer alitus eſt apud aviam. Gerardus Romam ſe contulit. Illic ſcribendo, nam tum nondum erat ars Typographorum, rem affatim paravit. Erat autem manu feliciſſima. Et vixit juveniliter. Mox applicuit animum ad honeſta ſtudia. Græce & Latine pulchre calluit. Quin & in Juris peritia non vulgariter profeceerat. Nam Roma tunc doctis viris mire floruit. Audivit Guarinum. Omnes auctores ſua manu deſcripſerat. Parentes ubi reſciſcunt eum eſſe Romæ, ſcripſerunt illi, puellam, cujus matrimonium ambiret, eſſe vita defunctam. Id ille credens, præ mœrore factus eſt presbyter, totumque animumque ad religionem applicuit. Reverſus domum comperit fraudem. Nec illa tamen unquam poſt voluit nubere, nec ille unquam tetigit eam. Puerum autem curavit liberaliter educandum, & vix quatuor annos egreſſum miſit in ludum litterarium. Ac primis annis minimum proficiebat in litteris illis inamœnis quibus natus non erat: ubi nonum ageret annum, miſit Daventriam: ma-

Ubi natus.
Mater.
Avunculi.
Pater.
Avus, & Avia.
Patrus.
Pater Eraſmi confert ſe in exteras regiones.
Eraſmus liberaliter educatus Mittitur quadriennis in ludum litterarium, Noveniæ Daventriam.

Sic omnibus literis eſt in Autographo: quid ſit, nondum capio. An à Patre Eraſmi quid Rudimentorum ſcriptum; quum is Græce Latineque pulchre calluerit, Vir iſtoc ævo litteratiſſimus?

ter ſequuta eſt, cuſtos & curatrix teneræ ætatis. Ea ſchola tunc adhuc erat barbara. Prælegebatur * pater meus: exigebantur tempora: prælegebatur Ebrardus & Joannes de Garlandia: niſi quod Alexander Hegius & Zinthius cœperant aliquid melioris litteraturæ invehere. Tandem ex pueris colluſoribus, qui grandiores natu audiebant Zinthium, primum cepit odorem melioris doctrinæ: poſt aliquoties audivit Hegium, ſed non niſi diebus feſtis, quibus legebat omnibus. Hic pervenit ad claſſem tertiam: tum peſtis vehementer ibi ſæviens ſuſtulit matrem, relicto filio, jam annum decimum tertium agente. Quum peſtis indies magis ac magis incrudeſceret, tota domo, in qua agebat, deſolata, reverſus eſt in patriam. Gerardus, accepto triſti nuncio, cœpit ægrotare, ac paulo poſt mortuus eſt. Uterque deceſſit non multo ſupra annum quadrageſimum. Tres tutores inſtituit, quos habebat fidiſſimos. Horum præcipuus erat Petrus Winckel, tum ludi litterarii Magiſter Gaudæ. Legavit rem mediocrem; ſi tutores bona fide adminiſtraſſent. Itaque ablegatus eſt in Buſcum ducis, quum jam ſatis maturus eſſet Academiæ. Verum illi Academiam metuebant, quod ſtatuerant puerum religioni alere. Illic vixit, hoc eſt perdidit, annos ferme tres in ædibus fratrum, ut vocant: in quibus tum docebat Romboldus. Quod genus hominum jam late ſe ſpargit per orbem, quum ſit pernicies bonorum ingeniorum, & ſeminaria monachorum. Romboldus, qui mire adamabat ingenium pueri, cœpit eum ſollicitare, ut ſuo gregi accederet. Puer excuſabat inſcitiam ætatis. Hic exorta peſte, quum diu laboraſſet febri quartana, reverſus eſt ad tutores, jam ſtylo quoque ſatis prompto, ex aliquot auctoribus bonis parato. Unus tutor perierat peſte: cæteri duo, re non admodum bene geſta, cœperunt agere de monaſterio. Adoleſcens languens febri, quæ ſupra annum illum tenuerat, non abhorrebat à pietate: cæterum à monaſterio abhorrebat. Itaque ſinunt diem ad cogitandum. Interim Tutor ſubornat, qui pelliceant, qui minitentur, qui perpellant animum imbecillem. Atque interea repererat locum in monaſterio canonicorum, qui vulgo vocantur Regulares, in Collegio, quod eſt juxta Delft dicto Sion: quæ domus eſt principalis ejus Capituli. Ubi dies veniſſet reſpondendi, reſpondit prudenter adoleſcens: ſe nondum ſcire, neque quid eſſet mundus, neque quid eſſet monaſterium, neque quid eſſet ipſe: proinde videri conſultius, ut adhuc annos aliquot agat in ſcholis, donec ſibi notior eſſet. Hæc quum videret conſtanter dici ab adoleſcente, ſtatim infremuit Petrus. Ergo, inquit, fruſtra laboravi, qui talem locum tibi magnis precibus pararim: tu es nebulo: non habes ſpiritum bonum: abdico tutelam tuam. Vide, unde alaris. Adoleſcens reſpondit, ſe accipere abdicationem, & ea eſſe ætate, ut non opus ſit tutoribus. Ubi vidit ſe minis nihil proficere, ſubornat fratrem, qui & ipſe tutor erat, negociatorem. Is blanditiis agit. Accedunt inſtigatores undique. Habebat ſodalem, qui prodidit amicum; et urgebat febris: nec tamen arridebat monaſterium, donec forte fortuna viſeret monaſterium ejuſdem ordinis in Emaus ſive Steyne, juxta Gaudam. Ibi reperit Cornelium, quem Daventriæ habuerat ſodalem in eodem cubiculo. Is nondum acceperat ſacrum illum cultum: viderat Italiam, ſed audierat parum doctus. Hic ſuum agens negotium, cæpit mira loquentia depingere vitæ genus ſanctiſſimum, copiam librorum, otium, tranquillitatem, ſodalitatem angelicam. Quid non? Trahebat affectus

Peſtis matrem Eraſmi tollit.

Pater Eraſmi moritur.

Tutores Eraſmi.

Eraſmus ablegatur in Buſcum ducis.

Redit ad Tutores.

Invitatus ad monachismum.

affectus ille puerilis ad veterem ſodalem. Alii alliciebant, alii propellebant. Onerabat febris. Hunc locum delegit, altero faſtidito; * lactabar interim, donec haberet ſacram veſtem. Interea, tametſi adoleſcens, ſenſit quam non eſſet illic vera pietas. Et tamen totum illum gregem excitavit ad ſtudium. Parantem abire ante profeſſionem partim pudor humanus, partim minæ, partim neceſſitas coërcuit. * Tandem per occaſionem innotuit Epiſcopo Cameracenſi, Henrico à Bergis. Is ſperabat Cardinalicium galerum; & habuiſſet, niſi defuiſſent præſentes nummi. Ad hoc iter optabat hominem Latine doctum. Itaque per hunc evocatus eſt cum auctoritate Epiſcopi Trajectenſis, quæ ſola ſufficiebat. Et tamen ille adjunxit auctoritatem Prioris & generalis. Conceſſit in familiam Epiſcopi, ſervato tamen habitu. Quum Epiſcopus eſſet deſtitutus ſpe galeri, ſentiretque illum in amore parum conſtantem erga omnes, egit, ut iret Lutetiam ſtudii gratia. Promiſſum eſt ſtipendium annuum: nihil miſſum eſt. Sic ſolent principes. Illic in Collegio montis acuti ex putribus ovis & cubiculo infecto concepit morbum, hoc eſt, malam coporis, antea puriſſimi, affectionem. Itaque rediit ad Epiſcopum. Acceptus eſt honorifice. Recreatus eſt à morbo Bergis. Reviſit Hollandiam hoc animo, ut maneret apud ſuos. Sed ipſis ultro hortantibus rediit Lutetiam. Ibi deſtitutus auxilio Mæcenatis vixit verius, quam ſtuduit: & ob peſtilentiam ibi multis annis perpetuam, ſingulos annos redeundum erat in patriam. A ſtudio Theologiæ abhorrebat, quod ſentiret animum non propenſum, ut omnia illorum fundamenta ſubverteret; deinde futurum, ut Hæretici nomen inureretur. Tandem, ubi totum annum ſæviret peſtis, coactus eſt Lovanium commigrare: Ante inviſerat Angliam in gratiam Montjoy tum diſcipuli, nunc Mæcenatis; ſed amici verius quam benigni. Id temporis omnium bonorum apud Anglos benevolentiam ſibi conciliavit, ob id præſertim, quod ſpoliatus in littore Dovarienſi, non ſolum non ultus ſit injuriam; ſed mox emiſit libellum in laudem regis, & totius Angliæ. Tandem è Gallia magnis promiſſis revocatus eſt in Angliam, quo tempore nactus eſt amicitiam Archiepiſcopi Cantuarienſis. Ubi promiſſa non apparerent, petiit Italiam: cujus adeundæ deſiderio ſemper arſerat. Egit paulo plus quam annum Bononiæ, jam vergente ætate, hoc eſt ferme quadragenarius. Inde contulit ſe Venetias, & edidit Adagia: inde Patavium, ubi hibernavit: mox Romam, quo jam fama celebris ac plauſibilis præceſſerat. Raphaeli, Card. S. Georgii, præcipue charus fuit. Non defuiſſet ampla fortuna; niſi mortuo rege Henrico VII. & ſucceſſore VIII. amicorum literis ampliſſima pollicentibus revocatus eſſet in Angliam. Illic decreverat reliquum ætatis peragere: verum ubi ne tum quidem præſtarentur promiſſa, ſubduxit ſe in Brabantiam, invitatus in aulam Caroli * nunc Cæſaris, cui conſiliarius factus eſt opera Joannis Silvagii Cancellarii magni. Cætera ſunt tibi nota. Mutati cultus rationem reddidit in libello primo, quo reſpondit Laicis ſycophantiis: formam ipſi deſcribetis. Valetudo ſemper fuit tenera; unde crebro tentabatur febribus, præſertim in Quadrageſima ob piſcium eſum, quorum ſolo odore ſolebat offendi. Ingenium erat ſimplex; adeo abhorrens à mendacio, ut puellus etiam odiſſet pueros mentientes, & ſenex ad illorum aſpectum etiam corpore commoveretur. Linguæ inter amicos liberioris, nonnunquam pluſquam ſat eſſet: & ſæpe falſus non poterat tamen amicis

Mancipat ſe Monaſterio.

* *Sic habet Autographum: ſcribere voluit* lactabatur.

* *Hic in margine adſcriptum erat, profeſſus eſt, eadem, ut videbatur, manu.*

Evocatus ab Henrico Bergenſi Epiſcopo Cameracenſi.

Lutetiam proficiſcitur, ſtudiorum gratia.

In morbum lapſus redit ad Epiſcopum.

Hinc in Hollandiam.

Mox Lutetiam.

Abhorret a ſtudio Theologico.

Migrat Lovanium, poſt peregrinationem Anglicanam.

Ex Gallia revocatur in Angliam.

Petit Italiam.

Edit Venetiis Adagia.

Adit Romam.

Revocatur in Angliam.

Regreſſus in Brabantiam fit conſiliarius principis.

Vixaret, an nunc, an tunc ſcriptum.

Valetudo Eraſmi.

Ingenium.

Mores.

cis diffidere. Putidulus erat, neque quidquam unquam ſcripſit, quod ipſi placeret: ac ne facie quidem propria delectabatur: vixque extortum eſt amicorum precibus, ut ſe pingi pateretur. Dignitatum ac divitiarum perpetuus contemptor fuit: neque quidquam habuit prius otio, ac libertate. Candidus æſtimator alienæ doctrinæ, & fautor ingeniorum unicus, ſi fortuna ſuppetiſſet. In provehendis bonis litteris nemo magis profecit, gravemque ob hanc rem invidiam ſuſtinuit à barbaris & Monachis. Uſque ad annum quinquageſimum nec impetiverat quenquam, nec impetitus eſt à quoquam ſtylo. Idque habebat ſibi propoſitum omnino ſtylum incruentum ſervare. A Fabro primum eſt impetitus: nam Dorpiana orſa ſuppreſſa ſunt. In reſpondendo ſemper erat * civilitate. Lutherana tragœdia oneraverat illum intolerabili invidia, diſcerptus ab utraque parte, dum utrique ſtudet conſulere. Augebo catalogum operum meorum: ex hoc quoque multa colligentur. Scripſit ad me Gerardus Noviomagus quoſdam meditari vitam Eraſmi, partim carmine, partim oratione. Ipſe cupiebat inſtrui ſecreto: ſed non auſus ſum mittere. Si contingat cum illo colloqui, poteris illi communicare. Nec tamen expedit aliquid tentare de vita, niſi res ipſa urgeat. Sed his de rebus fortaſſis alias, aut etiam coram.

Primus Eraſmi adverſarius.

* *Sic in Autographo erat: voluit addere præditus; vel ſcribere civilior.*

Hæc ubi ſcripſiſſem venit Berckman onuſtus mendaciis. Scio quam ſit difficile, continere arcanum, tamen uni tibi credo omnia. Celebravi Viandulum noſtrum: Livinus exhibebit libellum: hortare Ceratinum, ut, ſi quando relegat auctorem, annotet aliqua. Favendum eſt Frobenio: ego non poſſum illi ſemper adeſſe. Et ejus cauſa gravor magna invidia. Noſti, quam ſint figuli. Rurſum vale.

Notat inter alia, quam ob cauſam monaſterio, cui ſe invitus ſatis manciparat, fuerit egreſſus, immo cujus auctoritate evocatus. Quum autem lapſu temporis eo nomine multorum calumniis vir pius objiceretur, & Servatius etiam, qui Patris dignitate cœnobio huic præerat, literis eum revocaret, nervoſam ad eum ſcripſit Epiſtolam, qua ſe vitæ monaſticæ calamitates ferre non poſſe teſtabatur; rationibus additis, quibus motus veſtibus ſe exuerat Monaſticis. Eam ab CLV. Petro Scriverio, Eraſmi noſtri ſtudioſiſſimo, acceptam hoc loco apponere operæ precium duxi, cum quod in Epiſtolarum volumine nuſquam compareat, tum quod univerſe vitæ rationem, uti ſcribens ipſe ſibi loquitur, exponat.

REVERENDO

Reverendo Patri Servatio

ERASMUS,

S. P. D.

HUMANISS. Pater. Literæ tuæ per plurimorum jactatæ manus, tandem ad me quoque pervenerunt jam Angliam ingreſſum, quæ mihi ſanè voluptatem incredibilem attulerunt, quæ veterem illum tuum in me animum adhuc ſpirant. Paucis autem reſpondeo, utpote ex itinere jam ſcribens, & ad ea potiſſimum quæ tu ſcribis & ad rem maximè pertinent. Tam varia eſt hominum ſententia, & ſuus cuique eſt avium cantus, ut omnibus ſatisfieri non poſſit. Ego certè hoc ſum animo, ut quod ſit factu optimum ſequi velim, teſtis eſt mihi Deus, nam ſi quid olim juveniliter ſenſi, id partim ætas, partim rerum correxit uſus. Nunquam fuit conſilium vel vitæ genus, vel cultum mutare, non quod probarem, ſed ne cui ſcandalo eſſem. Scis enim me ad id vitæ genus tutorum pertinacia, & aliorum improbis hortatibus adactum magis quàm inductum. Tunc Cornelii Uverdeni convitiis, & pudore quodam fuiſſe retentum, quum intelligerem, mihi hoc vitæ genus haud quaquam aptum eſſet. Nam non omnibus congruunt omnia. Jejuniorum impatiens ſemper fui, idque peculiari quadam corporis ratione. Semel excitatus à ſomno, nunquam potui redormiſcere, niſi poſt horas aliquot: ad literas tantum rapiebatur animus, quarum iſthic nullus uſus, adeo ut non dubitem, quin ſi in liberum aliquod vitæ genus incidiſſem, non ſolum inter fœlices, verum etiam inter bonos potuiſſem numerari. Itaque cum intelligerem me nequaquam eſſe idoneum iſti generi vitæ, & coactum non ſponte ſuſcepiſſe, tamen quia receptum eſt (publica noſtri ſeculi opinione) piaculum eſſe, à ſemel ſuſcepto vitæ genere diſcedere, decreveram, & hanc infœlicitatis meæ partem perpeti. Scis enim me multis in rebus infortunatum eſſe, at unum hoc cæteris omnibus gravius eſſe duxi, quòd in hujuſmodi vitæ genus detruſus eſſem, à quo tum animo tum corpore eſſem alieniſſimus: Animo, quod à ceremoniis abhorrerem, & libertatis amans eſſem: Corpore, quod etiamſi maximè placuiſſet vitæ inſtitutum, corporis natura non ferebat iſtiuſmodi labores. At objiciet mihi aliquis annum probationis (ut vocant) & ætatem ma-

turam.

turam. Ridiculum, quaſi quis poſtulet, ut puer anno decimo ſeptimo, maximè in literis educatus, norit ſeipſum, quod magnum eſt, etiam in ſene: an anno uno id diſcere potuerit, quod multi cani nondum intelligunt. Quanquam ipſe nunquam probavi, & guſtatum jam multò minus, ſed iis quas dixi rationibus ſum irretitus. Tametſi fateor eum qui verè ſit bonus, in quovis vitæ genere bene victurum. Nec diffiteor me ad magna vitia fuiſſe propenſum, non tamen uſqueadeo corrupta natura, quin ſi commodus acceſſiſſet gubernator, & vere Chriſtianus, non Judaice ſuperſtitioſus, potueram ad bonam duci frugem. Hoc igitur interim ſpectavi, in quo vitæ genere minimè malus eſſem, atque id ſanè me aſſecutum puto. Vixi interim inter ſobrios, vixi in ſtudiis literarum, quæ me à multis vitiis avocaverunt. Licuit conſuetudinem habere cum viris verè Chriſtum ſapientibus, quorum colloquiis factus ſum melior.

Eraſmi Scripta.

Nihil jam jacto de libris meis, quos fortaſſis vos contemnitis: at multi fatentur redditos eorum lectione non ſolum eruditiores, verum etiam meliores.

Qualem ſe habuerit Eraſmus.

Pecuniæ ſtudium nunquam me attigit. Famæ gloria nec tantillum tangor. Voluptatibus, etſi quondam fui inquinatus, nunquam ſervivi. Crapulam, ebrietatem ſemper horrui fugique. Quoties cogitabam de repetendo contubernio veſtro, ſuccurrebat invidia multorum, contemptus omnium, colloquia quàm frigida, quam inepta, quam non ſapientia Chriſtum? convivia quàm laica, denique tota vitæ ratio, cui, ἢν ἀφαίρῃς τὰς, ὡς καλοῦσι, χαριεντίας, οὐκ οἶδα τί ἂν ἀπολείποις ἐξαίρετον. Poſtremo ſuccurrebat corporis imbecillitas, quæ jam ætate & morbis, ac laboribus aucta eſt, quæ facit, ut nec vobis ſatisfacturus eſſem, & meipſum occiderem. Jam annis aliquot obnoxius ſum calculo, gravi ſanè morbo & capitali. Jam annis aliquot nihil bibo, niſi vinum, neque quodvis vinum, idque cogente morbo. Non fero quemvis cibum, nec cœlum quidem quodlibet. Nam morbus hic facile recurrens, maximam poſtulat vitæ moderationem: & novi cœlum Hollandicum, novi victus veſtri rationem, ut de moribus nihil dicam. Itaque ſi rediiſſem, nihil aliud fuiſſem aſſecutus, niſi quod vobis moleſtiam attuliſſem, mihi mortem. Sed tu fortaſſis bonam felicitatis partem exiſtimas inter confratres emori. At fallit & imponit iſta perſuaſio, non ſolum tibi, verum etiam propemodum univerſis. In loco, in cultu, in victu, in ceremoniolis quibuſdam Chriſtum & pietatem collocamus, Actum putamus de illo, qui veſtem albam commutavit in nigram, aut qui cucullum pileo, qui locum ſubinde mutet. Auſim illud dicere μέγιστον τῆς χειρίστης εὐσεβείας ὀλεθρὸν, ἐκ ταὐτῶν, ἃς καλοῦσι ῥᾳδιουργίας ἐκπεπωγέναι· tametſi pio fortaſſis ſtudio primum inductæ ſint. Deinde paulatim creverunt, & in ſex millia ſeſe diſcriminum ſparſerunt. Acceſſit ſummorum Pontificum autoritas nimium ad multa facilis & indulgens. Quid enim laxis iſtis religionibus, ἢ μιαρώτερον ἢ ἀτελέστερον. Jam ad laudatas ſi te conferas, imò laudatiſſimas, ἐπὶ μὴ ψύχους τίνας καὶ ἰδιοτρόπους θρησκείας, haud ſcio quam Chriſti reperias imaginem. Ex his ſibi placent, ex his alios judicant & contemnunt. Quanto majus eſt è Chriſti ſententia totum orbem Chriſtianum unam domum & velut unum habere monaſterium, omnes concanonicos & confratres putare, Baptiſmi ſacramentum ſummam religionem ducere, nec ſpectare ubi vivas, ſed quàm bene vivas. Vis me ſedem ſtabilem figere, quod etiam ipſa ſuadet ſenectus. At laudatur Solonis, Pythagoræ, Platoniſque peregrinatio. Vagabantur & Apoſtoli, præcipue Paulus. D. Hieronymus etiam monachus, nunc Romæ eſt, nunc in Syria, nunc in Aprica, nunc

An beatum Monachis convivere & commori.

Eraſmus peregrinationum ſtudioſior.

nunc alibi atque alibi. Et canus etiam ſacras proſequitur literas. At non ſum cum hoc conferendus, fateor, ſed tamen nunquam mutavi locum, niſi vel peſte cogente, vel ſtudii cauſa, vel valetudinis, & ubicunque vix, (dicam enim de me fortaſſis arrogantius, ſed tamen vere,) probatus ſum à probatiſſimis, laudatus ſum à laudatiſſimis. Nec ulla eſt regio, nec Hiſpania, nec Italia, nec Anglia, nec Scotia, quæ me ad ſuum non invitet hoſpitium. Etſi non probor ab omnibus (quod nec ſtudeo) certe primis placeo. Romæ nullus erat Cardinalis, qui me non tanquam fratrem acciperet, quum ipſe nihil tale ambirem: præcipue vero Cardinalis Sancti Georgii, Cardinalis Bononienſis, Cardinalis Grymanus, Cardinalis Navetenſis, & hic ipſe qui nunc Pontifex Maximus eſt, ut ne dicam de Epiſcopis, Archidiaconis, & viris eruditis. Atque hic honos non tribuebatur opibus, quas etiam nunc non habeo, nec deſidero, non ambitioni à qua ſemper fui alieniſſimus, ſed literis duntaxat, quas noſtrates rident, Itali adorant. In Anglia nullus eſt epiſcopus, qui non gaudeat à me ſalutari, qui non cupiat me convivam, qui nolit domeſticum. Rex ipſe paulò ante patris obitum, cum eſſem in Italia, ſcripſit ad me ſuapte manu literas amantiſſimas, nunc quoque ſæpe ſic de me loquitur, ut nemo honorificentius, nemo amantius, & quoties eum ſaluto, blandiſſime amplectitur, & oculis amantiſſimis obtuetur, ut intelligas eum non minus bene de me ſentire, quam loqui. Regina conata eſt me ſibi præceptorem aſſciſcere. Nemo eſt qui neſciat quin ſi vel paucos menſes velim in aula regis vivere, quantum libeat ſacerdotiorum mihi accumulaturum, ſed ego huic ocio meo, & ſtudio, & laboribus omnia poſthabeo. Cantuarienſis Archiepiſcopi totius Angliæ primas, & regni hujus Cancellarius, vir doctus & probus, me ſic amplectitur, ut ſi pater eſſem, aut frater, non poſſet amantius. Et ut intelligas hoc eum ex animo facere, dedit mihi ſacerdotium 100. ferè nobilium, quod poſtea volente me in penſionem 100. coronatorum mutavit, ex mea reſignatione, ad hæc dedit dono ſupra 400. nobiles. His pauculis annis, idque nihil unquam petenti, dedit uno die nobiles. 150. Ab aliis Epiſcopis ſupra 100. nobiles accepi gratuita liberalitate oblatos. D. Montjoius hujus regni Baro, quondam meus diſcipulus dat annuè mihi penſionem C. Coronatorum. Rex & Epiſcopus Lincolnienſis, qui nunc per regem omnia poteſt, magnifice multa promittit. Sunt hic duæ univerſitates Oxonia & Cantebergia, quarum utraque ambit habere me: nam Cantebergiæ menſes complures docui Græcas & ſacras literas, ſed gratis, & ita facere ſemper decretum eſt. Sunt hic collegia, in quibus tantum eſt religionis, tanta vitæ modeſtia, ut nullam religionem non ſis contempturus, ſi videas. Eſt Londini D. Joannes Coletus D. Pauli Decanus, vir qui ſummam doctrinam cum admirabili pietate copulavit, magnæ apud omnes autoritatis. Is me ſic amat, id quod ſciunt omnes, ut cum nemine vivat libentius quam mecum: ut omittam alios innumeros, ne ſim vobis moleſtus, & jactantia, & loquacitate. Jam ut de operibus dicam aliqua. Enchiridion opinor te legiſſe, quo non pauci fatentur ſe ad pietatis ſtudium inflammatos, nihil mihi arrogo, ſed gratulor Chriſto, ſi quid per me boni contingit illius dono. Adagiorum opus ab Aldo impreſſum an videris neſcio: Eſt quidem prophanum, ſed ad omnem doctrinam utiliſſimum, mihi certe inæſtimabilibus conſtitit vigiliis. Edidi opus de rerum verborumque copia, quod inſcripſi Coleto meo, opus

Amultis petitus & amatus.

Eraſmi Scripta.

utiliſſimum concionaturis, at iſta contemnunt ii, qui omnes bonas contemnunt literas. His duobus annis præter alia multa caſtigavi Hieronymi Epiſtolas, adulterina, & ſubdititia obelis jugulavi: obſcura ſcholiis illuſtravi. Ex Græcorum & antiquorum codicum collatione caſtigavi novum totum Teſtamentum, & ſupra mille loca annotavi non ſine fructu Theologorum. Commentarios in Epiſtolas Pauli cœpi, quos abſolvam, ubi hæc edidero. Nam mihi decretum eſt, in ſacris immori literis.

Abhorret ab vita Monaſtica.

In hiſce rebus colloco ocium & negocium meum. In iis magni viri dicunt me valere, quod alii non valent. In veſtro vitæ genere nihil valiturus ſum: cum tam multis doctis & gravibus viris habui conſuetudinem & hic, & in Italia, & in Gallia neminem adhuc reperi, qui mihi conſuleret, ut ad vos me reciperem, aut qui hoc judicaverit melius. Quin & ipſe felicis memoriæ D. Nicolaus Uvercerus, qui te præceſſit, ſemper mihi hoc ſolitus erat diſſuadere, ſuadens ut alicui Epiſcopo potius me adjungerem, addens ſe noſſe & animum meum, & fraterculorum ſuorum mores: nam iis utebatur verbis lingua vernacula. Et in hoc vitæ genere in quo ſum video quæ fugiam, ſed quid potius ſequar, non video. Nunc reſtat, ut de ornatu quoque tibi ſatisfaciam. Semper antehac uſus ſum cultu Canonicorum, & ab Epiſcopo Trajectino cum eſſem Lovanii, impetravi ut ſine ſcrupulo uterer ſcapulari lineo, pro veſte linea integra, & capitio nigro, pro pallio nigro juxta morem Lutetiorum. Cum autem adirem Italiam, videremque toto itinere Canonicos magna veſte cum ſcapulari, ne quid offenderem novitate cultus, veſte nigra illic uti cœpi cum ſcapulari. Poſtea peſtis orta eſt Bononiæ, & illic qui curant peſte laborantes, linteum album ex humeris pendens ex more geſtant, hi congreſſus hominum fugitant. Itaque cum die quodam doctum amicum viſerem, quidam nebulones eductis gladiis parabant me invadere, feciſſent, ni matrona quædam admoniſſet Eccleſiaſticum me eſſe. Altero item die cum Theſaurarii filios adirem, utrinque cum fuſtibus in me concurrerunt, & peſſimis clamoribus. Itaque à bonis viris admonitus, occultavi ſcapulare, & impetravi veniam à Julio 2. ut ornatu religionis uterer, aut non uterer, ut mihi viſum eſſet, modo veſtem haberem ſacerdotalem. Et ſi quid ante peccatum eſſet ea in re, literis id totum condonavit. In Italia ergo perſeveravi veſte ſacerdotali, ne mutatio eſſet alicui ſcandalo. Poſtquam autem in Angliam redii, decrevi meo ſolito uti ornatu, & domum accerſito amico quodam primæ laudis, & in vita, & in doctrina oſtendi cultum, quo uti ſtatuiſſem. Rogavi an in Anglia conveniret, probavit, atque ita in publicum prodii. Statim admonitus ſum ab aliis amicis, eum cultum in Anglia ferri non poſſe, ut celarem, celavi: & quoniam non poteſt celari, quin aliquando deprehenſus ſcandalum pariat, repoſui ſcrinio, & veteri Pontificis autoritate ſum uſus uſque adhuc. Excommunicant Pontificiæ leges eum, qui religionis habitum abjecerit, quò liberius inter ſeculares verſetur. Ego coactus depoſui in Italia, ne occiderer quidem, deinde coactus depoſui in Anglia, quia tolerari non poterat, cum ipſo multò maluerim uti. At nunc denuo recipere plus gigneret ſcandali, quam mutatio ipſa gignebat. Habes univerſam vitæ meæ rationem, habes meum conſilium. Cupio & hoc vitæ genus mutare, ſi quod videro melius. Sed in Hollandia quid agam non video.

Ornatus quo Erasmus in publico uſus.

Fraemi genius alienior a patria

video. Scio non conventurum cum cælo, neque cum victu, omnium oculos in me excitabo. Redibo ſenex & canus, qui juvenis exivi. Redibo valetudinarius, exponar contemptui etiam infimorum, ſolitus & à maximis honorari. Studia mea compotationibus permutabo. Nam quod polliceris officium tuum in quærenda ſede, ubi cum maximo, ut ſcribis, vivam emolumento: quid ſit, non poſſum cogitare, niſi forte collocabis me apud monachas aliquas, & ſerviam mulieribus qui Archiepiſcopis, nec regibus ſervire volui. Emolumentum nihil moror, neque enim ſtudeo diteſcere, modo tantum ſit fortunæ, ut valetudini, & ocio literarum ſuppetat, & vivam nulli gravis. Atque utinam liceat hiſce de rebus coram commentari. Nam literis nec ſatis commode nec tuto licet. Tuæ enim quanquam per certiſſimos miſſæ tunc ſic aberrarant, ut niſi ipſe caſu in arcem hanc me contuliſſem, nunquam fuerim viſurus, & accepi jam à pluribus inſpectas. Quare ne quid ſcripſeris arcani, ni certò cognoveris ubi ſim, & nuncium nactus ſis fideliſſimum. Peto nunc Germaniam, id eſt, Baſilæam, editurus lucubrationes meas. Hac hyeme fortaſſis futurus Romæ. In reditu dabo operam, ut pariter colloquamur alicubi. Sed nunc æſtas ferme præteriit, & longum eſt iter. De morte Guilhelmi, Franciſci, & Andreæ, ſciebam ex Rasbondo, & ejus uxore. Dominum Henricum reſaluta diligenter, reliquoſque qui tecum vivunt omnes, in quos habeo eum animum quem debeo. Nam priſtinas tragœdias imputo erratis, aut (ſi ita vis) meis fatis: Literas tuas. 3. à paſcha die ſcriptas accepi Nonis Iul. Rogo ut ſalutem meam tuis piis votis Chriſto commendare non negligas. Cui ſi certo ſcirem rectius fore conſultum, ſi ad veſtrum rediero contubernium, hac die ad iter accingerer. Bene vale quondam ſodalis ſuaviſſ. nunc pater obſervande. Ex arce Hannienſi juxta Calecium, poſtridie Nonas Julias.

Comitetur & hoc loco ſuperiores ob argumenti ſimilitudinem Præfatio, ad IMP. CÆS. CAROLUM QUINTUM P. F. AUGUSTUM, *Viri Cl. Beati Rhenani; Operibus præpoſitæ Deſiderii Eraſmi, quum quadriennio poſt ejus mortem in* IX *diviſa, ex ipſius præſcripto, Tomos Frobenii Typis ederentur. Hæc enim viri magni vita aliquanto fuſius, & qualis etiam ſub ætatem exitam adobitum uſque fuerit, ſuis coloribus fideliter delineatur.*

INVICTISSIMO IMPERATORI

CÆSARI CAROLO

Hujus nominis quinto, Pio, Felici, Auguſto, &c. Beatus Rhenanus Seleſtatienſis. S. D.

QUantæ ſemper laudi fuerit apud veteres, Invictiſſime CAROLE Auguſte, cives habuiſſe viros inſignes, ad poſteros traditum inclytum illud ſeptem Græciæ civitatum certamen ſatis indicat: quarum quælibet, natum apud ſe præclariſſimum vatum Homerum contendit. Nec injuria. Quod enim majus ornamentum ulli vel urbi vel provinciæ poteſt accidere, quàm ſi talem progenuerit, per quem apud omnem poſteritatem, illuſtrem ſit laudem conſequuta? quæ ex nulla re ſolidior obveniat atque ex literis, quibus ad æternitatem ipſam nihil magis durat. Hinc igitur moti Smyrnæi, Rhodienſes, Colophonii, Salaminii, Ienſes, Argivi, & Athenienſes, certatim Homerum ſibi vendicant, ut de Ægyptiis nihil dicam, qui illum ſuæ gentis videri volebant. Quòd ſi magni fecit Homeri natales ingenioſa Græcia, ceu omnis doctrinæ parentis & fontis perennis, cur tua Majeſtas non meritò gloriari queat, DES. ERASMUM illum ROTERODAMUM in tua ditione certò natum & educatum, cujus induſtria velut poſtliminio revixere plenius literæ, non tantum in iſtis proximis Germaniarum Galliarumque regionibus, in quibus mira barbaries antè regnabat, verum etiam in ipſa nobiliſſima terrarum Italia, quum inſtructius, tum felicius hujus ope florere cœperunt, ut ſi fortaſſis ambitioſum ſit eum alterum parentem literarum vocare, tamen inſtaurator ac primarius illuſtrator dici & poſſit & debeat. Quis enim à mille annis extitit, qui plura ſcripſit quum in ſacris, tum prophanis, tanta humanioris literaturæ peritia perpolitus? cujus libri in longinquas provincias frequentius exportati ſint, & avidius lecti? denique quem omnium nationum eruditi magis coluerint obſervarintque? Nihil hic fingo, ſed rem omnibus notam narro. Valebat namque ſtilo arguto, extemporali, amœno, terſo, feliciterque fluente, quem aſſidua juvenis adhuc exercitatione ſibi paraverat: nec minus judicio valebat, quod habebat longè acerrimum. Hoc docti in eo præcipuè ſunt admirati veneratique

Certamen. variarum urbium de Natali principis Vatis loco.

Eraſmi duſtu poſtliminio rediit ſuæ Reip. literariæ decor.

Scriptorum Eraſmi copia.

Stilus.

neratique. Miraculo autem ſimile videatur, exactum adeo judicium ſeculo tam rudi. Felicitati raræ perſpicaciſſimi ingenii ferendum acceptum magis quàm ullis præceptoribus, ſi mutos illos magiſtros excipias. Natus enim eſt abavi tui Friderici III Aug. primis imperii annis ad *quintum calend. Novembris, Roterodami in Hollandia tua inferioris Germaniæ provincia, quam olim Batavi poſſederunt: nunc magis notam ſtudioſis omnibus, ob unius indigenæ ERASMI incunabula, quàm veterum incolarum memoria quamlibet bellico robore præſtantium. Hoc alumno Roterodamum oppidum ſe ſemper jactabit, & doctis erit commendatum. Proximam ſibi laudem vendicat Daventria, quæ puellum adhuc ex æde ſacra Trajectenſi cantorculum deductum, ubi præcentiunculas obire ſolitus phonaſcis etiam tenuiſſimæ vocis gratia pro more templorum cathedralium inſervierat, inſtituendum ſuccepit. Præerat illic ludo literario tum Alexander Hegius Veſtphalus, homo bonarum literarum minimè expers,& Græcarum nonnihil peritus,Rudolpho Agricola communicante, cujus amicitia familiariter utebatur nuper ex Italia reverſi, ubi Guarinum Veronenſem Ferrariæ profitentem, & alios aliquot eruditione celebres audiverat. Ingenium Eraſmi mox eluxit, quum ſtatim quæ docebatur, perciperet, & fideliter retineret, æquales ſuos omnes ſuperans. Erat tum inter eos, quos illic fratres vocant, non quidem monachos, ſed contubernii ratione & veſtitus ſimplicioris & uniformis convenientia monachis ſimiles, Joannes Sintheimius vir probè literatus, ut illa ferebant tempora, teſtantur id Commentarii Grammatici quos edidit, magnum ea tempeſtate nomen in ſcholis Germaniarum conſequutus. Is delectatus Eraſmi profectu,nam cœnobitæ iſti palliati quibuſdam ſcholaſticorum claſſibus præſunt & publicè docent, complexus aliquando puerum, Macte ingenio Eraſme, inquit, tu ad ſummum eruditionis faſtigium olim pervenies: ſimulque oſculum dedit, & dimiſit. Non fefellit hoc augurium, quod omnibus conſtat. Orbatus autem utroque parente paulo poſt, ut tutor omne procurationis onus diſcuteret, ejus improbitate in cœnobium Canonicorum, quos addita Latina interpretatione Regulares appellant, ex Daventrienſi ſchola monachorum omne genus fertiliſſimo ſeminario, detruſus eſt. In eo loco Gulielmum Hermannum Goudenſem literis deditiſſimum juvenem aliquot annis ſtudiorum ſodalem habuit, cujus extat Odarum Sylva. Hoc ſocio adiutus & accenſus nullum Latinorum autorum volumen non excuſſit. Diu noctuque erant in literis. Tempus quod æquales alii jocis, ſomno, comeſſationibus ignaviter abſumebant, hi duo libris evoluendis & exercendo ſtilo impendebant. Audita Eraſmi fama Cameracenſis antiſtes Henricus ex Bergenſium regulorum familia prognatus, juvenem jam ſacris initiatum ad ſe vocat, adornans iter in Italiam Romamque petiturus. Videbat enim Eraſmum valere literis, valere eloquentia, moribus ingenuis præditum, Epiſtolis eleganter ſcriptis id docentibus: unde quum uſui tum ornamento comitatui ſuo eſſe poſſet, ſi cum Pontifice Romano, ſi cum Cardinalibus agendum foret. Verùm quid intervenerit, quo minus ea profectio ſit ab Epiſcopo ſuſcepta, mihi non liquet. Certè Guilielmus ipſe valde doluit ereptum ſibi Eraſmum: ſic enim in Oda quadam canit.

Ingenium.

Quando natus.
* *Anno à Chriſto nato* 1467.
Ubi natus.
Et prima litteraram jecerit fundamenta.

Alexander Hegius Scholæ Daventrienſis moderator.

Eraſmi docilitas.

Joannis Sintheimi Grammatica.

Ejus de Eraſmo vaticinium.

Eraſmus Tutoris improbitate in Monaſterium detruditur.
Gulielmus Goudanus Poëta, Eraſmo fidus ſtudiorum Sodalis.
Eraſmus evocatur ab Henrico Bergenſi, Cameracenſium Antiſtite.
* *Cauſam indicat Eraſmus in ſua vita.*

At nunc ſors nos divellit, tibi quod bene vertat,
Sors peracerba mihi,
Me ſine ſolus abis, tu Rheni frigora & Alpeis.
Me ſine ſolus abis.
Italiam Italiam lætus penetrabis amœnam.

Et reliqua. Quanquam vero de Roma adeunda conſilium mutavit Cameracenſis præſul, tamen Eraſmum in aula ſua retinuit ingenii ſuavitate & præſtantia ac candore juvenis delectatus. Hicque ille in multorum amicitiam ſeſe inſinuavit verè Ἐραστός, in primis Antonii abbatis apud divum Bertinum, qui ex eadem Bergenſium gente ducebat originem, & Jacobi Batti, qui ſenatus oppidi Bergenſis fuit à ſecretis, ad quem tot ejus extant Epiſtolæ, qui poſtea apud Annam Berſolam Adolphi principis Verienſis matrem diu vixit in ſummo honore. At Cameracenſis feliciſſimum Eraſmi alumni ſui ingenium contemplatus, haud gravatim eum ſumptibus inſtruxit, ut Lutetiam proficiſceretur, & illic Theologiæ, quam ſcholaſticam vocant, daret operam. Ergo Scotiſta factus eſt, in Collegio Montis agens: nam inter Theologos diſputatores Joannes ille Dunſius Scotus, ab acumine ingenii maximè prædicatur. Quumque vitam collegiaticam duriorem experiretur, non invitus emigravit ad Anglum quendam generoſum, aduleſcentes duos generoſos ſecum habentem. Montjoium alterum ex illis fuiſſe conjicio. Videbant enim Angli inter profeſſores bonarum literarum in tota Academia Pariſienſi nullum exiſtere, qui vel eruditius poſſet, vel fidelius docere conſueſſet. Nam Fauſtus Andrelinus, alioqui carminibus magna cura pangendis intentus, defunctiorè profitebatur, jocis quibuſdam magis feſtivis quàm doctis plauſum rudium auditorum captans. Gaguinus obeundis legationibus ad exteros principes occupatus erat, in iſtis ſtudiis non ita prorſum abſolutus: nec docebat publicè. Atque hinc cœpit Eraſmus in Anglia innoteſcere. In quam inſulam paulo poſt ipſe conceſſit à diſcipulis illis ſuis domum regreſſis invitatus. Ubi quum aliquandiu manſiſſet, in reditu apud Dovarienſe littus à telone fortunis propemodum omnibus exutus eſt, ac nondum nauem ingreſſus, naufragium fecit, quòd compluſculos aureolos ultra præſcriptum numerum & ſine regio diplomate (nihil periculi, niſi in Britannica moneta à Montjoio, & Moro perſuaſus, imprudens legum Anglicarum) efferre tentaſſet. Quæ injuria utcunque muſſitanda fuit: nec enim erat ullum remedium obſtante lege. Nec tamen hoc damnum vel alienavit animum Eraſmi, vel deterruit, quo minus in Angliam ſæpius poſtea redierit. Abundare tum cœperat ea provincia viris doctiſſimis, Gulielmo Grocino, Thoma Linacro, Gulielmo Latimero, qui in Italia literis operam dederant, utriuſque linguæ peritia celebres: item Joanne Coleto, Thoma Moro, Richardo Pacæo, & Cutberto Tonſtallo, à quibus omnibus certatim amabatur: ut de Epiſcopis nihil dicam, quorum ut quiſque erat literarum callentior, ita pluris Eraſmum faciebat, & benignius tractabat. In Academia Cantabrigienſi docuit aliquandiu: idem & Lovanii fecit, quum apud Joannem Paludanum ejus Scholæ Rhetorem diverſaretur. Demum perſuaſus ab amicis, quo tandem Italiam videret, cujus miro deſiderio ſemper tenebatur (nec immeritò

Primi Eraſmi Amici.

Eraſmus Lutetiam proficiſcitur.

Anglis innoteſcit.

In Angliam delatus ſpoliatur.

Docti viri in Anglia.

Eraſmus docet in Academia Cantabrigienſi. Item Lovanii: Confert ſe in Italiam;

immeritò, quando totus hic orbis ea regione nihil modis omnibus cultius habet) cum filiis Baptiſtæ Boerii Genuenſis, regii in Britannia medici, Joanne & Bernardo Bononiam profectus eſt: non ut pædagogus, nam morum curam exceperat, nec ut præceptor, ſed ut inſpector futurus ac ſtudiorum viam commonſtraturus, teſte Epiſtola ad Botzhemium, ubi inter profeſſores Paulum Bombaſium amicum habuit hominem, nivei pectoris, & eruditum, qui viciſſim ingenio ac doctrina Eraſini mirificè delectatus eſt. Jam enim obierat Beroaldus profeſſorum ſui temporis Achilles, & Baptiſta Pius antiquitatem infeliciter æmulatus Oſcos & Volſcos ſomniabat. In itinere cum ſocio Anglo Taurini in Alpibus Cotiis Theologiæ doctor factus eſt. Itaque dignitatem & eruditionem in Italiam importavit, quam cæteri inde reportare conſueverunt. Dum Bononiæ volumen Adagiorum pridem cœptum abſolvit, nam breve & rude ſpecimen operis futuri Lutetiæ ante multos annos ediderat, cultum Canonicorum cœnobiticum, quo hactenus uſus fuerat, hujuſmodi de cauſa mutare coactus eſt. Mos eſt ejus urbis haudquaquam reprehendendus, ut ſi ſuſpicio ſit de quoquam infecto peſte, Chirurgus ad hoc conſtitutus ſtatim accerſatur. Is ut commodius ab obviantibus & prætereuntibus devitari poſſit propter contagium exitiabile, ſolet albam mappulam ab altero humero tranſverſim pendentem geſtare, & virgam in manu. Forte fortuna die quodam neſcio quid acturus Eraſmus per plateam oppidi infrequentiorem ſolus incedebat in cultu ſuo canonicali quemadmodum conſueverat. Ibi duo treſve juvenes imperiti obviam veniunt, & omophorio candido conſpecto, peſtis exploratorem illum rati, quum in via pergeret Eraſmus nihil hujuſmodi ſuſpicans, correptis ſaxis vim minati ſunt, & convitiis impetiverunt, intra verba tamen graſſati. Cauſam indignationis demirans inquirit. Ajunt de ædibus proſpicientes, qui rixantes audierant, ſcapularem illam veſtem eos provocaſſe nodo ſubſtrictam ad latus, deceptos ob cultus ſimilitudinem, qui putarint eum ab infecto aliquo redire, nec de via decedere velle. Proinde ne ſimile periculum deinceps incurreret Eraſmus, ad Julium ſecundum Pontificem Max. miſit ſupplicem libellum, quo ſibi religioſi cultus utendi aut non utendi gratiam faceret. Id promerentibus ſuis ſingularibus virtutibus haud gravatim conceſſum, modo veſte ſacerdotali uteretur: quod Leo decimus, dein accedentibus aliis etiam juſtis cauſis, non tam ad vitæ inſtitutum, quàm ad illuſtrandam Eraſmi exiſtimationem pertinentibus, in pleniſſima (quod ajunt) forma corroboravit: omnibus & ſingulis ſpecialiter & expreſſe derogans, quæ (ut verbo dicam) quomodocunque obſtarent: tenores obſtantium quorumcunque pro ſufficienter expreſſis enumeratiſque habens. Ecquis autem dubitat Pontifices Max. in hujuſmodi humanis conſtitutionibus plurimum poſſe, quum Juris interpretes iiſdem in ea, quæ vel Juris Divini ſunt, vel Gentium, interpretanda moderandaque non parum concedant: imò in omnibus, exceptis fidei articulis, liberam ex cauſa diſponendi diſpenſandique, ut ipſorum verbo utar, poteſtatem eſſe tradant. Ad umbiculum perducto opere Proverbiorum, ſcripſit Aldo Manutio, an librum excudendum formis ſuſcipere vellet: is reſpondit id ſe lubenter facturum. Venetias delatus quum in officinam veniſſet, diu coactus eſt exſpectare donec ad colloquium admitteretur, cum quia Aldus recognoſcendis Archetypis operarum laboribus formulas ſtanneas tumultariè concin-

Innoteſcit doctis.

Taurini fit Theologiæ doctor.

Cultum Canonicorum cœnobiticum certam ob cauſam mutat.

Venetias profectus opus edit Adagiorum.

nantium.

nantium occupatus erat, tum quia putabat eum esse ex vulgaribus salutatoribus unum, qui magis curiositatis studio, quàm auxilii vel consilii præbendi causa assiduè ventitando, homini aliis rebus intento nunquam non molesti erant. Ubi cognovit Erasmum esse, veniam precatus suavissimè eum complexus est, & in ædibus Andreæ Asulani famigerati illius mancipis, foceri sui, secum tenuit, ubi contubernalem habuit Hieronymum Aleandrum Mottensem eruditione trilingui nobilem, nunc Cardinalem, inter alios etiam amicitia Pauli, Canalis, Patritii, Ambrosii, Nolani medici præstantis, Baptistæque Egnatii familiariter usus: nec adeo brevi tempore: nam & Euripidis Tragœdias duas, Hecubam & Iphigeniam in Aulide recognitas hic denuo edidit, & Terentii Plautique Comœdias habita carminis ratione castigavit. Sub id tempus Alexander, Jacobi Scotorum regis filius, Patavii literis operam dabat, Raphaelis Regii auditor, & jam Ecclesiæ divi Andreæ in Scotia archiepiscopus: is Erasmum sibi in Rhetoricis præceptorem adsciscit, cum quo postea benas commigravit. Boërios enim discipulos post unicum cohabitationis annum, dudum dimiserat, ob patris morositatem. Patavii doctissimorum virorum Marci Musuri Cretensis, & Scipionis Cateromachi Pistorienſis usus est commercio, quorum humanitatem sæpe me audiente deprædicare solet, expertus candorem non semel, dum in corruptis Græcorum autorum exemplaribus manu descriptis, quorum magnam partem Aldina bibliotheca suppeditabat, videlicet Pausania, Eustathio, Lycophronis interprete, Euripidis, Pindari, Sophoclis, Theocriti, similiumque commentariis, horum exquirit judicium. Nihil erat tam reconditum, quod non aperiret, nec tam involutum quod non expediret Musurus vere Musarum custos & antistes. Omnia legerat, excusserat omnia, Schemata loquutionum, fabulas, historias, ritus veteres ad unguem callebat. Hanc tam consummatam eruditionem etiam insignis pietas commendabat, dum patrem Græculum jam grandævum amanter seduloque fovet. Scipionem multiplicis doctrinæ & ingenuitatis dotes exornabant. Uterque Romæ periit, sed Musurus à Leone Pontifice Monovasiensem Archiepiscopen jam nactus, Dum agit Senis Erasmus in ædibus præsulis divi Andreæ quem instituebat, cujus indolem sæpe laudavit, & illum vera dixisse magis appareret, nisi cum patre rege latus ejus claudens in prælio, quo exercitus Henrici Britanniæ regis, cujus soror huic conjunx erat, tum in Belgica agentis & Tornacum instigante Julio secundo Pontifice Max. obsidentis, cum Scotis irruentibus qui Galliarum partes fovebant, concurrit, clarissimus juvenis paulo post cæsus esset: dum illic, inquam, in Etruria agit Erasmus, commeatum impetravit vicinam Romam invisendi. Ibi dici non potest quanto plausu quantoque gaudio literatorum hominum sit exceptus, non mediocrium tantum, sed & eorum qui Cardinalitia dignitate præfulgebant: in quibus præcipuus Joannes Medices, qui in Julii II, demortui locum suffectus Leonis decimi nomen obtinuit, & Dominicus Grimanus Venetus, atque Ægidius Viterbiensis trium linguarum peritissimus, tres quidem egregii Heroes fovendis studiis nati ac dediti, in quibus adeo non vulgariter excellebant. Vidit, ut audire memini, & Thomam illum Phædram facundia extemporali incomparabiliter eloquentem, qui Ludis & Comœdiis recensendis priscam antiquitatem repræsentabat. Vidit & alios professores. Oblata est Pœnitentiarii dignitas,

Cum aliis.

Erasmi Discipuli. Amici.

M. Musuri laus.

Romam invisit Erasmus. In multorum venit amicitiam.

Invitatur ad pœnitentiarii dignitatem.

nitas, ſi Romæ manere vellet, via futura ad altiora conſcendendi: nam emolumentum non contemnendum inde eſſe poterat. Sed redeundum fuit ad Archiepiſcopum, cum quo poſtea denuo Romam adiit, quam nobiliſſimus adoleſcens videre cupiebat, priuſquàm in Scotiam ſuam rediret: nec Roma ſola, quanquam diſſimulato Archiepiſcopi faſtidio, ne cuiquam moleſtus eſſet: ſed ulterior illa pars Italiæ Cumas uſque perluſtrata, ac antrum Sibyllæ ſubintratum, quod illic ab accolis etiamnum oſtenditur. Poſt diſceſſum Antiſtitis Eccleſiæ divi Andreæ, veterum amicorum memoria, quos in Britannia reliquerat, in cauſa fuit Eraſmo cur reditum in patriam & ipſe maturandum duceret. Itaque per Alpes Rheticas Curiam primùm, deinde Conſtantiam ad lacum Brigantinum profectus, tranſito Lentienſium tractu qui ſunt ad Martianæ ſylvæ initium, quod priſcis Orcynium fuit, per Briſigavos Argentoratum venit, unde ſecundo Rheno in Hollandiam vectus eſt. Mox amicis ſuis Antuerpiæ & Lovanii ſalutatis, Angliam adit. Tenebatur deſiderio Joannis Coleti Theologi, qui Londini decanus erat apud divum Paulum, Grocini, Latimeri, Linacri, quorum ante meminimus, & præcipue Thomæ Mori. Vetus Mæcenas erat Gulielmus Waramus Cantuarienſis Archiepiſcopus, totius Angliæ primas, & ejus regni Cancellarius, hoc eſt, judex ſummus, qui omnes Epiſcopis ejus inſulæ ſua liberalitate vicit. Hic & pecuniam dedit, & præterea ſacerdotium Eccleſiæ Aldingtonenſis in agro Cantuarienſi: quod quum religione Eraſmus obſtringeretur quo minus ſtatim acciperet, emolumentis integris potius ad paſtorem pertinentibus, qui præſens diu noctuque ſubjectam plebem inſtitueret, id quod nullus inficiari poteſt, ad cunctabundum Cantuarienſis, Quis, inquit, te æquius ex Eccleſiaſtico proventu vivat, qui ſcriptis tuis utiliſſimis ipſos Eccleſiarum præfectos presbyteros inſtruis, doces, adjuvas, unus omnes: nec illos tantum, ſed & cunctas ubique terrarum Eccleſias, quibus illi ſingulis ſinguli duntaxat præſint & proſint. Sanè plus ſemel Eraſmum dicere memini, Principum eſſe debere officium, ut propria liberalitate ſtudioſos juvent: ſed illos ſuis impenſis parſuros ad ſacerdotiorum collationem confugere, ad quæ accipienda ſectatores diſciplinarum cogi, ut ocium literarium tueri queant. Cæterum ut Montjoium inſcriptione Proverbiorum honeſtavit, & Johannem Coletum, novæ ſcholæ Londini inſtitutorem, libris Copiæ duplicis, verborum & rerum, ad quem ludens aliquando dixit, ſe paulum plane factum emiſſa utraque copia; ita præſtantiſſimum Mæcenatem ſuum Gulielmum Waramum recognitione Hieronymianarum præcipue lucubrationum immortalitati conſecrare ſtatuit. Opus Adagiorum Aldum æmulatus flagitantibus ſtudioſis Joannes Frobenius Typis ſuis non infeliciter excuderat: quæ arridente editione, ſimul officinæ diligentioris celebritate motus Eraſmus, quum alterum Proverbiorum exemplar cum acceſſione pridem Badio promiſſum & deſtinatum, adjunctis aliquot Plutarchi libellis recenter verſis Franciſci Pircmanni conſilio Baſileam aberraſſe cognoviſſet, & illic omnes divi Hieronymi lucubrationes ſub Frobenianis prælis eſſe, ipſe quoque eodem ſe contulit, ſimulans iter ad Urbem voti ſolvendi gratia. Nec fuerat vanus rumor. Pridem enim Joannes Amerbachius abſolutis Ambroſii Auguſtinique libris totum ſe comparaverat ad caſtigationem voluminum Hieronymi, undique conquiſitis vetuſtis exemplaribus, & doctis viris conductis, qui

In ulteriorem Italiam progreditur.

Per Rhetiam & Germaniam redit in patriam.

Angliam adit.

Amicos ibi ſuorum Scriptorum honeſtat inſcriptionibus.

Baſileam proficiſcitur. Varia edit.

nantium occupatus erat, tum quia putabat eum esse ex vulgaribus salutatoribus unum, qui magis curiositatis studio, quàm auxilii vel consilii præbendi causa assiduè ventitando, homini aliis rebus intento nunquam non molesti erant. Ubi cognovit Erasmum esse, veniam precatus suavissimè eum complexus est, & in ædibus Andreæ Asulani famigerati illius mancipis, soceri sui, secum tenuit, ubi contubernalem habuit Hieronymum Aleandrum Mottensem eruditione trilingui nobilem, nunc Cardinalem, inter alios etiam amicitia Pauli, Canalis, Patritii, Ambrosii, Nolani medici præstantis, Baptistæque Egnatii familiariter usus: nec adeo brevi tempore: nam & Euripidis Tragœdias duas, Hecubam & Iphigeniam in Aulide recognitas hic denuo edidit, & Terentii Plautique Comœdias habita carminis ratione castigavit. Sub id tempus Alexander, Jacobi Scotorum regis filius, Patavii literis operam dabat, Raphaelis Regii auditor, & jam Ecclesiæ divi Andreæ in Scotia archiepiscopus: is Erasmum sibi in Rhetoricis præceptorem adsciscit, cum quo postea Senas commigravit. Boërios enim discipulos post unicum cohabitationis annum, dudum dimiserat, ob patris morositatem. Patavii doctissimorum virorum Marci Musuri Cretensis, & Scipionis Cateromachi Pistorienſis usus est commercio, quorum humanitatem sæpe me audiente deprædicare solet, expertus candorem non semel, dum in corruptis Græcorum autorum exemplaribus manu descriptis, quorum magnam partem Aldina bibliotheca suppeditabat, videlicet Pausania, Eustathio, Lycophronis interprete, Euripidis, Pindari, Sophoclis, Theocriti, similiumque commentariis, horum exquirit judicium. Nihil erat tam reconditum, quod non aperiret, nec tam involutum quod non expediret Musurus vere Musarum custos & antistes. Omnia legerat, excusserat omnia, Schemata loquutionum, fabulas, historias, ritus veteres ad unguem callebat. Hanc tam consummatam eruditionem etiam insignis pietas commendabat, dum patrem Græculum jam grandævum amanter seduloque fovet. Scipionem multiplicis doctrinæ & ingenuitatis dotes exornabant. Uterque Romæ periit, sed Musurus à Leone Pontifice Monovasiensem Archiepiscopen jam nactus, Dum agit Senis Erasmus in ædibus præsulis divi Andreæ quem instituebat, cujus indolem sæpe laudavit, & illum vera dixisse magis appareret, nisi cum patre rege latus ejus claudens in prælio, quo exercitus Henrici Britanniæ regis, cujus soror huic conjunx erat, tum in Belgica agentis & Tornacum instigante Julio secundo Pontifice Max. obsidentis, cum Scotis irruentibus qui Galliarum partes fovebant, concurrit, clarissimus juvenis paulo post cæsus esset: dum illic, inquam, in Etruria agit Erasmus, commeatum impetravit vicinam Romam invisendi. Ibi dici non potest quanto plausu quantoque gaudio literatorum hominum sit exceptus, non mediocrium tantum, sed & eorum qui Cardinalitia dignitate præfulgebant: in quibus præcipuus Joannes Medices, qui in Julii II, demortui locum suffectus Leonis decimi nomen obtinuit, & Dominicus Grimanus Venetus, atque Ægidius Viterbiensis trium linguarum peritissimus, tres quidem egregii Heroes fovendis studiis nati ac dediti, in quibus adeo non vulgariter excellebant. Vidit, ut audire memini, & Thomam illum Phædram facundia extemporali incomparabiliter eloquentem, qui Ludis & Comœdiis recensendis priscam antiquitatem repræsentabat. Vidit & alios professores. Oblata est Pœnitentiarii dig-

Cum aliis.

Erasmi Discipuli. Amici.

M. Musuri laus.

Romam invisit Erasmus. In majorum venit amicitiam.

Invitatur ad pœnitentiarii dignitatem.

nitas,

nitas, ſi Romæ manere vellet, via futura ad altiora conſcendendi: nam emolumentum non contemnendum inde eſſe poterat. Sed redeundum fuit ad Archiepiſcopum, cum quo poſtea denuo Romam adiit, quam nobiliſſimus adoleſcens videre cupiebat, priuſquàm in Scotiam ſuam rediret: nec Roma ſola, quanquam diſſimulato Archiepiſcopi faſtidio, ne cuiquam moleſtus eſſet: ſed ulterior illa pars Italiæ Cumas uſque perluſtrata, ac antrum Sibyllæ ſubintratum, quod illic ab accolis etiamnum oſtenditur. Poſt diſceſſum Antiſtitis Eccleſiæ divi Andreæ, veterum amicorum memoria, quos in Britannia reliquerat, in cauſa fuit Eraſmo cur reditum in patriam & ipſe maturandum duceret. Itaque per Alpes Rheticas Curiam primùm, deinde Conſtantiam ad lacum Brigantinum profectus, tranſito Lentienſium tractu qui ſunt ad Martianæ ſylvæ initium, quod priſcis Orcynium fuit, per Briſigavos Argentoratum venit, unde ſecundo Rheno in Hollandiam vectus eſt. Mox amicis ſuis Antuerpiæ & Lovanii ſalutatis, Angliam adit. Tenebatur deſiderio Joannis Coleti Theologi, qui Londini decanus erat apud divum Paulum, Grocini, Latimeri, Linacri, quorum ante meminimus, & præcipue Thomæ Mori. Vetus Mæcenas erat Gulielmus Waramus Cantuarienſis Archiepiſcopus, totius Angliæ primas, & ejus regni Cancellarius, hoc eſt, judex ſummus, qui omnes Epiſcopis ejus inſulæ ſua liberalitate vicit. Hic & pecuniam dedit, & præterea ſacerdotium Eccleſiæ Aldingtonenſis in agro Cantuarienſi: quod quum religione Eraſmus obſtringeretur quo minus ſtatim acciperet, emolumentis integris potius ad paſtorem pertinentibus, qui præſens diu noctuque ſubjectam plebem inſtitueret, id quod nullus inficiari poteſt, ad cunctabundum Cantuarienſis, Quis, inquit, te æquius ex Eccleſiaſtico proventu vivat, qui ſcriptis tuis utiliſſimis ipſos Eccleſiarum præfectos presbyteros inſtruis, doces, adjuvas, unus omnes: nec illos tantum, ſed & cunctas ubique terrarum Eccleſias, quibus illi ſingulis ſinguli duntaxat præſint & proſint. Sanè plus ſemel Eraſmum dicere memini, Principum eſſe debere officium, ut propria liberalitate ſtudioſos juvent: ſed illos ſuis impenſis parſuros ad ſacerdotiorum collationem confugere, ad quæ accipienda ſectatores diſciplinarum cogi, ut ocium literarium tueri queant. Cæterum ut Montjoium inſcriptione Proverbiorum honeſtavit, & Johannem Coletum, novæ ſcholæ Londini inſtitutorem, libris Copiæ duplicis, verborum & rerum, ad quem ludens aliquando dixit, ſe pauperem plane factum emiſſa utraque copia; ita præſtantiſſimum Mæcenatem ſuum Gulielmum Waramum recognitione Hieronymianarum præcipue lucubrationum immortalitati conſecrare ſtatuit. Opus Adagiorum Aldum æmulatus flagitantibus ſtudioſis Joannes Frobenius Typis ſuis non infeliciter excuderat: quæ arridente editione, ſimul officinæ diligentioris celebritate motus Eraſmus, quum alterum Proverbiorum exemplar cum acceſſione pridem Badio promiſſum & deſtinatum, adjunctis aliquot Plutarchi libellis recenter verſis Franciſci Pircmanni conſilio Baſileam aberraſſe cognoviſſet, & illic omnes divi Hieronymi lucubrationes ſub Frobenianis prælis eſſe, ipſe quoque eodem ſe contulit, ſimulans iter ad Urbem voti ſolvendi gratia. Nec fuerat vanus rumor. Pridem enim Joannes Amerbachius abſolutis Ambroſii Auguſtinique libris totum ſe comparaverat ad caſtigationem voluminum Hieronymi, undique conquiſitis vetuſtis exemplaribus, & doctis viris conductis, qui

In ulteriorem Italiam progreditur.

Per Rhetiam & Germaniam redit in patriam. Angliam adit.

Amicos ibi ſuorum Scriptorum honeſtat Inſcriptionibus.

Baſileam proficiſcitur. Varia edit.

Græcas dictiones paſſim reſtituerent de quorum numero fuit Joannes Reuchlinus Jureconſultus, qui è Lexicis vacuas lacunas replere conabatur, cui ſucceſſit felicior caſtigator Joannes Cono Norimbergenſis inſtituti Dominicani, qui meliorem viam ſequutus, è veſtigiis antiquorum codicum ea, quæ vel deerant, vel erant depravata, diligenter reponebat. Idque poterat homo propemodum Græce quam Latine doctior, verſatus nimirum in optimis autoribus, aliquot annis excellentiſſimorum in Italia profeſſorum Muſuri & Scipionis, quorum ante meminimus, atque Joannis Cretenſis minime pœnitendus auditor. Et jam defuncto patre, Bruno & Baſilius filii una cum Joanne Frobenio Hieronymi informationem aggreſſi erant, & in Prophetis aliquouſque progreſſi. Eraſmo novo hoſpiti ſtatim in ædes Frobenianas recepto placuit editionis nitor, ſed in primis incredibilis fratrum Amerbachiorum in caſtigando ſedulaque diligentia. Ipſe ergo ſiquando conſulebatur, ubi judicio opus erat propter exemplarium variationem, nuſquam deerat. Verum Epiſtolarum volumina ſibi peculiariter vendicabat, partim abſolvendis ſcholiis, quæ jam pridem cœperat, partim novis addendis & argumentis adſcribendis occupatus. Hic labor non erat exiguus. Acceſſit longe Major. Deſiderabant ſtudioſi Galliarum & Germaniarum ſeorſim edi Novum teſtamentum Græce, quod cum Veteri Venetiis conjunxerant. In id olim ſcripſerat Annotationes, Laurentium Vallam imitatus. Eas quum reperiſſet inter ſchedas ſuas, tumultuarie recognovit, & auxit inter prælorum ſtrepitus. Nec deerant qui ipſum Novum Teſtamentum elimandum putarent, vulgo Chriſtianorum, ut videtur, ſcriptum vel potius verſum. Et hæc monentibus pro ſua facilitate paruit. Hunc vero laborem Leoni X. Pont. Max. inſcripſit, & quidem merito, primarium noſtræ religionis inſtrumentum ſummo ejuſdem Præſidi. At Hieronymianorum operum recognitionem Cantuarienſi Archiepiſcopo Waramo conſecravit, æternum obſervantiæ ſingularis monumentum. Rediit tum in inferiorem Germaniam propter negocia, ac non ita diu poſt ad nos reverſus, commodum illuc recurrerat, quum Majeſtas tua Romani Imperii faſcibus, cujus nobis ab ipſis Gothis Theodorico illo Veronenſi & cæteris antiquitas, apud Aquas-grani inauguraretur. Mox Coloniæ Ubiorum adfuit ſub conventum Wormacienſem, in ordine eorum, qui tibi ſunt à conſiliis, ſpectabilis: nam in horum cœtum jampridem à te prudentiſſime erat adſcitus, adhuc vivente Joanne Sylvagio, ſummique Cancellarii munus obeunte. Solutis comitiis Vangionum & urbe Tornacenſi recepta, quum in Hiſpanias ex Brabantia Majeſtas tua eſſet regreſſa, Baſileam repetiit Eraſmus, iterum editurus Adagiorum Chiliadas & Paraphraſes Paulinas atque Evangelicas abſoluturus, quas dubium eſt, Majorene ſtudioſorum applauſu orbis exceperit, an Majori alacritate ipſe ſcripſerit. Hic ſum, inquit, in meo campo. Et ſic erat. Inſpiciebat veteres maxime interpretes, ex noſtris Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, Hilarium, ex Græcis Chryſoſtomum & hujus imitatorem Theophylactum, ipſe ſtilum accommodabat tantum. Ex his unam majeſtati tuæ inſcripſit, nempe primam, quæ eſt in Evangelium Matthæi, & poſtremam germano tuo Cæſari Ferdinando: nam qui te juvenem ſummopere veneratus eſt tot regnorum heredem, qui minus ſuſpiceret ad faſtigium Romani Imperii concordibus principum ſuffragiis evectum, aulæ tuæ dicatus honeſtiſſimoque officio

Conſilarius Imp. Ipſe.

Repetita Baſilea, iterum variis edendis eſt intentus.

officio obſtrictus? Juveni adhuc Inſtitutionem principis Chriſtiani paravit, ſanctis ceterum brevibus Aphoriſmis comprehenſam, libellum ita me Deus amet, in quo velut in ſpeculo deſtinatus ſummarum rerum adminiſtrationi, vel ipſe functiones Chriſtiano dignas addiſcat, vel huic additus præceptor intueatur qualibus doctrinæ elementis puerilis regum animus, dum etiamnum tener eſt, imbui debeat. Siquidem hoc Eraſmus ſemper ſtudio habuit, nobiliſſimam Auſtrianam familiam tot Cæſarum parentem, cujus imperium vix Alpibus Juliis Rheticiſque & Oceano Septentrionali terminatur, omni obſequiorum genere, quæ literarum ſectatori convenirent, colere. Docet hoc Panegyricus patri tuo Philippo ex Hiſpaniis reduci exhibitus, & ab eodem perquam amanter ſuſceptus: quod ille officium ſingulari munificentia cenſuit proſequendum, tanquam omnine quodam felici primus oſtendens quantam olim æſtimationem eſſent habitura hujus viri ſcripta, ac tantum non exemplum ſtatuens quod cæteri magnates æmularentur. Nec aliter accidit. Etenim ſimilem multorum Regum & Pontificum Max. benignitatem expertus eſt Eraſmus, ut tuam in primis, Imperator Auguſte, ut Ferdinandi nunc Cæſaris germani tui, ut Henrici Britanniæ regis ejus nominis octavi, à quo vivente etiamnum parente Henrico Septimo literis ipſius manu ſcriptis ſalutatus eſt, ut Clementis VII. Pontificis Max. Nec alia mente Hadrianus Pontifex fuit, ſi ſacerdotium oblatum, vel munus honorarium Eraſmus accipere voluiſſet. Quid porro Eraſmo à Franciſco Valeſio Galliarum rege non exſpectandum fuit, ſi animum ſpectemus, & quid in eum conferre voluerit? Unis certe literis, longe gratiſſimum ejus adventum fore, ſua ipſius manu ſubſcribere non eſt dedignatus. Paulum vero Pontificem Max. ejus nominis tertium, quam virtuti & eruditioni Eraſmicæ judicio & animo, tam etiam effectu ad quamlibet opportunitatem favere fuiſſe paratum, inde apparet, quod præterquam de Eraſmo in collegium Cardinalium cooptando actum fuerat, ipſe eidem præpoſituram Daventrienſem Trajectenſis diœceſis, quæ ſexcentorum aureorum reditum tribuere dicitur, ultro obtulerit; obtulerit autem? imò contulerit, literas non ſolum Apoſtolicas ſuper ea ne expeditionis tædio atque impenſa beneficium comminueretur promittens, ſed illuſtriſſimam Hungariæ reginam Mariam ſororem tuam, Flandriæ tuo aſſenſu præſidentem, ut pro ſua erga Romanam ſedem filiali obſervantia, & regia in viros bene meritos benignitate, dictæ præpoſituræ (ut appellant) poſſeſſionem vacuam ab intruſis pro Eraſmo conſervari curaret, literis bene amantibus interpellans: quas tamen Eraſmus ἀυτάρκης quod ſacerdotium recuſare inſtituiſſet, penes ſe reſervavit, ſatis viatici ſibi paulo poſt morituro ſupereſſe dicens. Principum ſane & Epiſcoporum in Eraſmum munificorum catalogum texere perlongum ſit. Nec ſolum à Principibus honoratus eſt Eraſmus, ſed etiam à civitatibus Germaniæ: ſi qua tranſiret, & Magiſtratus reſciſſent, vino donatus, qui honor Magnatibus & civitatum legatis more gentis impenditur. Id me præſente contigit Baſileæ, Conſtantiæ ad lacum Brigantinum Bartholomæo Plaurero Jureconſulto & conſule ad convivium ſua ſponte venire dignato, Schefhuſiæ ab Abbate & Magiſtratu, Friburgi Briſigavorum, in Monte Briſiaco, Seleſtadii, Argentorati, & aliis item locis. Nam notum erat non paucis eum tuæ Majeſtati eſſe à conſiliis. Equidem ob excellentiam doctrinæ, quam editis indies libris teſtatiorem

Affectus Eraſmi in Domum Auſtriacam.

Multorum in Eraſmum benignitas.

Caroli Cæſaris

Ferdinandi Regis Rom.

Henrici Angliæ Regis,

Clementis & Hadriani Pontificum.

Franciſci Galliarum Regis.

Pauli Pontificis.

Mariæ Ungariæ Reginæ.

Aliorum Principum & Epiſcoporum, Civitatum.

teſtatiorem cunctis faciebat: dignus alioqui cenſebatur, quem omnes miſſis muneribus nihil tale ambientem certatim ornare, & quovis honoris genere reverenter cuperent afficere. Quod ſi vulgò videmus eos nullis non militaris gloriæ titulis inſigniri, qui, ſi quando opus fuerit, & incidat neceſſitas, defendere patriam vitæ ſuæ periculo ſunt parati: quando juſtius honoratur, qui non breve aliquod tempus, ſed omnem ætatem in literis pro publica utilitate ultro abſumpſit exercens ingenium, genium ſuum defraudans. Potuiſſet eſſe magnus & indies fieri major apud tuam Majeſtatem. Annon ad ſummum autoritatis Eccleſiaſticæ faſtigium præceptor olim ille tuus Adrianus Trajectenſis evectus eſt? Potuiſſet in ſplendore vivere apud quoſvis Reges, quis enim ſummorum principum eum non ambiit? potuiſſet in ocio, in voluptatibus verſari: ſed prætulit communem ſtudiorum utilitatem univerſis honoribus & hujus vitæ craſſis delitiis. Veriſimile eſt præter alias cauſas felicem quoque ſuccreſcentium ſtudiorum ſucceſſum hominem haud parum inflammaſſe ad quidvis perferendum. In Germania Galliaque mirè frigebant literæ: vix & unus & alter Latinè ſciebat, Græcè nullus. Et ecce ſtatim, ut editæ ſunt Adagiorum Chiliades, & libri de utraque copia, velut in nebulis coorto ſole, emergere linguarum peritia cœpit. Prodibant alii atque alii libelli ad hanc rem conducibiles. Theodori Grammaticæ Inſtitutiones Latine verſæ, multorumque autorum in utraque lingua monumenta Græcè citra præceptoris operam diſcere volentibus admodum accommoda. Nam hac ratione etiam Hermolaus Barbarus immortale decus Venetiarum olim profeciſſe fertur privato ſtudio collatis doctiſſimi Gazæ verſionibus. Jamque quaſi ſigno dato, literarum cauſam in his provinciis optimus quiſque promovebat. Sed omnium maximum ſubſidium attulit Trilingue collegium illud in Academia Lovanienſi inſtitutum ſuadente Eraſmo. Magnas opes moriens reliquerat Arienſis præpoſitus Hieronymus Buſſidius, Franciſci Veſontini quondam Archiepiſcopi in Hiſpania peregrè extincti frater, quas quum ille ſtudioſorum uſibus deſtinaſſet, Eraſmus Teſtamentariis autor fuit, ut Athenæum Lovanii conſtituerent, in quo ſtipendiis ordinatis tres linguæ publice docerentur, è quo tanquam ex equo Trojano innumeri cognitione linguarum inſtructi prodiere hactenus, & faventibus ſuperis deinceps ſunt prodituri: quo univerſa ditio tua, Cæſar invictiſſime, nihil habet præclarius. Ea res Franciſcum quoque Galliarum regem movit, ut ad ſimilis collegii Lutetiæ Pariſiorum inſtitutionem animum adjiceret, Eraſmum per literas evocando, cujus conſilio omnia diſponerentur. Et jam regium diploma acceperat ad itineris ſecuritatem, ſed intervenere cauſæ quæ perfectionem impedirent. Inſtituti tamen & illic profeſſores. Itaque in confeſſo eſt, literarum in his provinciis incrementa potiſſimum Eraſmo deberi. Quem enim ille lapidem non movit (quod ajunt) ut ſtudia procederent? Quanto candore tradidit omnia, ab omnibus intelligi volens: quum multi res obſcuras multo obſcurius explicent. Editurus Proverbiorum opus à quibuſdam doctis audire coactus eſt, Eraſme tu evulgas myſteria noſtra. Sed cupiebat is omnibus ea aperta eſſe, quo perfectam eruditionem conſequerentur. Hoc candore deſtituebatur ille, qui Venetiis olim Aldo Manutio commentarios Græcos in Euripidem & Sophoclem edere paranti, dixit, Cave cave hoc facias, ne Barbari iſtis adiuti, domi maneant, & pauciores in Italiam ventitent.

Potuiſſet magnus fieri Eraſmus, ſi voluiſſet.

Per Eraſmum reſuſcitatæ literæ.

Auctor fuit inſtituendi Trilingues collegii Lovanii:

Vocatus in Gallias ut præeſſet inſtituendo ibidem ſimili collegio, impeditur.

ventitent. Jam nihil tam humile fuit, quo tantus vir ſtudioſorum gratia ſe non demitteret. Etiam ipſum Catonis carmen juxta titulum, emendare & interpretari dignatus eſt, ut nec in magnis, nec in minutis ejus opera deſideraretur. Adeo vix proferri queat, qui unus ſtudiis communibus plus profuerit. Habet quidem Gallia Budæum principem literarum, quem libenter opponat, qui quum abſtruſiſſimum rei nummariæ, quæ apud veteres fuit, materiam primus doctiſſimè copioſiſſimeque explicuit, tum priſcas loquendi formulas Juriconſultorum elegantiſſime ediſſerit, maxima (quod negari non poteſt) nationis ſuæ gloria editis in Pandectas Annotationibus: denique Commentarios linguæ Græcæ conſcripſit, quibus nihil utilius Græcitatis ſtudioſo contingere poteſt. Sed noſter in Theologicis plus operæ poſuit. Quam ſtudiorum partem paulò liberius tractavit, quod videret (ut ipſius utar verbis, ad amicum quendam ſcribentis) plus ſatis tribui Theologiæ argutatrici, veterem prorſus aboleri: ſicque Theologos argutiis Scoticis incumbere, ut non attingant fontes divinæ ſapientiæ. Ad hæc diſciplinam Eccleſiaſticam longè prolapſam eſſe à ſyncéritate Evangelica: populum Chriſtianum multis modis gravatum eſſe: conſcientias hominum variis tricis illaqueatas. Atque hanc ob rem alicubi quorundam arrogantiam, ambitionem, avaritiam, ſuperſtitionemque liberiori ſtilo ſubtaxat, nemini hic adulatus quamlibet potenti, quod tamen hodie nimium multi faciunt. Nec alia res plus officit principibus maximè Eccleſiaſticis dum laudamus quod faciunt, non quid facere debeant commonſtrantes. In hac ille parte nuſquam ceſſat. Quanquam eum ſæpe dictitare memini dum viveret, ſi præſciſſet tale ſeculum exoriturum quale hoc noſtrum eſt, ſe multa non fuiſſe ſcripturum, aut iſto modo non ſcripturum. Sed Dei gratia, videmus iſtarum admonitionum aliquem fructum. Theologorum manus pro Haleſio, pro Holcoto, Cyprianum, Auguſtinum, Ambroſium, & Hieronymum ſuis horis verſant. Studium Theologicum diffuſum Petrus Langobardus in methodum redigere conatus eſt, collectis Sententiarum libris: ſic enim appellant. Sed in commentariis recentiorum modus deſideratur. Similem rem apud Græcos tentavit Damaſcenus. Ex veteribus licet cognoſcere naſcentis Eccleſiæ exordia ſimpliciſſima, quæ paulatim ad hanc Majeſtatem increverunt. Abſque quorum lectione citra judicium de rebus diſſeret, qui in neotericis tantum verſatus eſt, amuſſis juxta proverbium alba ad ſacrorum expenſionem. Quare veterum cognitio ſcriptorum futuro Theologo perquam neceſſaria ad quam tantopere ſtudioſos cohortatus eſt Eraſmus, emendatis illorum lucubrationibus, & ad exemplaria vetuſta collatis. Extant libri, nec eſt opus nominatim recenſere. Addidit pleriſque locis cenſuras, quas ceu ſingularem dotem ac evidens argumentum præſentiſſimi perſpicaciſſimique ingenii magis admiror, quàm quidvis aliud. Nullum enim arbitror fuiſſe multis jam ſeculis, qui judicio plus valuerit, id quod conſummatæ eruditioni poſtremo omnium contingere ſolet. Quibuſdam viſus eſt non ſatis eſſe Ciceronianus, ad ſtructuram & verba Tullianæ dictionis omnia ſeverè exigentibus. Sed ipſum ſtilum apertum, extemporalem, purum, facilem, & argutum ſemper amavit, vocabulis quibuſdam uti coactus eſt Chriſtianæ religionis, materiæ quam tractabat ſervientibus. Neque enim probabat eorum ſuperſtitionem, qui verius inanes modulos quoſdam antiquitatis referunt, quàm ſententias denſas & præſtantes.

Guilelmi Budæi laus.

Eraſmus maximam operam impendit Theologiæ.

Sanè

Eraſmi ſtilus.

Sanè fatemur ſeculum Ciceronis fuiſſe puriſſimum & imitatione dignum, ac proinde magnam felicitatem ſi quis ſinceram illius temporis, quo lingua Latina maximè floruit, phraſim aſſequatur. Et quibuſdam rem bellè procedere cernimus, nec invidemus. At proferant nobis in medium tot tamque utilia ſcripta, tam ſancta, tam cordata, quot ab Eraſmo Chriſtianus orbis accepit, & cum illis ſentiemus, ac Ciceronianos etiam à pietate ſanctimoniaque prædicabimus.

Quibus locis Eraſmus maxime ſua ſcripta elucubravit.

Horum librorum magnam partem Baſileæ in ædibus Frobenianis in monte divi Petri ſitis, partem etiam Friburgi Briſigavorum elucubravit, ad hoc enim oppidum in ditione fratris tui regis Ferdinandi poſitum, monitu Bernardi à Gles Cardinalis Tridentini cum ſarcinulis ſuis migrare coactus eſt, verentis ne quid illi accideret Baſileæ mutato ſacrorum cultu, quæ tamen res longè placidius tranſacta eſt, magiſtratuum prudentia, quàm multi divinabant, nemine ex univerſo numero ſacerdotum per contumeliam attacto. Friburgi primum in ædibus illis magnificis habitavit, quas Avus tuus divus Maximilianus pro ſenectutis ſuæ nido per Jacobum Villingerum ſuæ Majeſtatis à Theſauris parari quondam ſibi juſſerat. Deinde propriam domum emit. At quum ab illuſtriſſima ſorore tua Maria Hungariæ regina, quam tu ab obitu amitæ tuæ Margaretæ provinciis inferioris Germaniæ gubernandis præfeciſti, in Brabantiam revocaretur, & Eccleſiaſten ſuum prius eſſet editurus, ut præſens adeſſet dum excuditur in officina, ac operi colophonem (quod ajunt) adderet: nam neſcio quid ad calcem reſtabat attexendum, ſimul ut cœli mutatione reliquias morbi pertinaciores diſcuteret, vendita domo Baſileam cum univerſa ſupellectile ſua, quæ libris maximam partem conſtabat, poſt ſeptimum annum reverſus eſt, ad Hieronymum Frobenium amicum veterem hoſpes gratiſſimus divertens, hoc conſilio, ut recuperata bona valetudine, & abſolutis iis quæ habebat in manibus, navigio per Rhenum, in inferiorem Germaniam deſcenderet. Interim articularis morbus, qui aliquandiu conquieverat, rurſus hominem corripit & miſeris modis vexat, ut ſe loco movere nequiret, fruſtra cœlo mutato. Hic remittentibus cruciatibus ex bipede primùm quadrupes, deinde tripes factus eſt, ſcipionum auxilio ſe ſuſtentans & ſenſim prorepens.

Morbus Eraſmi.

Quumque ſchedas Epiſtolarum, quas annis ſuperioribus à diverſis amicis acceperat, ſigillatim evolveret, novæ neſcio cujus editionis gratia, ac plurimæ eorum qui à rebus humanis exceſſerant, in manus venirent, ſubinde ajebat: Et hic mortuus eſt: ac tandem, Nec ego diutius vivere cupio, ſi CHRISTO Domino placeat. Sic languentem & viribus deſtitutum, dyſenteria, malum exitiale, ferme menſem integrum vexavit, ac paulatim exhauſtum in ſumma æquanimitate & tolerantia tandem extinxit, CHRISTI miſericordiam extremis ſæpe repetitis vocibus implorantem.

Mors.

Qui CHRISTI doctrinam vivens tam ſyncere tractavit, mortuus indubiè mercedem ab illo ſummo Agonotheta amplam accepit. Teſtamentum Majeſtatis etiam tuæ fretus autoritate condiderat, quo pauperum inopiæ relictis à morte facultatibus ſuis trifariam conſultum voluit, invalidis ſenioque confectis, virginibus elocandis, quibus dos deeſſet mariti conciliatrix, & ſtudioſis fovendis. Id Bonifacius Amerbachius Juris profeſſor, hæres nuncupatus, redemptis annuis ſtipendiis reditibuſque bona fide cum ſociis juxta teſtatoris mentem exequutus eſt, & quæ fieri ille voluit cuncta ad amuſſim accuravit. Is ipſe memoriam in æde

Teſtamentum.

ſacra

ſacra Cathedrali Baſilienſi patrono optimo in columnari ſtructura, cui ſaxum tumulum operiens Termino ſculpti inſigne adjacet, affigendum locavit in marmore Rhetico. Statura novit Majeſtas tua fuiſſe eum, ut ipſe de Moro quadam Epiſtola ſcribit, infra proceritatem, ſupra tamen prorſus notabilem humilitatem. Corpuſculo ſatis compacto & eleganti, ſed quod eſſet tenerrimæ complexionis, & minimarum etiam rerum mutatione, puta vini, cibi, cœlive facile offenderetur, in ſenio crebris quoque calculi doloribus obnoxium: ut de pituita dicam, alioqui perpetuo communique ſtudioſorum omnium malo. Cute corporis & faciei candida, capillitio in juventa ſufflavo, oculis cæſiis, vultu feſtivo, voce exili, lingua pulchrè explicita, cultu honeſto & gravi, qui Cæſareum conſiliarium, Theologum, & ſacerdotem deceret. Fuit in retinenda amicitia conſtantiſſimus, nullis unquam inſcriptionibus quacunque de cauſa mutatis. Memoria feliciſſima: nam puer totum Terentium & Horatium memoriter complexus eſt. In egenos liberalis, quos, ut alibi, ſic à ſacro domum rediens per famulum nunquam non munerari ſolet: maxime verò in bonæ ſpei & indolis adoleſcentes ſtudioſos, ſi qui ad ſe viatico deſtituti veniſſent, largus, benignus, & munificus. In convictu comis & ſuavis citra omne ſupercilium: ubique certè Ἐράσμιος, hoc eſt, amabilis: quod ille nomen à ſe dolebat non uſurpatum, quum primum ſcribere cœpiſſet, & editis libellis innoteſcere. Quis enim, inquit, quenquam mortalium Amorem audivit appellari, id quod Græcis ſignificat Ἔρασμός. De libris porrò ſuis, quos in omni vita conſcripſit innumeros, quâ ſacros, quâ prophanos, conjunctim & univerſim edendis, vir modeſtiſſimus, nihil moriens ſtatuit, opinatus futurum ut cultioribus quotidie emergentibus iſta ſua ſcripta facile negligerentur. Cæterum quum Hieronymus Frobenius & Nicolaus Epiſcopius Typographi ſenſiſſent ea à ſtudioſis in eo ordine ſimul collecta deſiderari, quem ipſe quum viveret ad Joannem Botzhemium & poſtremo ad Hectorem Bœotium ſuarum lucubrationum catalogum recenſens, indicavit, videlicet iis primum conjunctis, quæ vel ad inſtitutionem literarum vel ad pietatem pertinent, tum Moralibus, deinde Apologiis, & ultimo loco recognitis autoribus ſuas partes implentibus, obſequendum ſtudioſis rati, rem auſi ſunt cum magnificam, tum omnium favore dignam, nulla nec ſumptuum nec laborum magnitudine deterriti, quicunque tandem ſequeretur eventus, modo ut voluminum Eraſmi Tomos conficerent, autoris Catalogum ad Hectorem Bœotium, tanquam recentiorem, potiſſimum ſequuti: adjectis etiam ab Amerbachio, ſuo quibuſque loco iis, quæ poſtea idem ille Eraſmus elucubravit: omiſſo tamen Decimo Tomo, non niſi alios autores ab ipſo recognitos complectente: in quibus ſeorſum ſucceſſu temporum excudendis, etiam ſuam operam ſtudioſis iidem chalcographi pollicentur, ſi modò æquum experti fuerint lectorem. Quæ editio quum ob alia magni facienda eſt, tum ob hoc quòd tanti literarum Antiſtitis exiſtimatione conſulit, ne quis aut animo nocendi, aut quæſtus ſtudio, gratiam videlicet Eraſmici genii captans, deinceps aliquid illi tribuat quod ipſe non ſcripſit: id quod vivente eo, factum ſcimus: aut tanquam ſuum non agnovit, aut etiam agnitum, minime editione dignum exiſtimavit. Quare Clementiſſime CÆSAR, veterum Imperatorem ac Regum exemplum imitatus, qui rem literariam & honeſtas diſciplinas tueri magnificum cenſebat,

Epitaphium.

Qualis corpore.

Animo.

Ejus Scripta.

censebant, istum Erasmicorum librorum Thesaurum, quo nihil universa res literaria vel ornatius habet, vel utilius, vel pium magis, inter monumenta recentiorum, sartum tectum conservandum suscipe, hominis tot modis tui, sive patriam Hollandiam respicias, quæ te Dominum agnoscit, sive Consiliarii dignitatem, quam tibi fideliter obivit, sive probi pectoris devotionem, quo nobilissimæ isti familiæ Austriacæ sive Burgundiacæ semper deditus fuit. Verè enim regia res est tueri literas, quibus extinctis miserabili caligine cuncta confundentur, nec homines à brutis animalibus different. M. Virtruvium haud puduit de Architectura scribere ad Octavium Augustum, qui in ordine vestro Romanorum Imperatorum secundus fuit, Julii ut hæres, ita successor: Dictionarium suum Pollux Græcus autor Commodo Cæsari dedicat. Oppianus τὰ ἁλιευτικὰ, Antonio L. Sept. Severi F. inscribit: non quod architectus esset Octavius, à quo struendarum ædium consilia peterentur: aut Commodus, Grammaticus: aut physiologus, Antoninus: sed ut liberalium artium patronos agere meminissent tanti Monarchæ. Et disciplinis quidem illi delectabantur ut docti, & à teneris recte instituti, non fovebant tantum. Quin florebat ipsum Romanum Imperium ab hominibus virtute & eruditione excultis per diversa officia administratum. Sume ergo tibi lucubrationes Erasmicas defendendas, verè τὸ τῆς Ἀμαλθείας κέρας, partim quod in his quædam tuæ Majestati privatim dicata sunt, velut Institutio principis Christiani, & in Matthæi Evangelium Paraphrasis: partim quod ut tu summus es orbis Monarcha, sic etiam omnium commodis prospicere debes. Proderit autem orbi talem Thesaurum esse conservatum, nec sycophantis quibusdam & studiorum osoribus vel hujus intercipiendi vel concerpendi fieri potestatem, non quod Erasmo magnopere timendum sit, quem amare extinctum incipiunt, qui vivum oderant: Pascitur enim, ut Ovidius ait, in vivis livor, post fata quiescit: sed ut malevolis omnis vel calumniandi vel sinistri conatus ansa penitus amputetur. Id fiet, si tuæ Majestatis quasi Ajacis clypeum opponas, & reipsa ostendas, non solum imminutæ Majestatis reos esse, qui in te principem Romanum sed & qui in Consiliarios tuos conspirant: id quod Honorius & Arcadius AA. censuerunt. Quis enim rabularum non obmutescet, si protegentem CAROLUM viderit? Quis illorum aspectu tui territus non terga dabit? quem Aphri congredientem expaverunt, quum depulsum ditione sua Tunetensem regem ultramarina expeditione suscepta rem maximam atque difficillimam ausus, feliciter & celeriter restitueres. Qui Italiæ pacem dedisti, inque ea jam diu nobilissimam regionem conservas. Qui proximis diebus Gandavensem tumultum in gravem totius Flandriæ perniciem erupturum, dicto citius compescuisti. Quem spes est Germaniæ nostræ pristinam concordiam resarturum lite partium utrinque audita, ac per tuam prudentiam qua vales, autoritatemque æqualiter dirempta. Atque utinam immortalitate dignus ERASMUS tantisper superfuisset, dum ista à te fortiter & præclare gesta suavissimo stilo suo memoriæ æternæ consecrasset. In nulla re ille, certò scio, libentius fuisset occupatus. Denique addam hoc unum, priusquàm finem faciam: Glorientur cæteri Imperatores, hujus vel illius quamlibet magnæ, persæpe etiam atrocis rei casu suum principatum factum insignem, CAROLI CÆSARIS tempora candidissimi scriptoris ERASMI Monumentis illustrata

Res regia, tueri literas.

Defunctus amari cæptus Erasmus, qui superstes odio ab multis habebatur.

Brevis victoriarum Caroli V enumeratio.

Eruditorum laudes in suos etiam Principes redundant.

illuſtrata nunquam ignorabuntur, nam ſolet eruditiſſimi cujuſque laus etiam in principem redundare, ſub quo vixerit, ut non dicam in cujus clientela fuerit numeratus. Bene valeat Majeſtas tua, CÆSAR Inviƈtiſſime, & ERASMI ſui lucubrationes ſibi commendatas perpetuo tueatur. Seleſtadii, calendis Juniis, Anno à CHRISTO nato M. D. XL.

Quum autem decens & accurata Scriptorum ſuorum partitio ſupra modum cordi fuerit Eraſmo, Majoremque ejus rei curam poſt mortem haberi ſupremis verbis voluerit ab Amicis, quam, ut ipſe loquitur paulo ante ad Conradum Goclenium ſcribens, Pſalteriorum & Anniverſariorum, quæ defunƈtis ſuperſtitione quadam præſtari conſueverunt: non abs re fore cenſui, ſi Epiſtolam Viri Magni ad Heƈtorem Bœotium miſſam appoſuero; qua ipſe paucis ante obitum annis ſtupendum ab lucubrationibus ſuis inſtruit, & æternitati conſecrat Hortum; ſingulis in ſuos pulvillos & areolas aptiſſime diſtribuƈtis. Ea ſic habet.

DES. ERASMUS ROTERODAMUS

ERUDITISIMO HECTORI

BOEOTIO DEIDONANO

S. D.

LITERAS tuas Bœoti ornatiſſime, datas Aberdonæ ſeptimo calendas Junias, anno ſalutis milleſimo quingenteſimo vigeſimo octavo, accepi Friburgi, quæ civitas eſt Briſgoiæ ſub ditione regis Ferdinandi, non incelebrem habens Academiam: accepi autem circiter idus Februarias, anno à natali CHRISTI milleſimo quingenteſimo trigeſimo: ne forte mecum expoſtules, quod ſerius reſpondeam. Ea res fuit in cauſa, ut has literas tibi per Typographos excuſas mittere maluerim, quam per amanuenſem deſcriptas. Sic enim arbitror celerius ad te perventuras. Ergo ad tuas paucis accipe. Quam mihi tua conſuetudo jucunda fuit HECTOR eruditiſſime, quum ante annos triginta duo Lutetiæ in literarum ſtadio pariter curreremus, licet te pro ingenii tui ſingulari felicitate multis paſſibus præcurrente: tam mihi gratum fuit eam voluptatem ex tanto intervallo mihi tuis literis refricari. Ad laudes autem quas tuus candor mihi tribuit affatim, plenaque (quod ajunt) manu, nihil aliud audies, quam te de

Erasmo non minus diserte quam amanter, non dicam menitri, quod à tuis moribus semper fuit alieniſſimum, sed multum à vero aberrare. Faveo tamen interim tuis de me præconiis, vehementer optans ex meis lucubrationibus aliquid utilitatis, ad disciplinarum ac veræ pietatis candidatos pervenire. Earum Catologum, uti petis, huic subtexam Epistolæ. Nec mihi mediocrem attulit voluptatem, quod intelligo Scotiæ regnum ut aliis pluribus ornamentis, ita liberalium artium studiis indies magis ac magis expoliri. Hoc nomine semper amavi Jacobum regem, quod ditionem suam non tam proferre studuerit quam exornare, inter feliciſſimos Monarchas numerandus, si præclaris virtutibus hominis fortuna respondisset. Nec dubito, quin filius illius ut in paternum regnum succeſſit, ita paternis vestigiis ingrediatur. Quum Jacobi regis filium Alexandrum Archiepiscopum divi Andreæ Senæ instituerem, aderat illi frater vix decimum agens annum, incredibili puer indole, ac jam tum nescio quid eximium de se pollicens. Aveo scire quid illi acciderit, utrum paterni fraternique fati comes fuerit, an adhuc superſit. Pro istius Academiæ non ignobilis in me favore studioque gratiam habeo plurimam, cujus commodis & ornamentis utinam mea opera possit aliquid accedere. Certe, quod unum possum, precor ut Dominus per te tuique similes viros, eam omni genere disciplinarum, veræque pietatis dotibus bene fortunet ac locupletet. Datum ex inclyta Academia Friburgensi, idibus Martiis.

Scotiæ Regnum lucris deditum.

Alexander Jacobi Regis filius Erasmi Discipulus.

INDEX

INDEX OMNIUM LUCUBRATIONUM DES. ERASMI ROTER.

PRIMO TOMO HÆC HABENTUR,

De copia verborum ac rerum, libri duo.
Theodori Gazæ Grammatices, libri duo.
Syntaxis.
Ex Luciano versa: Saturnalia.
Cronosolon.
Epistolæ Saturnales.
De luctu.
Abdicatus.
Icaromenippus.
Toxaris.
Alexander, sive Pseudomantis.
Somnium.
Timon.
Tyrannicida.
Erasmi declamatio Lucianicæ respondens.
De iis qui mercede conducti degunt.
Dialogi amatorii XVIII.
Hercules Gallicus.
Eunuchus.
De sacrificiis.
Lapithæ, sive Convivium.
De astrologia.
De ratione conscribendi Epistolas.
De pueris statim ac liberaliter instituendis.
De ratione studii.
De laude medicinæ.
Libanii aliquot Declamationes versæ.
Similium liber unus.
Colloquiorum liber.
De recta Latini Græcique sermonis pronuntiatione.
Ciceronianus, sive de optimo dicendi genere.
De civilitate morum puerilium.
Galeni exhortatio ad bonas artes, versa per Erasmum.
Epitome in elegantias Laurentii Vallæ.
Euripidis Hecuba & Iphigenia, Erasmo interprete.
In Nucem Ovidii Commentarius.

SECUNDO TOMO.

Adagiorum opus.

TERTIO TOMO.

Epistolarum opus.

QUARTO TOMO.

E Plutarcho versa.
De discrimine Adulatoris & Amici.
Quomodo utilitas capiatur ab inimicis.
De tuenda bona valetudine.
Principi maxime philosophandum.
Animi an corporis graviores morbi.
Num recte dictum sit, Λάθε βιώσας.

De cupiditate divitiarum.
De cohibenda iracundia.
De curiositate.
De vitiosa verecundia.
Apophthegmatum libri VIII.
Moriæ Encomium, hoc est, Stultitiæ laus.
Panegyricus ad Philippum Burgundiorum principem.
Ad eundem carmen gratulatorium.
Institutio principis Christiani.
Isocrates de regno administrando.
De morte declamatio.
Declamatiuncula gratulatoria.
Pacis querimonia.
Lingua.
Xenophontis tyrannus.
De senectute carmen.

QUINTO TOMO.

Enchiridion militis Christiani.
Oratio de virtute amplectenda.
Ratio veræ Theologiæ.
Paracleſis.
Modus confitendi.
Enarratio Psalmi, Beatus vir.
Enarratio Psalmi, Quare fremuerunt Gentes.
Paraphraſis in Psalmum, Domine quid multiplicati.
Concio in Psalmum, Quum invocarem.
De puritate Eccleſiæ Christi.
Enarratio in Psalmum, Dominus regit me.
De bello Turcis inferendo Conſultatio.
Enarratio in Psalmum, Benedicam domino in omni tempore:
Enarratio in Psalmum, Dixi cuſtodiam vias meas.
De amabili Eccleſiæ concordia.
Concio in Psalmum LXXXV.
De miſericordia Domini Concio.
Virginis & martyris Comparatio.
Concio de puero Jeſu.
Epiſtola conſolatoria ad virgines ſacras.
Chriſtiani matrimonii Inſtitutio.
Vidua Chriſtiana.
Eccleſiaſtes, ſive de ratione concionandi.
Modus orandi Deum.
Symbolum, ſive Catechiſmus.
Precationes.
Pæan Virgini matri dicendus.
Oratio ad Mariam in rebus adverſis.
De contemptu mundi.
De tædio & pavore Chriſti diſputatio.
De præparatione ad mortem.
Ode de caſa natalicia Jeſu.
Expoſtulatio Jeſu cum homine pereunte.
Hymni varii.
Liturgia Virginis Lauretanæ.
Carmen votivum Genovefæ.
Commentarius in duos Hymnos Prudentii, de natali & Epiphania pueri Jeſu.
Chriſtiani hominis inſtitutum, carmine.
Epitaphia in Odiliam.

SEXTO TOMO.

Novum Teſtamentum, cum Annotationibus.

SEPTIMO TOMO.

Paraphraſes,

In Matthæum.
In Marcum.
In Lucam.
In Joannem.
In Acta.

In Epiſtolas Pauli.

Ad Romanos.
Ad Corinthios I.
Ad Corinthios II.
Ad Galatas.
Ad Epheſios.
Ad Philippenſes.
Ad Coloſſenſes.

Ad Theſſalonicenſes I.
Ad Theſſalonicenſes II.
Ad Timotheum I.
Ad Timotheum II.
Ad Philemonem.

In Epiſtolam Petri I.
In Epiſtolam Petri II.
In Epiſtolam Judæ.
In Epiſtolam Jacobi.
In Epiſtolam Joannis I.
In Epiſtolam Joannis II.
In Epiſtolam Joannis III.
In Epiſtolam ad Hebræos.

OCTAVO TOMO.

Ex Chryſoſtomo verſa.

Adverſus Judæos, Homiliæ V.
De Lazaro & divite, Homiliæ IIII.
De viſione, Homiliæ V.
De Phylogonio martyre, Homilia I.
De orando Deum, Libri II.
De David & Saule, Libri III.
Quum preſbyter eſſet deſignatus, Homiliæ I.
In Pſalmum, Cantate domino.
Quum Sarioninus & Aurelianus acti eſſent in exilium, Hom. I.
De fide Annæ, Homiliæ II.
Commentariorum in Acta Apoſtolorum, Homiliæ IIII.
Commentariorum in ſecundam ad Corinthios, Hom. VII.
In Epiſtolam ad Galatas.
In Epiſtolas ad Philippenſes, Homiliæ II.

Ex Athanaſio.

De ſancto Spiritu, Epiſtolæ II.
Contra Euſebium de Nicæna ſynodo, Epiſtolæ II.
Apologetici duo adverſus eos, qui calumniabantur, quòd in perſequutione fugiſſet.
De paſſione Domini, Homilia I.
De hoc quod ſcriptum eſt, Euntes in vicum qui contra vos eſt.
De virginitate.
De peccato in Spiritum.
De Spiritu Sancto.

Ex Origene.

De vita, phraſi, & operibus Origenis.
Fragmentum in Evangelium Matthæi.

Ex Baſilio.

Principium Eſaiæ.
De Spiritu ſancto, Liber.
De laudibus jejunii, Homiliæ II.

NONO TOMO.

Epiſtola Apologetica ad Dorpium.
Ad Jacobum Fabrum Stapulenſem.
Ad Jacobum Latomum.
Ad Atenſem pro declamatione Matrimonii.
Apologia de In principio erat ſermo.
Apologiæ tres ad Notationes Eduardi Lei.
Ad Jacobum Lopim Stunicam.
Adverſus Sanctium Caranzam.
De loco, Omnes quidem reſurgemus.
In Natalem Beddam.
Adverſus Petrum Sutorem Cartuſianum.
Appendix de ſcriptis Clitohuei.
Declarationes adverſus Theologos Pariſienſes.
Ad Phimoſtomum De divortio.
Ad juvenem Gerontodidaſcalum.
Ad Monachos quoſdam Hiſpanos.
Ad Album Pium Carporum principem.
De uſu carnium.
De libero arbitrio Collatio.
Hyperaſpiſtæ diatribes, Libri II.
Purgatio adverſus Epiſtolam Lutheri.
Detectio præſtigiarum libelli cujuſdam.

Adverſus

Adverſus pſeudoevangelicos Epiſtola.
Ad Eleutherium Epiſtola.
Ad Grunnium.
Ad fratres Germaniæ Inferioris.
Spongia adverſus aſpergines Hutteni.
Pantalabus, ſive adverſus febricitantem.
Adverſus mendacium & obtrectationem.
Antibarbarorum liber.
Ad quoſdam gracculos Epiſtola.
Reſponſio ad Petri Curtii defenſionem.
De Termino, Epiſtola.

Catalogorum Operum Des. Eraſmi Roterodami

FINIS.

EPITAPHIUM.

DES. ERASMI ROTER.

Baſileæ; Chriſto Servatori S.

DES. ERASMO ROTERODAMO, VIRO OMNIBUS MODIS MAXIMO, CUJUS INCOMPARIBILEM IN OMNI DISCIPLINARUM GENERE ERUDITIONEM PARI CONJUNCTAM PRUDENTIA POSTERI ET ADMIRABUNTUR ET PREDICABUNT. BONIFACIUS AMERBACHIUS, HIE. FROBENIUS, NIC. EPISCOPIUS, HÆREDES ET NUNCUPATI SUPREMÆ SUÆ VOLUNTATIS VINDICES, PATRONO OPTIMO NON MEMORIÆ, QUAM IMMORTALEM SIBI EDITIS LUCUBRATIONIBUS COMPARAVIT, IIS TANTISPER DUM ORBIS TERRARUM STABIT SUPERFUTURO, AC ERUDITIS UBIQUE GENTIUM COLLOQUTURO, SED CORPORIS MORTALIS QUO RECONDITUM SIT ERGO, HOC SAXUM POSUERE.

MORTUUS EST 4. IDUS JULII. JAM SEPTUAGENARIUS ANN. A CHRISTO NATO M. D. XXXVI.

In Saxo, quo Sepulchrum integitur eſt Termini Facies, baſi quadrata, cum his verbis.

DES. ERASMUM ROTERODAMUM AMICI SUB HOC SAXO CONDEBANT. QUARTO IDUS JULIAS.

1629.

Gul. BU.

Gul. Budæi Clariſs.

VITA

PER LUDOVICUM REGIUM

AD

GULIELMUM POIETUM MAGNUM

FRANCIÆ CANCELLARIUM.

Ampliſſimo Viro atq; Illuſtriſſimo *GULIELMO POIETO, Magno Franciæ Cancellario, Ludovicus Regius.* S. D.

PHILIPPUS Coſſæus Conſtantienſis Antiſtes, cujus juſſu Gulielmi Budæi vitam explicandam ſuſcepi, author mihi fuit, ut hunc meum laborem nomini tuo conſecrarem: exiſtimans, quoniam Budæum paulò antè vita fruentem unicè dilexiſti, quicquid de eo mortuo ſcriberetur, tibi fore gratiſſimum. Ego vero tametſi videbatur id alienum inſtitutis meis, & in primis arduum, ſtatuebam tantam rem, tam expectatam & diligentia conſequi, & memoria complecti, & oratione exponere: tamen viro clariſſimo atque doctiſſimo & juſta imperanti, & præclara cupienti non parêre nefas eſſe putavi, eoque magisque non aliunde poteram honeſtius primam ineuntis adoleſcentiæ commendationem ducere. Itaque non auſus Patroni mei aut authoritatem aſpernari, aut voluntatem negligere, recuſandi pudore ſcribendi onus ſuſcepi. Quod autem erat optandum maximè, ut mihi juris ſtudioſo daretur aditus ad te ſummum juris Antiſtitem, juriſconſultorumque principem, & quod unum ad meas rationes maximè pertinebat, id non fortuitò, ſed propè divinitus datum atque oblatum videtur. Quamobrem

quoniam

quoniam propter obſcuritatem in hominum ignoratione adhuc jacui, nixus præſtantiſſimi viri authoritate, ad tuam Amplitudinem confugio: inde aut præſidia adverſus invidiam, aut laudi, ſi qua fortè naſcatur, adjumenta quæſiturus. Nemo enim te uno dignior occurrebat: quem in maximis graviſſimiſque cauſis Reip. noſtræ cognitum, in primiſque ſpectatum Franciſcus Rex Regum potentiſſimus & ſapientiſſimus per omnes honorum gradus ad ſummum extulit Magiſtratum. Quem ita geris, ut diligentiam admirentur omnes, virtutem agnoſcant: ſitque intellectu difficile, utrum is magiſtratus ornet te magis, an ornetur à te: Nec verò in minima tua laude ponendum eſt, quod ut ſemel tanto honore auctus es, tecum habuiſti Budæum ſemper, captus ejus & virtute & doctrina: hunc nuſquam à te dimittere, tecum quocunque proficiſcereris deducere, in ſuaviſſimo convictu tuo honorificentiſſimè detinere voluiſti, qui cum remotus ab oculis populi in ſtudiis cognoſcendi ſemper aliquid aut diſcendi, quantum reipublicæ ſuperfuerat temporis, libentiſſimè atque multò verius cupidiſſimè contereres. Quare interim extimeſco, ne refricem hiſce meis literis deſiderium, ac dolorem tuum: quem ex interitu illius longè acerbiſſimum accepiſſe te ſciunt omnes. Quid enim non doleas ereptum tibi hominem magno ingenio? admirabili doctrina? ſingulari prudentia? & tecum omnium conſiliorum ſocietate conjunctiſſimum? Quæ ſi unà cum illo occidiſſent, immoderatius doctiſſimi viri deſiderium ferendum eſſet. Sed nec illa occiderunt, ælenturque æternitate, & augebuntur totius poſteritatis memoria. Doctrinam ejus viri coluiſti, quæ vivit, ſemperque vivet in omnium gentium mentibus ac ſermonibus: multò notior, atque illuſtrior poſteris quam præſentibus futura. Accipies igitur hunc librum exiguum quidem & tenuem, ſicuti naſcentia omnia ſunt & incipientia, nec tam re & maturitate, qualia ſolent eſſe adoleſcentiumque ſpe fortaſſis & exſpectatione commendandum, quem tamen ſpero tibi fore jucundum, tum Budæi ipſius cauſa, cujus honori deſtinatus eſt, tum Conſtantienſis Epiſcopi tuæ amplitudinis obſervantiſſimi nomine, cujus cum eſſem mancipio & nexu proprius, tuum tamen eſſe voluit uſu & fructu,

Vale.

PRÆFATIO.

PRÆFATIO.

SI QUIS converſiones rerum humanarum conſideret, & vetera animo repetat, comperiet non omnibus ætatibus, ſed aureis (ut ita dicam) quibuſdam ſæculis egregios homines extitiſſe, in quibus vires ſuas natura potiſſimum ſit experta. Non enim Demoſthenem & Ciceronem præſtantiſſimos oratores, nec Platonem & Ariſtotelem principes ingenii & doctrinæ, nec Homerum & Virgilium clariſſimos poëtas, nec Hippocratem & Galenum medicorum lumina temerè aut fortuitò ſatos & creatos fuiſſe credendum eſt. Sed profectò fuit quædam vis quæ generi conſuleret humano, illoſque gigneret & aleret: ut artes ad bene beateque vivendum neceſſarias aut invenirent ipſi, aut inventas perpolirent, abſoluerent, atque ad ſummum perducerent. Ac noſtra quidem ætate, qua omnes bonæ artes ſeſe rurſus erigere cœperunt, natura ex ſuperiorum temporum caligine recreata, multos homines claros & magnos in omni virtute, omni diſciplinarum genere protulit: inter quos admirabile eſt, quantum Budæus unus excellat, ſive utriuſque linguæ cognitionem, ſive magnarum artium, & reconditarum rerum ſcientiam, ſive vitæ integritatem, ſive præclara ingenii monumenta, ſpectemus. Itaque ſuſcepi more Majorum laudabili illo quidem, ſed multis ſæculis intermiſſo, vitam tanti viri explicandam. Nam fuit olim uſitatum, ſtatuere claris hominibus ex marmore, aut ex ære ſtatuas, teſtes diu futuras magnorum in remp. meritorum: & ſimul eorum dicta factaque poſteris prodere, ut cum has imagines intuerentur, animum & mentem ipſa præſtantium hominum cogitatione confirmarent, certarent cum illis probitate & induſtria: neque prius conquieſcerent, quam virtute famam illorum ac gloriam adæquaviſſent. Noſtra ætas neſcio quo pacto virtutem invidia potius, quam imitatione proſequitur, & honeſtos labores contumelia libentius, quam ſplendore decorat: ac ſpretis his quorum aut ſcripta aut facta proximè ad antiquorum gloriam perveniunt, veterum laudes cupidius audit. Perinde quaſi omnis flos ingeniorum ſiti veteris ubertatis exaruerit, aut antiquis ſolis aditus ad virtutem patuerit, nobis vero ſit intercluſus. Minuenda nimirum eſt hæc opinio tanquam inimica virtuti, vel potius ex animis hominum evellenda: quam ſit ingrati, credere naturam omnium parentem cuncta ſua munera olim effudiſſe, ut in poſterum ſterilis effœtaque maneret? Quòd ſi ad hujuſce noſtri ſæculi fœlicitatem animum convertere velimus, ſine dubio comperiemus noſtros homines antiquis ingenio non inferiores, multos doctrina pares, ſtudio autem & induſtria longè ſuperiores: nec minoris æſtimandos, niſi cæcitate quadam animi eorum laudi & gloriæ invidere, quam favere mallemus. Quamobrem reſipiſcamus aliquando, grati ſimus in æqualium virtute decoranda: ſimus diligentes in illis celebrandis, quibus nulla laus tribui non debita poteſt, tametſi Budæus pro ſe ſatis habetur illuſtris, nulliusque prædicatione eget quo celebrior ſit & commendatior. Eſt ille quidem preclaris ingenii monumentis ad omnem

Memoriam commendatus. Tamen è dignitate patriæ, ex uſu omnium qui literis dant operam, fore putavi, ſi ejus imaginem non ſolum ad intuendum, verum etiam ad imitandum quoquomodo exprimerem. Quemadmodum enim qui vi tempeſtatis à recto curſu longius aberrarunt, in noctem conjecti, ſi ex continente lociſque ſuperioribus, unde eſt propinquus aſpectus in mare lumen conſpexerint, facile naufragium effugiunt, tutumque receptum inveniunt: Eodem modo qui ſeſe ſcientiæ cognitioniſque ſtudiis dediderunt, ſi varietate rerum magnitudinemque tanquam fluctibus oppreſſi, animum contrahant aut demittant, ſplendore præſtantium hominum & exemplo, velut gubernaculo, eriguntur ac reſiſtunt, atque ex procellis difficultatum, ex æſtibus curarum, per anguſtias, per vada, per ſaxa & cautes in portum doctrinæ velis paſſis pervehuntur. Itaque cum omnibus exploratum erit quæ ſubſidia Budæus habuerit ad tantam eruditionem, quibus initiis ac fundamentis tantæ ſummis in rebus laudes excitatæ fuerint: quam contrà impedimenta obſtiterint, & qua induſtria ſuperarit, ut jam planè grandis & ſine præceptore literas didicerit, quam multa in vita occupatiſſima legerit, tractarit, ſcripſerit, ex his fructum illum vel maximum precipient in rectam diſciplinæ viam ingreſſi: quod intelligent, qui majorem diſcendi commoditatem habent, minimè illud ipſum quod eſt ſummum, deſperandum eſſe, modo quod efficere, aut quò progredi poſſint experiantur, & adhibeant ad conſiderandas res honeſtas, cognitioneque dignas & tempus & diligentiam. Ad hæc cum genus vitæ, naturam, mores, gravitatem, conſtantiam, præſtantiam, atque prudentiam intuebuntur, id quoq; intelligent quod precipue his temporibus ſalubre & frugiferum exiſtimo, nempe ex literis non oſtentationem ſcientiæ, ſed integritatem morum multò magis eſſe quærendam. Nam videre licet quoſdam ex his qui literas profitentur, tanta eſſe levitate & jactatione, ut his fuerit non didiciſſe melius: alios gloriæ cupidos, temerè & inconſultò quoduis ſcribere: maledicendi avidos nonnullos, alienæ famæ paſſim obtrectare: multos, omnis generis flagitiorum ſervos ut literarum dignitatem mirabiliter comminuant, vel dedecorent potius. Nec verò me fugit quanti ſit negocii vitam tanti viri totam explicare: & eam non modo in animis, ſed etiam in oculis conſpectuque omnium exponere. Quod ſi minus ea bene dicendo conſequar (Quis enim id ullo modo poſſet?) quæ Budæus bene agendo conſecutus eſt, etſi nequaquam parem illius virtuti facultatem orationis afferam; at pro noſtro ſtudio meritam gratiam debitamque retuliſſe, nullam apud æquos rerum æſtimatores reprehenſionem habebit. Erit interea ſatis id quidem nobis contendiſſe, non modò uti doctum, quod orbis terræ judicio comprobatum eſt: ſed ſummum etiam ac ſingularem virum fuiſſe Budæum, & cùm prudentia, tum omni virtute excellentem per nos poſteritas cognoſcat. Sed jam ad id quod nobis inſtitutum eſt, veniamus.

GUL. Budæus Lutetiæ Pariſiorum nobiliſſima & antiquiſſima ſtirpe ortus, majores habuit ampliſſimis honoribus functos: qui multis in rebus principibus noſtris magno uſui, & reip. ornamento fuerunt. Patre uſus eſt copioſo in primis, &, ut tum erant tempora, à literis non abhorrente. Puer admodum ab eo præceptoribus eſt traditus, ut literis inſtitueretur. Perſonabant adhuc omnes ſcholæ vocibus imperitorum hominum & barbarorum, nec-

dum

dum politioris doctrinæ ſplendor Gallis illuxerat. Quapropter cum vix primoribus labris Latinos ſcriptores attigiſſet, quod fuit in more majorum inſtitutoque poſitum, Aureliam celebrem urbem, ut ibi jus civile diſceret, eſt miſſus. Quo in gymnaſio triennium verſatus, operam penè omnem perdidit. Neque enim ignarus latinæ linguæ, & ab aliis diſciplinis imparatus, artem illam reconditam & multiplicem ſubtilemque cui ſeſe dediderat, cognitione & ſcientia poterat comprehendere. Domum revocatus, cum aliis quibus odoleſcentia capitur voluptatibus, tum venationi atque aucupio præcipuè indulſit. Quæ tamen eum non diu occupatum impeditumque tenuerunt. Nam paulatim deferveſcentibus ejus ætatis cupiditatibus, illiſque deliciis maturè defloreſcentibus, omnium opinione celerius immutatus, tanto demum literarum amore exarſit, ut negociis omnibus omiſſis, totum ſe in cognitione & ſcientia collocaret. Itaque omittere omnes voluptates, relinquere ſtudia delectationis, ludos, jocos, convivia, ſermones etiam omnium penè familiarium deſerere: non cibi, non ſomni, non corporis rationem habere: arbitrari omne tempus deperire quod in literis non collocaretur. Ad quæ facienda nullo exemplo poterat excitari. Neq; enim facile quiſquam reperiebatur id temporis, quem ſibi ad imitandum proponeret, aut cujus gloria incenderetur. Verum erat inſita quædam diſcendi in ejus animo cupiditas, quæ noctes & dies illum concitabat, atque admonebat nihil eſſe in vita magnoperè expetendum præter ſapientiam, atque ſcientiam. In ea perſequenda omnes cruciatus corporis parvi eſſe ducendos, eſſe hanc unam, quæ brevitatem vitæ, immortalitatis ſpe, poſteritatis memoria conſolaretur. Hanc neque eripi nec adimi poſſe, neque naufragio neque incendio amitti: cætera omnia caduca & incerta in fortunæ temeritate poſita, parva interdum offenſione, veluti grandine totius anni fruges auferri. Quæ ſecum perſæpe reputans, cuncta ſciendi cupiditate poſteriora tandem duxit. Primus certè Gallorum rudi adhuc ſæculo, ſine præceptore ac duce, nullo ſocio aut conſorte glorioſi laboris, nullo æmulo atque imitatore ſtudiorum, in optimarum artium curriculum prodiit. Cæterum cum is non poſſet per ætatem optimos quoſque authores eligere: nec ſciret a quibus potiſſimùm auſpicandum eſſet, in conſtituendo ſtudio plurimùm peccavit. Deterrimum enim quemq; librum ſumens in manus, interpretes aliquanto intentius quam authores ipſos legebat. Ex quorum illiteratis annotationibus, nihil præter inconditam rerum temerè congeſtarum ſylvam poterat comparare. Quo errore intellecto, etſi graviter ferebat ſe veſtibulo in ipſo adituque impegiſſe, non tamen animum deſpondit: ſed ſenſim vitia in quæ dilapſus erat, quæque per imprudentiam hauſerat, eluit, & magna ſuſtulit difficultate. Hanc verò fecit inſtituti mutationem, ut optimum quemque legeret ſine interpretibus, & Ciceronem in primis ad verbum diſceret. Sæpius enim lectionem à capite repetendo, hoc boni conſequebatur, ut prima cum mediis, media cum extremis conferendo, facilè totius orationis curſum cerneret, ipſumque authorem ſuæ ſententiæ quaſi interpretem haberet: res etiam reconditas, quæ plærumque in ſcriptoribus occurrunt, intelligeret eadem exercitatione & diligentia. Itaque paucis quidem annis, ſed plurimo certe ſtudio Romanis artibus & literis ita profecit, idque intra domeſticos parietes, ut jam ſive ad oratores, ſive ad poëtas, ſive ad hiſtoricos ſe converteret, facilem & expeditam

eorum intelligentiam haberet. Cupiebat magnoperè Græcas quoque literas discere: à quibus omnis rerum optimarum atque artium ubertas petenda est. Id fuit eò difficilius, quòd nulli suppetebant præceptores, à quibus doceretur atque erudiretur: tum quòd Græcorum lingua nondum erat in Gallia cognita, quodque posteaquam cognita, non multum culta, paucis certè grata & probata, pluribus etiam suspecta & invisa diu fuit. Sed incredibilis discendi ardor nequaquam restingui potuit his difficultatibus. Venit eodem tempore Lutetiam Georgius Hermonynius, qui se Lacedæmonium nuncupabat, homo mediocris, & aut nulla aut humili doctrina præditus. Hic quia solus in Gallia ea tempestate græcè scire videbatur, initio fuit nostris hominibus summæ admirationi. Quem Budæus nactus, magna mercede conductum ad se accersivit, & antequam dimitteret, amplius quingentis nummis aureis donavit. Adeo nulli nec sumptui nec pecuniæ parcere in animum induxerat, dum id quod cupiebat quoquo modo assequeretur. Itaque huic Græco cum aliquot annis operam dedisset, & eo prælegente audivisset Homerum authoresque alios insignes, nihilo doctior est factus. Neque enim præceptor ille plura docere quam sciret, poterat: & Græcas literas eatenus noverat, quoad convenit sermoni literato cum vulgari: & nisi quod legere optimè, & è more doctorum pronunciare videbatur, expers erat omnis eruditionis: & qui pingendis literis Græcis victum quærere tantummodo nosset. Non ita multò postea decedens ex Italia venit in Galliam Janus Lascaris, vir cum genere & nobilitate præstantissimus, tum Græcorum omnium hujus memoriæ facilè doctissimus. Qui cognito Budæi studio in Græcas literas, quanquam erga hominem mirificè afficiebatur, ejusque causa omnia cupiebat, non multum tamen potuit juvare: quum ferè ageret in comitatu regis, aut legationes longinquas obiret, & Budæus in perennibus studiis domi se contineret. Fecit tamen non invitus quod potuit vir humanissimus atque facillimus, ut præsens Budæo aliquid prælegeret: quod vix in omni consuetudine vicies contigit, & absens libros suos quos emendatos maxime, & lectissimos habuit, ejus fidei mandaret. Mathematicas disciplinas ab Jacobo Fabro nobili philosopho didicit: ad quas tantum ingenii & alacritatis initio attulit, ut evolare non excurrere videretur. Itaque dum Faber multa proponit, Budæus omnia assequitur, eò res venit, ut prius ille docendo defatigaretur, etsi magnam mercedem accipiebat, quàm hic discendo. Neminem præterea audivit, sed partim felicitate ingenii, partim assiduitate & diligentia cætera quæ ad optimarum artium, & utriusque linguæ cognitionem spectant, est consecutus. Ab his autem initiis profectus, tantos in suis studiis progressus fecit: ut nostra ætate principem locum in literis tenuerit omnium confessione. Ipse quidem Lascaris, etsi Græci in communicanda sua cum exteris laude parciores sunt, tamen admiratus elegantiam Attici sermonis, quam scribendo fæliciter exprimebat, de eo dicere persæpe solebat (ut scribit Lazarus Bayfius vir amplissimus atque eruditissimus) quod olim de Cicerone Apollonius dixit, nempe doctrinam & eloquentiam quæ solæ Græcis erant relictæ, sic per Budæum hoc tempore in Galliam esse perlatas, ut olim per Ciceronem ereptæ languenti Græciæ, Romam advenerant. Accepi Christophorum Longolium, dum Lutetiæ in utriusque subsellii Jurisconsultorum versaretur, interea cupiisse græcas literas discere, & maximo-

pere

pere à Budæo petiviſſe, ut ſibi quotidie aliquid prælegeret. Exiſtimabat enim authoritatem viri præſertim tanta eruditione cumulatam, magnum ſibi ad eam rem calcar addituram: tanto certè uti præceptore in primis honorificum ducebat. Budæum reſpondiſſe, negotiis familiaribuſque & forenſibus diſtrictum prælegendi ocium non habere: adjuturum tamen quod poſſet, adhiberet alium magiſtrum vel mediocrem ſi inveniret, loca obſcuriora animadverteret, & notaret, quum liceret, ſui copiam facturum. Poſteaquam Longolius id obſtinatè ſibi vidit negari, omni ſpe impetrandi adempta, graviter commoveri cœpit, malè ſuſpicans Budæum hanc eruditionis partem, qua ſolus præſtabat, aliis invidere, ac propterea neminem velle in ſocietatem ejus gloriæ admittere: Conſilium exinde iniiſſe cum Lazaro Bayfio Romam proficiſcendi ad diſcendum Græcas literas, ea præcipuè cauſa, ut Budæum ſuperaret, à quo acceperat repulſam, illum à ſeipſo edoctum tantum proceſſiſſe in literis Græcis, & omni arte ingenua liberalique doctrina: ſibi facultatem, ſibi magiſtros ſibi denique paratiora omnia ad diſcendum fore. Quibus ex rebus in magnam victoriæ ſpem & propè exploratam venerat. Romam ergo profectus cum doctiſſimis adhibitis præceptoribus quinquennium in Græcis ſcriptoribus legendis perſeveraſſet, Græcè Epiſtolam ad Budæum miſit, jam tum ſeſe homini arbitratus exæquatum. Cui Budæus tam concinnè & accuratè reſcripſit, (extat autem Epiſtola) ut Longolium primum in admirationem ſummam adduceret, deinde etiam in deſperationem. Bayfius quoque ejus Epiſtolæ elegantia ita obſtupuit, ut tum ingenuè fateretur, multum adhuc ſupereſſe quò progrederentur: & Longolium identidem admoneret, vix illud perfici poſſe quod tentarent. Quocirca Longolius, quanquam eſſet magni vir animi, tamen deſperatione debilitatus, noluit amplius in eo laborare quod ſe aſſequi poſſe diffideret. Verum ſe retulit ad Romanas literas, futurus haud dubiè, ſi diuturniorem lucis uſuram Superi conceſſiſſent, omnium non noſtræ modo ætatis, ſed eorum etiam qui poſt Ciceronem latinè locuti ſunt, in dicendi facultate Princeps. Magna ergo Budæi laus, quòd à duobus excellentis ingenii juvenibus, hiſce ſtudiis ardentibus, ocio abundantibus, ejus æmulatione incenſis eaque cauſa domo tam longinqua profectis, uberrimis præterea artibus ornatis, conſuetudine, ſententiis, voluntate conſociatiſſimis, omnibus vel naturæ præſidiis, vel fortunæ adjumentis ad diſcendum paratiſſimis, toto denique pectore ad laudem incumbentibus non potuerit anteverti. Hocque in eo magis mirum: quòd jam ætate provectus literis ſtudere cœpit, quod in tanta occupatione vitæ, tot impedimentis principio illatis curſum nihilominus potuit tenere. Sed ita in humanis rebus à natura comparatum videtur, ut pulcherrimo cuique operi difficultas proponatur, & tardè creſcentia ſint diuturniora & perfectiora. Proinde ſicut animalia majora diutius viſceribus parentum continentur, & arbores proceriores tardius adoleſcunt. In arborum autem ipſarum baccis & frugibus terræ, quæ lentius matureſcunt, hæ ſunt meliores & longius ſervantur: Sic præclara ingenia quæ ad frugem ſunt perventura, non continuo ſe proferunt: ſed quanto uberiores fructus datura ſunt, tanto difficilioribus utuntur progreſſionibus, præcocia verò tanquam floſculi celeriter emoriuntur, vel raro ſine offenſione ad excellentem ſtatum perveniunt. Quapropter quò ſerius ad literas ſe applicuerat, eò majore curſu tarditatem corrigendam

dam ratus, brevi jacturam ſuperioris ætatis reſarcivit. Tantus erat in eo bonarum artium amor innatus, ut cæterarum rerum oblitus, quiduis perpeteretur ipſa cognitione & ſcientia captus: curas, ſollicitudines, vigilias perferret, nec voluptatem requirens aliam, quàm quæ ex literis capitur, nec ullum fugiens laborem. Ita mentem ſuam in rebus cognoſcendis quæ ſunt ab antiquis repertæ, aut inveſtigandis novis alebat cum oblectatione ſolertiæ: quem unum ſuaviſſimum animi paſtum judicabat. Erat in eo inexhauſta aviditas legendi, nec ſatiari poterat. Quemcunque librum ſemel arripuiſſet, nulla nec obſcuritate terreri, nec novitatis illecebra adduci potuit, ut de manibus deponeret priuſquam perveniſſet ad metam. Forte evenit ut haberet ſermonem de ſuis ſtudiis apud Franciſcum Regem multis audientibus viris ampliſſimis, in quibus aderat Viſtus Præſes concilii Pariſienſis, Budæo non ſolum vicinitate, ſed etiam conſuetudine & benevolentia conjunctiſſimus: tum ſummæ ejus diligentiæ & teſtis locupletiſſimus, & laudator certiſſimus. Producto longius (ut fit) ſermone, cum alia aliis adderentur quæ obſtupeſcerent audientes, & rex magnopere miraretur: hæc Viſtus ſubjunxit, Budæus è regione ædium mearum (ait) plus decem annis jam habitavit: tamen quoad poſſum totius ejus ſpatii memoriam recordari, hunc nunquam vidi, ne diebus quidem feſtis in limine domus (ut aſſolet) ociantem, nunquam horis pomeridianis circulantem, aut prætereuntes circumſpicientem, nullum denique tempus vacuum laboris ſibi dantem animadverti, aut unam dieculam remittentem relaxandi animi cauſa. Quorum admiratione cum omnes in ſe convertiſſet, rex à Budæo ſciſcitatus eſt, num ille vera prolocutus eſſet: verecundè agnovit omnia, & his alia majora quotidie facere ſe dixit: quæ ſi vulgò proferantur, vix habuerint fidem. Atque hæc quanquam difficillimum eſt non dicam augere aut ornare oratione, ſed enumerare aut conſequi, tamen commemorabuntur quomodocunque ne cujus ingenium admiramur, ejus ignoremus induſtriam. Itaque diebus feſtis operatus ſacris, quod reliquum erat diei, non intempeſtivis conviviis, non aleæ, non pilæ (quemadmodum magna pars hominum) ſed recolendis ſuis ſtudiis impertiebatur. Nuptiarum etiam die, qui eſt lætitiæ & hilaritati dicatus, minimum tres horas ſtuduiſſe commemorant, ne parva quidem momenta per incuriam ſolitus prætermittere. Quod ſi gerendis rebus interdiu diſtineretur, nunquam ſe ſomno dabat, quin tantundem lucubratione nocturna rependeret, quantum perierat diurni temporis literis deſtinati. Non uxoris amor quam unice diligebat, non liberorum blandimenta, non rei familiaris cura illum à literis ullo unquam tempore abſtrahere, aut retardare potuerunt. Diem ita conſumebat. Mane excitatus è ſomno, literis ſe abdebat uſque ad tempus prandii: priuſquam diſcumberet, ſe exercebat modica ambulatione. Poſt cibum duæ propemodum horæ variis ſermonibus ducebantur: inde ad eaſdem vices redibat, nihil, à cœna quam ſerò admodum faciebat, ſolitus legere, aut ſcribere. Utebatur ſumma in victu continentia, cibi potuſque modum naturali deſiderio, non voluptate finiens: neque extructa menſa, neque apparatis conviviis magnopere delectabatur. Memoria tam felici fuit, ut ea quæ ſemel in animo hæſerant, nullo temporis ſpatio longinquitateve delerentur. Viſus eſt ſæpe, cum multos verſus recitaret non modò integris ſenſibus, ſed ſingulis etiam verbis eorum authorum quos in manibus viginti aut triginta

totos

totos annos non habuerat. Porrò autem fuit, ſicut dictum eſt, uſque eò diligens & induſtrius, ut quicquid in ſuis ſtudiis profecerit aſſiduitati penè ſoli deberi videatur. Itaque nihil erat ulla in arte rerum omnium quod ipſe neſciret, omnium bonarum artium ſcriptores ac doctores cum Græcos tum Latinos legerat & pervolutarat: nec ſolum has artes, quibus ingenuæ ac liberales doctrinæ continentur, literarum cognitionem, & poëtarum, & antiquitatis totius memoriam, atque illa quæ de naturis rerum, de hominum moribus, de rebus publicis diſputata ſunt, aſſecutus erat: ſed etiam jus civile perdidicerat, medicinam cognoverat, diſciplinam ſaeram univerſam perceperat cum antiquiorem, tum novam, quæ ſunt in hominum vita omnia quæſita, audita, lecta habebat. Poſtremo nihil his temporibus ſciri diſcive potuit, quod ille non cum inveſtigarit, tum etiam ſcierit. Quanquam is quidem doctrinæ ſuæ diſſimulator magis quàm oſtentator fuit. Nemo illo parcius loquebatur, nemo minus aliis ſeſe venditabat, nihil unquam fere niſi peteres, niſi etiam rogares, explicabat. Ineunte autem ætate amici videntes illum ſic addictum ſtudiis humanitatis ac literarum, abjecta cura rei familiaris vel tuendæ, vel amplificandæ, quiſque pro ſua virili revocare nitebantur, modò ignominiam, modò inopiam, ſi in inſtituto perſiſteret, denunciantes. Eſſe id fato quodam literarum comparatum: ut quo quis ingenuas artes complectatur ſtudioſius, hoc fortunæ fluctibus jactetur acerbius. Jus civile ſibi potius perdiſcendum proponeret, quod à prima coluerat ætate: ex ejus artis cognitione fore, uti magnam gratiam colligeret, & ad honores ſummamque gloriam perveniret. Pater verò ubi reſcivit illam ſine intermiſſione effuſam contentionem, opinione omnium majorem animo cepit dolorem. Timebat enim filio jam ingenii laudibus efflorescenti, ne tempeſtate aliqua abriperetur, eoque magis, quòd in decurſu ſtudiorum & illo adoleſcentiæ flexu videbatur prudens & ſciens tanquam ad exitium ruere voluntarium, cum tamen in eo magnam dignitatis ſuæ & familiæ ſpem dudum collocaſſet. Itaque refrænare illum tanquam vehementiore ad literas ſtudio concitatum, ſuadere, monere, aliis atque aliis occupationibus diſtinere, perſonarum etiam civilium, quas olim geſſerat, unam imponere: quaſi hoc invitamento honorum de ſententia deduci poſſet, & erigi ad majora. Sed neque patris authoritas mentem convertere, nec cohortatio voluntatem commutare, nec honorum ſplendor alacritatem ſtudiorum potuit reprimere. Quinimo quanto pater acrius inſtabat, tanto ille magis & laborem & induſtriam augebat. Hanc ergo pertinaciam, quæ adeo efferbuerat, cum nec indulgentius monendo, nec ſeverius objurgando mitigare poſſet, nec ſaltem perficere, ut id quod agebat, ageret temperatius, viſum eſt tandem patri cum filio ſeorſim ſic agere & loqui, Quid tibi vis, aut quid quæris? quid hoc tempore omni noctes & dies in iſtarum diſciplinarum meditatione verſaris? an me vivo conficies te vigiliis & laboribus? idcircone te tanta cura educavi, ut te in exitium ultrò præcipitares? in tua indole ſpem collocavi, ut ſenectuti meæ mœrorem & orbitatem afferres? Te enim intuens, qui es mihi chariſſimus, non poſſum non miſereſcere tuæ ſortis, quòd inſano literarum amore flagrans, nec modum ſtudio facias, nec finem labori, finxerit te natura ad humanitatem & doctrinam, ad eam te ſerius applicueris, an propterea feſtinandum tibi ita putabis, ut per incuriam corporis in morbum

bum incidas? & per negligentiam rei familiaris, jacturam patrimonii feras? Quanto ſatius eſſet Majores tuos reſpicere, & illorum veſtigia perſequi, aut ſaltem quando ſententia ſtat ætatem in ſtudiis agere, in his moderatius verſari, in primiſque valetudini ſervire. Satis ſuperque ad diſcendum longa eſt vita, ſi ordinem ſerves & rationem & modum. Quamobrem videas etiam atque etiam & conſideres quid agas, & quo progrediare. Si te oratione mea non flectam, nihil cujuſquam proficiet apud te dehortatio. Nam neque auctoritate quiſquam, neque benevolentia apud te plus valere debet. Erat eo robore animi ſeptus, ut illa eadem ſæpe & graviter audiendo vinci non potuerit: adduci verò ut preſeverantiæ finem faceret, multo minus: & quodvis potius periculum ſibi adeundum, quàm à ſperata eruditionis gloria diſcedendum putaret. Adeo nihil quicquam tam aſperum, tamque arduum occurrebat, quod moraretur inceptum. Atqui progrediente tempore, uſu rerum & magno ſuo periculo, patris verbum nimis verum comperit: nec tam ab indignatione (ut fit) expreſſum, quàm prædictum hominis & ætate & experientia plus ſcientis & providentis: quippe qui propter valetudinem qua uſus erat infirma, ab anno ætatis quinquageſimo uſque ad ſeptuageſimum, quem tum agebat, medicinæ ſtudioſus experienſque evaſerat, quo certius præſagiebat quæ ventura erant filio, niſi monitus præcaveret. Poſtremò res eò rediit, dum literarum magis ſtudioſus quam lucis cupidus eſſe pergit, dum hoc ſublato bono vitam nihili putat, in gravem & diuturnum morbum eſt prolapſus, quo annos plus viginti ita afflictatus eſt, ut omnis prope hilaritas è frontè, alacritas ex animo, feſtivitas in occurſu, urbanitas & comitas in convictu eximeretur, ingraveſcens quoque indies literarum amor infringeretur, ne veſtigium quidem ejus nec ſimulachrum, ſed quædam effigies ſpirantis mortui appareret. Morbus erat ejuſmodi, ingens dolor cum tumore circum fauces fiebat, & jugulum tumultuoſè appetens tantum terrorem interdum noctu injiciebat, ut poſtridiè mane miraretur ſe incolumen, ſpiritum recordatus intercluſum, & ſubinde reſtitutum, uxor edocta, aduenientem morbum & creſcentem intelligens, virum variè verſando, humeroſque feriendo levabat dolorem. Verum inde pallor multus in vultu, raritas pilorum in capite, macies & ſtupor in corpore, in omnibuſque artubus debilitas ſumma ſequebatur. Quæ cum medicis ſtupentibus perſæpe narraret, fidem tanti mali facere non poterat, cujus ipſi exemplum non meminiſſent: idque alternis propè menſibus recurrebat. Accedebat ad hæc quotidiana capitis gravedo: quæ illi commentanti aut legenti quidpiam erat mirum in modum infeſta. Et quoniam ex humoribus gravantibus caput hic morbus effici creditur: ſi exitum in capitis vertice haberent, per quem evaporarent, magnam morbi allevationem medici pollicebantur. Quare conſilium dederunt, ut candenti ferro ſineret cutem denſam, quæ caput obtegit, perforari. Eſſe meatus in calva, per quos ſurſum exirent vapores. Id factum eſt, ſicut præceperant, magno cum cruciatu. At nihil momenti habuit curatio tam anceps & difficilis. Quippe ubi in cerebrum aſcenderant halitus ſpiſſi & graves, inſiſtebant, finemque faciebant ſe altius efferendi: ſimul ibi concreſcentes, deinceps liqueſcebant, & defluentes ſuopte nutu in frontem, in tempora, in oculos ferebantur, ut ſæpenumero in media lectione obdormiſceret, & invitiſſimus ſomno conſopiretur. Verum nihil horum

horum malorum, quanquam peracerba erant, eum labefactavit, ut erat animo invicto, & reluctante semper difficultatibus. Quinimo quod magis mirandum censeo, omnia ipsius scripta intra id tempus, quo tam graviter periculoseq; ægrotabat, fere instituta, orsa, & edita fuerunt. Primum ingenii specimen dedit Græcis authoribus in Romanam linguam transferendis. Quæ exercitatio plurimas & maximas commoditates continet, ingenium alit, judicium auget, facundiam locupletat optimis verbis. Quo in genere sunt ab eo explicati Plutarchi libri De tranquillitate animi, De fortuna Romanorum & Alexandri Magni, De placitis philosophorum: qui tantum commendationis habuerunt, ut vix crederentur ab eo versi, nisi postea aliis industriæ ingeniique documentis opinionem de se excitatam confirmasset, vel potius vicisset. Deinde cum libros Digestorum diligentius ad suum studium evolveret, & multis in locis partim mutilatos, partim mendosos deprehenderet: tum verò quod flagitiosius erat, verba plurima lecta & propria animadverteret in alienum usum ignorantia temporum translata, hac indignitate permotus scripsit Annotationes in Pandectas, quibus in posterum libri illi emendatius & intelligentius legerentur. Primus quidem nostra ætate juris civilis fontes aperuit, unusque tam excellentis ac singularis scientiæ in veterem dignitatem vindicandæ: quæ hactenus fœdissima barbarie perculsa jacuerat & prostrata, fundamenta jecit, & princeps tanti operis authorque extitit. Reliquit aliud opus de vocabulis forensibus, ad illustrandam quoque juris civilis disciplinam pertinens, impolitum quidem illud & adhuc rude, qualia erant quæ annotabat, ordine structuraque per ocium informaturus. Idcirco salva dignitate authoris vix posse evulgari videtur. Post cum & Plutarchi translationibus jam celebris, & annotationibus in Pandectas clarissimus evasisset, divinum opus de Asse instituit. In quo ægram ac propè comploratam rei literariæ partem susceperit, atque à nullo dum præ difficultate sublevatam, animadversione multa, ingenii singulari fælicitate, industria mirabili, instauravit. Nam pondera & mensuras veterum, nomismatis Græci Latinique rationem & æstimationem, tum numerandi modum & colligendi, res densissimis obscuritatis tenebris obductas, longis errorum anfractibus implicatas, corruptis exemplaribus propemodum comploratas, incuria temporum neglectas, & non modo à quoquam scriptorum nostræ aut auorum memoriæ, sed ne ab his quidem qui intra mille annos ac longe plures fortasse fuerunt, intellectas, omnibus vestigiis indagavit, explicuit, illustravit, & restituit in pristinum nitorem. Priscam quoque mundi opulentiam, atque omnium gentium divitias in ærarium (ut ita dicam) civitatis Romanæ, jam planè tot seculis exhaustum, intulit. Quo nomine posteritatem omnem immortali beneficio devinxit. Quid enim erat in quo studiosis hoc tempore plus prodesset? Quid erat quod aut nationi Gallicæ honorificentius? aut exteris nationibus gratius? aut tuendæ dignitati literarum accommodatius? aut ad intelligendos authores totiusque antiquitatis interpretationem magis necessarium afferre posset? Librarum, sestertiûm, talentorum, totiusque rei numariæ, ponderum, mensurarum, numeri, modi, vocabula græca juxta ac Romana propter vetustatem obsoleverant. Hermolaus, Politianus, & alii complures viri ingenio & doctrina præstantissimi rem tantam infæliciter adorti propter obscuritatem tam honesto conatu destiterant: unus ad extre-

bum incidas? & per negligentiam rei familiaris, jacturam patrimonii feras? Quanto satius esset Majores tuos respicere, & illorum vestigia persequi, aut saltem quando sententia stat ætatem in studiis agere, in his moderatius versari, in primisque valetudini servire. Satis superque ad discendum longa est vita, si ordinem serves & rationem & modum. Quamobrem videas etiam atque etiam & consideres quid agas, & quo progrediare. Si te oratione mea non flectam, nihil cujusquam proficiet apud te dehortatio. Nam neque auctoritate quisquam, neque benevolentia apud te plus valere debet. Erat eo robore animi septus, ut illa eadem sæpe & graviter audiendo vinci non potuerit: adduci vero ut preseverantiæ finem faceret, multo minus: & quodvis potius periculum sibi adeundum, quàm à sperata eruditionis gloria discedendum putaret. Adeo nihil quicquam tam asperum, tamque arduum occurrebat, quod moraretur inceptum. Atqui progrediente tempore, usu rerum & magno suo periculo, patris verbum nimis verum comperit: nec tam ab indignatione (ut fit) expressum, quàm prædictum hominis & ætate & experientia plus scientis & providentis: quippe qui propter valetudinem qua usus erat infirma, ab anno ætatis quinquagesimo usque ad septuagesimum, quem tum agebat, medicinæ studiosus experiensque evaserat, quo certius præsagiebat quæ ventura erant filio, nisi monitus præcaveret. Postremò res eò rediit, dum literarum magis studiosus quam lucis cupidus esse pergit, dum hoc sublato bono vitam nihili putat, in gravem & diuturnum morbum est prolapsus, quo annos plus viginti ita afflictatus est, ut omnis prope hilaritas è frontè, alacritas ex animo, festivitas in occursu, urbanitas & comitas in convictu eximeretur, ingravescens quoque indies literarum amor infringeretur, ne vestigium quidem ejus nec simulachrum, sed quædam effigies spirantis mortui appareret. Morbus erat ejusmodi, ingens dolor cum tumore circum fauces fiebat, & jugulum tumultuosè appetens tantum terrorem interdum noctu injiciebat, ut postridiè mane miraretur se incolumen, spiritum recordatus intercluſum, & subinde restitutum, uxor edocta, aduenientem morbum & crescentem intelligens, virum variè versando, humerosque feriendo levabat dolorem. Verum inde pallor multus in vultu, raritas pilorum in capite, macies & stupor in corpore, in omnibusque artubus debilitas summa sequebatur. Quæ cum medicis stupentibus persæpe narraret, fidem tanti mali facere non poterat, cujus ipsi exemplum non meminissent: idque alternis propè mensibus recurrebat. Accedebat ad hæc quotidiana capitis gravedo: quæ illi commentanti aut legenti quidpiam erat mirum in modum infesta. Et quoniam ex humoribus gravantibus caput hic morbus effici creditur: si exitum in capitis vertice haberent, per quem evaporarent, magnam morbi allevationem medici pollicebantur. Quare consilium dederunt, ut candenti ferro sineret cutem densam, quæ caput obtegit, perforari. Esse meatus in calva, per quos sursum exirent vapores. Id factum est, sicut præceperant, magno cum cruciatu. At nihil momenti habuit curatio tam anceps & difficilis. Quippe ubi in cerebrum ascenderant halitus spissi & graves, insistebant, finemque faciebant se altius efferendi: simul ibi concrescentes, deinceps liquescebant, & defluentes suopte nutu in frontem, in tempora, in oculos ferebantur, ut sæpenumero in media lectione obdormiscceret, & invitissimus somno consopiretur. Verum nihil horum

horum malorum, quanquam peracerba erant, eum labefactavit, ut erat animo invicto, & reluctante semper difficultatibus. Quinimo quod magis mirandum censeo, omnia ipsius scripta intra id tempus, quo tam graviter periculoseq; ægrotabat, fere instituta, orsa, & edita fuerunt. Primum ingenii specimen dedit Græcis authoribus in Romanam linguam transferendis. Quæ exercitatio plurimas & maximas commoditates continet, ingenium alit, judicium auget, facundiam locupletat optimis verbis. Quo in genere sunt ab eo explicati Plutarchi libri De tranquillitate animi, De fortuna Romanorum & Alexandri Magni, De placitis philosophorum: qui tantum commendationis habuerunt, ut vix crederentur ab eo versi, nisi postea aliis industriæ ingeniique documentis opinionem de se excitatam confirmasset, vel potius vicisset. Deinde cum libros Digestorum diligentius ad suum studium evolveret, & multis in locis partim mutilatos, partim mendosos deprehenderet: tum verò quod flagitiosius erat, verba plurima lecta & propria animadverteret in alienum usum ignorantia temporum translata, hac indignitate permotus scripsit Annotationes in Pandectas, quibus in posterum libri illi emendatius & intelligentius legerentur. Primus quidem nostra ætate juris civilis fontes aperuit, unusque tam excellentis ac singularis scientiæ in veterem dignitatem vindicandæ: quæ hactenus fœdissima barbarie perculsa jacuerat & prostrata, fundamenta jecit, & princeps tanti operis authorque extitit. Reliquit aliud opus de vocabulis forensibus, ad illustrandam quoque juris civilis disciplinam pertinens, impolitum quidem illud & adhuc rude, qualia erant quæ annotabat, ordine structuraque per ocium informaturus. Idcirco salva dignitate authoris vix posse evulgari videtur. Post cum & Plutarchi translationibus jam celebris, & annotationibus in Pandectas clarissimus evasisset, divinum opus de Asse instituit. In quo ægram ac propè comploratam rei literariæ partem suscepit, atque à nullo dum præ difficultate sublevatam, animadversione multa, ingenii singulari fælicitate, industria mirabili, instauravit. Nam pondera & mensuras veterum, nomismatis Græci Latinique rationem & æstimationem, tum numerandi modum & colligendi, res densissimis obscuritatis tenebris obductas, longis errorum anfractibus implicatas, corruptis exemplaribus propemodum comploratas, incuria temporum neglectas, & non modo à quoquam scriptorum nostræ aut auorum memoriæ, sed ne ab his quidem qui intra mille annos ac longe plures fortasse fuerunt, intellectas, omnibus vestigiis indagavit, explicuit, illustravit, & restituit in pristinum nitorem. Priscam quoque mundi opulentiam, atque omnium gentium divitias in ærarium (ut ita dicam) civitatis Romanæ, jam planè tot seculis exhaustum, intulit. Quo nomine posteritatem omnem immortali beneficio devinxit. Quid enim erat in quo studiosis hoc tempore plus prodesset? Quid erat quod aut nationi Gallicæ honorificentius? aut exteris nationibus gratius? aut tuendæ dignitati literarum accommodatius? aut ad intelligendos authores totiusque antiquitatis interpretationem magis necessarium afferre posset? Librarum, sestertiûm, talentorum, totiusque rei numariæ, ponderum, mensurarum, numeri, modi, vocabula græca juxta ac Romana propter vetustatem obsoleverant. Hermolaus, Politianus, & alii complures viri ingenio & doctrina præstantissimi rem tantam infæliciter adorti propter obscuritatem tam honesto conatu destiterant: unus ad extre-

mum Budæus huic parti ægrotæ ac propè desideratæ reperit medicinam. Quamobrem quis illum non jure miretur, summeque in eo laudandum arbitretur, quia quo uno adhuc carebamus, quod jacuerat ad hanc ætatem, nec habuerat lumen ullum, in eo illustrando & excitando omnes nervos ætatis industriæque contenderit? nullo emolumento: nisi ut quamplurimis prodesset invitatus. Sed opus tam elegans tam perfectum, tam elaboratum effugere non potuit invidiam & obtrectationem. Innuentique sunt nonnulli, quos non tam præstantia ejus delectaret, quàm splendor offenderet, qui quod laudando debuerant comprobare, invidendo infringere maluerunt, quæ est hujus sæculi labes & macula. Sed si quid malevolentissimis obtrectationibus detrahere conati sunt, id majori illis fraudi fuit, quàm Budæo. Editis enim lib. 5. de Asse, & quoquo gentium dilapsis, tum longè lateque diffusa Budæi laude, inventus est in Italia Leonardus Portius, qui se offerret in hujus societatem gloriæ, immo verò laudem omnem ejus inventi depeculareturi, suam esse totam, & propriam contenderet. Quod cum est ad Budæum allatum, graviter exarsit, quod nihil tam præter opinionem accidisset, quàm ut depelleretur de ejus laudis possessione, quam caducam & vacuam primus bona fide occupasset; & sine cujusquam injuria quasi usucepisset. Igitur vehementissima animi, ingenii, virium, contentione jus suum defendit, atque hoc ipsum palam testatus est, à nullo se unquam homine duntaxat qui viveret, his de rebus quas tradidisset, quicquam didicisse vel fando vel legendo: tantumque abesse ne quid à Portio acceperit, ut omnia quæ sub nomine Portii ad eam prodierant, illa uno eodem continuato perpetuoque furto essent ex suo asse translata. Ac æmulo illi sempiternam notam ad ignominiam inussisset, nisi intercessissent amici. Hæc enim contentio ne latius serperet, Jani Lascaris authoritate perfectum est. Qui cum utrique amicissimus esset, haud æquum putavit, inter honestissimos homines simultatem diutius ingravescere. Et cum apud Budæum plurimum gratia polleret, impetravit, quanquam ægrè, ut digressio in Portium, contumeliosa quidem illa, sed certe expressa à justa indignatione, quam removendæ suspitionis, suique purgandi causa Budæus libris de Asse inseruerat, eximeretur inde. Ac Budæo quidem tantæ contentionis causam attulit Baptista Ægnatius Venetus, omni liberali ingenuaque doctrina apud Italos id temporis florens, qui editis in Suetonium annotationibus tam præclari inventi laudem modò Budæo, modò Portio tribuens, de eadem fidelia duos parietes dealbaverat, & utrique gratificari cupiens, ambos inter se commiserat. Cæterum ut deferbuit ira, usque adeo pœnituit ejus criminationis, qua usus erat in Portium, ut postea noluerit cujusquam injuria magnitudinem animi sui inflectere: quod iracundia præceps in eum esset invectus, quem postea cùm juris civilis disciplina eruditissimum, tum morum probitate alioquin integerrimum intellexisset. Inde exagitatus à multis & lacessitus, semper quievit: nec Georgio Agricolæ Germano eam quoque laudem proximè deliberanti, respondere voluit, ne in eandem quam prius fraudem incideret: dictitans se quod scripsisset, scripsisse animo juvandi rem literariam, omnem diligentiam adhibuisse, ut res obscuræ per se illustrarentur: si quid melius proferretur, se non gravatè concessurum. Posteritatem de eo & sine amore & sine cupiditate, & rursus, sine odio & sine invidia incorruptius judicaturam. Ex quo

ejus

ejus moderatio & æquitas cognoſci poteſt, qui nec ad inferendam injuriam uſ-lo modo poſſet adduci, nec ad referendam facile impelli: magiſque probitatis commendationem quæreret, quàm famam ingenii aucuparetur. Qui candor in doctis multis hodie deſideratur. Scripſit commentarios linguæ græcæ valde & illos probandos. Continent enim omnes propè divitias orationis græcæ, & oſtendunt ſermonis latini cum græco cognationem, opus immenſi ac propè infiniti laboris, & à nemine quod ſciam prius tentatum, ubi arcana Græcorum myſteria enunciavit, & cuiuis ediſcenda propoſuit, quæ vix antea ſolertiſſimis aperiebantur. Genere dicendi uſus eſt amplo, copioſo, gravi, ornato, vehementi, grandi verbis, & omnibus partibus elaborato. Sunt in eo ſententiæ exquiſitæ reconditæque, verba lecta & illuſtria, figuræ plurimæ, tranſlationes crebræ, ambitus productiores, numerus gravis & plenus dignitatis, affectus concitati, acerbitas mira, maximè ubi corruptos mores hujus ætatis inſectatur, omnia quæ ſuſcepit clariſſimis dicendi luminibus ornat, & facit ampliora, novata plurima venuſte, priſca & vetera in uſum ſcitè renovata. Atque hæc quanquan ſcienter & eleganter faciebat, nimium tamen inquirens in ſeſe, atque ipſe ſeſe obſervans, dum in medio poſita nimium refugit, longinqua proſequitur, dum græca profuſius admiſcet, dum metuit ne quid in verbis & ſententiis aut tritum aut vulgare, aut commune colligat, dum uni gravitati ſtudet, nec ſuam copiam temperat, dum ſtylum ad humilitatem vulgi non vult deducere, dum ubique ſublimis & grandiloquus cupit haberi, pleriſque viſus eſt neſcio quid tragicum & confragoſum perſonare. Itaque ejus oratio nimia cura & religione compoſita, doctis & attentè legentibus eſt illuſtris, cæteros non perinde delectat. In hoc genere extant ab eo ſcripti libri tres de Tranſitu Helleniſmi ad Chriſtianiſmum, De Contemptu rerum fortuitarum libri tres, de Philologia lib. duo, Digreſſiones plurimæ in lib. de Aſſe & Annotat. De ſtudio literarum commodè inſtituendo liber unus. Quæ ideo minus habentur in manibus, quoniam perpauci retruſam illam atque abditam dicendi formam figuramque aſſequuntur. Sed enim ad hæc intendenti animum, res omnium difficillima viſa eſt, judicare de aliorum ſcriptis. Nam multiplices naturæ, variæ voluntates & judicia ſemper effecerunt diſtantia inter ſe genera dicendi. Alios delectant ea quæ non diſcedunt à communi more verborum, aliis ornata & elaborata ſunt cordi. Ideo non eſt promptum aut explicare quæ forma dicendi maximè excellat, aut præſcriptum aliquod in hac re ſervare, cum aliud aliis videatur optimum, & in omnibus, ut ait M. Tullius, ſit aliquid excellens. Referam tamen quæ in eo plerique vel reprehenderunt, vel deſideraverunt, & quomodo ſe purgare ſolitus ſit, ne quid quod ad eum pertinet, prætermiſſum eſſe videatur. Metaphoris dicebant nimium delectari, quæ magnum ornamentum orationi afferunt: ſed ut virtutibus vitia proxima ſunt, ſic in his obſcuritatem eſſe fugiendam, tanquam ſtellis quibuſdam notare & illuminare orationem: ſed ſi crebriores fuerint, ea fieri quæ dicuntur ænigmata. Habere autem mirè raras & inſigniter argutas, ſed quam ſemel amplexus eſſet, ab ea vix unquam divelli. Præterea cum ejus ſermo ſine intermiſſione, ſine varietate ſit conſperſus verborum ſententiarumque floribus, & fuſus æquabiliter per omnem orationem, nec umbra adſit aliqua aut receſſus, quo magis id quod eſt illuminatum extet atque emineat,

ejus orationem à naturali ſimplicitate, longius recedere; ac propè verum ſanguinem perdere. Ad hæc cum ingreſſus eſſet aliquid, eum repente quaſi quidam æſtus ingenii à terra abripiebat, aque in altum à conſpectu penè omnium abſtrahebat, nec vela colligere, nec ſatis poterat modum velificando tenere: ſed ventis ſe permittens auferebatur quocunque ἐνθουσιασμὸς duceret. Unde perpauca ab eo dicta partitè, definitè, diſtinctè reperiri. Certe dum ingenio ſuo indulgere mavult quàm temperare, plurimis viſus eſt redundare & effundi. Horum cauſam hanc afferebant, quòd initio parum liberaliter educatione, doctrinaque puerili inſtitutus neminem habuiſſet, qui veram eloquendi viam rationemque commonſtraret, qui ornatiſſimos ſcriptores, oratoreſque ad imitandum proponeret, quique eum reprimeret juvenili licentia ſuperfluentem: vel quòd ita conſueſſet, vel quòd ad hoc unum genus natus eſſet, vel quòd aliter non poſſet. Amici enim ſæpe commonefecerunt, ut paulum ſe demitteret. Et Eraſmus hæc quæ commemoravi, in eo reprehendit omnia, & exagitavit, illudenſque dixit ea gratius influere in ſenſus hominum, quæ naturæ eſſent propria. Ipſe autem ita ſe purgare ſolitus eſt. Primum quod ſit alicubi obſcurus, de induſtria factum, ſua retuliſſe id temporis quo ſcribebat, ut intelligeretur à paucis. Si quos offenderent crebriores tranſlationes, hoc ſi quærerent, reperiri id exemplo procerum linguæ Latinæ factum: qui tranſlationi primas partes in elocutione dederunt, eique in ſcribendo plurimum indulſerunt, ardua graviter & ſplendidè dicere conatum, ac proinde nec tropis, nec numeris, nec reliquo apparatu epidictico parcè uſum, nec tranſlationibus, quæ ſe benignè non quæ gravatè obtulerunt. Quod pauci retruſam atque abditam ſuam dictionem aſſequerentur, habere pleroſque ſcriptores multum ſui, apud illos majorum gentium authores ſuam cujuſque ſemper fuiſſe notam, ſic ſemper naturam tuliſſe, ut vel vitiis noſtris indulgeamus, vel invitis nobis ſe proferant. Non pœnitere quòd naturæ ſerviret, ſibi interdum ſcribere non tantum populo & ſcenæ. Non præſentem ſolùm voluptatem attendere, in poſterum etiam proſpicere. Scripta quæ primo aſpectu lectori ſe ſubmittant, aculeum nullum in futurum relinquere, ſed in præſens tantum mulcere, hæc ut avidè arripiant homines, ſic diu non reguſtent, nec iterata ſæpius lectione proſequantur. Poſtremo quod eſſet prolixior, malle ſe luxus ac munditiæ profuſæ, quàm ſordium aut frugalitatis jejunæ poſtulari: è copioſa penu non poſſe religioſè promere. Ad faſtidium copiæ eximendum acrimoniam pro ſale eſſe. Diluit ad hunc modum quæ Eraſmus objecerat & obiter alia his non pauciora in Eraſmo notavit, quæ referre longum eſſet, & non neceſſarium. Quorum controverſiam Chriſtophorus Longolius tanquam honorarius arbiter voluit indicare, ſcripta ad id perbella & ſcita Epiſtola, quam ſubjicere non pigebit, propterea quòd virtuteſque & vitia amborum ſi qua fuerunt, diligenter examinat, & unum alteri miro artificio comparat. Qua ex collatione magnum percipient fructum eloquentiæ ſtudioſi, quòd intelligent quid in noſtræ ætatis doctiſſimis hominibus aut imitentur aut probent. *Longolii verba hæc ſunt, Quòd ad eruditionem pertinent, non video qua in re Budæus Eraſmo cedat ſive humaniores literas, ſive Chriſtiano dignas homine libeat æſtimare. Quod vero ad dicendi facultatem pertinet, parem meâ ſententia in tam diverſo dicendi genere laudem merentur. Beatiſſima in ambobus & rerum & verborum copia,*

ſed

ſed ita ut alter altius exſpatietur, alter anguſtiore quidem alveo, verum altiore ingentem aquarum vim trahat, fluit ille plenior, hic fertur rapidior. In Budæo videor mihi agnoſcere plus nervorum, ſanguinis, ſpiritus. In Eraſmo plus carnis, cutis, coloris. In illo plus diligentiæ, in hoc plus felicitatis. Creber ille ſententiis, his facetiis. Ille omnia utilitate, hic plurimum delectationi tribuit. Pugnat Budæus cura, ingenio, gravitate, dignitate: Eraſmus arte, ſubtilitate, lenitate, jucunditate ad victoriam contendit. Hunc amare poſſis, illum admirari, huic favere, parere illi. Profecto ille me violenter cogit, hic ſuaviter allicit. Ducit alter blanditiis, alter viribus trahit, verborum delectu religioſus, proprietate perſpicuus. Si res tranſlationem expoſtulat, in metaphoris felix, ſententiis gravis, figuris varius, ſumma orationis ſpecie honeſtus, ſublimis, ſeverus, grandiloquus. Contra Eraſmus venuſtus, modeſtus, popularis, floridus, verborum ſupellectile dives, compoſitione ſimul expeditus, ſimul nitidus, frequens exemplis, denſus argumentis, gratus ſalibus. Ille in oratione ſua totus ſemper eſt, ſed tum potiſſimum tonat, tum fulminat, quum materia temporum noſtrorum objurgationem admittit. Hic etiam cum moribus convitium facit, magis inſtituto ſuo ſervire, atque dolere videtur, malagmatis, collyriis, cerotis & cæteris id genus leviorum medicamentorum remediis conſulens, ut ille amarulentis quidem illis, ſed hac tempeſtate neceſſariis potionibus, ſectionibus, cauteriis altè graſſantem vim morbi inſectatur. Breviter ſi hiſtoriam ſcripturi ſint, Budæus Thucydidem magis quàm Salluſtium: Eraſmus Livium quàm Herodotum retulerit. Si poëma pangendum ſit, hic tragicum & heroicum quiddam verborum ſententiarumque pondere altius intonabit: Ille comœdiam urbanius, Lyricos ſuavius, elegiam mollius inſpirabit. Aſſurgit tamen & hic quoque alieno ingenio, ſuo vero tam difficulter, quàm ille nunquam etiam ſi velit, ſeſe demittere queat, alioqui ſuperiores illæ virtutes ut neutri deſunt, ſic in altero magis patent, in altero magis latent: effectu pares, habitu diſſimiles, ut haud prorſus aberret quiſquis hunc concioni, illum judiciis natum dixerit, alterum Palladis numine affatum, alterum Gratiarum choro ſtipatum. Cæterum ut intelligas nihil eſſe quod ſit ab omni, ut ille ait, parte beatum, aut certe quod omnium ſtomacho ſatis poſſit facere, audi quid in eis hi deſiderant, qui ſe aliquod operæ precium in re literaria feciſſe arbitrantur. Budæus hoc illis peccare videtur, quòd nihil peccet: Eraſmus quòd vitiis ſuis faveat. Illum enim dum ſcrupuloſius omnia ad veterum normam exigit, ſæpe oblitum eorum quibus ſcribit, ſibi tantum & muſis canere: Hunc dum ingenio ſuo nimis indulget, nihilque putat eſſe tam vulgare, quod non aliquando in oratione ſuum ſibi locum honeſtè vendicet, turbidum interim fluere. Illum potius nobis ſignificare quid velit, quàm dicere. Hunc immodica ſermonis ubertate veluti læto gramine ſata ſtrangulare. Illum oratione nunc obliqua verticoſum, nunc figurata elatum, ſæpe intumeſcere: Hunc recto nudoque ductu humiliorem, plerumque humi ſerpere. Hunc laſcivia molliorem, illum auſteritate duriorem. Denique alterum doctis mirum in modum poſſe placere, alterum etiam imperitis, ſi in tam ſecunda ut illorum verbis utar, facundia modum tenerent, & ſuo ſemper freti ingenio, alieno nonnunquam eſſent diſerti vel judicio vel conſilio. Nam cum præſtare poſſint quicquid volunt, par eſt (inquiunt) ut optima quæque velint, nec ſeſe ambitioſius nobis venditent, eo res noſtras recidiſſe, ut maturè potius juvandi quàm intempeſtivè delectandi ſimus, pro ſuſcepto operis inſtituto fideliter docendi, non crebris licentioſisque excurſionibus ambagioſe ſuſpendendi. Digredi quidem Senecam & Plinium, ſed

alterum

alterum parce, alterum rarò, nec ſic quoq; quæſito, nec niſi oblato argumento. Hæc critici, quorum ſententiæ quo minus ſtatim ſubſcribam, faciunt cum alia multa, tum quòd non defuere clari oratores, qui non grammaticos, ſed populum, eloquentiæ judicem ſtatuerint. Eſto, ſit porrigendis doctis modo calculus, ſint ſoli literarum principes hac de re in conſilium mittendi, quiſnam amabo hac ætate dignus, cui tam ſuperba cenſura jure credatur? Tuebuntur ſe uterque haud magnis ſolum exemplis, ſed etiam validiſſimis argumentis. Dicent ſe non perperam ſcribere, ſed illos corruptè judicare: in orationibus ſuis non naſci, ſed ab imperitis ſpinas afferri. Eraſmus ſe omnium rationem habuiſſe, Budæus paucorum theatro contentum eſſe. Itaque ipſe nihil decerno, vel ne ſutor (ut ajunt) ſupra crepidam, vel quòd apud me paria faciant, hoc eſt, virtutibus ſi qua ſunt vitia penſent, atque adeo ſuperent, habent enim plus quod laudem quàm quod ignoſcam, Hæc ille. Budæus quoque in quadam ad Eraſmum Epiſtola cum multa de ſe & Eraſmo dixiſſet, ad extremum addidit hæc quæ ſequuntur. Ex quibus Longolius ſuperioris Epiſtolæ argumentum arripuiſſe videtur. Inter nos hoc intereſt (inquit) quòd quæ tu ſermocinantis more lepidè & feſtiviter dicis, hæc ego concionabundè quidem, non tamen immani voce, ſed ex audibili effero, vel etiam vociferor. Sicque fortaſſe ego vim affero & rapio, tu eblandiris & imperas, ego irrumpo, tu repis, ἐγὼ παρορμῶ ἐνίοτε καὶ πλὴν ἡ νεανικῶν, *tu ἡμίονος· tu minore ſed certo conatu, ego ingenti reductiſque ſupra modum brachiis, tamen non idem fortaſſe efficio. Denique quid oppugnantem, expugnantem, propugnantem deceat, tu melius noſti, palæſtramque illam philoſophicam tenes,* ἐγὼ ἀπαλλάττω *præ fervore deſtinatum impeto. Sed hæc hactenus.* Quoniam ad hunc locum perventum eſt, non alienum eſſe videtur, de amicitia etiam utriuſque proponere. Eſt difficillimum, inter illos nullam intercedere obtrectationem, inter quos tantæ laudis eſt æmulatio, quantam fuit incidere neceſſe, inter Eraſmum atque Budæum, cum ſe uterque in literis eſſe principem cuperet. Nam quicquid eſt ejuſmodi, in quo excellere præclarum exiſtimant, in eo plerunque fit tanta contentio, ut vix poſſit benevolentia ſervari. Et revera non defuerunt, qui in Budæi & Eraſmi animis cæcæ æmulationis fomites reſidere judicarent. Tamen ſi quæ interciderunt, non tam re, quam ſuſpicione violata ea & falſa & inania fuiſſe auſim contendere. Is enim erat vir Budæus, & eum eſſe Eraſmum exiſtimabat, ut quoniam in eandem ætatem inciderant, conjunctionem amicitiamque mutuam utrique honorificam duceret, & glorioſius putaret cum tali viro certare, quàm omnino adverſarium non habere, cum præſertim illi nullum à Budæo amoris, nullum ſtudii, nullum benevolentiæ officium defuerit. Etenim de Eraſmo nunquam niſi pleno & amico ore locutus eſt, ejus honori & dignitati ſemper favit, quoad ejus fieri potuit. Quod ne dubitare poſſimus, maximo eſt argumento, quòd Eraſmum in Galliam aſciſcere magnopere ſtuduit, propoſitis ad manendum ampliſſimis præmiis, quæ à rege impetraverat. Sed quædam peſtes hominum laude aliena dolentium, & Eraſmum à Budæo alienare, & Budæum aliquando immutare, illoſque inter ſe tanquam par nobile gladiatorum committere conati ſunt, cum revera fuerint ſemper amiciſſimi, & ab omni obtrectatione invidiaque alieniſſimi. Cauſas comperio multas, quæ alienationis inter illos ſimultatiſque mutuæ, & æmulationis ſuſpicionem dederunt. Hæ ſunt profectò hujuſcemodi, quòd acerbioribus ſeſe Epiſtolis ultrò citroque laceſſiverunt, dum aut de ſuis libris diſputant

diſputant, & alter de altero ſententiam aperit, aut Budæus dolet Jacobum Fabrum in altercatione quadam Theologica parum honeſtè tractari, aut ingenia Gallica deſpici, aut ſibi Badium præferri. Id etiam parum amicæ voluntatis argumentum crediderunt, quòd à Budæo in tot numero libris mentio nuſquam facta ſit Eraſmi, quanquam ut fieret multis precibus ab Eraſmo ambiretur. Præterea putant id quoque ad iſta quæ dixi accedere, quòd Budæus diſſimulanter Eraſmum in ſuis libris nonnunquam perſtringere videtur, velut in commentariis, quando ridet illos, qui de ſingulorum ingenio, & eloquentia ſententiam ferre audent, qui Laurentio inferiores præſcribunt loquendi formulas, qui leviora quædam ſcripta in vulgus edunt, quæ nec ſolem nec ætatem ferant. Quæ de Eraſmo homines nimium ſuſpicioſi interpretabantur, videlicet qui Ciceronianum compoſuit, & Commentarios de Copia, quique ſcriptitabat novos quotidie libellos. Tametſi attentius conſideranti non tam ad Eraſmum, quàm ad alios quoſdam noſtræ ætatis ſcriptores pertinere videntur. Nihil enim temere de tantis hominibus ſuſpicandum eſt, nec niſi modeſtè & circumſpecto judicio pronunciandum. Verum enimvero ſi quid fuit offenſionis, id non tam ex obtrectatione atque invidia, quàm ex cupiditate quadam gloriæ, cujus uterque viſus eſt avidior profectum eſt. Pares enim virtutes in maximis animis præſtantiſſimiſque ingeniis nonnunquam edunt ſimulacrum quoddam contentionis: non eorum culpa, in quibus exiſtunt, quid enim eſſet indignius? ſed immodico fautorum ſtudio, qui dum unum alteri cupidius præferunt, & de principatu intempeſtivius certant, interdum contentiones graviſſimæ enaſcuntur, quæ in ipſos etiam nec opinantes, quorum cauſa ſuſcipiuntur, redundant Sic qui præſtantis doctrinæ, aut alicujus præclaræ artis opinionem habent, ſi in idem curriculum deſcenderunt, ſuntque in pari vel proximo gloriæ curſu, in æmulandi ſuſpicionem, ſuorum vitio incidunt. Quod ſi quibus unquam id contigit, certe his duobus contigit, cum uterque ſuarum virtutum præcones & buccinatores exiſtimationis haberet innumerabiles, qui talium diſcordiarum ſemina ubique gentium ſererent, partim huic, partim illi, ut quiſque animo afficiebatur principatum in literis tribuentes. Atqui nulla unquam Budæo tanta offenſio viſa eſt (& ſi qua potuit eſſe tanta) ſed ne hæc quidem ipſa, ut aut amicitiam deponeret, aut inimicitias ſuſciperet, aut bellum cum eo gereret, quem & propter virtutem præcipuè diligebat, & propter eloquentiam ſuſpiciebat maximè. Quinimo hunc honorem veteri amicitiæ ſemper tribuit, ut eum in culpam eſſe duceret, qui faceret: non eum qui pateretur injuriam, atque hujuſcemodi, vel ſuſpitiones vel contumelias negligeret, in ipſâ conſcientia rectè factorum ſatis magnum laborum fructum reponens. Qua facilitate & patientia, vel prudentia potius, omnes illas invidiæ tempeſtates facilè ſopivit. Nec vero minus ille prudens & attentus paterfamilias habitus eſt, quàm vir doctus, Neque enim literis ita prorſus deditus erat, ut rem familiarem negligeret. Sed cum ſtudiis plurimum tribueret temporis, tum vero quando quippiam aut acceptum ferre aut expenſum oportebat, id diligentiſſimè faciebat, cæteraque per ſe domeſtica negocia curabat. In omni re contrahenda, in vicinitatibus & confiniis æquus & facilis. Illud autem ita prudenter temperabat, ut neque cura rei familiaris quicquam obeſſet ſtudiis doctrinæ, nec literarum amore languidior redderetur ad rem tuendam.

dam. Poſſeſſiones habuit, ſi utilitate judicandum eſt, ſatis amplas: ſin ad vulgi opinionem, & illius virtutem reſpicimus, mediocres. Quas tamen minimi eſtimabat, nec exaggerare, amplificareque cum poſſet, magnopere laborabat. Quippe cui in libris, & liberis, ipſaque virtute eſſent omnia. Patri copioſo & in primis locupleti ſucceſſit, at ſeptem liberis aucto, quorum maximus natu moribus noſtris tulit ſemiſſem, cæteri hæredes relicti ſunt ſinguli ex ſingulis unciis. Hunc autem ætate tres fratres anteibant, quatuor ſubſequebantur. Quo circa unciam unam, eamque vix ſolidam conſecutus eſt ex bonis paternis, ex maternis vero paulo poſt alteram. Id fuit ſubſidium ſtudiorum & familiæ, cum his quæ deinceps acceſſerunt ex ſtipendiis munerum publicorum. Quod ſi dives habendus cui tanta poſſeſſio ſuppetit, ut ad liberaliter vivendum facilè contentus ſit: ſi uſum pecuniæ non magnitudine ſed ratione metiri oportet: ſi non æſtimatione cenſus, ſed cultu vitæ penduntur divitiæ: Budæus ſanè ditiſſimus fuit, quæ ex mediocribus ſuis veſtigalibus rem familiarem ita prudenter conſtituebat, ut non modo quicquam ſibi ad vitam eleganter & civiliter agendam deeſſet, verum etiam ſuperaret. Domum habuit in via D. Martini, plenam dignitatis, qualem hominis honorati & clari eſſe convenit: quam ipſe à fundamentis erexerat. Duas villas ſuburbanas poſſedit, non minus amœnas quàm fructuoſas, videlicet Sammaurianam & Marlianam, quas cum aliis ornamentis tum ædificiis non inelegantibus auxit, ut jocans aliquando cum Eraſmo villas propè Lucullianas ædificare ſe dixerit. Sammaurianum prædium quarto lapide ab urbe ſitum præcipuè coluit. Quod ſibi in lib. de Aſſe ſcribit inſtar amœni cujuſpiam Tuſculani fuiſſe, ubi occupationibus animum relaxabat, & quaſi in jucundo ſtudiorum ſuorum diverſorio requieſcens ſibi ſumebat ocium ad commentandum. Cum Lutetia abeſſet nuſquam potius erat. Sæpe enim à fluctibus urbanis, forenſique tempeſtate, tanquam in portum ſe, in ſolitudinem recipiebat, ruſque cum tota familia abdebat, ubi nulla vi interpellante, vacuus ab interventoribus, liberius & ſolutius in literis viveret. Nunquam minus negocio vacabat, quæ cum in eo ocio agebat. Nempe erat perfugium illud non deſidiæ aut inertiæ, ſed ſecuritatis tranquillitatiſque animi, in quo præclara ingenii monumenta mandabat literis, in quo omnem ſapientiæ rationem omnemque doctrinam & contemplabatur & tractabat, atque ſemper ea promebat ex ſe quæ juvarent alios & delectarent, nomen authoris apud omnes gentes celebrarent, & ſempiternis laudibus illuſtrarent. Erat in ſupellectile, in veſtitu, in reliquo apparatu domeſtico & ornatu magis elegans quàm ſumptuoſus, omnique diligentia affectabat munditiam non affluentem. Nemini unquam viſus obtrectare. Sæpe rogatus ſententiam de ingeniis noſtræ ætatis, ſemper & loquebatur honorificè, & candidè ſentiebat de omnibus, ſibi nihil arrogans, aliis tribuens plurimum. Conſpiciebatur & ſine ſegnitia moderatus, & ſine tarditate taciturnus: rurſus & ſine objectione facilis, & ſine arrogantia gravis. Itaque haud facile diſcerneres utrum propter ſeveritatem authoritatemque magis obſervaretur, an propter facilitatem & comitatem diligeretur. Gloriari ſolitum accepimus omnes animi motus à ſe victos, excepta iracundia, quam tamen ipſam ita quoque cohibebat, ut quamvis contra voluntatem commoveretur interdum, nunquam præter rationem excandeſceret. In quo parum

rum aut nihil omnino culpandus videtur: cum præſertim non defuerint ſummi philoſophi, qui laudarent iracundiam tanquam cotem fortitudinis, & utiliter a natura datam contenderent. Res ſecundas & ad voluntatem fluentes moderatè, adverſas fortiter (ſæpe enim illi fortuna reflavit) ut viro dignum tulit. In omni vita præclaram quandam æquabilitatem retinens: ut penè idem ſemper vultus, eademque frons appareret. Rei forenſis habitus paulo rudior, quod ab ineunte ætate lites & judicia non ſecutus eſſet: nec amaſſet forum, ſed deſtinato quodam propoſito conſilioque refugiſſet. Theologiæ ab initio ætatis ſummè ſtudioſus fuit, omniaque quæ de divinis rebus à ſapientiſſimis tradita eſſent, ſummo ſtudio curaque didicit: exiſtimans id eſſe hominis Chriſtiani non ſemper hærere in humanis diſciplinis, & in his tractandis cum deſidioſa delectatione uſque ad ſenectutem detineri, oculos ad cœleſtia erigi, mentem ad divinam ſapientiam oportere excitari: ad illam dirigendas artes cæteras, ad illam velut ad certiſſimam veritatis normam, regulam vitæ, præſcriptionem juſtitiæ & æquitatis exigenda ſtudia omnia, referendas omnes & rationes noſtras & actiones. Sub ingraveſcentem verò ætatem acrius in literas ſacras incubuit, credo vel judicii maturitate ad ſapientiam, vel tædio aliarum artium, vel appropinquatione mortis admonitus: quæ à ſenectute non poteſt longè abeſſe. Quo certius ſibi viaticum ad cœleſtem piorum ſedem & æternam domum pararet. Veræ religionis obſervantiſſimus in omni vita fuit, ſingulari in deum pietate, in omnes homines benevolentiæ charitate commendatus. Longè ſemper abfuit ab his contentionibus quæ in noſtram ætatem eruperunt: ſui judicii quid ſe facere par eſſet potius intuens, quàm quid alii aut laudaturi forent, aut improbaturi. Quamobrem cum in maximis opinionum procellis & turbulentiſſimis tempeſtatibus ingens Græcæ linguæ conflata eſſet invidia, quòd harum ſtirps, & ſemen malorum omnium videretur, cum odii faces undique ab improbis præferrentur, cum in perturbatione veteris diſciplinæ ſpem haberent inimici ad elegantium literarum non dignitatem modo extinguendam, ſed etiam gloriam per principes viros infringendam, cum in his aſperitatibus rerum eruditi plerique de religione ſuſpecti haberentur, nec ſatis eſſent inter imperitorum greges tuti: hic ſolus non modò integra mente, verumetiam exiſtimatione permanſit. Nihil in ejus vita aut in oratione quiſquam potuit invenire, quod jure reprehenderet. Quod labenti rei literariæ certiſſimum præſidium attulit. Niſi enim is contigiſſet orbæ politiori doctrinæ quaſi legitimus tutor: qui eam apud Principem, in ſenatu, in concionibus exagitatam tueretur, ac tantiſper dum invidia conſideret, domi ſeptam teneret liberali cuſtodia, atque à ſceleratorum hominum impetu prohiberet, haud dubiè noſtris finibus coacta eſſet excedere. Tantum valuit in rectam ſententiam perpetua permanſio, tantum judicii conſtantia, tantum vitæ integritas: ut hi qui nocere maximè cupiebant, propterea quòd ejus authoritate ſolius nitebantur græcæ literæ & meliores: tamen quemadmodum nocerent, non invenirent. Sic cum honoribus atque ingenii gloria floreret, ita prudenter vitam inſtituit, ut in negocio ſine periculo, & in ocio cum dignitate viveret, ac ſimul in florentiſſima orbis terrarum republica ſapientiæ laude uſque ad ſummam ſenectutem ſine ulla offenſione perfruetur. Et quiſquam dubitabit illum non ſanctè modò

graviterque, ſed beatè etiam fortunateque vixiſſe ? Porrò autem ut ejus eruditio ſe extulit & lumen ſuum oſtendit, omnes ubique gentium, qui aliqnid de ingeniis poterant judicare, ſe ad ejus amicitiam cupidiſſimè applicuerunt. Ipſi qui hominem nunquam viderant, nec viſuri erant, qui ejus uſu & moribus frui nullo modo poterant, propter reconditam & multiplicem doctrinam, integerrimos mores, ſingularem virtutem, digniſſimum benevolentia judicabant, & literis ultrò ſcriptis, tanquam ſibi valdè honorificam futuram expetebant. Plerique etiam commoti ipſa fama, ex ultimis nationibus ad eum videndum Lutetiam venerunt. Ipſe verò qui nihil minus hominis duceret, quàm non reſpondere in amore his à quibus provocaretur, nullius officiis in hac re unquam conceſſit, nullius humanitate ſuperatus. Quippe qui rectiſſimè judicaret, nihil nobis à natura datum remuneratione benevolentiæ, viciſſitudineque diligendi melius: nullum vitæ ſupellectilem pulchriorem præſtantiſſimorum hominum amicitia. Illos qui eruditionis commendatione ſe inſinuarent, vel qui ſpem aliquam de ſe ingenii darent, non minus quàm conjunctos propinquitate dilexit:omnibus qui ejus vel opera vel conſilio egerent, maximè expoſitus. Plurimum ex omnibus detulit Ludovico Ruſæo, & Franciſco Deloino: quos conſtat ſummis ornamentis honoris, fortunæ, virtutis, ingenii præditos, inter eos qui tum Lutetiæ erant, gratia & authoritate plurimum floruiſſe. Ambos arctiſſima conſuetudine devinctos pro Pomponio & Bruto Ciceroni olim conjunctiſſimis habuiſſe quodam loco prædicat. Ex eruditis Jacobum Tuſanum eximiè dilexit, ſuæ diſcipli næ alumnum, quem poſt Budæum ipſum multò peritiſs. Græci ſermonis noſtram tuliſſe Galliam verè videor poſſe contendere, nec minus virum bonum optimiſque artibus eruditum. Hunc græcè docere non eſt gravatus, propterea quòd ei linguæ propagandæ aptiſſimum eſſe cernebat. Corporis rationem initio nullam habuit. Atque dum ingenio ſoli ſervit omiſſis omnibus exercitationibus imprudens in perturbationem totius valetudinis incidit. Quamobrem ſero experimento edoctus, non eſſe habendam rationem animi ſine corpore, quòd eo ægro aut malè conſtituto, fungi nequeamus animi muneribus, aliquantum de ſummo illo remiſit ſtudio, quo ab ineunte ætate fuerat incenſus. Atque hæc ſolitus eſt facere confirmandarum virium, relaxandique animi cauſa, lignum findere, aquam è puteo haurire, irrigare hortum, & colere more veterum, vitem putare, in curiam à qua procul domus aberat pedibus ire cælo ſereno, ædificare in prædiis, arbores ſerere, & deſcribere ordinibus, in locis nonnunquam planis, ſæpius montuoſis & aſperis curſu corpus fatigare. Quæ tametſi leviora videntur, illi tamen fuerunt longè ſaluberrima. Hac enim exercitatione & temperantia adhibita effectum eſt, ut optimis eſſet viribus in extremo tempore ætatis, & multò melius habere videretur in ſenectute, quam in conſtante ætate, ac fuerit adhuc propter ſummam corporis ſiccitatem roburque complures annos victurus, ſi morbi caſus abfuiſſet. Maximo fuit in honore apud nos quoad vixit, multaque de eo & præclara judicia (id quod maximè facit authoritatem) noſtri principes fecerunt. A Carolo VIII. cum primum ingenii laudibus effloreſceret in aulæ comitatum honorificè accerſitus eſt, procurante id potiſſimum Guidone Rupefortienſi viro ampliſſimo, & in rep. regenda cui præerat, diligentiſſimo. Fuit enim princeps ille cum fælicitate, tum etiam virtute nulli regum ſecundus.

dus. Cujus immaturo interitu damnum non mediocre fecerunt & res Gallicæ, & meliores literæ, quas inſtituerat fovere. Siquidem is recepta armis Neapoli, ac peragrata cum inſtructiſſimis copiis univerſa Italia, ea tempeſtate eruditiſſimis hominibus liberaliſſimiſque ſtudiis affluente, bonarum artium nomen audiverat: quæ ibi prius propter tranquillitatem vehementer colebantur, atque inde accerſere illas in Galliam decreverat, niſi repentinus caſus ejus ſpem atque omnia vitæ conſilia morte prævertiſſet. Ludovico XII. qui durior ad hæc ſtudia videbatur, jucundus quoque fuit. Nam honoribus plurimis illum affecit princeps, in cognoſcendis perpendendiſque hominum ingeniis planè mirus, & de maximis rebus legatum bis in Italiam miſit cum aliquot Proceribus ſuis. Quibus in legationibus ſic fidem ſuam, diligentiam, ingenium regi probavit, ut magnam gratiam ab eo ipſo iniret, ac paulo mox in Scribarum regiorum numerum adſcriberetur. In centumvirale concilium quod Lutetiæ cogitur, cooptari ſæpius recuſavit, quòd infinitis cauſis & judiciis ea vita diſtricta nihil ad recordanda cogitandaque ſtudia temporis relicturа videretur: ipſe autem ſumma facultate vacui ac liberi temporis ad commentandum egeret. Proin à negociis publicis aut valetudinis imbecillitate excluſus, aut voluntate ſua feriatus, omne ſuum tempus vel legendo vel ſcribendo ferè tranſmittebat. Qua de cauſa abhorrebat quoque judicio quodam animi ab aula, & ſe quantum poterat, illinc removebat, quietem atque ocium ſecutus: cui in primis inimica eſt vita errans & vaga aulicorum. Qua in voluntate permanſit, uſque ad principatum Franciſci regis: quem ut audivit in ſumma omnium rerum poteſtate, tanta imperii amplitudine, inaudita quadam manſuetudine & clementia ac penè divina ſapientia præſtantem, vel elegantium literarum amore in primis flagrare, haud difficulter eſt de vetere ſententia depulſus, Primum evocatus Ardeam: quem in locum rex quoque Britannorum Henricus convenerat, cum tanti conventus ſpiendore excitatus, tum admirabili fama incredibilium virtutum ſui principis incenſus, ſanè quam libenter regis imperio obtemperavit, atque eò magis quod virtutiſque & literarum ergò ſe intelligebat accerſiri. Tantum valuit humaniſſimi principis ſpectata benignitas: ut omiſſis doctrinæ ſtudiis, poſthabita rei familiaris cura hunc etiam in aliquot expeditionibus ſequeretur, oblitus inſtituti ſui, jam grandis natu, caſtrenſis laboris inſolens: ac ſi verum fateri volumus, pacis togæque potius, quàm belli alumnus. Sed enim hoc non ſolum fati, verumetiam fælicitatis cujuſdam fuit: ut cum princeps in Gallia is eſſet qui literis & literatis honeſtiſſimè cuperet, qui ſupra conſuetudinem majorum ſuorum, contra morem & exemplum, non eorum modo principum qui nunc ſunt, ſed eorum etiam qui multis antehac ſæculis fuerunt: omnes bonas artes tueretur & ornaret, eodem tempore haberemus virum hujuſce ætatis doctiſſimum: qui optimum principem ſua ſponte ſatis incitatum ad id quotidie magis ac magis inflammaret. Enimuero ſicut erat honorificum Regi virtutis cultori, præſtantium ingeniorum fautori eximio, aliquem ex ſuis habere, quem omnibus aliis nationibus opponere jure poſſet, haud ſecius Budæo præclarum videbatur ultro à principe longè maximo atque ſapientiſſimo magnis propoſitis præmiis in aulam evocari, & ſingularem ejus tum virtutem, tum doctrinam non jam latère in umbraculis eruditorum ocioque ſed il-

ſuſtri & excelſo loco ſitam, in luce Galliarum ac regni clariſſimi oculis auribuſque verſari. Sæpe & multum audiebatur à principe magnis de rebus ornatè exquiſiteque diſſerens, colebatur à primoribus aulæ, ſummoque afficiebatur honore: quòd cum non ſolum obſervabant qui literis ex animo favebant, ſed etiam ſi qui fortè ſimulabant. Itaque rex liberaliſſimus hoc ſpecimen virtutis, hoc indicium animi, hoc lumen principatus ſui præcipuum fore putavit, ſi Budæi dignitatem amplificaret, fortunaſque cum primis augeret. Principio illum præfecit ſcriniis ſuæ bibliothecæ. Deinde libellorum ſupplicum magiſterium, qui honos eſt in regia ampliſſimus, non poſtulanti, non ambienti, ac ne cogitanti quidem ſua ſponte detulit, codicillis ejuſce rei domum uſque cum ſumma benevolentiæ teſtificatione miſſis, in quam paulo ante ipſius regis injuſſu ſe receperat, nullo relicto in aula aut ſtipulatore aut ſuffragatore. Et quo magis amorem perſpicere poſſis, rex quoque ſeparatim ad illum dedit literas graviſſimis verbis & ſententiis plenas: quibus jubebat majora ſperare. Quo tempore populus Pariſienſis cunctis ſuffragiis præfectum decurionum declaravit ejus urbis. Sic ille in quadam Epiſtola vocat eum qui præfectus mercatorum vulgo dicitur. Qui magiſtratus biennii eſt, ſed maximus inter eos cives, & ampliſſimis viris ſolitus tantummodo deferri. Sic mihi in eo augendo atque honeſtando videtur cum ſummo rege quaſi certaſſe ea urbs: quæ eſt magnitudine ampliſſima, judicio eruditiſſima, celebritate refertiſſima, ſtudiis autem liberaliſſimis ita affluens, ut omnibus urbibus, non dicam quæ ad ſeptentriones ſoliſque occaſum pertinent, ſed quæ in ortum etiam & meridiem ſpectant, facile antecellat. Budæus autem arbitratus hunc honorem non ſibi, ſed literis delatum: cupidius quàm antea optimarum artium patrocinium ſuſcepit, atque in primis ſuaſit principi, ut ſedem illis ſtabilem ac domicilium certum Lutetiæ præberet. Quod brevi perfectum iri ſperamus cum ſempiterna ipſius principis gloria. Certe hoc interea impetravit, ut viri doctiſſimi annuis ſtipendiis aucti, literas græcas, latinas, hebræas, omne genus diſciplinarum in ea urbe interpretarentur, quod ſatis magnum ac luculentum futuri operis ſpecimen arbitrantur omnes. Quamobrem homines noſtri partim exemplo principis excitati, partim liberalitate commoti, certatim amplexari literas cœperunt, tantoſque progreſſus in omni virtute, omni diſciplinarum genere, neque ita longo intervallo fecerunt, ut non multum aut nihil omnino antiquis Græcis Romaniſque cedatur. Quæ res à principe major unquam geſta? Quis triumphus conferendus? Quæ monumenta aut trophæa comparanda? Hoc ſcilicet verè eſt imperare, ſuam virtutem aliis exemplum facere, eos quibus præſis reddere meliores, eorum non modo fortunis ac corporibus, verumetiam animis excolendis proſpicere? Reliqua quidem Franciſci regis vita multis erit præclariſque monumentis ad omnem memoriam commendata. Bellicæ laudes commemorabuntur multarum gentium literis ac linguis, obſtupeſcent poſteri admirabilem illius & incredibilem & penè divinam in regno tuendo atque adminiſtrando ſapientiam audientes. De hoc autem ſingulari in optimas artes amore ſemper populus Gallicus, ſemper omnes gentes loquentur, nulla unquam ætas conticeſcet, nulla obmuteſcet vetuſtas. Floreſcet quotidie magis hæc liberalitas, ita ut quantum cæteris ejus operibus diuturnitas detrahet, tantum huic benignitati afferat.

afferat gloriæ. Nam quo cupidius ipſi ſe homines in regnum mores formant, hoc magis de republica merentur optimi principes, qui non vitia concipiunt ipſi, foventque, ſed virtutes in ſuas civitates infundunt, nec peccato nocent, ſed exemplo proſunt. Etenim licet videre ſi replicemus memoriam temporum, qualeſcunque magni reges fuerunt, tales nimirum & ſubditos fuiſſe: quæque mutatio morum in principibus extiterit, eandem in populo ſemper ſecutam. Porrò autem ſicut fruges bonitate ſoli, cœlique temperatione exuberant, haud ſecius bonæ artes ex benignitate principum efflореſcunt, & honore præclara ingenia incenduntur ad diſcendum. Quidnam fuiſſe cauſæ putemus, cur regnante apud Græcos Alexandro, apud Romanos Auguſto, tantus numerus præſtantium hominum extitit? niſi quòd delectabantur hi principes optimis quibuſque rebus, & in expendendis hominum ingeniis atque operibus judicio valebant, & virtutem meritis honoribus, præmiis atque ſplendore decorabant. Quid in liberis quibuſdam civitatibus eloquentiæ ſtudia olim tantopere viguerunt? niſi quòd is certiſſimus erat gradus ad remp. aditus ad honores, aſcenſus ad Magiſtratus & potentiam. Quid poſttea artes eædem in Græcia ſunt extinctæ, in qua & natæ, & altæ, & ad ſummum perductæ intra mille annos fuerant? Quid Róma ceſſerunt, totaque Italia? Quid exulatum ad Arabes diſceſſerunt? Quid tam multis annis inſcitia graſſante intermortuæ jacuerunt? An aliunde id factum, niſi ex ſordibus, moroſitate, invidia illorum, qui civitatibus, & ampliſſimis regnis, atque imperiis præfuerunt? Itaque ſicut longo ævi ſitu, longique temporis exercitatione fatigata & effœta humus, conſeneſcere nonnullis videtur in locis, nec jam fruges mortalibus priſtina benignitate præbet, ſed noxias herbas fundit & vitæ inimicas: Sic mundi converſione, & quadam rerum ſerie ſæpenumero accidit, ut natura ipſa oblita materni officii, tanquam ſuperioris ævi fœcunditate exhauſta, in perniciem humani generis, peſtiferos quoſdam homines, & ſceleratos principes proferat: qui furore & amentia præcipites, divina & humana cuncta pervertant: qui res præclaras à prioribus vel inventas vel uſurpatas, non modò negligant, (quod eſſet ferendum) ſed etiam labefactent, & funditus delere conentur. Qualis fuit C. Caligula, qui Homeri carmina abolere, qui Virgilii & T. Livii ſcripta ex omnibus bibliothecis amovere, qui jus civile Romanorum delere tentavit. Qualis Domitianus, qui omnes ſapientiæ profeſſores urbe Italiaque ſummovit. Qualis Licinius imperator, qui literas virus & peſtem publicam appellabat, ne commemorem Cambyſas, Nerones, Valentinianos, Phalaridas, Dionyſios, orbis terrarum peſte natos. Quænam ſentina teterrimorum ſive ducum, ſive regum ſcatuit Gothorum, Alanorum, Vandalorum, Sucvorum, Turulorum, Hunnorum, Longobardorum, Sarracenorum, & Turcarum tempeſtatibus? Qui cum eſſent feri, immanes, ab omni cultu ingenii alieni, & quicquid non intelligerent aut ſuſpectum haberent, aut damnarent: primum ingentem bibliothecis cladem attulerunt, exuſſerunt magnorum ingeniorum opera, ſimul irriſerunt linguas & ſtudia omnia, nec ſolum illis prætium detraxerunt, ſed contumeliam addiderunt: ſeu quod nollent in victis plus quenquam ſapere quàm victorem: ſeu quod ea re ad laborem ferendum remolleſcere homines, atque enervari opinarentur, ac minus bello idoneos reddi, cui omnia tribuebant.

tribuebant. Igitur gratia habenda ſuperis, & naturæ, quæ ex ſuperiorum temporum caligine tandem aliquando recreata excellentes quoſdam reges noſtra ætate protulit ac principes in compendium humanæ ſocietatis, qui diſciplinas jacentes extollerent, ſtudia diſcentium foverent & excitarent, quos tanto Rex Franciſcus gloria vicit, quanto omnibus imperii magnitudine præſtat. Non eſt humano conſilio, nec mediocri quidem Dei Opt. Max. cura illud perfectum. Qui mihi videtur aliquando oculos aperuiſſe ad inſtaurandas iterum literas ac renovandas, ſimul mentem injeciſſe quibuſdam principibus, ut illas tuendas ornandaſque ſuſciperent, ut bibliothecas extruerent, ut ſelectos in omni varietate doctrinæ libros, quos ſuperiorum temporum injuria nobis ſalvos reliquit, è Græciæ ruinis, è faucibus Barbariæ, ex incendiis bellorum eriperent, & in uſum communem deſcriptos publicè omnibus proponerent legendos. Quandoquidem non ſolum ea quæ denſiſſimis ignorantiæ tenebris obducebantur, in lucem velut ab inferis revocata ſunt, ſed quæ veteribus fuerant penitus obſtruſa, nova maria, novæ terræ, ac ſpecies hominum, viæ cœli pelagique nunquam antea ne fando quidem auditæ, nova ſidera patefacta nobis, multæ artes repertæ priſcis incognitæ ſæculis, religio in priſtinam vindicata dignitatem, magna ergo Franciſci Regis gloria, in cujus principatum bonæ literæ incurrerunt, ſub quo principe tantus honos habitus eximiis ſtudiis, hominibuſque doctis: ut nunc primum quaſi reviviſcentis rei literariæ ſpeciem aliquam videre videamur. Nec verò debetur laus parva Budæo: qui primus bonarum artium incunabula in aulam intulit, ac ſcriptis Galliam illuſtravit ſuis: noſtramque locupletavit ætatem, qui elegantiores literas propagare conſilio, ſtudio, gratia, labore connixus eſt: qui earum dignitatem non minus charam habuit, quam propriam, ab omnique injuria prohibuit, protexit, defendit. Denique nihil prætermiſit, quo florerent magis in patria, ac ne longiorem quidem vitam optavit, quàm ut tam præclaro operi à Rege inchoato faſtigium impoſitum videret. Cæterum cum inter eos qui tum in regia verſabantur, opinione virtutis, commendatione doctrinæ magnam cum gratiam, tum authoritatem apud omnes ordines adeptus eſſet, nonnulli quorum mentes anguſtæ, humiles, pravæ, oppletæ tenebris ac ſordibus, tantum ejus ſplendorem nec intueri nec ſuſtinere potuerunt: & regis animum ab eo clandeſtinis inſidiis alienare tentarunt. Quod ipſe animadvertens, licet non dubitaret de humanitate regia, tamen declinans hominum offenſiones, de aula ſeſe ſubduxit, & eo magis quòd ſibi parum cum Antonio Prato conveniebat. Cauſam diſſenſionis non commemorabo, ne videar illis temporibus notam inurere. Nec ibi poſtea viſus, niſi neceſſitate muneris obeundi cogeretur, cujus præcipua functio erat in prætorio regio. Poſteaquam vero Gulielmus Poietus vir ſingulari & præſtantiſſima virtute Galliarum νομοφύλαξ à rege creatus eſt (Cancellarium noſtri vocant) nihil tam conveniens ſuæ dignitati putavit, quàm Budæum ſecum habere velut aliquem in conſiliis capiendis Neſtorem. Itaque eum nunquam à ſe dimittere, ſecum quocunque proficiſceretur deducere, obſervare, ferre in oculis, colere, toto animo de illo ac de ejus ornamentis & commodis cogitare. Quo ſtudio in ſe perſpecto, homo jam devexæ ætatis & affectæ, reſorberi ſe aulicis fluctibus ſivit. Proinde cum in ſummis Julii menſis ardoribus, qui tanti eo anno fuerunt,

fuerunt, quanti maximi poſt hominum memoriam: rex vitandi æſtus cauſa in maritimam oram Normaniæ conceſſiſſet,& Budæus Poietum ſecutus, alieniſſimo tempore eodem contendiſſet, paulo poſt vel cæli injuria, vel magnitudine caloris, quo tum omnia torrebantur, vel imbecillitate ingraveſcentis ætatis, in gravem & aſſiduam febrem incidit, ex qua poſtea non convaluit. Cum multa in ſpem ſalutis medici dicerent & pollicerentur, nunquam perſuadere potuerunt, quin is morbus finem vitæ eſſet allaturus. Quamobrem peregrè agens, domum ſe referri nihilominus juſſit, ut in patria, conſpectuque ſuorum moreretur, id quod paulo poſt evenit. Nam accreſcente in dies dolore confectus, peractis omnibus quæ rite decentibus adhiberi ſolent, ſacris, integra etiamnum mente, cæteriſque ſenſibus, ſine ulla vi tranquillè placideque deceſſit, vir immortalitate digniſſimus. Poſteaquam de ejus obitu regi renunciatum eſt, graviter doluit interitu tanti viri dignitatem Gallici nominis imminutam. Poietus autem ὁ νομοφυλαξ non potuit, non vehementer commoveri, tali amico orbatus, qualem Gallia nunquam tulit, & ut verè judicabat, vix parem ſit habitura. Multas hic ſignificationes nec exiguas dedit, quàm moleſtè ferret ſe hominis erudititiſſimi jucunda conſuetudine, admirabili ſapientia, tum multorum officiorum conjunctione in perpetuum privari. Incredibile porro eſt dictu quantus mœror bonorum omnium, & quæ publica lamentatio ejus funus ſit proſecuta. Omnes docti memoriam mortuo, quam par erat principi doctrinæ humaniter ac piè præſtiterunt. Cum ſummis totius corporis doloribus oppreſſus dubia ſpe vitæ ſpiritum duceret, mortem aliquantum videbatur horrere, & reformidare, non vitæ deſiderio, ſatis enim naturæ,ſatis gloriæ vel fortaſſe nimium diu ſe vixiſſe prædicabat: at ſuis certe parum, quorum fortunas cum liceret amplificare, neglexerat. Hic dolor hominem præcipuè tangebat, hæc cura ſollicitabat. Reliquit autem liberos numero undecim: filios ſeptem, omni liberali ingenuaque doctrina apprimè inſtitutos, & quatuor filias: uxore ſuperſtite, fœmina ſummæ tum prudentiæ, tum pietatis: ex qua hos omnes liberos ſuſtulit. Elatus eſt noctu, ut ipſe anno antequam moreretur teſtamento præſcripſerat, ſine ulla pompa funeris, præeunte unico lumine, comitantibus doctis plurimis, & viris primariis ejus urbis, vulgi maximo concurſu. Periit tertio & ſeptuageſimo ætatis anno. X. Calend. Septemb. Anno ſalutis generis humani M. D. X L. atque Lutetiæ Pariſiorum in D. Nicolai, qui Campeſter dicitur, quemadmodum juſſerat, ſepultus.

CHRISTO-

CHRISTOPHORI LONGOLII

VITA.

CHRISTOPHORUS Longolius Macliniæ, nobili Germaniæ oppido, honeſto ſplendidoque inter ſuos loco, natus fuit. Quoniam vero eo vivo non defuere qui eum Pariſienſem dicerent, libri etiam ab eo ſcripti, hoc titulo circumferrentur: non ab re erit quæ ipſe in altera defenſionum ſuarum, errorem hunc librariorum refellens, de patria ſua dicit, hoc loco commemorare: ut deinceps qui de hac re dubitant, ipſi potius Longolio de ſe, quàm aliis credant, ejus verba hæc ſunt, Ego *P. C.* Macliniæ natus ſum, Macliniæ educatus, Germanicæ linguæ & Cæſarum ditionis oppido, cum aliis laudibus multis illuſtri, tum vero Phillippi et Caroli Hiſpaniæ regum incunabulis percelebri; hæc ille. Puer admodum, cum vix annos IX. natus eſſet, parentum ſtudio et diligentia Lutetiam Pariſiorum, ut ibi literas diſceret, eſt miſſus. Neque enim vel id ætatis, propter ſummam ingenii docilitatem, immaturum cenſebant, qui in celeberrimo illo literarum domicilio politioribus diſciplinis animum excoleret. Celeriter vero omnibus artibus quibus puerilis ætas imbui ſolet, ita profecit, ut æquales ſuos omnes doctrinæ laude longe præſtaret, ex his autem generoſiſſimum quemque imitandi cupiditate incenderet. Ingenio acri & vehementi præditus fuit, in quamcumque partem ſe dediſſet, atque omnium diſciplinarum (quod poſtea res ipſa declarabat) capaci. Quemcumque ſcriptorem ſibi legendum propoſuiſſet, eum nunquam fere de manibus, niſi diligenter ab eo perlectum, dimiſit. Neque unquam in eo animadverſum eſt, aut obſcuritate ſcriptoris alicujus, aut prolixitate deterritum, quo minus totum perdiſceret, ſi modo talem putaret ex quo fructum aliquem capere poſſet. Cum autem ea quæ in antiquorum ſcriptis tradita eſſent, celerrime percipere, tum vero quæ abdita fuere nemo majori facilitate eruit. Atque huic rei teſtimonio eſſe poſſunt multa ab eo penè puero, in C. Plinii de naturali hiſtoria libro, ſcriptoris non ita facilis, et plurimis mendis deformati, ingenioſe excogitata & notata, quæ poſtea ipſo imprudente & invito in Gallia fuere edita. Memoria vero tanta fuit, ut ad ea tollenda quæ animo ſemel inſediſſent, diuturnitas temporis vix aliquid valeret. De pluribus & variis rebus ſæpe interrogatus, de quibus à multis annis nihil legerat, non minus prompte de ſingulis ſolitus eſt reſpondere, ac ſi eo die ab eo perlecta fuiſſent. Cujus rei cum familiariter cum eo viverem, in conſuetudine quotidiana crebro

bro periculum facere licuit. Hocque in eo magis mirum fuit, quòd cum plurima legiſſet, omnia autem quæ Græce aut Latine ſcripta eſſent ſibi legenda proponeret, nunquam fere ad metam ſemper properanti, ad eundem ſcriptorem revertere licuit. Si quando de iis rebus ſermo incideret, quæ à diverſis & variis ſcriptoribus tractatæ eſſent: cum res ipſæ eſſent eædem, ita tamen oratione ſolebat diſtinguere, ſua verba ſingulis ſcriptoribus à quibus ea acceperat referendo, ut non memoriter ea dixiſſe, in quo ſæpe offendi ſolet, ſed de ſcripto pronuntiaſſe videretur. Quæ ſæpe cum faceret, ita auditorum admirationem incendit, ut eum artificio quodam, non naturali memoriæ bono uti exiſtimarent. Ad hæc tanta naturæ bona doctrinæque ſumma adjumenta, eam induſtriam adhibuit, ut quicquid in literis profecerit, huic penè ſoli gratia habenda videretur. Ineunte ætate cum earum rerum cognoſcendarum magno ſtudio teneretur, quæ à philoſophis tractantur, amici, qui eum honoratum magis quàm doctum videre cupiebant, verentes ne talium rerum ſtudium, eum longius ab honorum petitione abduceret, magnopere illi autores fuere, ne aliud ſibi eo tempore, præter jus civile diſcendum proponeret. Ex ejus enim artis ſtudio affirmabant fore, ut celeriter ad honores & ad ſummam gloriam perveniret. Quorum precibus & hortationibus cum ſibi omnino parendum eſſe duxiſſet, ſex annos in eo ſtudio ita conſumpſit, ut nullis interim aliis literis, præterquàm oratoriis, quæ maxime etiam artem illam vel ornare vel adjuvare exiſtimantur, operam daret. Uſus eſt præceptore Philippo Decio celebri juris interprete, qui tum Valentiæ in Narbonenſi Provincia maximo auditorum concurſu qui undique ad eum confluebant, jus docuit. Eo vero tempore ita profecit, ut cum poſtea ab amicis Lutetiam Pariſiorum, ut jus ibi exerceret, eſſet revocatus, cum agendo, tum reſpondendo, tantam laudem eſt adeptus, ut vixdum biennium in Juriſconſultorum ſubſelliis verſatus, in centumvirale illud conſilium, quod antea ſolis ſenibus vel certe ætate provectis patebat, admodum juvenis adlegeretur. Quare amicorum voluntati jam ſatisfactum putans, tempus adeſſe putavit, ut animo etiam ſuo majorum rerum cupiditate flagranti morem gereret. Itaque C. Plinium cujus lectioni ſe totum dicaret, delegit: quem varietate & copia rerum cæteris Latinis ſcriptoribus præſtare, ac velut in unius operis compendio quæcunque à philoſophis Græcis, pluribus & libris & verbis tractata eſſent, mira brevitate collegiſſe exiſtimavit. Sed cum res ipſæ, quæ quamvis copioſe tractatæ, per ſe ipſæ difficultatem afferunt, in anguſtum à Plinio concluſæ, vix ſpem aliquam ſui intelligendi darent: ibi partim neceſſitate coactus, quòd aliter ea quæ ita conciſæ tradebantur intelligere non poſſet, niſi eaſdem fuſius apud alios tractatas videret, partim magnitudine & varietate rerum eum invitante, ut ex uberrimis illis fontibus potius, ex quibus Plinius ipſe hauſiſſet, quàm ex illa ſecluſa aquula illarum cognitionem peteret: animum ad majora erexit: ut eos etiam ſcriptores videret, à quibus illa Plinii emanaſſe putabantur. In hac vero ſententia cum eſſet, omnes illi agricolæ, omnes fere medici fuere perdiſcendi: rerum Romanarum & totius antiquitatis memoria diligenter tenenda. Orbis denique illi diſciplinarum, quam ἐγκυκλοπαιδείαν Græci vocant, evoluendus: cum nulla fere ars ſit, cujus non expreſſa veſtigia aliqua apud Plinium reperian-

tur Hæc vero perficere illi multo fuit difficilimum, præſertim Græcarum literarum adhuc ignaro & prorſus rudi. Verum nihil horum eum retardavit: ut erat animo ſemper reluctante difficultatibus, tumque incenſus cupiditate, ut philoſophorum & aliorum ſcriptorum myſteria cognoſceret. Principio itaque Græcis literis tanto ſtudio tantiſque ingenii viribus incubuit, ut nondum ſe vertente anno, ſive ad philoſophos, ſive ad oratores ſe converteret, ignoratio linguæ nuſquam eum ab eorum intelligentia excluderet, eodemque temporis intervallo Græce etiam ad Gulielmum Budæum Gallorum doctiſſimum Epiſtolas ſæpe mitteret. Pari ergo ſtudio atque induſtria cum quinquennium in Græcis ſcriptoribus legendis perſeveraſſet, jam lingua ipſa maxime illi familiaris fuit, eademque opera doctos illos ſcriptores aſſidue legendo, uberrimam maximarum rerum cognitionem ex illis hauſit. Memor vero ubique, cum illos legeret, inſtituti ſui, & cujus cauſa initio tot ſibi ſcriptores evoluendos ſumpſiſſet, nihil in his omiſit, quod ad pleniorem C. Plinii intelligentiam aliquo modo faceret, quin id diligenter notatum, quo loco & in quo autore legiſſet, in Plinii libro ſcriptum relinqueret: ut ante omnia ſubſidia in hac re, quæcunque ex lectione comparari poterant, tentaret, eandem rationem in recentiorum ſcriptis legendis ſervavit. Quando vero de ſtirpium natura, multa Plinius traderet, nonnulla etiam de piſcibus ſcriberet, rebus à cognitione hujus ſeculi ita remotis, ut ne nomina quidem intelligantur: non contentus eorum autoritate, qui aliquid de his ſcripſere, voluit ipſe verba rebus accommodare, hiſque diligenter inſpectis videre, quo pacto res ipſæ cum antiquorum ſcriptis convenirent. Itaque ea cauſa illi in Narbonenſem Provinciam iterum proficiſcendi fuit, cum adoleſcens antea ibi jus civile didicerat: quam quidem ſtirpium fertiliſſimam, piſcium etiam abundantiſſimam, propter illius maris vicinitatem exiſtimavit. In qua quidem peregrinatione librum etiam, quem herbarum hiſtoriam appellavit, ſcripſit. Eam vero partem, in qua Plinius terrarum orbis deſcriptionem complexus eſt, diligentiſſime eſt perſecutus: atque in hoc etiam oculorum judicio uti voluit, omneſque & ſylvas ac montes, & antiqua oppida, à Plinio deſcripta, quorum aliqua veſtigia manerent, ipſe adire. Itaque cum adoleſcens Hiſpaniam totam peragraſſet, adulta jam ætate, Britanniam, Germaniam, Galliam, Italiam emenſus eſt. Statueratque in Orientem proficiſci, niſi Turcorum arma, quibus omnia Chriſtianis hominibus clauſa eſſent, eum ab hoc conſilio deterruiſſent. Quanquam etiam apud homines noſtros peregrinando in magna pericula ſæpe incidit. Apud Heluetios autem, dum eorum regionem viſeret, nihil propius fuit, quàm ut interficeretur. Quid vero illi acciderit, & quomodo periculum evitaverit, non erit alienum commemorare, quo magis & induſtria ejus cognoſcatur, & animus, qui nullo periculo à rerum dignarum inveſtigatione deterreri potuit. Profectus eſt eo cum duobus familiaribus Gallis, eo ſane tempore, quo accepta clade apud Mediolanum Heluetii à Gallis maxime diſſenſerunt. Ex comitibus ergo cum in ſuſpitionem veniſſet, ſpeculandi cauſa acceſſiſſe, pars quædam cohortis Heluetiorum eos aggreſſa eſt. Ibi cum aliquandiu repugnaſſent, neque pares eſſe potuiſſent, unus eorum fuga Rhodanum tranatando, vitam ſibi ſervavit: alter in pugna cæſus; ipſe gravi vulnere altero brachio accepto

captus

captus & in carcerem abductus eſt, ubi triginta fere dies, cum neque medici neque remedii ullius facultas daretur, vulneris dolore magis magiſque ingraveſcente, in ſummo mœrore jacuit, donec caſu antiſtes Sedunenſis, qui apud Heluetios dignitate et gratia maxime potuit, eò veniſſet: cujus opem cum Longolius per literas ſupplex imploraſſet, ipſe caſum viri valde miſeratus ſtatim cuſtodia liberavit, adhibitiſque medicis, tam diu apud ſe retinuit, dum à vulnere prorſus ſanatus eſſet: tum equo donatum, & viatico liberaliſſime inſtructum, in patriam remiſit. Nec vero ille antè diſcedere voluit, quàm id cujus cauſà venerat perfeciſſet, regionemque totam luſtraſſet, atque tabellis deſcriptam ſecum domum reportaſſet: cujus rei perficiendæ majorem tum facultatem habuit, quam ei Sedunenſis autoritas dabat. Itaque cum in omnibus quæ videre cuperet abunde ſatisfactum eſſet, illinc in patriam deceſſit. Sed ut eo de quo inceperam revertar, hoc eum ſæpe prædicantem audivi, ſe quicquid rerum naturæ cognitione profeciſſet, id C. Plinii lectioni acceptum referre, qui in omnibus illi occaſionem plura quærendi & inveſtigandi ſemper dederat. Oratoriis artibus à puero ſemper deditus fuit, earum verò ſummam cognitionem, non artis ſolum præceptis, ſed multa exercitatione firmaverat. Declamandique conſuetudinem multis jam ſæculis intermiſſam & propè mortuam, qua nihil unquam utilius iis qui oratores evadere cupiunt, inventum fuit, in ſeipſo primum, poſt in aliis renovavit, cùm argumento propoſito, ſæpe in ſcholis declamando alios ſuo exemplo, ut idem facerent, commovit. Genus dicendi ineunte ætate ſecutus eſt, quod poſtea vir factus, valde improbavit. Nam cum adoleſcens per omnia ſcriptorum genera vagaretur, neque quenquam unum ſibi imitandum proponeret, ſed ut ipſe de ſe dicere ſolebat, tantum in uno quoque notaret, quantum acutè aut ſententioſè dictum eſſet: eo factum eſt, ut prudenter ſemper fere diceret: quod fuit etiam naturæ: oratio verò ejus, quæ ex verbis undique accerſitis conſtaret, nullam neque elegantiam, nec venuſtatem præ ſe ferret, formamque dicendi inconditam & minime æquabilem redderet. In hoc tamen genere multa ſcripſit: Orationem de laudibus C. Plinii, alteram de laudibus Gallorum: Comparationem juris civilis cum re militari, in qua juris laudes extollit: Commentarios quoſdam in jus civile: Hiſtoriam herbarum: Commentarios in XI. libros Plinii ab eo admodum adoleſcente, quo primum tempore Plinium in manu ſumpſerat, conſcriptos: poſtremo verò omnium, cum jam etiam majorem elocutionis rationem habere inciperet, quinque orationes de laudibus urbis Romæ fecit. Quòd verò genus ſcribendi mutaverit, id Petri Bembi conſilio, qui eo tempore hac laude eleganter & Latine ſcribendi multum Italis omnibus præſtitit, acceptum referre ſolitus eſt. Ille enim cum Longolio amiciſſimus eſſet, multaque ejus prudenter quidem ſcripta, ſed inquinatis & corruptis verbis referta videret, dolere ſe apud eum ſæpe teſtatus eſt, quòd cum à natura & literis ad oratorias artes inſtructiſſimus eſſet, voluntate etiam in eas maxime propenſus, negligeret tamen eam partem emendate & Latine loquendi, quam M. Cicero eloquentiæ Romanæ parens ſolam & quaſi fundamentum oratoris eſſe judicavit: unde etiam eloquentia ipſa nomen ſumpſiſſet. Magnopere igitur eſt cohortatus, ut totam ſuam dictionem, ad præſtantem illam Ciceronis dicendi formam revocaret,

eumque ſolum ex oratoribus ſibi imitandum proponeret. Cujus conſilio & autoritati tantum tribuit, ut quinque annos continuos ab ea cohortatione, nullum alium autorem Latinum in manibus haberet, nullum legeret, præter unum Ciceronem: in quo tantum ſtudio induſtriaque profecit, ut poſt breve tempus, cum ſibi eam legem indixiſſet, ne aliis atque à Cicerone ſumptis verbis uteretur: ac omnia ferè quæcunque animo concepiſſet exprimenda, abunde ex illo uno verba electa ſuppeterent. Cumque ſe totum ad ſummi illius oratoris imutationem dediſſet, ſicque toto animo contendiſſet ut nihil unquam magis, ut perfectam illius ſcribendi formam animo incluſam haberet, etiam in omnibus quæ ſcripſit, ut eodem modo dicere poſſet, magnopere laboravit. In hanc verò formam ſcriptæ ſunt ab eo orationes duæ, quibus eorum accuſationi reſpondet, qui eum Romæ perduellionis reum egere: una præterea ad Luterianos oratio, et aliquot Epiſtolæ ad amicos: reliqua omnia quæ ſcripſit, ipſe abolenda cenſuit: idque ut ita fieret, amicis moriens commendavit. Cauſam verò totam Luterianam, cujus oppugnationem juſſu X. Leonis Pontificis Maximi, à quo etiam commentarii totius cauſæ miſſi ad eum fuere, ſuſceperat, quinque orationibus complecti ſtatuerat: brevique perfeciſſet (excogitatis jam ſecum, ut ex ipſo audieram, quæcunque tali in cauſa dicenda forent) niſi prima ſtatim abſoluta, immatura mors conſilium ejus præveniſſet. Theologiam, & eos ſcriptores, qui de divinis rebus tractant, omni ætate coluit: idque putavit hominis eſſe Chriſtiani, non in ſenectutem, ut maxima pars hominum facit, hoc ſtudium differre, ſed quotidie addiſcendo in eo, quanquam lentius id fieret, aliquid tamen procedere. Hoc autem modo ipſe & Græcos & Latinos plurimos, quos maxime in rerum divinarum explicatione excellere putavit, diligenter evolvit. In his verò literis, & in aliis artibus, tot perlegit, tam multa, tanto judicio, in tam paucis annis, ea etiam ætate qua aliis vix maturum judicium adeſſe ſolet: tot interim laboribus ex peregrinationibus exercitus, ut iis, qui eum & mores ejus non novere, penè incredibile videatur. Sed adjuvabat præter cætera quæ modo commemoravi, temperantia ſumma in victu, & in omni vita, ut voluptatibus, quæ apud cæteros ejus præſertim ætatis magnam partem temporis ſibi vindicant, nullum omnino tempus daret. Cibi et potus erat parciſſimus, mero nunquam, dilutiſſimo ſemper utebatur, maxime verò frigidæ potu delectabatur: quo etiam ſæpius uſus fuiſſet, niſi medici, quòd maxime inimicum ſtomacho dicerent, eum magnopere deterruiſſent. Somno parum indulgebat: cum plurimum, non amplius ſex horas dormiebat. Reliqua genera voluptatum ſummus ille ardor in ſtudia literarum ita reſtinxit, ut nulla prorſus in eo aliarum rerum cupiditas appareret. Neque verò ita prorſus ſtudiis deditus erat, ut reliqua omnia, quæcunque in Republica Chriſtiana agerentur, tanquam ad ſe nihil pertinerent, negligeret, ſed cum ſtudiis plurimum tribueret temporis, tum verò quando vel ſalutis ratio, vel quævis alia neceſſitas, cum à ſtudio avocaret, libentiſſime & diligentiſſime de iis quæ foris agerentur, inquirebat. Quo factum eſt, ut ſimul & doctiſſimus & prudentiſſimus haberetur: ut neque hæc curioſitas rerum externarum cognoſcendi quicquam de legitimo ſtudiorum tempore detraheret, nec illa languidiorem ad cætera redderent, aut quicquam de prudentia rerum diminuerent:

minuerent: ſed contra alterum ab altero adjutum hanc pulcherrimam in eo prudentiæ & ſapientiæ conjunctionem effecere. Corporis eatenus rationem habuit, quatenus ſtudiis ſufficere poſſet: quotidieque ante cibum parva pila ſe exercebat. Quanquam per ſe laboris apta membrorum compoſitione patientiſſimum corpus habuit, & quod multis magniſque laboribus ad omnem patientiam ineunti ætate firmaverat, quippe qui adoleſcens laborem etiam militarem fuerat perpeſſus: mileſque Neapolitano bello cum Ludovico Gallorum Rege in Italiam veniſſet: etſi à robore militari multum abeſſet, corpuſque decorum magis habere quàm robuſtum videretur. His vero rationibus ita corpus & animum curavit, ut alterum ſemper ſanum, alterum quàm doctiſſimum, variiſque et multis artibus repletum haberet. Quantum verò doctrina & eloquentia inter hujus ſæculi ſcriptores præſtiterit, ii demum intelligent, qui pauca ea quæ ſuo judicio probata, ſcripta reliquit, cum aliorum in illo genere ſcriptis conferent: aut is denique, qui in ſimili ſcribendi argumento ſui periculum fecerit. Neque verò iſtis artibus atque virtutibus præmia omnino indigna his temporibus tulit: multaque præclara de eo judicia principes viri fecere, A Rege Hiſpaniæ Philippo duodeviginti annos natus, ſanctioribus illis reconditarum rerum notis, quibus hodie unis omnia propè regnorum arcana committuntur, præfectus, A principibus Pannoniæ magno propoſito præmio accerſitus, ut regem puerum optimis artibus inſtituendum ſuſciperet, A Ludovico Francorum rege multis honoribus affectus: de quibus ille in judicio cum pro ſe diceret, adverſariis maxime conditionis obſcuritatem objicientibus, commemorare eſt coactus. Quo tempore Regis decretum recitari fecit: à quo ille non unius aut alterius (ut ejus verbis utar) ſuæ ditionis urbium, ſed univerſi regni viribus uno edicto eſt donatus. Sub quod etiam aliud decretum conſilii illius centumviralis, quod Lutetiæ Pariſiorum cogitur, intulit. In quo illi jura ti ſummo conſenſu in collegium ſuum cooptarunt, habiturum in perpetuum jus vitæ & necis, ac ſummam fortunarum omnium poteſtatem, non in plebem modo, ſed in omnes regni proceres. Viceſimo verò octavo ætatis anno civitas ei Romana ultro eſt oblata, virtutiſque & literarum ergò civis factus. Quæ res quanquam initio multarum illi turbarum cauſa fuit, multis clàm invidentibus, nonnullis verò nobiliſſimis viris palàm eum oppugnantibus, & virtutibus ejus obtrectantibus, inter quos magno periculo eſt verſatus: poſtea tamen optime ceſſit, nomenque ejus & gloriam magnopere auxit. Nam cum ſtatim poſt civitatem adeptam in Gallias redire ſtuderet, ut amicos & propinquos, à quibus multos annos abfuerat, viſeret: crebræ verò adverſariorum ejus voces exceptæ eſſent, palàm dicentium, ſe nomen ejus delaturos: ea res fecit, ut paulo diutius conſilium profectionis differret: ne ſi tali tempore urbem relinqueret, non amicos ſalutandi cauſa diſceſſiſſe, ſed timore & minis inimicorum perterritum ab urbe aufugiſſe videri poſſet: ſed cum diutius manſiſſet, quàm ejus rationes paterentur, expectans quorſum obtrectatorum invidia procederet, cum illi interim nihil contra eum niſi convitiis agerent, exiſtimans ulterius eorum indignitatem non progreſſuram, iter Galliam verſus jam diu ab eo deliberatum, eſt perſecutus: relictis tamen apud amicos defenſionibus ſuis ſcriptis, ut contra omnes conatus adverſariorum, ſi abſentia ejus aliquam.

quam illis occaſionem accuſandi daret, præſto haberent quod opponerent: jam tum ex eorum convitiis animo proſpiciens, quæ maxime objecturi eſſent, quibus ille omnibus medicinam fecerat. Cujus ſui conſilii prudenter excogitati magnum poſtea fructum & voluptatem cepit. Vix enim Venetias in eo itinere pervenit, cum ad eum literæ amicorum ſunt allatæ, nunciantes graviſſimam accuſationem, qua ſtatim poſt diſceſſum ejus adverſarii ſunt uſi, & quo pacto conſilium de relinquendis defenſionibus proceſſiſſet. Accuſavit eum nobilis & diſertus adoleſcens Romanus, in quo magnam dignitatis ſuæ ſpem majores natu Romani collocarent, ad id inductus inimicorum Longolii multis & aſſiduis precibus, objecto etiam falſæ gloriæ ſplendore, quod patriæ laudibus, quas oppugnatas à Longolio eſſe voluerunt, in hujuſmodi accuſatione adeſſe eum aſſeverarent. Ita verò acerbe & vehementer, ipſo audiente principe Romano, cum multi nobiliſſimi & clariſſimi viri judicio intereſſent, egit, ut nonnulli amici Longolii eſſent qui de cauſa obtinenda deſperarent, donec amicorum præcipua cura defenſiones ejus in lucem prodiere: quæ ita ab omnibus paſſim probabantur, ut multi dicerent non Longolium civitatis donatione ornatum, ſed ipſum civitatem illis orationibus ornaſſe, in quibus priſtinam dignitatem civitati & vetera ſua ornamenta omnia reſtituiſſe videbatur. Principi ipſi vero ita placuere, ut oblitus penè quid adverſario ejus tribuiſſet, quem paulò antè, nulla magis re alia motus, atque ejus in Longolium actione, in familiarium numerum receperat, protinus juberet ut diplomata Longolio expedirentur, quibus ratum eſſet, quod *S. P. Q. R.* de cive eum aſciſcendo decreviſſet: præterea quod ipſe de privato ærario ad tuenda ſtudia ejus conceſſiſſet: atque ad eum ubicunque terrarum eſſet, deferrentur: ea tamen lege, ne ſedem ſtudiorum alibi quàm in Italia poneret. Multis præterea honoribus affecit, nam in Palatinum & ſacroſanctæ Lateranenſis aulæ comitatum ſua ſponte cooptavit, & in Romani Pontificatus ſcribarum numero eſſe voluit. Quæ cum ad eum perlata eſſent, cum alia omnia libenter audivit, tum verò conditionem de commoratione ſua in Italia non invitus accepit, lætusque in Galliam quaſi ex inimicorum dolore triumphum agens, animo ſtatim revertendi eſt profectus: ubi magno amicorum gaudio exceptus, quòd nihil tam præter opinionem eorum accideret, quàm ut eum quem vix ſalvum in tantis contentionibus arbitrabantur, honoribus etiam auctum viderent, magna eum ſtudio apud ſe retinere contenderunt, pluribus etiam ad manendum præmiis & privatim à multis, & publicè à rege ipſo Francorum propoſitis. Ex privatis autem qui hoc maxime ab eo contenderunt, Ludovicus Ruzæus Pariſienſis, cum multa alia, tum verò ſuburbanum fundum lautum & fructuoſum muneri obtulit: nullam aliam beneficii ſui remunerationem aut operam ab eo expectans, niſi ut urbe illa quaſi domicilio ſtudiorum ſuo rum contentus, in Italiam amplius non rediret. Ille verò quanquam Galliam ſemper non minus charam quàm patriam habuit, exiſtimans non inferiori amoris loco habendam quæ excepit, quàm quæ genuit, plurimi etiam in hac re amicorum ſtudia æſtimaret: tamen cum recordaretur quam fidem X. Leoni Pont. M. x. & reliquis amicis de reditu dediſſet, ab eo nullis cujuſquam promiſſis aut precibus deduci potuit. Mirifice verò ipſe ſua ſponte erga Italiam & Ita-

los

los afficiebatur: ut etiam in Epiſtola quadam ad Sadoletum, reditus ſui rationem probare volens, cum alias cauſas attuliſſet, poſtremo addit, ideo ſe rediſſe, quòd ad excitanda fovendaque ſtudioſorum hominum ingenia plurimum conferre arbitratus eſſet cœli ipſius Italiæ clementiam, ſeque in eo felicem illum & planè divinum Italiæ genium ſecutam. Antequam vero rediret, Britanniam nobilem inſulam videre voluit, adductus præterea fama eorum quos præter cæteros illic Græcis literis & Latinis eruditos, omni liberali & ingenua doctrina pollere audiverat. Cum quibus pluribus diebus jucunde conſumptis, quod eorum doctrina ita delectaretur, ut etiam ſummæ admirationi eſſet, quemadmodum ſæpe eum prædicantem audivi, tantam & tam politam atque excultam doctrinam in illis locis, apud eos homines, vel uſquam penè terrarum, his temporibus, quibus propè omnes elegantiores artes jaceant, potuiſſe reperiri: ad conſtitutum ſibi in Italiam iter reverſus eſt: Pataviumque venit, quem ſtudiis ſuis locum accommodatiſſimum elegit. Quanquam ſimul ac de ejus in Italiam adventu auditum eſt, populus Florentinus non ſolum in civitatem ſuam, ſi illic ad inſtituendam bonis artibus juventutem ſe conferret, invitavit, verum etiam vicena quina in annos ſingulos ſeſtertiorum nummûm millia ex ærario publico decrevit. Verum ille recordatus, quæ præmia antea contempſerat, quòd nullum ocii ſui partem aliis vendere voluiſſet, nulla mercede à ſuſcepta propoſitaque ſententia potuit avelli. Patavii autem ſe continuit, ſibi & ſtudiis ſuis ſerviens, primum in contubernio Stephani Saulii nobilis Genuatis, qui literarum cauſa eò ſe contulerat, optimarum artium etiam ipſe ſtudioſiſſimus. Deinde verò eo in patriam revocato, cum multi nobiles viri (quorum tum Patavii propter celebritatem eorum qui literas docuerunt, magna copia fuit) certatim Longolium ad ſe invitarent, quod ejus conſuetudinem non honorificum tantum ſibi, ſed etiam fructuoſam fore putabant: ille in domum Raynoldi Poli nobilis juvenis Britanni, quem per eos dies Rex Britanniæ literarum cauſa eò miſerat, migravit: quocum conjunctiſſime in literis uſque ad extremum vitæ diem vixit. Amicitiis uſus eſt magnis & illuſtribus, quas illi ubique ferè vel felicitas quædam ejus, vel doctrinæ fama conciliaverat. Neque verò in conciliandis amicis fælicior, quàm in retinendis prudentior habebatur: quos ſumma fide obſervantiaq; ſemper coluit. Quantum verò officio in amicos tribuit, vel extremus illè vitæ ejus actus facile declaravit. Nam cum graviſſime ex febre laboraret, ex qua etiam periit, eodemque tempore ab Hieronymo Savanarola amico ſuo, qui tum filium ſumma ſpe & indole adoleſcentem amiſerat, literas accepiſſet, valde miſerabiliter de morte filii ſcriptas: exiſtimans ſe non aliter officio ſuo in amicum non poſſe ſatisficere, in mediis ipſis doloribus cum graviſſime cruciaretur, literas ad eum conſolatorias, morbum ſuum ſilentio tegens, ne hoc etiam ad amici dolorem, dedit. Quæ quidem ut tum ſcriptæ, maxime vim morbi auxiſſe exiſtimari poſſent, ſic uberrime quo officio in amicos eſſet declaravere: qui ne eo quidem tempore ſibi parcere voluit, aut officium intermittere, quo omnes illi libenter remiſiſſent: aut ſane amicus non eſſet, qui hoc ab eo exigeret: & tum alium conſolaretur, cum magis conſolatione ipſe egeret. Sed ab ea humanitate quam in omni vita erga amicos retinuerat, ne tum quidem dolor corporis

&

& propinqua mortis expectatio potuit eum deducere, aut facere ut ſuorum commodorum rationem haberet, qui ſemper quacunque in re declarare poſſet, amicorum commoda ſuis prætulerit. Quo factum eſt ut chariſſimos illos ſemper firmiſſimoſque haberet: idque maxime eſt expertus, cum abſens Romæ in judicium vocaretur. Quo tempore neque adverſariorum ejus potentia, quæ maxima fuit, nec acerba eorum in eum accuſatio, quenquam eorum qui amicitia vel conſuetudine aliqua, dum Romæ eſſet, conjuncti videbantur, ulla in re flectere potuit. Plurimum verò ex omnibus detulit Jacobo Sadoleto, & Petro Bembo, viris cum autoritate & gratia inter eos qui tum Romæ erant, maxime florentibus, tum vero doctrina & omni politiore humanitate propè ſingularibus. Quorum opibus & gratia quàm diu Romæ fuit, in omnibus rebus eſt uſus. Ut verò alios in ſe benignos & liberales eſt expertus, ſic omnibus quos aut opera aut conſilio juvare poſſet, maxime fuit expoſitus: præcipue vero iis qui ſpem aliquam de ſe vel ingenii, vel doctrinæ darent. Novi ipſe multos qui cum à patria abſentes & amicorum ſubſidio deſtituti ad eum confugerent, ab eo ſæpe pecunia ſublevatos: cum tamen valde tenues facultates haberet, & aliorum opibus caſus ſuos ſuſtentaret. Quando vero diutius ſumptus tales ſe ferre non poſſe ſentiret, per amicos omnia egiſſe ne quid illis deeſſet, non ſecus ac ſi omnia neceſſitudinis officia ſibi cum illis interceſſiſſent, qui neque cognatione, neque patria eum contingebant, indole tantum & ſpe doctrinæ ei commendati. Adverſæ fortunæ vulneribus multis, ut in tam paucis vitæ annis, ictus, nihil unquam aliter atque virum decuit, tulit. Primum Philippi Regis Hiſpaniæ morte inopinata, ad quem ſe poſt amiſſum utrumque parentem contulerat, ex quo cum magna ſperaſſet, jamque apud eum gratia & ſupra ætatem authoritate multum valeret, ille præter omnium opinionem in Hiſpania ereptus eſt. Deinde multis peregrinationibus & moleſtiis agitatus, carceris etiam moleſtiam & difficultatem eſt perpeſſus. Poſt contentio illa Romæ acceſſit cum potentibus & factioſis adverſariis: inter quos cum ſæpe diſcrimen vitæ adiit, nunquam ſine magno periculo verſabatur. Extremum vero omnium, quod aliqua ex parte eum attingere videbatur, fuit decimi Leonis Pontificis Maximi mors, in cujus vita omnem ſpem fortunarum ſuarum ſitam habebat, cujus autoritatem & promiſſa ſequutus, contra omnium amicorum ſuorum voluntatem in Italiam redierat. Cum autem neque ad ſuos honeſtum reditum, quorum antea promiſſa ſpreverat, neque quo pacto in Italia defuncto jam Leone, qui antea ſumptus ſuppeditabat, otium ſuum cum dignitate tueri poſſet, ſatis videret, hæc nonnihil eum conturbarunt. Nuſquam tamen ſe commovit: ſed veteribus tantum amicis, quos in Italia habuit de ſtatu ſuo per literas admonitis, ille in contubernio illius nobilis juvenis Britanni ſe continuit. Cum vero decem menſes poſt obitum Leonis perpetuo fere in literis verſaretur, conſtitutum ſe habere dixit in Forum Julium proficiſci, cum ut animum ſuum curis literarum diſtrictum peregrinatione relaxaret, tum etiam ut eam partem Italiæ ſibi non ſatis cognitam viſeret. Itaque paucos ante dies quàm egredi ſtatuerat, cum nihil omnino incommodæ valetudinis ſentiret, ſemotis arbitris multa cum Polo ſuo, cui ſemper plurimum tribuit, fertur diſputaſſe de periculis, de fragilitate, de miſeria humanæ

vitæ,

vitæ. Hanc vero tandem ſummam orationis habuiſſe, ut quoniam ſibi peregrinandum eſſet, neque ignoraret multa ſæpe peregrinantibus pericula præter opinionem, quibus obſiſti non poſſet, intervenire: ut rebus ſuis, quicquid ſibi accideret, provideret: teſtamentum ſe velle facere dixit, atque apud eum deponere: flenſque pene rogavit, ut ſiquid ſibi adverſi accideret, teſtamenti capita perſequeretur, famamque ſuam & memoriam charam haberet. Atque hæc cum magna admiratione illius cui hæc commiſerat, fecit. Quis enim non miraretur, quod in proximam provinciam exiturus, optima etiam valetudine, ut ſibi & aliis videbatur præditus, ea diceret & faceret, quæ magis ex vita quàm ex civitate migrantis videbantur? Verum ſive divinatione de propinqua morte ſua id faciebat, ſive prudentia quadam, quam caſus poſtea divinationem videri fecit, eodem die qui profectioni conſtitutus eſt, in gravem & aſſiduam febrem incidit, ex qua non convaluit, eo etiam tempore cum forte abeſſet Polus, cui antea res ſuas omnes crediderat. Quem tamen per literas ſtatim quo ſtatu eſſet certiorem fecit, nihil de teſtamento mutans: hoc tantum rogans, ut quemadmodum coràm recepiſſet, curam & quaſi diſpenſationem rerum ſuarum acciperet, mortuoque memoriam pie & inviolate præſtaret. Quo nuncio triſtiſſimo ille perculſus, quod eum unice amaret, ſubito accurrit, multaque cum in ſpem vitæ diceret, eadem etiam medici pollicerentur, nunquam ab eo deduci potuit, quin eo febris finem ſibi vitæ eſſet allatura: id quod paucos poſt dies evenit. Antequam vero diſcedere, in divi Franciſci familiam voluit adoptari, ejuſque habitu poſt mortem & templo ſepeliri. Obiit XXXIII. ætatis anno. III. Idus Septembris. Anno ſalutis generis humani M. D. XXII. atque Patavii in Franciſci, quemadmodum præſcripſit, ſepultus.

DE Obitu doctissimi ET Sanctissimi Theologi Doctoris MARTINI BUCERI, Regii in celeberrima CANTABRIGIENSI Academia apud Anglos publicè Sacrarum Literarum prælectoris EPISTOLÆ DUÆ.

DOCTISSIMO VIRO ET AMICO SUO SINGULARI D. *PETRO MARTYRI* *JOANNES CHECUS* S. D. P.

ITA natura feret, ut quos doctrina exquisita, aut singulari virtute viros noverimus, aut etiam necessitudine graviore, vel benevolentia conjunctos, illorum mortem graviter & acerbe feramus, quia indignos illos putamus, ut luce & spiritu communi priventur, & nos etiam ita diligimus, ut non modo nobis, sed ne nostrorum quidem ulli, miserum & calamitosum aliquid accidere debere judicemus. Te autem puto Domini Buceri gravissimi & religiosissimi viri mortem moderate & Christiane ferre, neque naturam ita voluntati Dei repugnantem habere, ut vehementiorem aliquam

aliquam perturbationem in communi & naturali omnium exitu, in animum tuum intrare permittas. Scis cujus eſſet cum viveret, quis in illo habitaret, quàm non ſui juris eſſet, qui totum ſe illius ſervituti addicebat, à quo redemptus fuerat. Hic cum non donatus nobis à Deo, ſed ad aliquam temporis uſuram commodatus ſit, acerbius feremus, quod Deus hunc evocaverit, quam gratias agemus, quod talem nobis tam diu reliquerit, & curſus hic ætatis fuerat, atque adeo inclinatus, ut etiamſi longiore vita dignus eſſet, natura tamen illum longius provehere non poſſet. Et cum conſtantiſſime vitam omnium traduxerit & eadem conſtantia vitæ quoque finem fecerit, quanto hoc debet familiares illius & neceſſarios gaudio perfundere, quod ita à Deo raptus ſit, ut malitia mentem illius non perverteret, ſed vitæ innocentiam, mortis conſtantia ſuperaret? De divina autem potentia, ſapientia, bonitate, quis poterit dubitare, neque nos cum illo pugnare debere, ſed nos illius magnitudini & potentiæ ſubjicere, ut grato animo accipiamus, quicquid nobis à tanto authore objectum ſit, ne vel reclamando obſtinati, vel non ferendo imbecilles, vel male accipiendo ingrati reperiamur. Stultiſſimum eſt autem & ſpiritu Chriſti indignum, ut nos quicquam melius & præſtantius putemus poſſe facere, quam divinæ providentiæ regula conſtituit, cujus etiam ſtultitia, longe omnem humanæ intelligentiæ ſolertiam ſuperat, ſapientia autem à nemine cerni poteſt, cum ne intelligentiam quidem noſtram multis modis depreſſam atque obſcuram, aliquid ſpirituale aut divinum, niſi ſpiritus lumine introductum cadat. Qui vero Deum ſuis bonum & propitium cogitant, qui omnia non modo miſera & calamitoſa, ſed etiam ſceleſta et nefaria ad bonum convertit, quomodo hoc ſibi in animum inducent, ut hoc inutile, damnoſum & noxium ſuis ſit, quorum tam arctam curam gerit, ut ne pilus quidem capitis ſine illius voluntate de capite decidat?

Cum autem in omnibus apud Deum precationibus hoc adjungimus, ut illius voluntas fiat, quam inconſtantes & leves erimus, ſi antequam res eveniant, à Deo contendimus, ut quod velit faciat, poſtea autem et hoc quod expetebamus, non ferimus, & quod precabamur antea, hoc nunc idem deprecemur, eam commutationem non ferentes, qua Deus ſuos ad patientiam et perpeſſionem rerum exerceri atque erudire vult. Nam quanquam nos magnum ornamentum & columen integritatis, religionis, doctrinæ amiſimus, neque tamen ille lugendus, qui hæreditatem paternam adiit, de qua nos hic cum miſeria laboramus: neque ſtatus Eccleſiæ deflendus, quæ tantum & talem in cœlum emiſit, neque noſtras rationes afflictas, ut videtur, & collapſas lamentari debemus, qui plus opis et præſidii in ſpiritu Chriſti, quam in voce Apoſtoli collocare debemus. Sed hinc abducere cogitationes noſtras diſcamus in Chriſtum & ſpiritum ejus ſalutarem, etiam atque etiam petere, ut omni extremo præſidio Eccleſia quaſi deſtituta, internis ſpiritus ſubſidiis recreetur, et in hac tanti parentis noſtri orbitate authoritate ſpiritus levemur. Atque hic fœliciores aliquanto nos Cantabrigienſes ſumus, quod tantum virum Cantabrigiæ Deus commendaverit, quod ita altas radices diſciplina Chriſti per Bucerum egerit, ut hoc laboris & muneris curſu confecto, fructum & præmium exoptatum Magiſter percipiat. Nondum

iniquitas Amorbeorum completa eſt, nondum tibi in liberum cœlum & domicilium hæreditarium ire fas eſt, major tibi moles rerum, majus negotium miſcendum, fervore adhuc tuo carere non poſſumus, tibi elaborandum eſt, ut quanto minore comitatu ſeptus et munitus es, tanto acrius et majore cum contentione dimices, & ita te pares, ut non unus trium, ſicut ille apud Hiſtoricum, ſed ſolus omnium impetum ſuſtineas. Atque hoc fidenter tibi et animoſe ſuſcipiendum eſt. Chriſtus enim mundum devicit, et evertit ſapientiam ſapientium τῇ τῦ λόγυ δυνάμει. Sed quid ego iſta, Deus bone, apud te? Dum tecum loquor, me ipſe conſolor, et dum levationem doloris tui meditor, aliquam ægritudinis etiam meæ medicinam quæro, minus laborans quid par ſit mihi ad te ſcribere, quam quid conveniens meo dolori detrahendo videtur. Nunc autem quod me nonnulla, ut verum fatear, lætitia afficiat percenſebo tibi, quam honeſte ſe Cantabrigia geſſerit, quæ tales honores D. Bucero mortuo habuit, quales maximos potuit, & ita ejus funus proſequebatur, ut verum amorem quem ipſi in cœlum ſublato exhibere non poterant, ad futuræ reſurrectionis memoriam, ergaſtulo animæ exhiberent. Sepultus eſt in celeberrimo Academiæ templo, deducentibus illum non modo Procancellario Academiæ, Doctoribus, aliiſque qui graduum dignitatem in Academia obtinebant, ſed etiam cæteris omnibus, qui ad ingenii humanitatiſque cultum capiendum eo confluxerant. Eadem eruditionis & integritatis opinione commoti Major oppidi cæterique Oppidani, novo atque inſolenti, ſed laudabili tamen modo, cum ſcholaſticis ſe conjunxerant, & quemadmodum poterant, funus illius honeſtabant, virtutis illius magnitudinem, officio tam raro & voluntario commendantes. Itaque ad tria hominum millia confluxerant, voce, lachrymis, lamentis, quantum ſui deſiderium Bucerus reliquiſſet, atteſtantes, cum ne plebei quidem, qui illum docentem & concionantem non intellexerant, fama et prædicatione doctrinæ & religionis excitati, ab illius funere abeſſent. Precationibus noſtro more confectis, & gratiis Deo patri miſericordiarum actis, quod curriculum hoc vitæ tam pie & Chriſtiane ab illo decurſum eſſet, & ad erumnarum atque angorum finem, quibus imortalium vita obſeſſa atque excruciata, jactatus, cum laude & conſtantia perveniſſet. Ibi tum Haddonus Academiæ orator Legum Doctor, eloquentiæ laude præſtans omnibus, ipſe morbo viſcerum fractus, & de mortuo loquens ipſe ſemimortuus, ſive magnitudine calamitatis commotus, ſive conſuetudine tam Chriſtiani & religioſi viri orbatus, ſeu frequenti dolore tanti concurſus animo perculſus, gravem de re tam gravi, orationem habuit, ut lachrymæ ubertim omnibus manarent, cogitantibus cujuſmodi Magiſtro eſſent orbati, quo majorem vix univerſus orbis caperet, ſive ſcientiam veræ religionis, ſeu vitæ integritatem atque innocentiam, ſeu inexplebile ſtudium ſanctiſſimarum rerum, ſeu laborem intollerabilem promovendæ pietatis, ſeu authoritatem & amplitudinem docendi, ſive quid aliud in illo laudabile & glorioſum fuit. Ille ardor orationis fuit, ut lachrymæ caderent omnibus, clariſſimi viri deſiderium animo repetentibus, & ſine paſtore quaſi palantibus, præeunte Haddono, non modo voce & querela, ſed etiam lamentatione & lachrymis. Hunc ſequutus D. Barkarus Theologiæ doctor, vir pius & gravis, concionem anglicam

cam apud populum habuit, qua docuit, quatenus mortui lugendi nobis essent, & quatenus gaudio & gratulatione prosequendi. Deinde, quot incommoda nobis ex unius Buceri morte, tum publica tum privata, invecta essent, & quibus rursus de causis sedatè atque æquo animo ferre hunc communem omnibus vitæ exitum, sed paucis tam memorabilem, deberemus. Sic ea nocte singuli domum quasi in orbitatem & solitudinem se conferebant. Postridie ejus diei ad templum rursus convenerant, & gratiis de more actis, quod ex hoc ærumnoso solo in portum et perfugium salutis suos satis idoneis temporibus traduxit, & beneficio mortis Christi in mensa Dominica proposito, ad Eucharistiæ communionem quadringenti accesserunt, mortis Christi commemoratione habita, & spe resurrectionis illius communione adaucta. Tum Redmannus Theo. D. vir eruditus et pius, concionem in maxima frequentia habuit, et quid mors esset, disseruit, et quomodo universa bonorum & Sapientum vita, meditatio mortis esset, nihilque ita in auribus omnium personarum debere, ut discessus ex hac fragili caducaque vita, bonorum exempla nobis ad perpetuam de morte cogitationem proposita esse, atque ad eum finem omnia facta, dicta, studiaque nostra conferenda esse, quid in Buceri vita laudabile et sequendum, quid in illius morte memorabile et glorioſum esset. Atque hac oratione usus, finem dicendi fecit. Eadem aurora studiosi omnes qui aliquid poterant, et vel in græcis vel in latinis litteris profecerant, non quid Bucero dignum esset, quem laude suâ superiorem indicabant, sed quod officio suo conveniens esset, quod sibi omni studio colendum putabant, secum reputantes, quibus poterant versibus, græcis, latinis, soluta etiam oratione, tumulum illius honestabant. Neque in festorum celebritate magis solitum est loca quædam sertis et corollis undique redimiri, quam locus ubi humabatur, Epitaphiis et acroamatis distinguebatur. Hunc honorem scolastici & oppidani Cantabrigienses, pietatis ac litterarum nomine, Bucero detulerunt. Precor autem à Deo Opt. Max. ut hæc externæ benevolentiæ testimonia, ab interno et propriore animi affectu oriantur, et quam ille veram doctrinam reliquerit, eandem studiis, sententiis, vita persequantur, ut vir tam nobilis si quidem ullus esset in Christo quiescentium sensus eorum quæ hic agerentur, fructu laborum quos hic posuerat, lætaretur. De familia ejus video te laborare D. Petre, in quo nihil est quod te excrucies. Nam et D. Cantuarienses, reliquique illius amici hoc in se munus receperunt, ut illi abeunti, honestis conditionibus provideatur, et Academia etiam quod potuit fecit, scripsit ad Regiam Majestatem & conciliarios Regios in hac causa, & Rex qua est singulari pietate et prudentia, se justam illius familiæ rationem habiturum promisit. Condonabis mihi ἀυτοχεδιάζοντι σοι τυπῶν φίλε. Dominus Jesus te & familiam tuam servet.

Westmonasterii. X. Martii. Anno Domini M. D. LI.

AD

AD

Clariſſim. Virum

Et Singularem Patronum ſuum *JOANNEM CHECUM*, nobiliſſimi & ſereniſſimi EDVARDI Sexti, Dei gratia *Angliæ*, *Franciæ*, & *Hyberniæ*, Regis, &c. in bonis literis Inſtitutorem, de obitu *D. Martini Buceri* ſanctiſſimi viri, Epiſtola *Nicolai Carri* Novocaſtrenſis Angli.

MAGNUM dolorem Calendis Martiis, vel potius incredibilem accepimus, clariſſime patrone, ex immaturo obitu M. Buceri optimi & ſanctiſſimi viri. Quem ſive fatalis nobis caſus aliquis eripuit, ſive is perenni quodam ſtudio ſuo extinctus occubuit, non lugere quî poſſumus? cum adhuc ei per ætatem tametſi ſeni aliquot ſupereſſe anni viderentur, quibus divino ipſius ingenio perfrui potuiſſemus. Et quanquam hic dolor cum multis nobis fuit communis, qui maxima frequentia, publico luctu declararunt, qualem & quantum virum, quamque omnibus charum amiſiſſemus: tamen ad nos præcipue qui illum ut præceptorem reverebamur, ex ejus interitu mœror pervenit: cum quo morte perempto, duabus præſtantiſſimis rebus orbati ſumus, exemplo innocentiæ, & excellentis utilitate doctrinæ. Etenim eo tempore ceſſit è vita, quo maximus ab ejus doctrina fructus expectabatur: iis hominibus, quibus in primis opus eſſet tali virtutis Magiſtro: ea denique cauſa, quæ D. Martini Buceri, id eſt ſummi artificis & in omnes partes comparati, facultatem atque acumen deſideraret. Quo magis venia danda eſt huic pio dolori noſtro, & omnes qui præſtantiſſimi hominis divinæ virtuti favent, in ejuſdem ſocietatem luctus vocandi ſunt. Quanquam, quid dico vocandi; cum dubium

bium non ſit, quin ad quoſcunque fama pervenerit tanti vulneris, ſi non ejus quem conſtat eſſe beatiſſimum, tamen noſtra cauſa à quibus ablatus eſt, in mœrore ſint futuri. Te ipſum arbitror Clariſſime patrone, qui ætate non multis, doctrina antecellis omnibus, quique princeps noſtrorum hominum in omni genere putaris, principem Germaniæ cum magno noſtro incommodo avulſum, ægre moleſteque ferre. Quis enim illo charior tibi? Quem is dilexit te magis? Cui majora præſtitit, vel obſervantiæ, vel charitatis officia? Quem tu æque atque illum complexus es? Ut mihi & is beatus, qui talem virum obſervavit, & tu fœliciſſimus videaris, qui cum ſanctiſſimo homine & eruditiſſimo magiſtro tam arctam conjunctionem habere voluiſti. Veruntamen ſi te abſentem fortè non tam graviter ipſius mors perculſit, quam nos jam pridem noſtraſque cogitationes afflixit: ſiquem eodem modo reliqui, quorum oculi abfuerunt, tardiores ad luctum ſint: ferendum id quidem in eo eſt, quod nihil à communi ſenſu & more alienum accidit. Acrius enim ferire ſolent, quæ aſpectu, quam quæ auribus ſentiuntur. Et ipſe oculorum dolor ſtimulos habet vehementiores, cum ad communem luctum major aliqua neceſſitudo acceſſerit.

Nos eum lugemus amiſſum, cujus eruditiſſima voce frui, quem adire, quem alloqui, quocum etiam conjunctiſſimè vivere ſolebamus: vos ereptum doletis, quem non ita ſæpe audire, non oculis aſpicere, non convenire poteratis: à cujus vos ſanctiſſimo convictu, cum locorum intervallum ſejunxerat, tum vita civili procuratione diſtricta avocaverat. Quanquam ſit par, vel ſi vultis major in eum veſter amor, dummodo hoc concedatis, cauſas amoris nos habere & juſtiores & uberiores. Qui certe cùm in eum incredibilis eſſet ſuſceptus ex ipſius charitate erga nos, ex eoque cum utilitas ad nos pervenerat, ad eum labor & ſolicitudo redierat: optimo jure ingrati haberemur, ſi aut ejus mortem non lugeremus, quæ orbitatem nobis attulit, aut vitam literis non exornaremus qui noſtra cauſa vitam amiſit. Dicam enim verè quod res poſtulat. Nos Bucero vitam ademimus, cum eas noſtra cauſa vigilias ſuſceperit, quibus afflictæ ipſius vires conſiderunt. Itaque ad nos præcipuè cum noſtrum caſum lugendi, tum illius virtutem laudandi officium pertinet. Quod tametſi ab omnibus jam factum eſt, quibus ipſius virtus & doctrina chara fuit, tamen eorum maxima pars, voce id magis & fronte, quam ſcripto declararunt. Ego autem quæ mihi de ipſius divina virtute cogitanti in mentem venerant, ea neque pro ejus erga me benevolentia reticere potui, neque pro mea in te obſervantia non ad te perſcribere. Sed id quo facilius fiat, & ut in toto hoc tempore quo nobiſcum fuit, omnium ipſius præclarorum & factorum & inſtitutorum ratio conſtet, atque omnes intelligant, qua fide, quo ſtudio, quibus laboribus in hac quaſi perpetua ſui muneris vigilia, verſatus ſit, & ut ipſe quoque diſtributis temporibus, notatis generibus, ſingula perſequi et commemorare queam: Complectar primum hujus noſtræ moleſtiæ principium, (non quod id te latere exiſtimem, ſed ut intelligas non ſolere nos excellentium hominum oblivi ſci) deinde progreſſionem, in qua & offenſiones valetudinis & reditus ſæpe varii: vulnus etiam ipſium attingam quo maximus nobis inuſtus dolor, et ſummum allatum deſiderium eſt: et cauſas intexam, cur neceſſe fuit in tali nos mœrore eſſe.

Quæ

Quæ cum omnia audieris, nec me ut spero reprehendes, qui luctum nostrum mandarim literis: & omnes nos quod ita luxerimus, pio amicorum officio perfunctos judicabis. Ergo initium nobis hujus luctus præbuit is annus, quo Londino discedens Cantabrigiam rediit. Secum enim Londino morbum extulerat, qui in ipso itinere ingravescens, cum se, nulla interposita medicina, multorum dierum consuetudine corroborasset, graviter eum afflixit, & plures uno tempore corporis partes obsedit. *Morbus Buceri.* Aderat frequens intestinorum dolor, pungebat calculus, afflictabat eum stomachus, vitioso fastidio cibos respuens, tum alvi tanta siccitas, ut quamquam ventriculus crudis humoribus oppletus, summoperè frigeret, tamen ibi graviſſimo ardore ureretur. Fons omnium malorum caput ita colliquefactum, ut rivos à se humorum dimitteret, qui cum per reliquas partes corporis, tum musculos etiam serpentes, magnoperè vires enervaverant. *Diligentia & studium in morbo.* Jacuit ita toto corpore oppressus aliquot menses, cum interea nullum propè tempus passus est sibi vacuum esse à studiis, semper aliquid aut scribens, aut legens, aut secum ipse meditans, aut alios erudiens. In quo genere tanta flagrabat erga omnes charitate, ut cum publicè se ostendere, & fontes ingenii patefacere propter valetudinem non possit, domi tamen suæ quasi scholam quandam aperiret. Quô cum multi boni viri confluerent, perfecit, ut eos non solum occupatis temporibus se audiendo occupatos teneret, verum etiam illa solenni ludorum festivitate, quibus homines gratulandum nato Christo existimant, graviter & severè leviſſimum morem reprehendendo, ab otio & ludis domum ad se sevocaret. Nondum ejus divina vox è domesticis parietibus dimanaverat, non virtus, non doctrina majori quasi Theatro propositа erat: Sed jam tum omnis integritatis & scientiæ officinam domi instruens, futuræ cum diligentiæ tum etiam copiæ ac varietatis certiſſimum signum dedit: eaque cum non ampliſſima viderentur privatis parietibus tecta, tamen domo & è paucorum cœtu in lucem & frequentiam educta, omnem omnium opinionem ipsa specie & novitate & genere interpretandi docendique accuratiſſimo facile superabant. *Quo primum tempore cœperit prælegere.* Nam cum hac domestica laude multorum animos incredibili audiendi studio ad se convertisset, & ad quintum Id. Januar, nondum recuperata valetudine, nec confirmatis viribus processiſſet in publicum: dici non potest, quo concursu, qua frequentia summorum, mediocrium, infimorum, ipsius conspectus celebrabatur: quanta cum expectatione exorsus: quam attentè auditus sit: quam brevi tempore plurimorum mentes occupaverat: qua fide, quo studio, qua authoritate docuit. Nemo tam improbus est repertus, qui si minus sua vellet, tamen omnium causa putaret tam sanctum hominem, tanta pietate & doctrina præditum, authorem nostris studiis & adjutorem fuiſſe datum. *Ejus authoritas docendo.* Idque ab universis non opinione tacita, sed perspicua admiratione declarari videbatur. Sic enim ejus non mens solum, verum etiam nutus observabatur, ut unus existimaretur, qui voce præire, sententia moderari, authoritate imperare reliquis deberet. Quid enim? parum ne authoritatis in eo fuit, cujus vox quasi sacrosancta habebatur? à quo quicquid exibat id ratum confirmatumque videbatur? aut ulla potest esse authoritas, nisi cum alicui ipsius probitatis et doctrinæ causa fides adhibetur? aut non huic tantum tributum fidei, ut solus propè multis annis extiterit,

titerit, cui de omnibus rebus cum maxima laude ſit aſſenſum? Habuit divinus vir, ſicuti te meminiſſe arbitror, cum permultas excellentium virtutum expreſſas imagines, tum ab his doctrinæ & literarum fontibus profluxerat, ut ſi tam bonus vir non fuiſſet, quam illum fuiſſe omnes gaudemus, tamen vel hac commendatione ſtudii, ad ſummam pervenire exiſtimationem potuiſſet. Sed ita omni integritatis laude cumulatus fuit, atque ita propria quadam tectus innocentia ſua, ut cum in vita quod reprehenderetur nemo poſſet notare, præceptionibus ejus non obtemperare turpe putaretur. His nonnullum momentum addidit ſenilis prudentia, & ex omni parte communitum ingenium, uſus etiam plurimarum & maximarum rerum, qui cum omni ætati prudentiam affert, tum vero ſenectuti ornamentum adjungit. In hoc noſter quantum effecerat, declaravit ſtudium florentiſſimæ civitatis Argentoratenſis, à qua ita digniſſimus eſt judicatus Eccleſiæ procuratione propter ſcientiam, ut idem habitus ſit digniſſimus ſenatu propter prudentiam. Hæc autem in illo omnia vultu, oculis, voce, magis eminentia. Etſi enim per ſe iſta authoritatem non faciunt, cum illis tamen quæ dixi, afferunt aliquid dignitatis. Vox igitur grandis & canora cum orationis forma congruens, quæ plenis & ſonantibus verbis conſtabat: is oculorum obtutus, ea frontis & prorrectio & contractio, ut quam alta mente præditus eſſet, facile appareret. Non me præterit reſidere aliquando in vultu mendacium, & oculis fingi probitatis ſignificationem ſolere: Sed hominum non improborum ingenia, non fallacibus ſignis ſuarum effigiem cogitationum in vultu repræſentant. Quibus igitur è rebus univerſis authoritas comparatur, eas ejuſmodi in ſe habuit, ut ſi acervatim in eo non coiiſſent, tamen ſingulæ per ſe ſatis ad permovendum momenti habere viderentur. Sed parum profuiſſet in docendo authoritas, niſi liberior quædam admonendi objurgandique ratio acceſſiſſet. Quam licet facete in Gorgia irridet Socrates, tamen in his perditiſſimis temporibus, tam multorum ſocordia & mollitie niſi adhibeatur, nec in vita integritas, nec in ſtudiis conſtantia reperiri poterit. Hac ille medicina uſus in ſanandis noſtris moribus, (ſed neque tam immoderatè ut θρασυνόμενοι ſophiſtæ, neque tam lentè & frigidè quam ſolent noſtri πεῤῥησιάζεσθαι) primum amicos ipſorum pudore, deinde inimicos & reluctantes, cum ſanctiſſimæ vitæ exemplo, tum ſeveriore objurgatione in officio continebat. Ad quod ſi hoc quoque adjungerem, quam frequenter in ipſa occupatione obeundi muneris ſui omnium mentes & ſtudia inflammarit, poſito ante oculos cum gravi querela Germaniæ caſu, commemoratis cladibus, quibus Eccleſia vaſtata, literæque deletæ ſunt, rem nimis pervulgatam attingerem, et modum fortaſſe Epiſtolæ tam multa proſequendo egrederer. Quare ſi de diligentia pauca annotavero, ſatis videbor dediſſe ſignificationis, quantum damni ipſius morte percepimus. In quo illud mihi primum difficultatis objicitur dubitanti, utrum magis ornandus ſit, quod ipſe ſemper occupatus eſſe voluit, an quod alios ocioſos eſſe non permiſit. Utraque laus præclara, & habuit utraque plurimas commoditates. Nam ſi utile fuit à tali magiſtro erudiri, certè etiam optandum fuit, ut id quam creberrimè fieret: & ſi quicquid excellit, eo magis eminet, quo ſæpius uſurpetur: hujus profecto diligentiæ qui præclariſſimarum rerum notitiam in aures noſtras inculcabat,

Doctrina ejus.

Integritas vitæ.

Senilis prudentia.

Prudentia.

Vox. Vultus.

Ejus in notandis hominum moribus παῤῥησία.

Diligentia.

cujus opera & assiduitate multarum difficultatum molestiæ removebantur, quæ satis magnæ laudes reperiri possunt. Quo die schola, si liceret, quo templum ipsius voce caruit? Quando non multo amplius quam lege ei præscriptum fuit, præstitit? Nos si quæ detur à studiis intermissio, quam libenter amplectimur? Is nec reluxationes ferebat, & in repetendo, moras graviter reprehendebat. Memini aliquando mihi eum referre, cum ex te diceret audivisse, si nihil agendo doctrina comparari posset, præstantissimos in omni literarum genere futuros Anglos. Quam vocem is quoque recte ut mihi videbatur, nostrorum hominum ingenia & mores animadvertens, usurpare solebat. Et cum tuam in eo prudentiam ac virtutem collaudans, qui notato vitio, à tuis id moribus quam longissimè abesse voluisti, tum ipse hoc in nobis delicatum fastidium non ferens, licet peregrinus & afflicta valetudine, tamen nec novitatis offensionem pertimescens, nec suarum virium rationem habens, & verbis acriter reprehendere, & exemplo accusare nunquam destitit. Fœliciſſimus quidem in eo, quod omnes ejus conatus, facta, consilia, cum per se fuerunt salutaria, tum præclaros semper exitus habuerunt. Quis enim eo hortante adeò dissolutus extitit, qui se ad severiorem morem non reciperet? Cujus ille aures fabellis assuefactas & nugis, non ad graviora ἀνεκδιήγητα traduxit? Quem ludis, spectaculis, voluptatibus deditum cognovit, cui non illo oculo suo gravissimo, terrorem incussit? Itaque dici non potest, quam celeriter hominum studia commoverat, & ab otio ad negotium, à ludis ad libros, à domesticis latebris ad publicas disceptationes pertraxerat. Sed hujus divinæ charitatis & studii non diuturnum tempus fuit. Siquidem triginta ferè dies, non amplius, in hoc curriculo versatus erat, cum ecce tibi subito sive quod affectæ valetudini non pepercit, sive quod plus laboris sumpsit, quam ferre potuit, in eundem paucis diebus morbum relabitur, è quo se paululum recreaverat. Sed quemadmodum ad eundem scopulum bis allisa navis, gravius secundo quam primo ictu periclitatur: ita is antequam è superiore valetudinis naufragio se planè collegisset, ad idem saxum rejectus, majore periculo ac duriore conditione cum redintegrato morbo conflixit. Nam primus morbus quamvis satis pœnæ sumpsit de sanctissimo homine, qui omni morbo vacare debebat, tamen neque tam crudelis fuit, ut penitus affligeret, neque tam perpetuus, ut nullum respirandi locum daret. Hic vero tetrior quam Phalaris, qui uno impetu totum corpus obruebat doloribus, sic autem assiduus, ut semper premeret, & cum aliquid faciendi tum colloquendi etiam potestatem eriperet; hunc sedatè, ut omnia, tulit. Veruntamen angebatur impediri voluntatem suam nostris studiis commodandi. Quorum tanto desiderio flagrabat, ut tam molestum esse morbi cruciatum diceret, quam quod eo cogeretur, nihil agendo contabescere. Ex quo illa ejusdem crebra vox clarissimo viro digna, qua se optavit aut celeriter emori, aut utilem Ecclesiæ fieri. Sed quod postremo loco voluit, id ei primum accidit. Quoniam ex hoc quoque morbo gravi & diuturno cum cœpisset paululum ad se redire, unà cum vere aliquam quasi valetudinem recuperavit: tamen ejusmodi, qualis ex tanto naufragio vix sane expetenda, vel diuturna fore videretur. Sed ut nautæ quamvis portum non conspiciant, tamen sedata tempestate in spem salutis veniunt: ita is sublata

Ocium Anglicum.

Secundus Lucerni morbus.

Redditus ad Ecclesiam.

lata morbi graviſſima vi, benè de reliquo ſperare & integram ſibi pollicerí valetudinem cœpit. Veruntamen in eadem ferè parte peccavit, qua hi de quibus dixi, nautæ. Etenim ut illorum animi procellis franguntur, ſerenitate negligentes fiunt: ita is repreſſo morbo, quaſi neglexit valetudinem, & totam curam ac cogitationem defixit in eo, ut ſui quam ſimillimus, id eſt occupatiſſimus eſſe videretur. Et quidem certe conſtat nunquam illum eſſe viſum magis occupatum, quam illa æſtate fuit. Cujus in ipſo ardore (ut cætera non attingam) cum magna noſtra Comitia haberentur, & omnes eum privatim amici, publica voce magiſtratus, univerſo conſenſu cuncti ad ſolennes diſputationes, non præſentia tantum ſua, verum etiam opera, ſtudio, & profeſſione honeſtandas depoſcerent: conceſſum eſt ei privilegium totius Academiæ maximo plauſu (id quod ante eum nemini) ut abſque ullo publico ritu & uſitata ceremonia, quoniam id poſtularat, inauguraretur. In eis autem ita ſe geſſit, ut cum primo comitiorum die ipſe reſponderet, ſecundo diſputaret in maximis & graviſſimis controverſiis, nihil relinqueret, quod cujuſquam animum poſſet aliqua dubitatione retardare. Sed ut in pervulgatis artificiis ſolet eſſe inter ſe artificum contentio, & peritiſſimo atque optimo plerumque invidetur: ita doctiſſimi viri laus in aliquo invidioſorum numero effugere reprehenſionem non potuit. Fatale hoc neſcio quid eſt, ut Virtutis comes Invidia ſit, & præſtans atque egregia doctrina ſemper habeat obtrectatorem. Auxit in hunc invidiam novitas, quæ multis ſæpè claris hominibus obfuit, huic autem obfuiſſet nunquam, niſi ejuſmodi fuiſſent quibuſcum diſſerebat, qui omnia docere, nihil diſcere didiciſſent. Itaque tametſi exaudita fuit ab omnibus ſumma cum admiratione divini hominis vox & oratio, tantamque ex eo ſermone etiam inimicorum judicio laudem adeptus erat, ut nihil unquam in noſtra ſchola præclarius eſſe factum conſtaret, ſparſæ ſunt tamen in rus malevolorum calumniæ, & ſacrificulorum aures iſtiuſmodi voculis oppletæ, quibus de noſtri Buceri fama & ingenii & doctrinæ permultum detrahebatur: omnis vero laus in eam partem conferretur, ut Jungus quocum ei certamen fuit, obruiſſe eum acumine ſuo, & copioſiſſimis diſputationibus, ac maxima ſcientia fregiſſe diceretur. Qui rumor ita hunc non movit, ut aliquando in multis cauſis iratior: ita Jungum incendit, ut nunquam in ulla elatior eſſe videretur. Cujus rei ſatis magnum nobis judicium præbuit, cum (priuſquam Oxonia Bucerus noſter rediret, quo viſendi Petri Martyris cauſa profectus erat commotus ſcilicet nonnulla gloriola & prædicatione ſuorum fratrum, interpretandi ſibi docendique munus aſſumeret: in quo non fuit contentus quæ videbantur afferre, famam quoque Buceri lædere voluit, & maxima corona idem in ſanctiſſimum virum convicium effundere, quod vulgo per ſacrificorum ora jactari audierat. Hic homo leniſſimus & patientiſſimi ſtomachi, licet omnium contumelias & jurgia multos annos ferre didiciſſet, tamen ægrè tulit ab inimico doctrinam ſuam in invidiam vocari. Nam cætera ad ea aſſuefactus ſic perpetuo ferebat, ut vita potius quàm oratione refellenda exiſtimaret. In literis ſiquid reprehenderetur, id ſibi quovis modo palam præſtandum arbitraretur. Quapropter & apud nos multa publicè cum aſſenſione omnium bonorum, & de eadem re privatim ad nos. Sed tuo maximè adventu, utri-

Æſtiva academiæ comitia.

Bucerus ſine ceremonia cooptatus in numerum doctorum Theologiæ.

Jungus.

Petrus Martyr.

Comparatio Fungi & Bucerii.

usque hominis ingenium perspectum fuit. Nam cum ambo coram te sisterentur, & alterius summa gravitas, singularis prudentia, excellens in omni genere doctrinæ probaretur: alterius cachinni & puerilis sermo vehementer tibi displiceret: ita uterque à te discessit, ut noster Bucerus honorifice tractatus, Jungus ignominia notatus videretur. Quod quamvis ei accidisse ipsius causa nollem, præsertim cum & ingenio & lingua valeat, & multa commode faciat: tamen sic omnes existimabant eam pœnam homini fastidiosè arroganti debitam fuisse. Sed quam tu pro summa humanitate tua, & illa qua omnibus præstas, moderatione animi non inflixisses, nisi & is se nimium pueriliter gessisset, & tuæ lædi prstantissimi viri famam ac nomen moleste tulisses. Itaque sapientiæ fuit, quòd tantum crimen non es passus supplicio carere: moderationis, quod diuturnum esse nolebis: humanitatis, quod qualecunque fuit, id te invitum statuere videbamus: ut si nunc, quod nonnulli criminantur, durius cum eo agatur, id sibi sua temeritate acciviſſe, non vos vestra severitate imposuisse putandum sit. Sed redeo ad nostrum, qui præclarissimis jactis fundamentis ejus controversiæ, & omnibus quæ in eam pertinerent conquisitis rationibus, ita uno libro sententiam suam complexus est, ut vestro judicio, quibus statuendi potestas fuit nihil plenius perfectiusque dici aut scribi videretur. Quapropter cum minimè ferendum putaretis à sedato docendi munere hominem moderatissimum ad jurgia & lites avocari, repressa adversarii contentione, reliquum ei tempus liberum & vacuum ad cætera studia reliquistis. In quo pergratum ei fecistis, homini cum ab omni litigioso congressu alieniſſimo, tum in ipso ardore adversariorum & disputationis æstu, sedatissimo. Quæ res eo majorem illi laudem afferebat, quo in meliori causa justius commoveri incendique iracundia poterat: eo fœdiorem maculam inussit adversariis, quo in rebus sæpè leviculis, aliquando etiam apertissimè falsis vociferari, & clamores profundere impudentissimè consuerunt. Sed hunc morem hic noster non convitiis incessans, sed verbis deplorans, à se quam longissimè removerat, & ut ab omni liberorum colloquio ac Christianorum disputationibus abesset, magnoperè & frequenter optare solebat. Siquidem hanc unam dicebat præcipuam pestem adversariorum animos & studia occupare, quæ usque eo sensus omnes verborum temeritate obrueret, & mentis ac rationis lumen offunderet, ut cum in profundissimis erroribus demersi jacerent, tamen severitatem manibus tenere, & in sinu conditam habere arbitrarentur. Veriſſime quidem ut mihi videtur, senties, cum ad perspiciendum quid in quaque re verum sit, nihil pacato tranquilloque animo accommodatius, nihil irato & incenso magis adversarium esse queat. Nam ex eo fit, ut dum adversarii cum clamore & impetu & convitio, sæpè etiam ferro, flamma, cruce, veterem ut ajunt, possessionem & majorum jus tueri ac retinere volunt, ardore animorum & præcipiti quodam studio ad inanitatem & insciti devolvantur, sæpè etiam turpitudinem Christiano homine indignam. Multa solebat noster Bucerus hujus rei exempla proferre. Sed ego ex omnibus unum attingam, quod et propter rei ipsius novitatem, et ejus quem nominabat authoritatem, mirabile videatur necesse est. Cujus enim iracundiæ est, sic disputando effervescere, ut prius in manibus, quam in vultu perturbationis

Liber Bucerii contra assertionem Fungi.

Adversariorum vitium.

Urbanus Gharlerius quomodo Bucerum ulciscatur.

notæ

notæ deprehendantur ? Aut quem tu hominem existimes, qui cum amplissimi muneris procurationem sustineat, & regiæ Majestatis legatus ad publicum totius penè Europæ conventum consiliumque mittatur, non animi moderationem, sapientis consilii gubernatricem, sed alterius partis odio inflammatam contentionem afferat. Hunc ego nominarem, nisi ita omnibus esset notus, ut nullus ferè nunc sermo in circulis versetur, nisi quomodo ille se gesserit & gerat. Sed retulit mihi noster Bucerus, cum in Ratisponensi concilio, quo is mandato Regio profectus erat, permulta à gravissimis viris sapientissimè agitata & acutissime disputata essent, hunc præ cæteris omnibus (tametsi ad eum conventum aliquot præterea satis graves inimicitias secum attulissent) sic furia quadam percitum fuisse, ut mente vix consisteret. Sic autem secum & cum Alesio rixari, atque ita convitio incalescere, ut in dextra ejus manu, inter pollicem et indicem, id quod Bucerus in nemine se dixit unquam animadvertisse, vena quædam intumescens, tam celeri & perspicuo motu palpitaret, ut omnes qui illum aspexerant, ad pugnandum quam ad disputandum, ad arma quam ad consilium paratiorem venisse dicerent. Quod si idem semota iracundia, vel ipse per se considerare, vel ab aliis audire voluisset, quid inter παρρησίαν & βασιλικὴν interesset, nam de his sermo fuit, neque tum ulla extitisset inter eos acris concertatio & convitiorum, quibus postea sanctissimum hominem concidit, occasio fuisset sublata. De quibus nihil dicam, nisi me magnoperè dubitare, utrum Bucerus sanctior, moderatior, patientior fuerit, qui tot falsis criminibus commotus non est, an ille impudentior, qui non est veritus in totius orbis oculis manifestissimum mendacium defigere. Nam profecto si unquam nostris temporibus in ullo continentia fuit, in Bucero fuit, quem is libidinosum senem in convitiatore libello vocat, nos temperantissimum & moderatissimum hominem, sanctissimum virum cognovimus, cujusque vitam cum contemplaremur, doctrinam virtutis assequi, verba cum audiremus, veritatis vocem in auribus nostris insonantem percipere solebamus. Quo utinam nobis licuisset diutius perfrui. Non verendum sanè fuisset, ne pro temperantia voluptates, pro mansuetudine jurgia, pro moderatis moribus, iratos & truculentos animos abstulissemus. Sed nunc sive nostro, sive suo sublatus vitio est, quod vel nos ad imitandum tardiores eramus, vel is ad docendum laboriosior & promptior, revocare certè non possumus: pro virtute tamen ejus singulari optare licet, ut aliquid à studiis temporis sejunxisset, atque ad vires & valetudinem contulisset. Quod si voluisset facere, neque illum tam inopinata mors, nec nos tam inexpectatus dolor attigisset.

Portentum.

Immoderatus Buceri labor in studiis.

Sed hoc semper in summi viri laudibus vitium fuit, quod se immoderatus maluit laboribus frangere, quàm ullum momentum perdendo, suæ saluti & nostræ utilitati consulere. Nam quid commemorem hujus prætergressæ hyemis labores ? Quid nocturnas vigilias ? Quid matutinas excubias ? Quid perpetuas commentationes ? Cum uno tempore pluribus operibus satisfacere vellet, cum idem & publicè nos doceret, & domi regnum Christi literis mandaret. Qui liber si cætera non essent quod ejus à nobis discessu multa desideret, satis causæ habere debet, cur graviter mœreamus. Continebat enim absolutissimam & perfectissimam totius Christianæ doctrinæ effigiem, non

Liber Buceri de regno Christi.

non coloribus expressam, sed lineamentis informatam, sed qui pulcherrima specie prodiisset, si ejus migratio conatum non impediviſſet. Universum de omnibus rebus proposuerat sibi erudire hominum cœtum, & in totum orbem divulgare doctrinam judicii & opinionis suæ: quod etiam antè provocatus aliorum calumniis fecerat; neque apud nos destitit, licet afflicta valetudine, fractisque viribus idem usque ad extremum spiritum facere. Quando enim illum vel ingravescens senectus, vel temporum difficultas, vel obtrectatorum convitia, vel debilitas, vel morbus retardare ac reprimere potuerunt, quo minus omnes vias quibus Ecclesiæ orbitati succurri posset, experiretur. Quis illum adivit unquam, qui otiosum offendit? Quis convenit, qui non melior vir discesſit? Ipsa prandia & cœnæ sanctissimis colloquiis, eruditissimis disputationibus sermonibusque refertæ. In hac ille constantia & perpetuitate studii, cum adversante valetudine perseveraret, cumque nec amicorum consiliis, nec fidissimæ conjugis crebræ hortationi parere vellet, & homo occupatissima mente atque ardore incredibili perpetuo aliquid agendi valetudinem contemneret, cui nostram utilitatem semper antepositi, Idibus Februar. in eum morbum incidit, qui mortem quam secum annum jam amplius circumtulerat, paucis post diebus attulit: & quæ aliquot post annis maturiore ætate obrepsisset, nisi in operibus nimium festinans & properans, antè in medio spacio defatigatus corruisset, quam cursum sibi propositum conficere potuisset. Grave nobis omnibus spectaculum, domesticis vero suis etiam luctuosum, cum summa totius corporis debilitate, enervatis membris, affricto ventriculo, ita perpetuo singultu cruciaretur, ut ægrè cujusquam congressum colloquiumque ferret. Non quod vel de humanitate erga nos, vel pietate erga omnes aliquid esset diminutum, sed sensit præclarus vir & omni sæculorum memoria dignus sensit extremum sibi diem imminere. Itaque non jam cum aliis, quos omnes scientia vincebat, sed secum ipse loqui ac meditari cœpit. Memini cum M. Joannes Bradfordus sanctus adolescens & huic nostro charissimus, singulari quodam commemorationis genere usus esset, & Christi servatoris ac domini nostri promissa explicaret, hortaturque ut qui vir esset cogitaret, quid docuisset, qua semper constantia, qua fide, qua pietate usus esset, & ut tum præcipue cum maxime urgeretur, totam mentem, cogitationem, curam in Deum conjiceret, esse unum qui nobis nostra peccata præstitit, qui à tenebris ad lucem, à desperatione ad spem, à morte ad vitam revocarit: memini inquam paulo commotiorem esse factum, & ut videbatur iracundius respondere, se nolle mentem ab ea cogitatione in qua esset, cujusquam sermone vel cohortatione distrahi: observari oculis Christum Crucifixum, habitare Deum in corde, nihil meditari nisi cœlum, nisi celerem ab hoc corpore discessionem. Idque tum multo magis confirmavit, cum medicorum hortatu jussus cibum capere, negavit se id facturum, quod aliud vitæ genus meditaretur. Sed cum illi instarent, ut cogitaret non sibi se, sed multorum utilitati esse natum: geramus igitur morem inquit. Ita summus & sanctissimus vir cum se intueretur, mori maluit quam vivere, quod eam quam expectabat, quam qua fruebatur vitam, beatiorem cognosceret: ad nos cum respiceret, vitam poscebat, motus scilicet incredibili charitate, qua omnes sanctos & Christi Ecclesiam complectebatur.

Tertius morbus qui finem vitæ attulit.

Taciturnitas in morbo qualis. Bradfordus.

Vitæ hujus contemptio.

Charitas erga Ecclesiam Christi

Quoties

Quoties ego illum audivi deplorantem Germaniæ vaſtitatem, idque graviſſimis verbis, cum cœlum contemplans, à Deo. Opt. Max. precaretur, ut & ſuæ gentis eum miſericordia caperet, & non pateretur Angliam in ea vitia dilabi, quæ jampridem Germaniæ cladem attuliſſent. Vereri ſe quòd in tanto ardore multorum cognoſcendi Dei & reſtaurandæ Eccleſiæ cum diſciplina deeſſet, qua improbi caſtigarentur, & ordo in miniſterio retineretur, non poſſe diu bonos eorum conatus progredi. Hæc ille ſæpe quidem, ſed tum vehementiſſime, cum extremo halitu Eccleſiam hanc noſtram quaſi filiam complexus pius pater, Regiæ Majeſtati atque omnibus bonis commendavit, optavitque nobis audientibus, ut quæ ad Regiam Majeſtatem de diſciplina Eccleſiæ ſcripſerat, locum et ſedem in hoc florentiſſimo regno, & ſine controverſia Dei domicilio, reperirent. Sperare ſe ſi id foret, nullam huic Reip. calamitatem, nullam deformitatem evenire poſſe: & timere ni foret, ne non tam paucorum ſtudio reſtaurandæ Eccleſiæ Deus placari, quam multorum improbitate et luxuria irritari velit. Atque hæc ejus charitas erga univerſos. Suæ conſtantiæ teſtes edidit breves ſententias, quas ut commodum ei videbatur, ad amicorum mentes confirmandas, & bona piaque de ſe opinione imbuendas, proferebat. Veluti cum Bradfordus, de quo ante mentionem feci, concionatum iret, ſeque dixit velle in precibus ejus meminiſſe, collachrymans: Ne inquit, abjicias me domine in tempore ſenectutis meæ, cum defecerit virtus mea: tum addidit, Caſtiget fortiter, abjiciet autem nunquam, nunquam abjiciet. Raro quidem ille loquebatur, quod tota mente in Deum defixus erat, ægrè etiam patiebatur alterius vocem: attamen ne tacendo ſtuporem nobis afferret, aliquando pauciſſimis verbis, ſed ſuaviſſimis & pleniſſimis conſolationis, utebatur. Quemadmodum cum admoneretur, ut ſe armaret contra periculoſiſſimum tempus, & contra diaboli impetum obfirmaret, qui tum maximam ei conaretur moleſtiam exhibere: Nihil habeo, inquit, cum diabolo commune: in Chriſto ſolummodo ſum. Et, Abſit, abſit, ut nunc conſolationes dulciſſimas non experirer. Iam illud mihi prætermittendum non videtur, quod medicis ac reliquis ejus amicis metuentibus, ne deficiente luna, vires quoque ipſum deficerent, & morbi vi opprimeretur: cum poſtridie paululum recreatus videretur eſſe vegetior, atque ad eum pro ſuo more veniſſet Bradfordus, & medicorum timorem, ſolicitudinem amicorum, ex eo lunæ defectu ac cœli perturbatione explicaſſet, porrexiſſe dicitur tres digitos, & oculis in illud ſempiternum cœlum elatis: Ille, ille inquit, regit & moderatur omnia.

Liber Buceri de diſciplina Eccleſiæ.

Lunæ defectus.

Qua autem patientia, qua magnitudine animi fuit, cum continuis acerriſque doloribus ureretur, omnes qui verum fateri volunt, commemorare poſſunt: nos qui cum eo magis aſſidui eramus, tale manſuetudinis & tolerantiæ ſpectaculum perpetuum vidimus, quale ut crebro videamus optandum eſt, et verendum ne unquam poſthac ſimile viſuri ſumus. Nullum auditum fuit ejus lachrymabile verbum, nulla querela valetudinis, nulla vox ſignificatrix doloris. Ita conſtanter et moderatè perpetui cruciatus immanitatem pertulit. Vitæ ſimillima mors, quam ſi noris, quomodo ſit mortuus neſcire non potes. Timidè mori nequit, qui viriliter ægrotat: nec invitus

Patientia in morbo.

Mors.

vitus discedit, qui abesse cupit: nec cui mors optabilis est, ei vita potest esse suavis. Sic vixit, ut nemo melius: ita est mortuus, ut nemo beatius: sic ægrotavit, ut nemo dolentem videret: sic demigravit, ut nemo morientem cerneret. Dignissimus tali & vita & morte, quarum altera gloriosorum laborum plena, altera omni sensu vacua fuit. Etenim sic vitam cum morte commutavit, ut ipse sua sponte quasi efflare animam, non mortis violentia extortam, dimittere videretur. Vulnus attigi quod fecit dolorem, sed ita ut causas quoque possis videre cur fecerit. Nunc de luctu dicam, in quo si nos soli fuimus ferendum, sin cum multis, lætandum etiam præstantissimi viri funus à multis esse deploratum. Sed quomodo, qua frequentia, quo genere, à quibus id quoque dicendum videtur. Primum qui potuit abesse mœror ab ejus funere, cum quo exquisitissima doctrina in tumulum illata est? aut quomodo deesse sepulturæ honor, in cujus laudem omnes erant honores effundendi? Semper hoc usitatum apud omnes gentes, ut in clarorum virorum funeribus omnis celebritas quæreretur: adessent amici qui exequiis darent operam: convocarentur vicini, qui amicorum studium adjuvarent: cives evocarentur, ut frequentia & comitatu funus cohoneſtarent: pompa in sepultura, quæ nec vulgaris, nec temporis causa constituta, sed & singularis & jure tributa esset. In hujus divini hominis sepultura tantus est concursus omnium factus, tanta frequentia stipatum funus, is comitatus omnium generum, ætatis, ordinis, ut vicini non accersiti, sed sua sponte parati: cives non aliena voce evocati, sed per se effusi: honores non quæsiti, sed allati, non flagitati, sed condonati esse viderentur. Neque tamen defuit amicorum voluntas, & Magistratuum diligentia, ut amplissimus vir amplissimè supremo die suo efferretur. Siquidem à Procancellario mandatum, à præconibus edictum, ut omnia Collegia adessent, in funere eum honorem mortuo tributuri, qui esset tantæ præstantiæ & virtutis memoria dignus: ut quoniam is semper nostram utilitatem pluris fecisset quam valetudinem suam, & plurimis maximisque ornamentis Academiam nostram affecisset, hac una in re, cum in alia non possent, quam maximæ ei gratiæ haberentur. Hoc ita gratum omnibus fuit, ut tamen non inexpectatum neque novum. Ut autem esset ea celebritas quæ deceret, primum diem sepulturæ selegerunt, quo maximè populus vacaret: deinde locum ejusmodi, qui & frequentia celeberrimus esset, & ipsa specie atque forma nostrorum templorum augustissimus: horam & à reliquis negotiis vacuam, & huic functioni accommodatam. Eam cum instare campana significaret, ita subito cunctæ se familiæ ejecerunt, tantaque concursatio fuit muliercularum & puerorum, tam frequens virorum cœtus, ut omnis illa via quæ est ab ejus domo usque ad templum Mariæ, quo funus ducebatur, omnibus ex partibus obsita oppletaque teneretur: tanta autem singulorum admiratio fuit, cum propter exquisitos in ejus funere honores, tum propter incredibilem oppidanorum frequentiam, uno in loco, uno tempore collectam, ut & noster luctus augeretur, quorum calamitatis tot essent spectatores, & illi misericordia commoverentur, quod eam lugendi causam haberemus. Inde vero perpetuum per agmen funus ad templum diductum est, cum quo tanta est ingressa multitudo, tanto concursu & jactatione, ut celerrime universum compleretur,

Celebritas in funere.

Omnium erga Buceri mortuum benevolentia.

compleretur, maximaque pars coacta ſit in ipſo veſtibulo & aditu templi conſiſtere: ita ut ipſe populus quaſi valvarum loco ad excludendum introeuntes oppoſitus eſſe videretur. Hic quaſi laudis prænuncii valvis ipſis affixi verſus, & numero & varietate & elegantia conſpiciendi. Horum numeroſam prædicationem, poſito funere, præclara oratione ſubſequutus eſt noſter Haddonus, qua divini hominis deſiderium ſic refricabat, ut multorum lachrymas, per omnium ora peragrantem mœſtitiam cerneres. Eam quod melius ex ipſius ſcripto, quam ex meis literis cognoſci poteſt, eiſdem verbis quibus ad me aliquot dies poſt perſcriptam miſit, interpoſui. *Epitaphia.*

D. Gualteri Haddoni oratio.

MUltæ fortaſſis auribus, nulla poteſt major contra terrores mortis diſciplina percipi, quam hoc ipſo præſente funere luctuoſiſſimo quidem illo & ærumnoſiſſimo, ſed tamen ad communem naturæ noſtræ fragilitatem ponderandam aptiſſimo. Chariſſimi patres & fratres, patrem noſtrum & fratrem, excellentiſſimum doctorem D. M. Bucerum cognoviſtis vivum, intuemini mortuum, vidiſtis hominem, cadaver cernitis, audiſtis Theologum præſtantiſſimum, truncum ſine ſenſu contemplamini, vivus Magiſter erat ad vitam Bucerus, idem mortuus præceptor ſit ad mortem: vivens & ſpirans aſſidue nos erudiebat ex Eccleſiarum et ſcholarum pulpitis Bucerus, nunc mortuus clamat ex pheretro, invocat ex faſciis, quid clamat? quid docet? quod ferè nunquam meminiſſe poſſumus, cum tamen ſemper in animo inherere debeat: Exuendam hanc mortalem vitam, induendam immortalem: deponendum præſens et laborioſum tabernaculum, ut ſumatur ad æternitatem perpurgatum corpus: Denique exeundum ex hoc ſæculo, ut transferamur in aliud: migrandum ab hominibus, ut jungamur Deo. Quæ ſi nobis omnia debent omnibus funeribus occurrere, ſingularis animadverſio in hoc diviniſſimo præceptore noſtro M. Bucero eſſe debet. Deus enim naturam ejus omnibus doctrinarum luminibus & virtutum ita compleverat, ut unus noſtra ætate digniſſimus immortalitate videri poſſet: recidit tamen ad cineres, ut ſurgeret ad coronam, & corpore correpſit in terram, ut ſpiritu ſubvolaret in cœlum. Nos igitur, nos fratres & vehementer quidem allaborare decet, ut excellentiſſimi præceptoris noſtri vitam imitemur, mortem expectemus, ſubeamus labores, conſectemur præmia, toleremus contumelias, aſcendamus ad gloriam. His itineribus præceptor noſter antegreſſus eſt, eiſdem viis erit nobis ſubſequendum. Qua in re certiorem ut curſum tenere poſſemus, utinam tempus & valetudo mea ferrent, ut hunc nobis eximium virum particulatim, & omnibus membris expingerem. Sed non licet. Semimortuus enim de mortuo loquor, de familiari familiaris, amicus de amiciſſimo. Quapropter et morbus diligentiam impedit, et familiaritas minuit authoritatem, et amicitia vix aliquid conari ſinit. Magnum enim et planè incredibilem præceptoris noſtri morte dolorem accepi, neque *G. Haddons oratio.*

dubito quin omnes acceperitis, quibuſcumque vera Dei religio & vitæ honeſtas curæ eſt. Non enim unus erat ex doctoribus plebeis, ſed ſingularis ex omnibus Theologiæ principibus, non quem multi laudare, ſed quem omnes admirari, non quem omnes amici expeterent, ſed quem univerſi inimici reformidarent, non ad quoſdam Chriſtianos, ſed ad totum Chriſtum, non ad certos homines, ſed omne humanum genus adjuvandum natus & procreatus. Multum videor dicere, tamen cum immenſitatem ejus bonitatis & doctrinæ animo colligo, ſuperat ejus doctrina meam orationem, virtus etiam cogitationem. Sed de vita non loquar, quam licet propius aſpicere poteram, propter meam interiorem cum eo conſuetudinem, tamen nimis mihi longum eſſet, & amicus fruſtra laudarem, quod nemo unquam auſus eſt inimicus reprehendere. De literis hoc unum ſummatim ponam: Quæ in aliis ſingula ſingulis, ea in uno pariter univerſa concidiſſe. Auguſtini fuit in illo acumen, Hieronymi linguarum varietas & doctrina, diſciplina Cypriani, Ambroſii authoritas, Originis ſcientia, Chryſoſtomi in docendo perſpicuitas. Bernardi integritas in vita: vel hæc in illis priſcis Eccleſiarum heroibus uberiora ſi fuerint (uti fuiſſe confiteor) tamen particulas ex omnibus excellentiſſimas noſter Bucerus tanto ſtudio arripuit, tot ornamentis perpoluit, ut ſi non unus cum omnibus, tamen ſeparatim cum ſingulis comparari poſſit: aut in illo auguſto veterum choro ſi non præſideat, in hominibus noſtri ſæculi, omnibus ex partibus inter alios emineat. Sed infinitas ejus laudes oratione non ſequar, ad quas pauci, aut ne pauci quidem pervenire poſſunt, imitationem ejus vitæ ac fidei nobis iterum atque iterum diligentiſſime commendo, ad quos omnes ſe quantum poſſunt, conformare debent. Quam ad rem ſi vita Buceri magnum momentum attulit, mors certè majus afferre debet, qui præſens & domeſticus teſtis ante oculos jacet, præſentis, vitæ occidentis, & futuræ naſcentis. Bucerus ſi ſolus teſtis eſt, ne curetis: ſi maximus contemnite. Sed prophetæ mortui ſunt, & Apoſtoli magnis & immenſis cœtibus, ſi multitudo ſpectatur, ſi dignitas Dominus noſter Jeſus de gloria divina ſe ipſe depreſſit, ut non ſolum mortem, ſed eam infamem & tetram oppeteret, ut primum communis mortis, deinde etiam æternæ vitæ in illo exemplum cerneremus. Primus igitur ad Chriſtum reſpectus eſt, quem Paulus primitias mortuorum vocat, quoniam primus viam ex morte ad vitam nobis communivit. Secundus ad Apoſtolorum & martyrum catervas, quos Dominus noſter Jeſus Chriſtus ex horum corporum gurguſtiis, ad æternam perpetuæ fœlicitatis domum iiſdem itineribus evocavit. Tertius in hoc ipſo defigatur Doctor Martinus Bucerus, quem ad Apoſtolorum ordinem aggregare poſſumus. Cum enim illorum in vita fidem & doctrinam ſequutus ſit, non dubito, quin gloriam in morte ſit aſſequutus. His igitur exemplis ita nos ipſos inſtruamus, & tam altè mentes noſtras exaggeremus, ſemper ut ſurſum ſint: tum enim fidentibus animis, cum opus erit, ad mortem gradiemur, & ad illam hæreditatem perveniemus, quam Deus communis noſter clementiſſimus pater, propter Jeſum Chriſtum omnibus reſervat,, qui ſinceris moribus et vera fide ad illum confugiunt.

Buceri doctrina.

Hæc cum ille depreſſa ac lamentabili voce & vultu triſtiore dixiſſet, mi-

rifica

rifica συμπάθεια omnium animos occupaverat. Quid multa? Quas laudes D. Haddonus ex inferiori loco & ad noſtros et ante humationem mortuo tribuerat, eaſdem ex ſuperiori loco Juſtis perſolutis humatoque corpore, perſequutus eſt D. Parkerus ſingulari orationis varietate, maxima totius populi admiratione. Atque ille non ſolum eas ſibi partes ſumpſit ornandi ac defendendi noſtri Buceri, quas paulo ante D. Haddoni præoccupaverat oratio, verum etiam & gratulandi et lugendi modum rationemque præſcripſit. Cujusneque neceſſe mihi erit ſingulos locos attingere, neque ſi id quidem maximè vellem, commodè in hoc loco facere poſſem: omnino ut præteream, cum ipſius ſingularis diligentia, tum amor erga Bucerum eximius, coegerunt: quorum alter perfecit, ut omnia ſi perſequerer deformare ejus ſcripta, non ad aliorum aures tranſmittere viderer: altero & nobis detraxit ſolicitudinem, qui noſtras vires contemnebamus & cæterorum ſtudia ac voluntates adjuvit, qui univerſum illius decurſum orationis cupiunt cognoſcere. Unum tamen prætermittere nullo modo poſſum: cujus recordatio propter utilitatem præceptionis ſemper debet in animis noſtris inhærere: & in quo non major putabatur vis ad reprimendas (quanquam hoc ſtudioſè faciebat) quam ad provocandas & extorquendas lachrymas ineſſe. *Doctor Parkerus.*

Etenim propoſita primum fœlicitate noſtri Buceri, & collaudato ſanctorum cœtu, enumeratis præmiis quibus vita integerrimè acta ſolet affici, vetuit nos ſanctiſſimi viri mortem lugere: ſiquidem præclarè cum eo eſſe actum, qui laborioſiſſima vita perfunctus, & plurimis devoratis moleſtiis, tanquam è fluctibus in portum, è turba & colluvione hominum, in ſempiternam pacem & cœtum ſanctorum receptus ſit. Rurſus commemoratis pœnis quas impiorum hominum & non obedientium ſceleribus infligit Deus, noſtraque ante oculos poſita tarditate, qui tam ſalutarem nuntium negligenter complexi ſumus, quorumque è diſſolutiſſimis moribus ſit ereptus ad conſequentis graviorem pœnam temporis, juſtiſſimam eſſe oblatam dixit mœrendi lachrymandique cauſam: eamque ſi delabi pateremur, ac non omni mente & ſenſibus ad luctum, lachrymas, ſuſpiria, gemitus, converteremur, fore ut obduratos noſtros animos non ferens Deus, licet jampridem ex hujus morte magna ruina quatefeciſſet, multo tamen poſt hac atrocioribus ſuppliciis ſit excruciaturus. Conſtitiſſe videlicet eum quaſi præcipuum quendam inter nos architectum, qui diem, qui horam nullam intermitteret aliquid ſemper comportandi, quod ad domum Dei ædificandam videretur eſſe idoneum: nos, nos Cantabrigineſes partim temporibus aſſentientes, ad idem opus devolutos eſſe, vix tamen ad unum lapidem porrigendum manum admovere: partim invidia, cæcitate, & veteribus ſuperſtitionis fæcibus oppreſſos motus ciere, vim parare qua fundamenta ſubruere, tecta & parietes dejicere poſſimus. Itaque alterius partis ſimulatam induſtriam, odium alterius infinitum diutius ferre Deum non potuiſſe: ac propterea hanc nobis pœnam ſceleris ſi perſeveremus, ſin revertamur & doleamus, medicinam erroris adhibuiſſe. Atque ita univerſo hoc loco in Buceri fœlicitate gratulationis, in noſtra miſeria luctus et lachrymarum copioſe, ſane & accurate explicato: de præſtantiſſimæ virtutis et incomparabilis doctrinæ *Buceri in morte fœlicitas.* *Noſtra tarditas.* *Bucerus Architectus domus Dei.* Προσχαρεῖς. *Papiſtæ.*

laudibus multa adjecit, quarum aliquæ partes à me paulo superius tactæ, ab eo fusissimè pertractatæ erant: quarumque ego umbram et speciem paucis verbis sequutus sum, is eminentem et expressam effigiem dicendo erat assequutus. Quam orationem, quod brevi speramus in vulgus exituram, optamus etiam ut eorum manibus teratur, qui divinis Buceri nostri laudibus favent. Nam ex ea non solum afficientur voluptate, cum in mentem redierit sanctissimæ conjunctionis recordatio, verum etiam multo magis lætitia efferentur, cum ejus integerrimos mores, vitæ exemplum innocentissimæ, authoritatis, diligentiæ, frugalitatis, modestiæ, continentiæ, omnis denique virtutis imaginem oculis suis propositam videant. Nam de invidis non laboramus, quos cum nihil ita exedit, ut alienæ virtutis prædicatio: eis nec jucunda memoria, nec grata præstantissimi viri imitatio esse potest. Sed de Parkero satis, cujus eruditam vocem malo te & reliquos ex ipsius scriptis percipere, quam me referente cognoscere. Is igitur cum peroravisset, discessum est, & reliqua celebritas in posterum diem dilata. Quo die cum de more sacra peracta essent, nec satis magnæ optimo & sanctissimo viro laudes tribui potuisse viderentur, qui omnium studia et conatus exquirendarum laudum virtute superaret: rogatus est D. Redmannus, ut quoniam authoritate & existimatione reliquis præire videretur, vellet sibi eum locum sumere, et pro concione aliquid de clarissimo viro loqui. Quod cum is se facturum libenter recepisset, sic processit, tanquam à quo populus aliquid egregium pro ipsius pietate erga bonos expectaret. Neque is omnino in eo plebis opinionem fefellit. Siquidem ex ejus oratione crevisse etiam videbatur existimatio et gloria nostri Buceri. Quæ quanquam uberrimam in se laudis segetem continebat, ita ut unam aliquam ejus particulam ornanti, deesse oratio non posset, tamen eo magis tum ipsius virtuti gratulabamur, quod ne is quidem, cujus interdum actionibus repugnabat, & à quo dissentire putabatur, ullius rei vituperandæ aut calumniandæ materiem reperire poterat. Quapropter si hominum opiniones & judicia spectes, florem attulit & speciem ornamenti superiorum oratio, hujus vero etiam defensionem. Nam quæ à veteribus amicis & omni studio conjunctissimis proficiscuntur, gratiæ nonnunquam & benevolentiæ concedi putantur: Sed cui repugnes, ab eo prædicari & ornari, id vel singularis in teipso virtutis indicium habet, quæ omnem reprehensionem effugit: vel laudatoris probos mores significat, qui paucarum rerum dissentione semota, reliquas non solet debita commendatione fraudare. Utrumvis ut fuerit, equidem præclare nobiscum agitur, & cum Bucerum in oculis gerimus, cui nihil vituperationis loco objici potuit, tum D. Redmanni probitati gratulamur, qui è nonnulla inter ipsos de arduis rebus discordia, injuste eum lædendi occasionem noluit arripere. Nam hac mente, ut videbatur, prodiens, tot laudibus nostrum Bucerum convestivit, ut siquæ uspiam macula in ejus vita extitisset, tamen his illius ornamentis obruta planè deletaque fuisset. De quibus si roges, difficile mihi omnino est, eadem varietate & copia, qua is erat usus, distributè, dispositeque repetere. Scis enim propositis quibusdam capitibus, si quid incurrat, quod ad rem augendam minuendamve pertineat, quod ad excitandum, deterrendum, objurgandum, refellendum, commiserandum

Doctor Redmannus.

Defensio Buceri

commiſerandum ſpectet, quam mirabiliter id ſolet & magnifice tractari à noſtris artificibus, præſertim in eo genere peritis, & vernacula noſtra domeſticaque lingua exercitatis: ut mihi inſtituenti ad te actorum quaſi commentariolum aliquod ſcribere, non eodem ſint artificio & ubertate ſingula exponenda, qua ab illis, quorum facta & dicta percenſeo, explicata perpolitaque erant. Quare licet capita quædam deguſtanti, de reliquis conjecturam facere. E quibus ſit mihi primum illud, in quo parum ſe dicebat Bucero & Auguſtino laudem tribuere: quorum in utriuſque libris, cum multa divinitus conſcripta reperiantur, tamen & à Bucero cum viveret quæſiviſſe, & ab Auguſtino ſi reviviſceret quæſiturum eſſe, reprehendens neutrum, ſed non utrique omnibus aſſentiens, planeque de multis dubitans, quomodo ipſi ſuas ſententias & ſcripta interpretarentur. Nam & in Auguſtini voluminibus eſſe permulta cum ſtructura verborum impedita, tum ſententiarum acumine, dicendi quoque ratione fortaſſe non nimium perſpicua, quaſi aliqua caligine offuſa: et ex Buceri ſcriptis exiſtere nonnunquam eiſdem ferè de cauſis dubitationem. Licere igitur de utriuſque nonnullis locis hæſitantem, ab utroque quid uterque voluerit, ſine contumelia ſciſcitari. In hanc ſententiam plura: ſed nihil præclarius, quam quod idem uberrimè laudatis iis commentariiis quos in D. Pauli Epiſtolam ad Rom. & in Davidis hymnos edidit, illud quaſi corollarium adjecit: habere videlicet eos in ſe tam plenam & perfectam undique doctrinam Chriſtianæ religionis: interpretationemque tam iuculentam & perſpicuam, ut cum illorum veterum auguſtiſſimorum hominum & virorum doctiſſimorum monumentis, quorum jam multis ſæculis conſecratæ literæ atque artes fuerunt, quoſque religionis & ſacrorum interpretes cuncti hos mille annos amplius aſciverunt, omnibus ex partibus conferri compararique poſſe exiſtimaret. De reliquis, & gaudere ſe dicebat, quòd in multis ſibi à Bucero cum viveret, eſſe ſatisfactum, nec dubitare, quin ſi longior ei vitâ ſuppetiſſet, pluribus eſſet ſatisfacturus. Itaque facilè pati à pleriſque vel omnibus potius, deplorari excellentiſſimi viri intéritum, ſibi tamen affirmare propinquiorem eum dolorem eſſe, quam cæteris: non ſolum quia charior ejus vita eſſe cœperat, à quo tam multa didiciſſet, verum etiam quo deinceps à quo diſcat, habiturum neminem. Simul & illud dolorem auxiſſe ſuum, quod talem non obtrectatorem, ſed authorem conatus ac diligentiæ ſuæ amiſiſſet, qui & crebro eum domum invitaret, & ad omnem congreſſum ſe humaniſſimum præberet, hancque in præcipuis ejus ornamentis laudem reponebat, pluribuſque verbis prædicabat, quod non difficilis ad eum aditus, non ſuperba reſponſa, non inſuavis, ſed ſine aculeis ſermo, tum humanitas, conſuetudo, conſilium, auxilium prompta omnibus, ſibi vero etiam paratiſſima fuere. In ipſo colloquio mentem laudabat ſimplicem & apertam, & ſine ſuco meditatas defenſiones, & in concedendo, ſi quid dandum eſſet, facilitatem in refellendo, ſi minus placeret, lenitatem. Omnino hoc à ſe animadverſum dicebat, nunquam illum fuiſſe victoriæ magis quam veritatis cupidum, nec cujus in ſpeciem glorioſior reſponſio, ſed cujus probabilior eſſet, curaſſe, victrixque ſi triumpharet veritas, ſe victum æquo animo tuliſſe. Poſtremo, nunquam eum adiiſſe, nunquam cum eo fuiſſe congreſſum, quin melior, probior,

Comparatio Buceri & Auguſtini.

Comment. in Epiſt. ad Rom. & Pſalm.

A Bucero ſatisfactum eſſe Redmanno in multis.

Dolet amiſſum Bucerum Redmannus.

Crebro ad ſe invitavit Redmannum Bucerus.

Facilitas Buceri in congreſſibus.

Veritatis magis quam victoriæ cupidus Bucerus. Bonos viros fecit Bucerus.

Redman. Gardinero et omnibus Papiſtis opponitur.

probior, ſanctior vir diſcederet. Nos igitur cum hujus teſtimonium habemus, quem noſtro Bucero adverſarium, quem inimicum plerique putabant, quid Papiſtæ vociferentur magnoperè curabimus? & cum Redmannus Theologus laudaverit, quid Gardinerus jurisconſultus loquatur omnino ſpectabimus? Sit huic Bucerus homo vanus, mendax, nullius conſcientiæ, nullius fidei: Certe Redmanno, cum frequentiſſima corona, doctiſſimis viris audientibus concionem haberet, gravis, conſtans, ſanctiſſimæ vitæ, nullius in ſe veſtigium perfidiæ habere viſus eſt. Avocat Gardinerus, vel convitio potius abarcet ab Eccleſiarum miniſterio Bucerum: at Redmannus orbatum ejus opera miniſterium luget: Poſtulat impudenter Gardinerus ut ſibi reconcilietur & redeat in gratiam: offendiſſe aliquem aliquando negat Redmannus. Certet igitur cum Gardineri impudentia, Redmanni verecundia: hujus modeſtia, cum illius convitio: cumque infinito illius odio, ſpectata hujus erga Bucerum benevolentia. Sed me quoque dices incaleſcere. Equidem commoveor ab homine ingenioſiſſimo & cum acumine tum etiam dicendi facultate præſtanti, diſcerpi convitio Sanctiſſimum virum: quem nos ut patrem colebamus, ut præceptorem audiebamus, ut hominem nobis chariſſimum, cuique nos viciſſim chari eſſemus, complexi ſumus: & doleo in tam excellens ingenium tam depravatum morem incidiſſe, quod alioqui modeſtia excultum, detractaque ambitione præjudicatæ de ſe opinionis nutricula, omnibus qui noſtro hoc ſæculo excellentiſſima fuerunt, præſtare facile potuiſſet. Sed hunc eadem labes oppreſſum tenuit, qua ſolent præſtantiſſima plerumque ingenia obrui: & quæ ſi Sacræ literæ non eſſent, tamen vel unius teſtimonio Platonis evelli penitus è noſtris moribus delerique deberet.

Gardinerus in Bucerum, poſtremo libro.

Bucerus.

Gardineri ingenium.

Φιλαυτία.

Siquidem præclare eſt apud eum, Τυφλῶται ὑπὸ τοῦ φιλαύτου ὁ φιλῶν. Quique ſe nimium amat, & ſuo aſſentatur ingenio, pravum ſe bonarum & malarum rerum, honeſtarum & turpium, falſarum & verarum judicem præbet. Pluribus hæc affero, ut ſingularis modeſtia & timor ac circumſpectio laudetur noſtri Buceri, qui ita ſe non amavit, ut omnium ſententias libenter audire, de omnibus in utramque partem diſputare, non pertinacem & durum animum afferre ſolitus ſit: ſed quemadmodum ante dixi, ita ſe gerere, ut conſtituto quod verum eſſet, æquo animo vel vincere vel vinci poſſet: ex altera parte notetur Gardineri *φιλαυτία*, qui quam opinionem domo exportare conſueverat, quod ſe falli non poſſe putaret, omninoque turpe videretur coargui & reprehendi, eandem ſemper ſtatuit, ſpretis & contemptis aliorum quamvis doctiſſimorum ſententiis, domum ſecum referre. Sed aliter facio, quam de principio inſtitueram. Siquidem acta ſolum exigui cujuſdam temporis decreveram ad te perſcribere: nunc vero etiam in eadem Epiſtola laudationem incluſi. Sed meum in hac parte errorem (ſi modo error ſit veras alicui laudes tribuere) ſublevabit, cum tua præſtans ac divina humanitas, tum omnium qui hæc noſtra attingent, ſingularis in Bucerum amor. Qui cum ejuſmodi fuerit, quem omnes amiſſum luxerint, quem amici requiſiverint, inimici laudarint, alieni receperint, ſui ſemper præſtantiſſimum judicarint, nec horum in viventem pietas non amari, nec meum in mortui virtute renovanda ſtudium vituperari credo poterit. Fu-

Gardineri Φιλαυτία.

nus

nus habes, luctum habes, cauſas nonnullas quidem, ſed nec omnes nec maximas, tamen tam multas & tam graves, ut ſi nullæ præterea eſſent, ſatis momenti habeant, cur nos in mœrore ſimus. Utinam mihi vel ea notitia daretur vel facultas, qua univerſam ejus vitam præclariſſimè actam cognoſcere, eamque literarum monumentis mandare poſſem. Sed brevi tempore nobis cognitus fuit, & ſcribendi induſtria vana eſt, cum rerum propoſitarum excellentiam oratione aſſequi nequeas. Has igitur partes Germanis hominibus doctiſſimis relinquo, aquid quos cum diutiſſimè vixerit, facient pie, ut quoniam & norunt quomodo vixerit, & facultate præditi ſunt, velint Sanctiſſimi hominis vitam nobiſcum communicare. *Epilogus.*

Ego pro ea facultate quam mihi Deus largitus eſt, dedi operam, ut in eum vita functum, ingrati non videremur, à quo vivo plurimis ornamentis afficiebamur. Vale, Cantabrigiæ è Collegio Trinitatis. Anno Dom. M. D. LI. Id. Mart.

VITA

VITA
BERNARDI GILPINI,
Viri Sanctiſſimi, Famaque Apud Anglos Aquilonares Celeberrimi.

A Reverendo in CHRISTO Patre GEORGIO CARLETONO Epiſcopo Ciciſtrenſi fideliter conſcripta, et in gratiam Popularium ſuorum, à quibus jamdiu vehementer deſiderata eſt, in publicum edita.

GEORGIUS CARLETON, Epiſcopus Ciciſtrenſis, Gulielmo Beluſſis, Equiti aurato, Salutem in Chriſto precatur.

SI *in Eccleſia multi eſſent, qualis unus erat* Gilpinus, *non exiſtimarem operæ pretium memoriam hujus viri aliis commendare: nunc vero cùm pauciſſimos, aut ſi quod ſentio dicam, nullos viderim qui normam pietatis et ſanctimoniæ tam raræ ſecutus, exemplar aliis ad beatam vitam properantibus tam illuſtre propoſuit, tam egregiè ſuſtinuerit, ſic ſentio, exemplum tale bonis pietatis*

igniculos additurum, ut formam tam perſpicuam ſequantur, ſi fortè non aſſequantur. Exempla hujuſmodi inſignis pietatis in ſanctis antiquis multa audivimus, & in ſcriptis eorum frequenter legimus, ſed in hominibus noſtri ſæculi non invenimus: tantum enim abſumus ab hoc zelo in pietate promovenda, ut jam metuendum ſit, ne vera religio quondam cum magno ſtudio & gaudio ſuſcepta, nunc à nonnullis cum faſtidio rejecta, tandem ſubruatur: etenim experientia ſæculorum anteactorum ſatis nobis hanc veritatem confirmavit, profanos mores religionis ruinam ſecum traxiſſe, ut ne dubitemus deinceps etiam tracturos. Non dubitamus in tanto antiquæ ſanctimoniæ caligine, Gilpini *vitam evolaturam, ſicut noctuam inter alias aves multis inviſam. Nec idcirco ſupprimendam puto, habeant alii quod mirentur, alii quod illudant, alii quod imitentur. Tu vero vir inter paucos præſtans habes quod votis multis deſideraſti. Scriptum hoc multos jam annos apud me delituit, editionem diutius diſtuli, conſultò ne forte ſe læſos quærantur, qui ab hac ſanctimoniæ forma procul abeſſe videntur: ſed mei inſtituti erat neminem lædere, omnes quantum in me eſt juvare. Si quis ſe hoc ſcripto adjutum ſentiat, hoc tibi debere ſe agnoſcat, qui ſollicitatione tua hoc qualecunque ſcriptum à me extorſeris. Cumque eo loci degas in qua* Gilpini *vita tota et virtus optimè nota ſit, cumque tam enixè hoc à me efflagitaris, quis dubitare poteſt præſtantem virum eſſe oportere, qui tanto ſtudio* Gilpini *memoriam conſervandam procuraverit? Hic tuus inſignis animus coegit me, ut tuo nomini hanc opellam dedicarem, ut & religioſi animi tui in* Gilpinum, *& amoris in te mei teſtimonium extaret.* Vale.

VITA
BERNARDI GILPINI.

BERNARDUS GILPINUS natus *Kentmiræ* in comitatu *Weſtmorlandiæ*, Anno Domini 1517. ex antiqua familia et clara. Patrem habuit *Edwinum Gilpinum*. *Edwini* frater ſenior occiſus erat in prælio apud *Boſworth*. Qui quintus erat hæres à *Richardo Gilpino*, qui tempore regis *Johannis* donatus erat agro illo *Kentmirano* à Barono *Kendaliæ* pro meritis egregiis in bello et in pace. Hic *Richardus* eſt ille qui aprum ſylveſtrem occiderat, qui in montibus proximis tanquam aper *Erimanthi* furens, plurima damna populis intulerat. Hinc eſt, quod in armis Gentilitiis *Gilpini* gerant aprum. Matrem habuit *Margaretam*, filiam *Gulielmi Laton* de *Dalamain* in *Cumbria*, ex antiqua familia, et bellicoſo illo ſæculo illuſtri, ex qua plures equites viri fortiſſimi prodierunt.

Bernardus vix infantilem exuerat ætatem, quum futuræ ſanctimoniæ indicia quædam ædiderat: fraterculus quidam circumibat victum quæritans, et ut animos hominum perliceret ad beneficentiam, concionandi zelum quendam oſtentabat. Erat hoc hominum genus ſordidum, et improbum. Quidam eorum habere ſatagebant formam pietatis virtutem ejus abnegantes. At alii ne formam quidem retinuerunt. Hic erro domum *Gilpini* patris acceſſerat die Sabbati, quaſi craſtino die Dominico concionaturus. Suſceptus erat ſatis liberaliter: Nam ex iſtis locuſtulis offendere quenquam erat piaculum. Bonus frater inter cœnandum ingluviem invitabat, et potandi finem bellua non ante fecerat, quàm ebrius pudendum ſpectaculum tàm caſtæ, ſobriæque, familiæ præbuiſſet. At craſtino die veluti ſanctulus de cœlo ſubito lapſus ad concionem populum convocat. Inter concionandum bona quædam verba eructans, contra vitia quædam excandeſcere, adeoque etiam contra ebrietatem auſus fuit intonare. *Gilpinus* puerulus qui tum loqui cœperat, poſtquam invſam hominis fœditatem ex heſterna cœna collegiſſet, nunc audiens belluam intonantem contra illa vitia, quæ ipſe perpetraverat, ſicut erat propè matris gremium in templo, exclamat ſubitò his verbis: Mater audin quomodo iſte contra ebrietatem loqui audet, qui erat in noſtra domo heſterna nocte ebrius. Mater pueri os manu oppoſita impedire properat, ne plura effunderet. Parentes pueri ingenium ex variis indiciis perſpicientes, eum bonis litteris ſedulo educandum curarunt. Condiſcipulum habuit *Edwinum Airium*, quem propter ingenium et ſpectatam

tam probitatem poſte a colebat. At reliquos omnes *Gilpinus* ingenii acrimonia longè poſt ſe reliquit. Itaque cum laude decurſo in ſchola tyrocinio, à parentibus, qui jam ſpem magnam conceperant de filio ſuo, mittitur *Oxonium*. Tunc temporis *Oxonii* erant omnia in literis, et religione turbata et barbara rubigine obducta. Agebat *Gilpinus* annum decimum ſextum, quum ſe *Oxonium* contulerat. Is erat annus Domini 1533. In Reginenſi Collegio ſuſceptus mirificè in bonis litteris profecit. In operibus *Eraſmi* ſtudioſius hærebat, ſicut omnia illius ſæculi ingenia bona. Ad Dialecticæ & Philoſophiæ cognitionem ſedulo ferebatur, in quibus excellere videbatur, & in ſcholis dominari. Addidit humaniores litteras, Græcæ, & Hebraicæ linguæ peritiam ſingularem, in quibus literis *Neli* opera, & amicitia utebatur, cui cum *Gilpino* ex ſtudiorum ſimilitudine familiaritas interceſſerat. Is erat ſocius collegii Novi, & poſteà Hebraicarum literarum profeſſor *Oxonii*. Poſt aliquot annos in his ſtudiis gnaviter collocatus, ita clarus *Gilpinus* charuſque ſuis *Oxonienſibus* eſſe cœperat, ut nullum literarum præmium videretur, quin infra *Gilpini* virtutem ſubſederit. Quærebantur tum doctiores atque inſigniores viri, qui Ædem Chriſti noviter tunc *Oxonii* inchoatam complere, & bonarum literarum laude ornare poſſent. Inter eos imprimis aſcriptus erat *Gilpinus*. In religione veritatem, & ſinceritatem non tum obtinuerat, qui in traditionibus Eccleſiæ Romanæ fuerat inſtitutus: Neque enim religionem & pietatem ad verbi divini normam, ſed ad paternas & per manus ſuſceptas traditiones plerique tum temporis revocabant. Hærebat aliquamdiu animus ad ſancta compoſitus, in tenebris, & præjudiciis interceptus non ſine aliqua antiquitatis umbra ſub ſuperſtitionis onere luctabatur. Fortior adverſus vitia & ſordes, quam adverſus paternas traditiones. Itaque tum temporis magnum cauſæ Pontificiæ momentum videbatur *Gilpinus*. Diſputabat publicè contra *Johannem Hooperum*, qui poſtea Epiſcopus *Vigornienſis* erat, ac tandem glorioſus Chriſti Martor. Mortuo Rege *Henrico* octavo, quum jam *Edwardus* ſextus regnum obtineret, ejus munificentia & pietate adductus *Petrus Martyr Oxonii* ſacras literas docebat. Huic obſiſtere nitebantur ſophiſtæ *Chedſæus*, *Morganus*, *Weſtonus*. Qui *Gilpinum* etiam cupiebant adducere, ut Martyri majorem ex ejus conſilio & auxilio crearent moleſtiam, atque ea res tandem eo devenerat, ut *Gilpinus* productus fuerit ad diſputationem contra *P. Martyris* poſitiones. Ex quo conflictu *Gilpinus* ut cauſam ſuſceptam tueretur, accuratius cœpit Scripturas & Patres antiquos excutere. Quoque majori ſtudio ad ſuſceptum cauſæ patrocinium incubuerat, eo minorem cauſæ fiduciam habere cœperat, putabat ſe pro veritate decertaturum, quam invenire pro virili certabat. Sed dum veritatem ardentius quæreret, paulatim agnoſcere cœpit errores ſuos. *P. Martyr* ſubinde profiteri ſolebat ſe non multum moveri de *Weſtono*, *Morgano*, aliiſque ſimilibus: At de *Gilpino*, inquit, vehementer commoveor, qui ſincero animo omnia aget & loquitur. Reliqui de ventre ſuo videntur ſolliciti, leviſſimi homines ambitionis & cupiditatis quaſi vento feruntur. At *Gilpinus* morum gravitate & laudatiſſimæ vitæ teſtimonio ſubnixus, cauſam quam ſuſcipit virtute ſua cohoneſtare videtur. Sæpiuſque Deum orabat, ut *Gilpini* animum ad omnia honeſta ſtudia compoſitum ad

veritatem tandem convertere dignaretur. Valuit *P. Martyris* oratio apud Deum. Nam ex eo tempore non ſubito, ſed ut ipſe fatebatur, pedetentim ad veritatis agnitionem acceſſit. Magnam *Oxonienſibus* lucem intulerat *Martyr* ad veritatem Theologiæ, & ad humaniores literas illuſtrandas. *Gilpinus* ex eo acrius ſtudio, & præcibus incumbere ſtatuit, ut veritatem inveſtigaret. Itaque controverſiam quæ inter ipſum & *Hooperum* fuerat, ſcriptis etiam mandare conſtituit. Sed in ea controverſia explicanda dum accuratius ea verſat quæ refutare decreverat, dum altius rimatur, & ad Scripturæ authoritatem Eccleſiæ inſtituta revocat, ſine qua nec Eccleſiam aliquam eſſe cognoſcebat, ſenſit ſe facilè victum, & à veritate vinci gaudebat. Scripta illa inter *Gilpini* ſcrinia reperta, ingenuam confeſſionem & veritatis vim, adeoque miſericordiam divinam in ejus converſione declarant. Dum religionem Pontificiam accuratius examinat, plurimos errores in Eccleſiam irrepſiſſe coactus eſt agnoſcere, qui ſalutis negotium impediunt & obſcurant. Adeo ut iis, qui ſitiunt juſtitiam & veritatis cognitionem, magno ſint offendiculo. Videbat plurimas ſanæ doctrinæ corruptelas & commutationes: de ſeptem ſacramentis ante *P. Lumbardum* magnum ſilentium reperit: cœnæ Dominicæ uſum ſub una tantum ſpecie contra expreſſas Scripturas tradi, tranſubſtantiationem à ſcholaſticis confictam eſſe. In Sacramento doctrinam operis operati nuper natam: Miſſam ex Sacramento in ſacrificium converſam. In Eccleſia ubi omnia ad ædificationem populi inſtituta ſunt, omnia contra edificationem populi in lingua ignota peragi: imaginum adorationem inſtitui contra expreſſum præceptum Dei. Dum iſtis cogitationibus diſtraheretur, ecce in concilio *Tridentino* regula fidei immutata perculſit ejus animum. Nam ex antiquis ſcriptoribus adeoque etiam ex recentibus, *Lumbardo*, *Scoto*, *Aquinate*, et ſimilibus obſervaverat, regulam fidei tantum è divinis Scripturis petendam eſſe: at in conſilio *Tridentino* videbat traditiones humanas æqualem locum paremque autoritatem cum verbo Dei obtinere. Cumque intelligeret traditiones iſtas nihil aliud eſſe, quam perverſas & inverſas ſacrarum Scripturarum interpretationes, à Pontificibus Romanis excogitatas, & inter Decretales Epiſtolas inſertas; tum Decretales illas Epiſtolas omnino ſuppoſititias eſſe, quod multorum eruditorum virorum teſtimoniis probatur, ipſorumque adeo Pontificiorum confeſſione, ut indubitatum agnoſcitur: tanta rerum confuſio his poſterioribus ſæculis orta in Eccleſia, *Gilpinum* ad veram pietatem anhelantem, eo tandem adegerat, ut ſubdubitare cœperit, Papa næ ſit Antichriſtus ille in Scripturis prænuntiatus, Eccleſiaque Pontifica planè Antichriſtiana. Nam quid eſt ſeſe efferre & opponere adverſus quicquid dicitur Deus aut numen: adeo ut in templo Dei tanquam Deus ſedeat præ ſe ferens ſe eſſe Deum? Si hoc non ſit quod Papa ſit univerſalis Eccleſiæ caput, Dominus, Monarcha, & tanquam Deus: quod verbum Papæ defendatur eſſe tanquam verbum Dei? Nam cujus verbum eſt tanquam verbum Dei, quomodo is non erit tanquam Deus, & ſeſe opponens Deo, & præ ſe ferens quod ſit Deus? Verbum autem hoc, quod dicitur verbum Dei non ſcriptum, eſt ex impuriſſimis lacunis illis Decretalibus ortum, hoc eſt, ex ſuppoſititiis, & falſis ſcriptis concarcinatum. Atque hoc verbum quod nullo modo eſt comparandum verbo honeſti viri, eſt

verbum

verbum Dei non ſcriptum, pari pietatis affectu cum ſacris Scripturis ſuſcipiendum. Numquid Antichriſtus cum venerit (ſi quis alius adhuc venturus ſit) majore Chriſtum, & ſacras Scripturas injuria aut blaſphemia afficiet, quam Papa facit? Hic tandem ſubinde ſuſpenſus hærebat. Nam quis putaret Papam eſſe Antichriſtum? Quis hoc dicere auderet ante *Mart. Lutherum?* Sic igitur ſecum ipſe verſabat: Si Papa ſit Antichriſtus, video non ſolum probabiles ſed & neceſſarias cauſas diſcedendi ex Eccleſia Pontificia: Sin Papa non ſit Antichriſtus, non video ſatis firmam diſcedendi cauſam. Diſcedere ab Eccleſia non licet; diſcedere ab Antichriſti Eccleſia non ſolum jubemur, verum etiam horrendam Dei vivi iram, & minas fulminatas videmus in eos, qui in *Babylone* illa Antichriſti ſynagoga permanſerint: Quum cœleſtis vox dicat, *Apoc.* 18. *Exite ex ea, Populo mi*; & denunciatur, *accepturos ex plagis ejus, quicunque participes fuerint peccatorum ejus.* Hic igitur hærebat aliquandiu: Quia niſi Papa proderetur Antichriſtus, non videbat quomodo deſerere Eccleſiam illam potuiſſet diuque quærendo, legendo, orando, meditando in hoc incubuit ut veritatem indagaret. Ex antiquis patribus *Tertulliano*, *Hieronymo*, *Ambroſio*, *Auguſtino*, *Chryſoſtomo*, *Cyrillo*, aliiſque obſervabat, locum illum quo deſcribitur *Antichriſtus*, 2 *Theſſ.* 2. *Id quod nunc tenet, tenebit donec de medio tollatur:* ſic exponi, ut de Romano imperio intelligatur: ut imperium Romanum quod tunc tenebat, teneret locum ſuum, donec Antichriſtus venerit, qui Romani imperii ſedem ſit occpaturus. Deinde cum eodem loco dicitur non prius venturum Chriſtum, quàm venerit diſceſſio, hoc etiam ſimiliter impletum obſervabat. Diſceſſionem immanem factam videbat Eccleſiæ Romanæ à primitiva ſimplicitate & veritate. Deinde alteram etiam diſceſſionem non minus manifeſtam Eccleſiarum ſcilicet reformatarum ab Eccleſia Romana.

Gilpinus dicere ſolebat Eccleſias Proteſtantium non aliam firmam & ſolidam ſuæ diſceſſionis rationem reddere potuiſſe præter illam, Papam ſcilicet eſſe Antichriſtum. Nam ab Eccleſia Antichriſti diſceſſionem mandatam intelligebat ex monito illo cœleſti: *Exite ex ea, populo mi*; *ne participes ſitis peccatorum ejus, et ex plagis ejus accipiatis:* *Apoc.* 18. 4. Quo loco S. *Johannes* diſertè prænuntiat populum Dei evocandum fore ex Eccleſia Antichriſti: nihil tertium hic reliquum, vel Romanam Eccleſiam non eſſe deſerendam, vel Papam pro Antichriſto habendum; è cujus Eccleſia Dei Eccleſia cœleſti voce & mandato evocatur. Jam vero hæc omnia eventus, qui eſt prophetiarum interpres, nobis certiſſimus comprobavit. Multis jam ſæculi vidimus regnum illud quod Apoſtolorum temporibus obtinebat è medio ſublatum. Et in ejus loco regnum Eccleſiaſticum erectum, quale ſæculis anteactis in Eccleſia nunquam fuerat viſum. Vidimus horrendam diſceſſionem Eccleſiæ Romanæ ab antiqua Eccleſiæ puritate & virtute. Vidimus & quotidie videmus populum velut cœleſti voce evocatum, exeuntem è *Babylone*, id eſt, ex Eccleſia Antichriſti. Oculi noſtri viderunt hæc completa, quæ tot ſæculis ante hæc tempora prædicta legimus. Hæc *Gilpini* animum vehementer moverunt, ut Eccleſiam in verbo Dei monſtratam ſequeretur. Eccleſia Romana regulam fidei integram ſervabat, antequam in *Tridentino Concilio* regula illa fuerat mutata. Tum neceſſario videbatur

exeundum

exeundum ex illa Romana Ecclesia, ut vera & evocata illa Ecclesia sequeretur verbum Dei. Hæc enim evocatio peculiarem Ecclesiæ conditionem videbatur designare. Sic *evocatus Abraham ex Ur Chaldæorum, evocatus populus Israel ex Egypto, evocati Judæi ex Babylone post captivitatem septuaginta annorum:* ac tandem ad illam formam evocata Ecclesia reformata ex *Babylone* mystico, sive Ecclesia Romana. Hæc admirando Dei consilio & potenti manu confecta videbantur. Igitur exeundum necessario videbat & Ecclesiam illam Apostaticam deserendam. Verum hæc non impetu, sed lento molimine egit.

Interea *Cuthbertus Tonstallus Dunelmensis* Episcopus *Gilpinum* suis sumptibus ad exteras Ecclesias visendas mittere decrevit. Erat *Tonstallus* matris *Gilpini* avunculus. Sed antequam peregrè proficisceretur evocatus ad aulam concionem habuit coram Rege *Edwardo* sexto de Ecclesiarum rapinis. Concio illa publicè typis excusa extat. Deinde ad peregrinandi studium se contulit. Amicorum cura sacerdotium ei collatum erat. Illud sacerdotium *Tonstallus Gilpino* retinendum suadebat, ut impensas itineris facilius toleraret, honestiusque sese ac liberalius exciperet. At *Gilpinus* cum parvo temporis spatio sacerdotium retinuisset, ante profectionem amicum quendam ad se vocavit, quem hominem pium & doctum, & in sacri ministerii functione impigrum cognoverat, huic sacerdotium ipsi non multo ante collatum, resignatione sua conferendum procuravit. Quod ut resciverat *Tunstallus Gilpinum* increpat. Ego, inquit, tui curam gero, & tu curam meam tanquam mutilem projicis. Sed ego præmoneo quod tu his artibus mendicus morieris. *Gilpinus* primo verbis officiosis Episcopi optimè de se meriti animum placare studet. Deinde subjungit, se sacerdotio renuntiasse necessario, quod quieta conscientia retinere non potuerat. At, inquit, Episcopus cum dispensatione retinere potes, & tecum in hac re dispensabitur. Respondet *Gilpinus*, at qui Diabolus nulla dispensatione, aut ullis vinculis retinebitur, quin me absente in populi mihi commissi perditionem ruat. Et vereor quam mihi sit inanis responsio apud Deum villicationis meæ rationem exegentem, si dixero mecum dispensatum fuisse dum Diabolus disperderet. Qua responsione Episcopus videbatur offensus. Sed perspecta sancti animi sinceritate *Gilpinum* in majori honere habere cœpit. Minabatur tamen sæpius, sicut *Gilpinus* referre solebat: per patris animam, quo verbo Episcopus familiaris uti consuevit, eum moriturum mendicum. Profectus est primum *Machliniam* ad *Georgium* fratrem ipsius literis eò vocatus, deinde agebat *Lovanii*, *Antverpiæ*, & *Lutetiæ*. Postquam ex *Anglia* discederet, accepit literas à *Georgio* fratre quibus monitus erat, ut fratrem *Machlineæ* conveniret. Quia quædam haberet ipsi coram communicanda quæ literis expediri non facilè possent. Itaque *Machliniam* ad fratrem properavit. Postquam congressi fuissent, intellexit *Gilpinus* causam quare eò vocatus esset, nihil aliud fuisse, nisi ut à fratre persuaderetur sacerdotium excipere, quo aleretur dum exteras Academias lustraret. *Gilpinus* in angustiis interceptus videbatur, noverat se nuper Episcopi animum hac de re offendisse, videbat Episcopi consilio hoc negotium à fratre *Georgio* agitatum. Tandem literas ad *Tonstallum* Episcopum in hæc verba transcripsit.

Domine

Domine mihi plurimum honorabilis, omnique officio mihi colende, Amplitudini tuæ celandum non existimavi, fratrem meum nuper mihi scripsisse, ut omni excusatione postposita ipsum Machliniæ *convenirem, habere se quæ mecum agat de necessariis rebus, quæ literis expediri non possent. Quum conveniremus intellexi nihil aliud esse, nisi ut tentaret an sacerdotium suscipere velim, dum interea me in Academiæ studio continerem. Quod si hanc profectionis causam præsentissem, non arbitrarer necesse, studium meum interruptum iri, ut* Machliniam *proficiscerer. Hoc enim cum omnibus doctis jam mihi discussum fateor, maximè vero cum Sanctis Prophetis, & antiquissimis piissimisque à Christi sæculo Scriptoribus, quod mihi fiducia firma manet, quamdiu vixero nunquam conscientiam meam ex ea re onerare, nec sacerdotium ea conditione suscipere, ut interim absens ab eo sim. Ille mihi retulit dominationem vestram ad ipsum scripsisse, libenter velle in me sacerdotium conferre; vestramque dominationem, cæteroſque amicos meos, (inter quòs unus ipse fuerat) existimare me nimis scrupulosæ conscientiæ in ea re fuisse. Ad quod respondi. Si scrupulosior sim (quod ego non puto) res tamen est ejus generis, ut malim in ea re paulo strictior esse quam conscientiæ meæ fræna laxare. Quandoquidem mihi semel persuasum est, offensionem Dei me non incursurum vitando sacerdotium tale, cui non possum residentiam præstare, quamdiu de aliis non male judicem. Quod me facturum spero. Imo pro omnibus qui curam habent animarum quotidie Deum oro, ut curæ sibi commissæ ita possent Deo rationem reddere, ut & Dei gloriæ maximè cedat, & Ecclesiæ ædificationi. Dixit ille mihi: Noluisse dominationem vestram sacerdotium mihi conferre, quin ut Ecclesiæ prospicietur tam benè, ac forte melius mè absente quàm si præsens essem. Ad quod respondi me non dubitare quamplurimos in Anglia esse multo præstantiores, qui curam suscipiant, quam ego sim. Ac proinde illud imprimis opto, ut illi & officium, & beneficium retineant, ut & animas, & corpora pascere possint, sicuti omnes pastores teneri arbitror. Quod vero ad me attinet, non possum conscientiæ meæ persuadere, ut commodum ex eo suscipiam, in quo alii labores suos ponunt. Nam si alius tanta fide atque industria doceret, & prædicaret, quanta S.* Augustinus *non tamen existimare possum me aliorum laboribus exoneratum. Quod si conscientiæ meæ vim intulero, ut ea conditione vel hic, vel in alia quacunque Academia manerem, conscientiæ inquietudo non omnino permitteret, me in studiis proficere. Hoc tempore Deo gratias ago, gratam in studiis quietem nactus sum prope fratrum minorum monasterium, ita ut ad egregiam fratrum bibliothecam*

cam quoties volvero libere poſſum accedere. Utor familiaritate doctiſſimorum virorum, nec unquam majori diſcendi ſtudio tenebar. Proinde quum ex Georgio *fratre meo intelligam, dominationem veſtram porro etiam de ſacerdotio mihi conferendo cogitare, (quæ res ſtudia mea interrumperet,) audaciam ſumpſi ſingularem, (dominationis veſtræ benevolentiam cognitam, ac perſpectam habens) qua mentem meam liberè bonitati veſtræ aperirem. Humiliter obſecrans ut dominotio veſtra permittere velit me liberum ab Eccleſiaſtica cura vitam agere, quo quietius ſtudiis incumbam. Et quoniam intelligo dominationem veſtram ſollicitam eſſe, qua ratione mihi proſpectum eſſe poſſet, ſi Deus veſtram dominationem jam ætate gravem ex hoc mundo vocet, ne te illa cura moveat obſecro. Nam ſi ad neceſſitatem redactus fuero, non dubito me brevi tempore lecturam aliquam obtinere poſſe vel in hac Academia vel alibi, ubi tempus non fruſtra impendam, quæ vitæ ratio magis mihi placet, quam ſi ſacerdotium ſuſceperim. Chriſtus precor dominationem veſtram cuſtodiat.* Lovanii. 22 Novemb. 1554.

Hactenus *Gilpinus*. Ecquis ex hodiernis noſtris hiantibus corvis ſacerdotia majore artificio acquirere, quam hic vitare laboraverit? Tum temporis, cum primum ad tranſmarinas regiones migraverat, agebat plurimum *Lovanii*, deinde *Lutetiam* profectus eſt.

Dum eſſet *Lutetiæ*, curabat *Tunſtallus* Epiſcopus, ut liber quem tum temporis ſcripſerat, de veritate corporis, & ſanguinis Chriſti Domini in Euchariſtia, *Gilpini* diligentia excuderetur. Scio Pontificios quoſdam *Gilpino* objeciſſe, quod ab eo opus illud corruptè depravatum eſſet præter autoris ſententiam. Me etiam audiente dum poſthæc *Houghtona* ſub *Gilpino* literis operam darem, *Franciscus Wicklefus* admonuit *Gilpinum* de rumore depravatæ æditionis. Ille quum variis rationibus diluiſſet hanc ſuſpicionem, tandem protulit literas *Cuthberti Tunſtalli*, in quibus maximas ei gratias egit Epiſcopus, quod opus illud ſumma fide ac diligentia ab eo ederetur.

Lutetiæ Gilpinus in ædibus *Vaſcoſani* agebat. Cum viris doctis contulit. Dum doctorum ſententias quæreret de iis rebus quæ ipſius animum permoverant, ita plurimum reſpondebant illi, non ut pacem conſcientiæ ſpectarent, quam ille unicè quærebat; ſed ut Eccleſiæ traditiones firmarent. Erat tum *Lutetiæ Nelus*, quo cum liberius agit *Gilpinus*, ut utrique ad veritatem aſpirarent. Erat inter eos fortè Sermo de cultu imaginum. *Gilpinus* graviter commovebatur, quod Idololatriam verbis quidem Pontificii damnarent, & tamen populi paſſim permitterent cultum imaginum. Quærebat quo conſcientiæ ſolatio quis poſſet incurvare ſe coram imagine, & nonne, inquit, hæc eſt idololatria prohibita in ſecundo præcepto decalogi? Hoc ex eo quærebat libentius *Gilpinus*, quia obſervaverat hominem pertinacius hærentem in Pontificiis placitis. Reſpondet *Nelus* diſtinctione uſitata de idolo, & imagine. Imagines Sanctorum non eſſe idola. Ac proinde nec venerationem imaginum eſſe idololatriam. *Gilpinus* ſubintulit, in ſecundo

ſecundo decalogi præcepto non eſt idoli mentio. Sed prohibetur incurvari ad ſculptile, aut ad aliquam ſimilitudinem eorum quæ ſunt in cœlis, vel in terris, vel ſub terris. Ubicunque ſint prohibetur proſtratio ad ſimilitudinem eorum. Et quid facit idolum? faber fingit ſimilitudinem hominis cujuſpiam, fabricata imago non eſt idolum. Sed cultus facit idolum. Itaque Apoſtolus dicit, *idolum nihil eſſe, quia unus tantum Deus eſt.* In cogitatione colentis videtur eſſe aliquid, ſed id quod cogitatio colentis apprehendit, revera nihil eſſe in mundo. Itaque idolatria eſt cultus Deo debitus creaturæ exhibitus. Qui vero inter orandum incurvant ſe coram creatura quacunque exhibent creaturæ cultum Deo debitum. Divinum mandatum prohibet, ne faciant ſibi ſculptile, aut ſimilitudinem alicujus creaturæ. Faciunt ſibi qui faciunt in religioſum hunc uſum, prohibet etiam ne ſe incurvent coram tali creatura: Nam qui ſic faciunt, creaturæ ſerviunt, eamque colunt. Fruſtra eſt hic diſtinctio in Latriam & Douliam, (quæ verba idem planè ſignificant;) quia diſtinctio illa tollitur per expreſſa mandati verba, non incurvabis te eis. Prohibetur incurvatio, quod tamen paſſim fieri videmus. *Nelus* ad hæc: quæ, inquit, inſtituta ſunt in Eccleſia, non temerè mutanda ſunt. *Gilpinus* reſpondit, non eſt poteſtatis noſtræ mutare Eccleſiæ inſtituta. Sed quia non poſſum mutare ea quæ ſunt in Eccleſia inſtituta, illud mihi imprimis laborandum ſupereſt, ut meipſum mutem, & ad ſincerum Dei cultum transferam, quod gratia Dei præſtabit.

Profiteri ſolebat ſe dum inter Pontificios verſaret multa obſervaſſe, quæ animum ejus ab illa religonis ſpecie abalienaverant. In articulo juſtificationis ſummam hominis conſolationem conſiſtere intelligebat. Quem articulum ita videbat, in Papiſino obſcurari, ut ſolida conſolatio tolleretur. Itaque Scripturam & Patrum ſcripta diligenter verſabat.

Reverſus in *Angliam* temporibus *Marianis*, Eccleſiam cum magno dolore vidit ſanguine & flammis oppreſſam: ab Epiſcopo *Tunſtallo* invitatus ad Rectoriam de *Eſſington*, cæpit verbum Dei prædicare, vitia quæ in Eccleſia regnabant acrius reprehendit. Salutis doctrinam ſimpliciter & ſolidè proponebat. Qua in re multos invenit adverſarios maximè Eccleſiaſticos, quorum vitia redarguerat.

Erat inter Clericos *Dunelmenſes Dunſtallus* quidam rector Eccleſiæ in illa Diaceſi. Hic erat animo in *Gilpinum* infenſiſſimo, ipſumque ſæpius apud Epiſcopum accuſabat quaſi hæreticum, meritoque cum aliis hæreticis comburendum. Epiſcopus à ſanguine fundendo abhorrebat, leniter cum eo agebat, eumque ab adverſariorum machinatione eripuit.

Audivi *Antonium Carleton* narrantem, (is tum in Epiſcopi familia degebat,) capellanos Epiſcopi cum *Gilpino* ſermones habuiſſe de *Luthero*: quærebat unus quid de *Luthero* ejuſq; ſcriptis ſenſiſſet? *Gilpinus* fatebatur ſe *Luthri* ſcripta non legiſſe. Ego, inquit, ſacras Scripturas, & de iis patrum ſententias imprimis mihi explorandas propoſui. Recentiorum ſcripta levius attigi: Quanquam ſi antiquis conſenſerint, non repudio. Unus ex iis *Gilpini* propoſitum laudabat. Benè, inquit, cum Eccleſia ageretur, ſi veterum ſcripta omnibus in honore fuiſſent. Non enim tantopere novorum hominum novæ opiniones Eccleſiam turbarent: quales ſunt iſtæ novæ opiniones *Lutheri*. At *Gilpinus* ſi novi, inquit,

homines antiquas producant ſententias non hominum novitas aſpernanda eſt: Sed doctrinæ antiquitas eſt ſuſcipienda. Illi ſtatim ſubdole *Gilpinum* ad diſputationem protrahunt, de Sacramento Altaris duo quærebant de reali præſentia, & tranſubſtantiatione: De reali præſentia *Gilpinus* fatebatur ſe nihil habere ſolidi, quod contra realem præſentiam opponi poſſe videretur ipſi. Miſterium, inquit, puto in ea re latere, ſupra captum meum, venerandum potiùs, quam contentionibus exponendum. Rogabant ergo de tranſubſtantiatione quid ſentiret? Reſpondit ille non eſſe neceſſe ut credamus ea quæ in verbo Dei fundamentum ſolidum non haberent. Non ergo credis, inquiunt, quod credit Eccleſia? Reſpondit *Gilpinus*, eccleſiam illud non ſemper credidiſſe: tenet me fides Catholica, ſed fides Catholica non mutatur. Ego video in hac re mutationes, quales fides Catholica non patitur. Rogant illi quas obſervaſſet mutationes in fide de Sacramento Altaris? Ille rurſus nihil, inquit, de tranſubſtantiatione in antiqua Eccleſia auditum, aut ſcriptum reperi. *P. Lumbardus* vel primus vel inter primos mutationem ab antiqua fide induxit. Sed quid vobis videtur? Num in tranſubſtantiatione panis convertitur in carnem & ſanguinem Chriſti? Reſpondent hoc ſe ſine dubio credere. At inquit *Gilpinus*, *P. Lumbardus* qui primus in hâc re antiquam fidem mutarat, hoc non credidit. Nam ſic habet ille: *Lib.* 4. *D.* 11. *F.* Non fit converſio panis niſi in carnem, nec vini niſi in ſanguinem. Id ſi verum ſit, ſine dubio ſequitur in pane conuerſo non eſſe ſanguinem. Quærebat ab iis quomodo hæc conciliarent? hærebant illi, nec habebant quod dicerent, quia *Lumbardi* verba perſpicua negant in pane converſo eſſe ſanguinem, aut in vino converſo eſſe carnem. Quos quum *Gilpinus* hæſitantes viderat, agnoſcite inquit, fidei Catholicæ immutabilitatem. Tranſubſtantiationis mutationes videmus. Nam quum *Lumbardus* mutationem aliquam docuerat, non aliter converſionem illam intelligendam voluit, niſi ut panis converteretur tantum in carnem, vinum tantum in ſanguinem. Neque aliter tum temporis converſionem in Sacramento Altaris intelligebant: donec à *Thoma Aquinate* concomitantiæ commentum ederetur. Intelligebat *Aquinas* difficultatem, itaque introduxit adminiculum illud de comitantia, ut ſcilicet propter concomitantiam in pane converſo ſit & caro & ſanguis. Sed hæc ſunt novorum hominum inventa. Fides Catholica reſpuit inventas mutationes in fide. Dum illi ſubmiſſiore voce diſputarent à tergo Epiſcopi, qui tum fortè ante focum ſedebat, (erat enim bruma:) Epiſcopus ſellam in qua ſedebat retrorſus paulo longiùs reclinabat, ut audiret quid illi inter ſe dicerent. Cum autem loquendi finem feciſſent, converſus Epiſcopus ad eos, capellanis ſuis ait Anglico ſermone: *Fathers ſoule let him alone, for he hath more learning then yon all.* Hoc eſt, per patris animam deſiſtite, nec ei moleſti ſitis, nam eruditior eſt vobis omnibus. Dum *Eſingtonæ* ageret, verbum Dei populo ſedulò annuntiavit. Erat Archiadiconatus *Dunelmenſis* annexus Rectoriæ de *Eſington*. Itaque *Gilpinus* ad aliquod tempus utraque officia exercebat: fortè autem cùm *Gilpinus* intelligeret Epiſcopum tantam ſui curam habuiſſe, ut etiam de augendo ſalario cogitaret, ſatis ſuperque ſibi proviſum eſſe dicebat, & Epiſcopum rogabat, ut aut Rectoriam, aut Archidiaconatum per ipſius voluntatem ſibi deponere liceret.

ret: Nam eorum alterum, inquit, ſufficiet: utraque ſimul conjuncta ſibi nimis oneroſa videri. Epiſcopus videbatur iraſci: Non ego te, inquit, præmonui moriturum mendicum? Ego illa duo conjuncta inveni, & conjuncta relinquam. Non multo poſt tempore *Gilpino* contulit Rectoriam de *Houghton*: parochia eſt ampliſſima, quatuordecim villas continet cum latifundiis. *Gilpinus Houghtonæ* ſuſceptus diligentiſſimè in officio concionandi perſeverabat, ædes collapſas reſtituit: Domus illa videbatur tanquam Epiſcopi palatium. Nec facilè invenies inter multas domus Epiſcopales, quæ cum illis ædibus conferantur, ſi varietatem ædificiorum ſpectes, & ſitus elegantiam. Dum *Houghtonæ* ageret *Gilpinus*, non illius tantum Eccleſiæ, ſed multarum etiam Eccleſiarum cura animum ejus permovit: videbat, dolebatque quod multæ Eccleſiæ per illum quem vocant impropriationis morbum diſſipatæ viderentur, & paſtoribus deſtitutæ. Nam Rectoriis à laicis occupatis non reſtabat quod paſtorem alere potuit. Laici quippe illi tenues ac ſordidos Presbyteros quærebant, qui matutinas & veſpertinas legere populo poſſent. Nec amplius aut iſti præſtare, aut illi curare ſolebant. Eccleſiæ deſolatio, & ignorantia plebis ſanctum *Gilpini* animum movebant. Itaque propoſuit ſibi quanta potuit cura & vigilantia non damnum reſarcire, quod erat impoſſibile, at officium ſuum præſtare qua potuit, ut veritas propagaretur, & Deus glorificetur. Deſolatio illa Eccleſiarum maximè apparebat in *Northumbria*, & propinquis regionibus, quæ *Riddeſdall & Tindall* vocantur. Nam illis regionibus, illo præſertim ſæculo, verbi Dei annuntiatio nunquam audita fuit, niſi per *Gilpini* miniſterium. Quotannis ſemel ad eos excurrere ſolebat. Ad hoc negotium opportunitatem arripere ſolebat, ad feſtum Nativitatis quando itinera propter frigora & nives moleſtiora aliis videbantur. Tempus illud ei maximè placebat, quia tunc plures dies feſti concurrerent, & populus facilè diebus feſtis conveniret: Alias non tam facilè aut crebro cogendus. Magnam ſui venerationem apud illas gentes conciliavit, tum concionando, tum pauperibus nummos diſtribuendo in illis itineribus, aliquando nocte interceptus, in nivibus pernoctabat. Interceptus neceſſitate illa, jubebat *Gulielmum Airium*, quem ſecum frequenter habebat, equos circumagere, nec quietem ullam aut ſibi aut equis permittere. Ipſe interim circum curſitabat, aut ambulabat, nec ſuſtinuit quietem capere: Domi aſſiduus erat in miniſterio & pauperum cura. Erat *Houghtonæ* viculus in oppido ad pauperum habitationem aſſignatus, ad eorum alimoniam providebat ſingulis ſeptimanis die qui dicitur *Jovis*, ut olla magnæ amplitudinis & capacitatis carnibus elixatis plena pauperibus deſtinaretur. Nec *Houghtonæ* tantùm, ſed ubicunque opportunitas erat, pauperum curam habebat, ita ut communi conſenſu popularium, pater pauperum diceretur. Quodam die dum in itinere fuiſſet, erat colonus quidam in arando agro verſatus, cum ſubitò unus ex equis coloni in terram collapſus, vel morbo vel moleſtia extinctus occubuit. Colonus ille & qui præſto erant collapſum equum quibus potuerant viribus attrahere ſatagebant, ut aliquo modo ſi fieri poſſit, erigerent. Sed id fruſtra fuit, nam equus mortuus jacuerat. *Gilpinus* fortè præteriens, eventum rei expectabat. Poſtquam autem equum videret nullo labore ſuſcitandum, colonumque dolenter mortem equi ferre, exclamantem

se casu illo vehementer afflictum: *Gilpinus* jussit famulum desilire de equo suo, & sellam Ephippiumque patienter ad proximum oppidum portare: Equumque illum cui famulus insederat colono tradidit. Exclamat colonus se non posse pretium numerare equi tam robusti. *Gilpinus* bono inquit, animo esto, tunc pretium solves equi quando ego petiero, interim in opere tuo pergas: frequenter dum iter faceret, egenos hoc modo sublevare solebat. Quum nudos pauperes reperisset, indumenta sua exuebat ut nudos tegeret: Ad mensam etiam plerumque pauperes alebat.

Quum *Elizabetha* beatæ memoriæ regina post truculenta sororis tempora regnum auspicaretur, paucitas virorum doctorum qui verbum Dei prædicare possent, non solum multos pios viros, sed & ipsos regios consiliarios permovit, ut quibus possent rationibus huic incommodo medelam aliquam præstarent. *Gilpinus* observans egregia multorum studia in Ecclesia adjuvanda, ipse etiam Provinciam quam nactus erat magno studio exornare satagebat. Itaque de Ecclesiæ seminario cogitabat. Scholam exædificavit, instituitque stipendia magistro atque hypodidascalo: Ipse etiam ex ea schola quos placuit assumpsit circa se labore suo instituendos, cujus instituti fructum amplissimum suscepit *Gilpinus*, immo & Ecclesia Dei per universam *Angliam*. Nam ex illa schola plurimi viri docti prodierunt, qui Ecclesiam laboribus suis & vitæ honestate exornarunt. Confluebant multi ad illam scholam, quorum multi in oppido degebant, multos *Gilpini* domus suscipiebat. Equitum, & armigerorum filios parvo pretio soluto alebat. Qui erant ex genere suo gratis alebantur. Multos egenorum filios habebat, quibus & victum & vestitum cum educatione contulerat. Quibus modis *Gilpini* schola celebris ubique habebatur, *Gilpinus* ipse celebrior. Ex ea Schola ad utrasque Academias plurimos subinde mittebat, quorum multos etiam in Academia suis sumptibus fovebat. Dum his studiis inhæreret, gloria quæ fugientem sequitur, sequentem fugit, celeberrimum *Gilpini* nomen extulerat, ut non modo apud Ecclesiæ patres charus, sed & apud regni proceres clarus haberetur.

Erat inter aulæ proceres Comes *Bedfordiæ*, qui *Gilpino* maximopere favit. Hic Episcopatu *Carliolensi* ex obitu *Owini Oglethorp* jam vacante, ut Episcopatus ille in *Gilpinum* transferretur, impetravit à Regina, obtinuitque. Comes literas ad *Gilpinum* misit, unà cum eligendi venia quam vocant *Congedeslier*: *Gilpinus* Comitis literas accipiens unà cum *Congedeslier*, nuntium statim expedivit cum literis ad Comitem, quibus postquam maximas gratias Reginæ, Comitique egisset, submisse rogavit Comitem ut causam suam apud Reginam agere dignaretur, & se de Episcopatu excusare: Vires suas sibi optimè esse cognitas, tanto muneri sustinendo imparem se esse profitebatur. Si quid interim ad Ecclesiæ utilitatem efficere potuisset, se in humiliori loco diligenter curaturum. Erat tum temporis *Edwinus Sandes* Episcopus *Wigornienſis*, vir prudentiæ, eruditionis, & vitæ sanctimoniæ testimonio venerandus, qui posteà *Londinum*, deinde *Eboracum* translatus est. Is tum fortè erat *Londini*, quando *Bedfordiæ* Comes de *Gilpino* ad Episcopatum promovendo cogitabat. Qui sive hortatu Comitis, sive ex amore quo *Gilpinum* amplectabatur, (erat enim huic *Gilpinus* cognationis propinquitate conjunctus,) scripsit ad *Gilpinum* literas, quibus eum ad Episcopatum oblatum suscipiendum retinendumque

que hortatur. Literæ illæ inventæ ſunt inter *Gilpini* chartas, in hæc verba.

Cognate mi multùm colende, ego Eccleſiæ Chriſti commodum magis quam quietem tuam reſpiciens, quibus potui modis, onus hoc quod & tibi honori & Eccleſiæ Chriſti utile ſit futurum imponendum tibi curavi. Veriſſimum meum de te teſtimonium ita apud Reginam valuit, ut ipſa te jam ad Epiſcopatum Carliolenſem *nominaverit. Scio te propenſiorem eſſe ad vitæ privatæ tranquillitatem. Sed ſi ſtatum Eccleſiæ Anglicanæ animo æquiore reſpicias, non potes cum bona conſcientia officium hoc tibi impoſitum renuere. In eoque potiſſimum loco, in quo ad benè merendum de Eccleſia nemo te aptior invenitur. Quapropter omnibus excuſationibus poſitis, conteſtor te coram Deo, ſicut & Deo in hac re reſponſurus ſis, ne fugias patriæ tuæ opem ferre, & Eccleſiæ Dei ſervire quantumcunque poteris. Intelliges interea Epiſcopatum illum intactum tibi relinquendum, nihil enim abſcindetur ex eo (ſicut in aliis nonnullis fieri ſolet) ſed & integrum Epiſcopatum accipies, ſicut eum reliquit Doctor* Oglethorp. *Proinde exhortans obteſtanſque ut divinæ vocationi pareas, & vocationis tuæ officium non negligas, divinæ providentiæ teque & hoc negotium commendo. Raptim* Londini 4 Aprilis 1560. *Cognatus & frater tuus,* Edwinus Wigorn.

Gilpinus gratias egit reverendo Epiſcopo cognato ſuo. Sed de Epiſcopatu ſe excuſat, & propoſito ſuo pertinacius inhæſit. Multi reprehendendum putabant, quod tanta pertinacia rejeciſſet Epiſcopatum. At nonnullis fama *Gilpini* major videbatur ex eo creſcere quod Epiſcopatum renuiſſet, quàm ſi cepiſſet.

Memini audiviſſe me *Gilpinum* de hac re inter amicos differentem: quærebant ex eo quidem, quare Epiſcopatum tam pertinaciter rejecerit? Reſpondit ſe non Epiſcopatum ſed loci incommodum vitare voluiſſe. Si Epiſcopatus alio loco ei deſignaretur, dicebat ſe non recuſaturum, ſed in illa provincia ſe moleſtias vitare voluiſſe, ubi frequentes erant amici ejus & conſanguinei, quibus vel multa erant concedenda non ſine offenſione ſui, vel multa neganda non ſine offenſione ipſorum: quas difficultates facilè vitabat vitando Epiſcopatum. *Johannes Beſtius* vir doctus & pius eligitur Epiſcopus. Sed num iiſdem conditionibus tenuiſſet quibus *Gilpino* oblatus fuerat, nempe ut nihil ex eo decederet, neſcio. Non multo poſtquam ſubduxerat ſe ab onere Epiſcopali, alia poſtulatione pulſabatur, ut Reginenſis Collegii præpoſituram in *Oxonio* delatam ad ſe ſuſciperet, vel ſaltem alium nominare vellet, virum bonum & idoneum. Scripſit ad eum *Thomas Francis* literas in hanc ſententiam ſalute præmiſſa, Quandoquidem in animo mihi ſit, ut locum hunc relinquam, quem jam in Reginen Collegio retineo *Oxonii*, illud in votis habens

habens ut vir honeſtus, doctus, pius, quique ex Collegii ſtatutis idoneus ſit, ad hoc officium promoveatur: viſum eſt iterum tibi præpoſituram hanc offerre. Quam ſi tibi placuerit acceptare, libenter ex literis tuis hac de re ſcriptis ſocios commonefaciam, quos in te optimè animatos novi. Quod ſi non tibi placeat tanta inquietudo in tantula portione, (ſic enim verè appellare poſſum hoc onus,) conſilium amice rogo, & judicium, ut indices in quem tansferre poſſim hoc officium, quem & idoneum, talemque qui eligi poſſet ac debeat noveris. Ego conſilio tuo obſequar quam primum mentem tuam cognovero ex literis tuis, quas ad me feſtinas cures tranſmittendas. Raptim *Oxonii*, 17. *Decembris*. 1561.

Quid ad hæc reſponderit *Gilpinus*, non invenio: Sed conſtat ipſum oblatum honorem repudiaſſe. Ad omnes amicorum petitiones infractus & inflexus manebat. Sicut de Rege Latino Poëta dixit.

Ille velut pelagi rupes immota reſiſtit.

Gilpinus interim Epiſcopi munus videbatur implere docendo, pauperum curam agendo, neceſſitatibus aliarum Eccleſiarum providendo, Scholas inſtituendo, literatos & idoneos viros Eccleſiæ miniſterio præparando. Domus *Gilpini* erat tanquam monaſterium, ſi quis monaſterium conſideret, ſicut erant illa S. *Auguſtini* tempore, non autem qualia recentiora ſæcula protulerunt.

Gulielmus Cæcilius Baro de Burghly, primarius Reginæ ſecretarius miſſus in *Scotiam* de regni negotiis cum reverteretur fama *Gilpini* allectus *Houghtonam* venit, *Gilpinum* ſalutavit. *Gilpinus* illum cum obſervantia & menſæ hoſpitalis officio recepit. Poſtquam *Cæcilius Gilpinum* obſervaſſet, expertus humanitatem viri ſingularem, & in tanto hoſpite tam inexſpectato excipiendo, tantam diligentiam, tantam rerum omnium copiam & urbanitatem: jam diſceſſurus dixit, multa ſe de *Gilpini* fama audiviſſe, at quod vidiſſet, expertuſque ſit, multò magis eſſe quàm quod prius audiverat. Itaque *Gilpinum* familiarius alloquutus: Si quid, inquit, negotii habiturus ſis, vel in Aula, vel apud regios conſiliarios, utere me ſollicitatore tuo. Clariſſimus *Baro* reverſus *Dunelmum*, quum pervenerat ad montem qui dicitur *Rainton Hill*, retro reſpiciens planiciem omnem quam reliquerat, & *Gilpini* ædes, & ſitum loci accuratè proſpexit. Non, inquit, reprehendo hunc hominem quod Epiſcopatum recuſarit. Quid enim huic deeſt, quod Epiſcopatus conferre poterat? & à majore curarum mole liberatur. Non negligebat *Gilpinus Riddeſdalenſes & Tindalenſes* quotannis inviſere. Apud quos habebatur Propheta, eumque in maxima veneratione habebant homines ſemibarbari. Accidit fortè dum *Gilpinus* concionaretur apud eos, ut latro clam *Gilpini* equos abſtulerit: quod poſtquam reſcitum fuerat, mittitur clamor per omnem viciniam, *Gilpini* equos furto ablatos eſſe, omnique diligentia quærendos eſſe. Ille qui abſtulerat cum primum audiverat equos illos fuiſſe *Gilpini*, (nam cujus illi fuerant neſciebat:) in magno tremore fuit. De furto non erat adeò ſollicitus, ſed *Gilpini* nomen auditum eum in horrorem & tremorem conjecit. Itaque trepidus cum magna feſtinatione equos reſtituit, & patris *Gilpini* veniam, & benedictionem poſtulavit: & profeſſus eſt, poſtquam reſciverat *Gilpini* jumenta eſſe quæ ipſe abegerat, vereri ſe ne vivus ad inferos detruderetur,

deretur, ſiquam illi injuriam intuliſſet. Dum aliquando in illis locis eſſet *Gilpinus Rothburiæ*, factio erat peſtifera inter aliquot eorum qui ad Eccleſiam illam convenire ſolebant. Sanguinarii homines ultionem ſanguinariam exercebant, quam vocabant *deadly feod*. Si altera factio ad Eccleſiam fortè accederet, altera abſtinuit: quia ſimul convenire non ſolebant ſine ſanguine fuſo. Dum autem *Gilpinus* eſſet in concione in illa Eccleſia, utraque factio acceſſit *Gilpino* præſente: una per ſuperiorem partem ſupra cancellos Eccleſiæ, altera per mediam Eccleſiam, utraque pars armata ſtabat cum gladiis & haſtis in manibus ſuis: *Gilpinus* inſolita rerum facie nonnihil turbatus in concione progreditur: fit iterum armorum ſonitus, & una factio propius alteri accedit; periculum erat ne in media Eccleſia concurrerent. *Gilpinus* deſcendit de ſuggeſtu: Ad utriuſque factionis primarios accedit, & primo tumultum ſedavit. Deinde pacem inter eos ſtabilire laborat, ſed non obtinuit propoſitum, pacem quidem integram ſervare polliciti ſunt, quamdiu *Gilpinus* eſſet in Eccleſia. *Gilpinus* quum odium inveteratum inter eos extinguere penitus non poterat, rogabat ut pacem inter ſe haberent quamdiu in illis regionibus ipſe fuiſſet. Id conceſſum erat: *Gilpinus* in ſuggeſtum conſcendit iterum, non enim concionis finem facerat, reliquum quod habuit temporis conſumpſit in barbaro illo & ſanguinario more explodendo, & ſi fieri poſſit exterminando. Quoties *Gilpinus* ad illas regiones adventaret, ſiquis ſanguinarium inimicum metuiſſet, ſolebat ſe ad *Gilpini* comitatum conferre: in ejus comitatu ſe magis in tuto futurum proſpiciebat, quàm ſi armata manu incederet. Quodam die Dominico *Gilpinus* ad Eccleſiam in illis locis accedens antequam populus ad preces coiret, ambulans in templo videbat altius pendentem chirothecam. Ab ædituo quærit, quid rei hoc eſſet, & quare ſuſpenſum in illo loco? Reſpondit ædituus fuiſſe chirothecam parochiani cujuſdam qui in adverſarii ſui contemptum ſuſpenderat ſignum illud, ſignificans ſe duello pugnaturum cum adverſario, aut cum alio quocunque qui ſignum illud tollere auderet. *Gilpinus* rogabat hominem ut aliqua arte ſignum illud tolleret. Non ego, inquit ille, illud efficere audeo. At inquit *Gilpinus*, ſi mihi haſtam attuleris, ipſe tollam: haſta igitur porrecta, *Gilpinus* chirothecam ſuſtulit, & in ſinu repoſuit. Populus poſtea ad Eccleſiam confluebat, & *Gilpinus* ad ſtatutum tempus ſuggeſtum aſcendit: Inter concionandum opportunitatem arripuit corripiendi barbaras illas provocationes: exprobrabat ipſis morem illum quo ſolebant ex chirotheca ſuſpenſa duella ſuſcitare. Audio, inquit, quendam è vobis, etiam in hoc ſacro loco chirothecam ſuſpendiſſe, & duellum minitari ei qui tolleret. Ecce ego ſuſtuli. Tum chirothecam produxit, & palam oſtentabat: Deinde docuit quantum à Chriſtiano tàm barbari mores abhorrerent: & ad pacem & mutuam inter ſe charitatem exercendam animos eorum commovere certabat. Poſt concionem ſolebat nummos diſtribuere in pauperiores: ſæpius etiam ſolebat viſitare incluſos in carcere, & poſtquam in carcere habuiſſet concionem ad incarceratos, nummos eis largiùs conceſſit: Multoſque ex iis ad vitæ anteactæ pœnitudinem, & ad honeſtos mores reduxit. Multis qui more plectendi erant, veniam vitamque impetravit.

Nobis pueris rebellio à Comitibus *Northumbriæ & Weſtmorlandiæ* excitata fuit:

fuit: quam futuram ex quibuſdam indiciis præſenſit *Gilpinus*. Et quia intelligebat in tam turbida tempeſtate poteſtatem ſibi defuturam ſe ſuaque defendendi ſecedere ad tempus cogitavit. Itaque oratione habita ad pueros in ſchola & ad ludimagiſtros, ut donec ipſe redierit ſtudioſè & pacificè ſe gererent, ipſe *Oxonium* petit. Commoratus ibi donec regius exercitus Duce Comite *Suſſexiæ*, ad rebelles profligandos *Dunelmum* properaret. Rebelles *Dunelmum* tenebant: Sed ad Regiarum copiarum famam diſſipati ſunt: fugatis illis acerbè & crudeliter ſævitum eſt in ſimpliciores homines quos rebelles ad ſuas partes traxerant ſub prætextu obedientiæ Reginæ præſtandæ: Nam ſollicitabantur ſimplices homines ut officium ſuum Reginæ præſtarent. Rebelles paſſim Reginæ nomen autoritatemque jactabant. Dum Rebelles *Dunelmum* cum exercitu tenerent, & Miſſa quotidie in Eccleſia Cathedrali haberetur, nonnulli ex iis *Houghtonam* advolarunt. Invenerunt *Gilpini* horrea frugibus repleta, juvencos ſaginatos, multaque ad hoſpitalitatem parata. At illi omnia diſſipant, fruges vendunt, altilia conſumunt: eaque omnia quæ *Gilpinus* in pios & honeſtos uſus paraverat, improbè deſtruunt. Erant inter eos unus quem patibulo deſtinatum *Gilpinus* ſervaverat. Is erat omnium improbiſſimus in *Gilpini* bonis diſſipandis. Effugatis rebellibus, & queſtione acerbiùs nec ſine avaritiæ infamia inſtituta in homines ſimplices à *Georgio Bowes* Equite, ad id negotium martiali conſtituto, *Gilpinus* qui jam domum redierat, multis interceſſione ſua vitam impetravit: intellexit enim multos homines non dolo malo, ſed per ignorantiam ſuam, & aliorum fraudem, velut in laqueos fuiſſe conjectos: Omnibus turbis jam compoſitis, *Gilpinus* ad conſueta ſtudiorum & charitatis officia redit.

Erat inter doctiſſimum & reuerendum Epiſcopum *Dunelmenſem*, *Jacobum Pilkintonum*, & *Gilpinum* ex conſuetudine & morum ſimilitudine amicitia non vulgaris. Epiſcopus *Gilpinum* domi ſuæ frequenter convenire ſolebat. Epiſcopus etiam *Gilpini* exemplo excitatus Scholam *Lancaſtriæ* inſtituit, & ſtatuta Scholæ *Gilpino* verſanda & examinanda exhibuit. Magna etiam familiaritate & benevolentia amplectabatur *Thomam Leverium* virum pium & doctum *Sherbornenſis* hoſpitii magiſtrum.

Prodiit in lucem liber *Thomæ Cartwright* de diſciplina Eccleſiaſtica: qui liber à multis tum temporis avide ſuſcipiebatur. Unum ex libris illis *Gilpino* legendum miſit *Gulielmus Birch*, Canonicus *Dunelmenſis*, vir doctus, ſed qui ad illam diſciplinæ formam quam *Cartwrightus* deſcripſerat properantiùs ferebatur. Rogat *Gilpinum* ut librum perlegat, & de eo libro judicium ſuum non gravetur perſcribere. *Birchius* videbatur feſtinantius agere: Nam exiguo temporis interjecto, literas iterum miſit ad *Gilpinum*, quibus rogavit ut librum cum judicio ſuo tranſmittat, antequam *Gilpinus* totum perlegiſſet. *Gilpinus* librum quidem remiſit cum literis ad *Birchium*. Atque ſicut erat amæno ingenio ad carmina etiam componenda, literis illis carmina quædam adjecit. Sunt verò carmina quæ ſequuntur.

Multa

Multa quidem legi, ſed plura legenda reliqui :
Poſthac quum dabitur copia, cuncta legam.
Optant ut careat maculis Eccleſia cunctis :
Præſens vita negat, vita futura dabit.

Acceſſit ad eum poſteà *Cantabrigienſis* quidam, qui vir doctus videbatur : Is multis egit cum *Gilpino* de diſciplina & reformatione Eccleſiæ. *Gilpinus* dicebat ſe non poſſe probare ut humanum inventum loco divini inſtituti in Eccleſia locum haberet. Num ergo putas, inquit ille, hanc diſciplinæ formam eſſe humanum inventum? Omnino ſic exiſtimo, inquit *Gilpinus :* Et qui antiquorum patrum ſcripta diligentiùs verſaverit, idem mecum exiſtimabit. Suſpecta eſt mihi diſciplinæ forma illa quæ in nulla antiqua Eccleſia ſuſcepta videtur. At inquit ille, recentiores multa vident quæ antiqui illi patres non viderunt : & multorum ingeniis & laboribus inſtructior Eccleſia præſens videtur. *Gilpinus* commotior videbatur, ego inquit, recentiorum virtutes non puto comparandas eſſe Patrum infirmitatibus. Dicebat alter ſe putare *Gilpinum* in eo errare. *Gilpinus* verba illa conſulto habuit quia intelligebat eum de virtutibus neſcio quibus jactare, quam jactantiam *Gilpinus* reprimere voluit.

Georgius Gilpinus qui librum *Philippi Marnixii Aldigundiæ* Comitis *Alueariium Romanæ* Eccleſiæ ex *Belgico* in Anglicum ſermonem elegantiſſimè tranſtulerat, venit è *Belgio* ad *Bernardum*. Is erat *Bernardi* frater : fuit Reginæ Agens apud *Belgas*, & apud *Belgas* propter ſingularem prudentiam celebrem ſui memoriam reliquit. Hic ubi aliquod temporis cum fratre *Bernardo* jucundiſſimè vixerat. Reverſurus in *Belgium* Reginam, & conciliarios regni convenerat de rebus quas Reginæ nomine apud *Belgas* eſſet acturus. *Leiceſtrius & Bedfordius* Comites utroſque fratres, *Georgium* propter prudentiam in rebus agendis, *Bernardum* propter vitæ ſanctimoniam magno favore amplectebantur. Iſti rogabant *Georgium*, ut perſuaderet *Bernardo* fratri converſionis ſuæ a Romana ſuperſtitione ad Evangelicam lucem rationem modumque ſcripto exponeret. Cui poſtulationi reſpondit *Gilpinus* apertè & candidè ſine omni fuco. Ego literas illas ex Anglico ſermone, in quo ſcripſit in Latinum, qua poſſim fide tranſlatas exhibeo.

Exemplum.

LITERÆ *BERNARDI GILPINI* ad *GEORGIUM* Fratrem, Anno Domini: 1575.

ROgas frater ut fusiori scripto modum tibi conversionis meæ à superstitione ad lucem Evangelii referam: Quod tibi non ignotum esse credo, non fuisse paucorum annorum opus: veruntamen sicut per tempus & valetudinem licet, nihil celabo. Confitebor opprobrium meum in confusionem diaboli: Dicam cum Apostolo, 1 *Tim.* 1. 13. *Misericordiam consequutus sum, ignorans feci.* Temporibus Regis *Edwardi* protractus eram ad disputandum contra quasdam assertiones *P. Martyris.* Quamvis ex naturali propensione semper (quantum potui) controversias & disputationes vitaverim. Quumque junior Theologus essem, & in illa disputatione reperissem fundamentum, cui innitebar non tàm solidùm quàm ipse prius putârim: proinde sacras literas & patrum scripta cœpi accuratiùs evolvere, ut meipsum in receptis opinionibus confirmarem. Sed Deus animum meum ab illo præjudicio paulatim liberavit: & quotidiè fervor ille quem habui ad Papismum deferveſcere cæpit. Contra autem sensi igniculos qui me ad veritatem investigandam adegerunt. Interim contuli me ad Episcopum *Dunelmensem* ut amplius discerem: Qui in Transubstantiationis negotio dicebat mihi *Innocentium* tertium inconsultiùs egisse, quod illum articulum fidei fecisset. Papæ etiam culpam magnam profitebatur, quod de indulgentiis, aliisque rebus non rectiùs consuluisset Ecclesiæ. Postea doctorem *Redmannum* conveni, in quo propter insignes virtutes, & eruditionem magnam spem reposui. Ille mihi affirmabat librum de publicis precibus pium fuisse atque Evangelio consonum. Hæc me in multas meditationes conjecerunt. Deinde unus ex sociis *Reginensis Collegii Oxonii* narrabat mihi se audivisse Doctorem *Chedsey* inter amicos dicentem, oportere ut Protestantes cedant nobis realem Christi præsentiam in sacramento, nos itidem ut illis cedamus in Transubstantiationis sententia atque ita conveniemus. Doctor *Weston* prolixam orationem habuit de Cœna Domini sub utraque specie administranda. Magister *Morgan* narravit mihi, Doctorem *Ware* virum & vita, & eruditione clarissimum, affirmasse sibi quod præcipuum sacrificium Ecclesiæ Dei, fuisset sacrificium gratiarum actionis. Hæc erat ejus responsio quum quæsissem quid pro sacrificio Missæ dici poterat. Eruditissimi

in

in hoc regno Episcopi eo tempore primatum Papæ, & verbo & scriptis refutarunt. Magister *Harding* nuper ex *Italia* domum reversus prolixa & celebri concione tam clarè expositit, & coloribus suis depinxerat fraterculos, & Episcopos indoctos, qui in *Tridentino* Concilio in viridibus togis convenerant, ut in me plurimisque aliis plurimum imminuerit de opinione, & fiducia quam in generalibus Conciliis habueramus. Hæc & multa alia occasionem mihi præbuerunt, ut scripturas & antiquorum scripta investigarem: unde plurimos & maximos abusus, & aliquot enormitates usitatas, & defensitatas in Papatu animadvertere cæperam, & reformationes ex altera parte necessarias judicare. Dum hoc modo progrederer amicorum quorundam suasionibus adductus, sacerdotium suscepi. Ad quod invitus trahebar: Si Deum offenderim, curam suscipiendo ante quam doctior, & in religione confirmatior essem, veniam à Deo peto. Nec dubito quin in ejus conspectu misericordiam consequutus sim. Antequam sacerdotium illud intrassem, concionem habui coram Rege *Edwardo Grenwichi*: Concio illa bonorum virorum approbationem habuit. Dominus Thesaurarius, tunc secretarius, obtinuit mihi licentiam Regiam per regnum prædicandi, quamdiu Rex *Edwardus* regnaverat, quod tempus deinceps non multum superavit spatium dimidii anni. In concionibus ea tractabam in quibus optimè confirmatus eram, & in quibus Scripturas certas haberem: Missam examinavi: Abusus quantum observare tunc potui, erant in nimia reverentia, & crassiore populi cultu: quia Transubstantationem non credidi. Veruntamen tandem aliquando Missas dixi, paucas aliquot & clanculum. Tum continuo trans mare missus fui, ut Domini Episcopi *Tunstalli* librum de Eucharistia imprimendum curarem, cum aliis duobus aut tribus libris ut nosti, *Antuerpiæ*: ubi per trium annorum spatium *Lutetiæ*, *Antuerpiæ*, *Lovanii*, nonnullisque aliis in locis crassam idolatriam conspexi. Ea res me à Pontificia religione magis ac magis abduxit: maximè quod viri qui eruditione præstabant inter Pontificios in Scholis cultum imaginum tollerent, in Ecclesiis intolerando abusu permitterent. Hic dum sacras Scripturas, & patrum scripta avidiùs consulerem, multa observavi quæ meum animum à Pontificia Ecclesia abduxêrunt. Animadverti in illa Ecclesia sacræ doctrinæ corruptelas insignes; in sacramentis multa contra Scripturas instituta. Quædam sacramenta nuper addita: In sacramento Cænæ alteram speciem ablatam: Transubstantiationis figmentum inductum, Traditiones Ecclesiæ verbo Dei, & sacris Scripturis adæquari, pari pietatis affectu suscipiendas. Cultum imaginum in Ecclesiam invectum, in Ecclesia omnia coram populo ignota lingua peragi: maximè me exercuit quæstio de Antichristo: quia non tutum videbatur discedere ab Ecclesia Pontificia, nisi prius in animo meo illud hæreret, Papam esse Antichristum: quantis hic conflictationibus exercebar non facilè dicere possum. Posthac domum revocatus Rectoriam de *Esington* ab Episcopi collatione suscepi: ubi quum in concionando sedulus esse studuerim, subitò mihi magnos gravesque adversarios excitatos sensi: contra pluralitates, & non residentiam prædicaveram. Clamabant adversarii mei, omnes qui doctrinam illam attulissent, citò hæreticos evasuros. Aliis vehementer displicuit quod prædicarem resipiscentiam & salutem per Christum. Id mihi objiciebant, quod non (sicut

tunc fieri mos erat) integras conciones haberem de Tranſubſtantiatione, Purgatorio, aqua benedicta, cultu Imaginum, invocatione Sanctorum, & ſimilibus, quæ ex me nunquam audire poterant. Quanto acriùs populus prædicationem meam ſuſceperat, tanto acriùs in offenſionem & odium incidi: parva res periculum mihi creavit. Honeſta quædam materfamilias quum in puerperii doloribus Deum ſæpiùs invocaret, à reliquis matronis graviter fuit reprehenſa, quod non beatam virginem invocaſſet. Reſpondit illa: audivi clarum quendam concionatorem *Gilpinum* nuper è *Gallia* reverſum: Si ille admoneat me ut ſanctas invocem, conſilium de ea re capiam: dixi me ad invocationem Sanctorum non audere quenquam hortari, eos verò qui Dei ſolius opem in periculis ſuis implorant ad ſolidam conſcientiæ ſuæ conſolationem, niti mandato divino, & habere firmam promiſſionem. Hæc res multos mihi inimicos excitavit: Interim cum viris doctis mihi conſuetudine conjunctis ſæpius contuli. Qua ſivi quare nulla eſſet reformatio tot abuſuum circa imagines, reliquias, peregrinationes, venundationes Miſſarum, & Trentalium, cum multis aliis erroribus, quos tempore Regis *Edwardi* Pontificii non ſolùm ſuperſtitioſas fuiſſe conceſſerant, ſed & reformationem polliciti ſunt, Eccleſiamque purgandam fatebantur: quos eos libenter facturos dixêrunt, ſi unquam autoritas ad ipſos rediiſſet? Cum interrogâſſem ubi potiſſimùm reformatio hæc eſſet inceptura, cujus rei expectatione libentiùs *Pariſiis* redierim: reſponſum mihi fuit non eſſe quicquam concedendum populo ignaro. Si fateamur errores aliquos, illi ſtatim clamabunt, alia etiam multa non minus eſſe reformanda, quam quæ conceſſerimus: atque ita ulteriùs ſemper progredientur, ut nunquam à reformando deſiſtant. Hæc me graviter vulnerarunt, & ad conſcientiæ pacem quærendam adegerunt, Poſthæc duabus aut tribus concionibus *Novi-Caſtri* habitis, cæpi conſcientiam meam magis perſpicuè aperire: ubi contra me duodecim aut tridecim articuli collecti fuerunt, & ad Epiſcopum miſſi. Hic adverſarii mei ex clero, quos graviter offenderam, obtinuerunt tandem quod diu expectârant. Non deſtiterunt donec me Epiſcopus coram ipſis vocâſſet, ut me in ſacramenti materia examinaret. Epiſcopus mihi gratiam, quantam credo auſus fuerat, præſtitit. In Tranſubſtantiatione mihi moleſtus eſſe noluit: tantum quærebat de reali præſentia. Quod quum ego conceſſerim, liberatus ex eo periculo fui. De reali præſentia non videbar mihi certus & confirmatus. Myſterium ibi latere arbitrabar ſupra ingenii mei captum: veruntamen conſcientia mea me ſubinde ſollicitabat, quod coram illis diſertis verbis illud conceſſerim, quod mihi videbatur dubium. Sed ſperabam Deum ignorantiam meam condonaturum, & in tempore majorem mihi cognitionis lucem daturum. Hieme proxima moritur Regina *Maria*: Tunc plenius mentem meam aperire cæperam. Anteà enim (nam neceſſariò mihi verum confitendum eſt) imbecillitas, ignorantia, & terrores adverſariorum me retinuerunt. Circa Paſcha accuſatus fui coram Epiſcopo de multis articulis, & ex *Eboraco*, & ex *Dunelmo*, quæ tamen omnia mihi ulterius non nocuerunt, quàm quod Epiſcopus adverſariorum quærimoniis adactus, me ex teſtamento ſuo expungeret, & quod vulgares homines & populus offenderetur: quòd diſpoſitionem bonorum Epiſcopi amiſerim, magno me onere levatum libenter intelligebam. Quod autem

tem ad populi favorem ſpectat, quo magis ad ædificationem prædicatio mea proficere poſſet, (alias enim favorem popularem nunquam deſideravi:) ſperabam in tempore per Dei bonitatem illum recuperare. In Autumno venerunt viſitatores: Doctor *Sandes Auklandiam* me accerſivit, & conſtituit mihi locum, & tempus concionandi contra Primatum, *Dunelmi*. At ipſe pridiè concionem habens, dum penitus ut videbatur tolleret realem præſentiam, teneram conſcientiam meam adeò vulneraverat, quod ſequenti nocte dormire non potuerim: & mentem meam multa in dubium traxerunt, an proximo die concionem habiturus fuerim. Tandem profectus ſum ferè à lecto in ſuggeſtum, ubi ſive illud fuerat per conſcientiæ inquietudinem, ſive per ſomni inopiam, ſive quod Deum offenderam quod inquieta conſcientia conſcenderim, neſcio: ſed nunquam mihi magis defuit elocutio: & tamen videbar mihi materiam ſatis luculentam congeſſiſſe, graveſque rationes. Sequente die omnes in Dioceſi Presbyteri conveniunt ut ſubſcriberent. In uno aut altero articulorum puncto conſcientia mea non videbatur mihi tam plenè informata quàm ipſe optaverim. Itaque feceſſi paulum, ſperans futurum ut non vocarer. Quum vero Curatus meus ad librum acceſſerat, quem ex ſermone prius cum ipſo habito, putavi nunquam hæſitaturum. Ille quaſi invitus ad ſubſcribendum ſubtraxit ſe: id effecit ut ego vocarer: liber mihi erat oblatus: ubi protinus ſic mecum cogitabam, conſolatio mihi maxima repoſita eſt in hâc religione, quia gloriam Deo, authoritatem verbo Dei exhibet ad ſuperſtitionis & doctrinarum humanarum extirpationem. Tantum hærebat mihi animus in quibuſdam minutis, quæ Deus mihi ut ſpero in tempore revelabit. Si recuſavero, multis aliis autor ero recuſandi, ac proinde curſum verbi Dei impediendi. Itaque ſubſcripſi, & nocte ſequente Doctori *Sandes* proteſtationem miſi de duobus illis punctis, quæ me moverant. Ille non offenſus, proteſtationem meam cum humanitate recepit: ſubſcripſit etiam Curatus meus, & die proximo in morbum incidit. Dum vero ego una cum viſitatoribus *Kendaliam Lancaſtriamque* proficiſcerer, ille mortuus eſt ante reditum meum, ex ægritudine unius ferè ſeptimanæ: Quidam putârunt animum ejus ſubſcriptione fuiſſe perculſum: Alii dixerunt infirmitatem illi ex nimia potatione, quam fortè intemperantius ſumpſerat, proveniſſe. Deus noverat quæ fuerat mortis ejus cauſa: temporis progreſſu ut mihi videbar fortior & confirmatior evaſi: veruntamen quod verum eſt fatebor, multas, graveſque tentationes habui, quæ per multas noctes mihi ſomnum eripuerunt, meque ſemi-vigilantem, ſemi-dormientem, in talia adegerunt ſomnia, qualia paucos habuiſſe credo. Natura mea controverſias ſemper fugit. Delectatio mea deſideriumque in eo conſtitit, ut Chriſtum ſimpliciter, & ſincerè prædicarem, & ſalutem per Chriſtum, ut meipſum in ſuaviſſimis promiſſionibus ſacræ Scripturæ ſolarer, & in precibus ad Deum fundendis. Inſatiabilis illa, & nullis aut temperantiæ, aut moderationis metis cohibita avaritia cum ſuperbia & carnis libertate, aliiſque ejuſdem cognationis vitiis conjuncta, quæ inter omnes ordines regnant, maximè verò in nobis Presbyteris ac miniſtris, qui *ſal terræ* ut dicimur eſſe debemus, ſæpè mihi ſomnos excuſſerunt. Sed rediens, in Deo quieſcebam: quantò magis hominum iniquitas abundat, tanto glorioſior apparebit Deus purgando, ſanctificando, & ſervando populum

lum electum in medio generationis pravæ. Anxius semper fui sive in subscriptionibus, sive in juramentis ne laqueis tenerer: Illud satis esse videtur, & satis esse debet Ecclesiæ præfectis, ut omnes in Scripturis, & articulis fidei quiescant; in aliis sicut Scripturis consona sunt: quia sacra Scriptura locum, & authoritatem eminentem habere debet, supra omnia omnium hominum scripta. Memini quando ad ordines suscipiendos proficiscerer ad Episcopum *Oxoniensem*, Capellanum Episcopi juramentum nobis ministrâsse, ut probaremus ordinationes editas, & posteà edendas. De quo juramento, quum altius meditaremur, quid esset nos obligare ordinationibus futuris, de quibus nihil potuimus intelligere: hæc non me solum anxium reddiderunt, sed novem decemve alios, qui mecum juraverant, homines multo me doctiores turbarunt. Ego quod me attinet metum statuebam, nullis scriptis juramentum præstare nisi cum exceptione quatenus sunt verbo Dei consona. Quam mihi mentem anxiam fecerit, quod juramentum exigeretur in rebus dubiis, alio scripto aperui propter conscientiæ tranquillitatem. Atque hoc verè affirmare possum, postquam hanc viam ingressus fuerim, ut infirmitates meas scripto aperirem, non metuens si quis eas noverit, modo vel in meam vel aliorum profectum cederet, multimodam inveni pacem & conscientiæ tranquillitatem; & quotidiè magis ædificor & confirmor Scripturas legendo. Et in hac re Deum laudo, quod quando maximè anxius & infirmus videbar, fides mea in Dei misericordiis tam firma, ut credo, fuerit, ut si vel eo ipso momento morerer, fiduciam tamen habui & habeo, quod anxietates illæ salutem meam non impedirent. Teneo *Pauli* sententiam illam, *misericordiam consecutus sum, ignorans feci*: & aliam *Jobi*, *si me dominus occidat, in eum sperabo*. Sæpissime tamen misericordiam Domini imploravi pro istis offensionibus, infirmitatibus, ignorantiis, aliisque omnibus, idque perpetuò faciam quamdiu in hoc mundo vixero. Nobis omnibus misericors sit Deus.

Hactenus *Gilpinus*, vides Lector *Gilpini* sinceritatem: Nihil de suis virtutibus loquitur, sed de infirmitatibus suis agnoscendis, & enumerandis totus est. Nasutuli fortè ridebunt hominis simplicitatem: Ego Apostolicum Spiritum suspicio, qui beati *Pauli* exemplo de se gloriari non audet, sed in infirmitatibus suis gloriatur, ut in ipso habitet Christus: veruntamen utcunque ille totus sit in prædicandis infirmitatibus suis, virtutesque suas studio suppresserit: illud tamen constat, bis eum fuisse accusatum temporibus *Marianis* ab inimicis apud *Tunstallum* Episcopum.

Tunstallus Episcopus qui à sanguine fundendo abhorrebat contra varias adversariorum accusationes præsidium dulce *Gilpino* fuit. Tandem accusatus est apud *Bonnerum Londinensem* Episcopum. Is nuntium paratum esse jubet, qui *Gilpinum* apprehendat. *Gilpinus* periculum imminens vidit, (audierat enim nuntium expeditum qui ipsum comprehendat) præsidium illud quod prius in *Tunstalli* clementia expertus erat, jam sublatum sentiens, sanctam animam Martyrio parabat, mandat *Gulielmo Airo* domus dispensatori, ut tunicam ei oblongam paret, quo honestius ad palum procederet. Sed inexpectata Reginæ *Mariæ* mors ab eo periculo hominem liberavit. Post editum Concilium *Tridentinum*, quum sermo fortè inter *Gilpinum* & *Thomam Leverium* incidisset, de Concilio illo, quæsiviissetque *Leverius* quid de Concilio illo sensisset

ſenſiſſet *Gilpinus*. Patres inquit *Tridentini* peſſimè conſuluerunt Eccleſiæ. Nam quod ante liberum fuerat, jam non liberum relinquunt. Memini *Tunſtallum* Epiſcopum ſæpiùs narraſſe *Innocentium* tertium inconſultius feciſſe, quod tranſubſtantiationis opinionem articulum fidei feciſſet. Quum anteà liberum fuiſſet vel ſic vel aliter ſentire. Epiſcopus dicebat ſe non dubitare quin ſi ipſe tum temporis adeſſet in concilio, potuiſſe Romano Pontifici perſuadere ut ab eo negotio deſiſteret. Quod ille de Tranſubſtantiatione judicavit, idem judicium eſſe poteſt de univerſo Papiſmo poſt editum Concilium *Tridentinum*. Nam quod anteà liberum fuit, jam non liberum relinquunt. Itaque patrum noſtrorum quamvis multa ignorantia oppreſſorum tempora fæliciora fuiſſe puto, quam ſæcula inſequentia eſſe poſſunt apud Pontificios. Quia jam Concilio *Tridentino* multa veteris Eccleſiæ inſtituta mutarunt: Nam quod regulæ fidei partem in Traditionibus poſuerint, id in Eccleſia ante factum nunquam fuit. Multa in articulis de juſtificatione, de Sacramentis quæ prius in Eccleſia doceri permittebantur, jam non permittuntur. Ex his *Tridentini* Patres aliis Eccleſiis neceſſitatem ſeperandi ſe ab Eccleſia Romana imponunt: in quo mihi non benè ab illis conſultum videtur. Nam Eccleſia in diſſidia & partes diſtrahitur: & quod prius in dubiis liberum fuit, id omne *Tridentini* Patres ſuſtulerunt; & partem duriorem ſibi ſumpſerunt.

Ex Pontificiis erant nonnulli qui quum *Gilpinum* à Pontificia religione quam in juventutis ignorantia primum coluerat, jam averſum intelligerent: multa movebant ut ſi fieri poſſet, revocarent. Inter eos erat quidam claræ familiæ *Thomas Gelthrop Gilpini* cognatus: Hic ad *Gilpinum* literas miſit, in quibus eum admonuit de religione avita retinenda. In iis literis hæc inter alia *Gelthropus* inſeruit: fama tua magna eſt, & *Londini*, & in omnibus locis. Ego in iſta ſum opinione, te his temporibus vel magnum bonum præſtiturum ſi Eccleſiæ adhæreas, vel quod Deus avertat majus malum in Eccleſia excitabis, quàm *Arrius* excitaverat. Quòd peccatum abundet, non eſt Miſſa, non ſunt matutinæ in cauſa, ſed pernicioſa doctrina, vitaque impura & cleri & aliorum. Jam communionem reformarunt, & librum reformatæ liturgiæ ediderunt. Sed hæc reformatio malum non ſuſtulit, quia videmus populum multò quam prius in peius ruere. Hæc reperi inter *Gilpini* chartulas, plura expiſcari non potui, adeo erant improbè corroſa plurima. Ad has litteras reperta eſt integra reſponſio *Gilpini*. Literæ inſcriptionem habent: Cognato ſuo *Thomæ Gelthrop*: & ſic ſe habent.

GRatiam & pacem. Longiores tuæ literæ allatæ mihi ſunt, quum parum otii haberem ad reſpondendum, ſicuti is affirmare poteſt, qui has ad te reportat. Curandum tamen putabam ne ad te rediret ſine reſponſo: quanquam concluſio literarum tuarum ſcribendi parum ſolatii mihi tulit. Quis enim ſcribendi laborem ſuſcipiet, quum certum apud te firmatumque ſit, ſicut affirmas, nullis argumentis à ſuſcepta opinione abiturum. Non potuit non moleſtiſſimum eſſe Prophetæ *Jeremiæ*, quum ille clamaret ad populum; *audite verbum Domini:* ut illi interim cum dura cervice reſponderent: *non audiemus*. Sed permittamus hæc divinæ operationi, quæ cor tuuum mollire poteſt, & aures aperire *ſurdi ſerpentis obturantis aures ſuas, &c.* Sæculum ante-

anteactum respicis benè illud si etiam ad sæcula Patriarcharum, Prophetarum, Christi, Apostolorum, aliorumque Sanctorum respicias: quos si sine præjudico occæcatæ affectionis consulas, abducent te procul à cæcitate, ab errore, merito dixerim à profunda idololatria quæ repserat in Ecclesiam dum dormirent homines. Quod te Monasteriorum ruina moveat, doleo te in hoc re cæcutire. Plurimi enim religionis vestræ lassi sunt illa diutius stare non potuisse, quia clamor eorum ut *Sodomorum* venit ad aures Dei. *Sodomitica* illa vitia manifestiora erant, quam ut celari possent, non potuit istos diutius ferre Deus. Quod si ad animum tuum revoces, quam inimici fuerint isti verbi Dei ministerio, sacrilegio suo tollentes alimoniam ministris verbi constitutam, in plurimis regionibus vix unam Rectoriam non exspoliatam relinquentes, facilè estimares istos diu stare ac florere non potuisse: fructus doctrinæ *Lutheri*, totiusque verbi Dei verè annuntiati, hic est: ut Deus spiritu oris sui interficiat impium. Quod dicis accedentem ad Deum oportet credere, utinam illud recte considerares, fidem & religionem nunquam posse pacem ac requiem invenire, nisi in sacro Dei verbo. Fides ex auditu, auditus per verbum Dei. Ita fit ut si quis credat in Bullas, Indulgentias, Imagines, aliaque plurima vana hominum instituta, veram fidem habere non possit. Ista omnia evanescunt ubicunque Dei verbum vim atque autoritatem habeat. Requies illa quam in Romana invenire te dicis Ecclesia, (Catholica scilicet vestra) si non majorem adhibeas curam, sine dubio in extrema necessitate te fallet. Dicis te in ea religione nihil malignum contra Evangelium invenire. Sed si penitus introspicias, videre potes in ea religione verbum Dei rejectum, legendas aureas, & festivilia, cum Bullis, Indulgentiis, multisque ejus generis ut plurimum verbi Divini loco obstrusa. Sed hic campus spacioſus est, & ocium deest. Spero me opportunitatem nacturum, ut de his rebus fusius ad te scribam. Deus oculos tuos aperiat, ut videas *abominationes Civitatis illius, quæ super septem montes ædificata est: Apoc*: 17. Vide *Hieronymum* in eum locum. Si in Ecclesia illa Sacramenta corrupta sint, num tu gratiam Dei rejicies, quum servorum suorum oculos aperiat ut corruptelas illas repurgent? Cave de illa S. *Johannis* tremenda sententia: *qui sordidus est, sordescat adhuc*. Dicis si incipias ex alio poculo bibere, &c. Planè oblitus quod in Romana Ecclesia, tu cæterique omnes Laici penitus à poculo excluſi sitis, contra manifestum Dei mandatum, *bibite ex hoc omnes*. Tantum Cænæ abusum cum plurimis aliis doctissimi *Lovanienses* non potuerunt defendere. Si nos hæreticos vocetis, fugiatisque quod tam magnis abusionibus, superstitionibus, erroribus valedixerimus, ut ad purum & sacrum Dei verbum, sacras Christi institutiones accederemus: appellare possumus à præjudiciis sine charitate conceptis, & cum Sancto *Paulo* dicere possumus, *mihi pro minimo est ut à vobis judicer, Dominus est qui judicat me*. Sed periculosum esse dicis nostras audire conciones. Ita dixerunt S. *Stephani persecutores, Act*. 7: aureſque suas occluserunt. Sic dixit *Amasias* de Propheta *Amos*: *Amos*. 7: *Non poterit terra sustinere omnes sermones ejus*. Similes istis sunt quos *David* assimulat *aspidi surdæ, obturanti aures, Psal*: 58. Quales multi fuerunt Apostolorum sæculo, quibus *celatum erat Evangelium, in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes Infidelium, ut non fulgeat illis Lux Evangelii, &c.*

De

De fulminibus illis Romanis nihil eſt quod metuamus: terriculamenta illa quæ ad pueros terrendos fabricantur, non ſunt metuenda hominibus provectis: *Eraſmus* vocat ea *bruta fulmina*, *&c.* Si in Papa & Cardinalibus qui nos tanta acerbitate exſecrantur, vel ſimilitudo aliqua fuiſſet S. *Petri*, & S. *Pauli*; ſi Sanctorum illorum fervens charitas ad Chriſti gregem extaret, accurataque diligentia dies noctesque paſcendi, unà cum aliis virtutibus Apoſtolicis. Tunc metuendæ erant illorum minæ: ſed humilitatem *Petri* in *Luciferi* ſuperbiam converterunt: paupertatem, aſſiduoſque labores Apoſtolorum, in *Cræſi* divitias, otium & luxum *Sardanapali*. Denique quæ conventio lucis cum tenebris, &c. Promiſit Deus *Malach*: 2. *Benedictiones illorum in maledictiones convertere, qui ponunt, &c.* Vide *Hieronymum. Eſaiæ* 3. *Qui beatos vos dicunt, ſeducunt vos, &c.* Quod hominum millia ſeducuntur ab Indulgentiis, quæ ad multa annorum millia excreſcunt, ſi pretium excreſcat? Quomodo fratres hoſpitalis *S. Johannis* licentias conceſſerant illis qui ſibi violentas manus intulerint, ut liceat illis frui cœterorum Chriſtianorum ſepultura, cum multis hujuſmodi adulatoriis figmentis, videt mundus & ingemit: De Aviæ tuæ vita nihil niſi honeſtum audivi. Sed credo illam fuiſſe ſuperſtitioſam. Si te domi ſecum illa retinuerit ex tenera & naturali affectione tantùm, & non ut ab Evangelio arceret, veniam poſtulabo opinionis non rectæ. Multi tamen putant illam avunculoſque tuos ſuduxiſſe à te ſororibuſque tuis magnam portionis relictæ partem. Sed tranſeant hæc: quia pro te nihil efficere potui, nec adhuc effecerim: pecuniam illam mihi legatam, ſorori tuæ ſi placet, etiam cum additamento reponam, quia illa mihi videtur magis indigere. Ad Eccleſiam Catholicam quod attinet, Deus mihi teſtis eſt, totum cordis mei deſiderium eſſe, & certam fiduciam, ejus Eccleſiæ membrum me moriturum. Quod ſi ex pompoſa ſpecie Eccleſiæ Romanæ eo adducar ut probem omnes illas intollerandas abuſiones, ſuperſtitiones, & idololatrias, quæ Deum honore ſuo tam multis modis exſpoliant, non crederem me membrum eſſe Jeſu Chriſti. Si nullam ſacræ Scripturæ interpretationem probetis niſi quæ Roma proficiſcatur, poteſtis facile quicquid placuerit affirmare. Nihil eſt tam abſurdum, tam æterni Dei veritati contrarium, quod non impuris gloſſematis torqueri poſſit, ut cauſæ perditæ videatur inſervire: cum hujuſmodi hominibus nulla eſt inſtituenda diſputatio. Quod de *Arrio* infers cum reliquis ejus generis, nihil eſt ad propoſitum. Omnes enim Scripturæ Prophetarum, unà cum aliis manifeſtis Scripturis ad quas in hujuſmodi dubiis confugere debemus, illiſque acquieſcere *Arrium* perſpicuè confundunt, cæteroſque ejus participes. Conſubſtantialitas, quod *Græci* ὁμοούσιον dicunt, plurimis evidentibus Scripturæ teſtimoniis confirmatur. At non ita Tranſubſtantiatio; *Scoti*, *Occami*, *Bielis*, omniumque Scholaſticorum Theologorum ita vexaverat cerebra, ut ſæpenumerò neſciant, quid potiſſimum dicant, quò abſurditates amoliantur quæ inde oriuntur. Itaque conſtat eſſe commentum ſine aliquo Scripturæ fundamento. Ita ut *Scotus* (quod & Epiſcopus *Tunſtallus* ſæpenumerò ingenuè fatebatur,) exiſtimarit, multo melius faciliuſque potuiſſe Eccleſiam uti commodiore interpretatione verborum in ſacra Cæna, reverenter cum antiquis Patribus de ſacra Cæna loquendum judicavit Epiſcopus, & Tranſubſtantiationis opinionem mittendam eſſe. Illud etiam

idem *Tunſtallus* & ſcriptis & ſermonibus affirmare ſolebat, *Innocentium* tertium neſciſſe quid ageret, quando Tranſubſtantiationem inter articulos fidei poſuerit: dicebatque *Innocentium* doctis circa ſe hominibus caruiſſe: adeo equidem inquit *Tunſtallus*, ſi ipſe fuiſſem ei à Conſilio, non dubito me potuiſſe Pontificem ab eo Conſilio retraxiſſe. Quando Magiſter *Cheddſy* dixerat Catholicos cedere oportere in articulo Tranſubſtantiationis, ego non audivi ipſum loquentem, ſed qui audiverat mihi narrabat. Quod autem de ejus, aliorumque incarceratione ſcribis: equidem judico (quod præſentem hanc vitam attinet) quietiſſimam vivendi rationem illis obtigiſſe. Nec puto majorem vitæ quietem eligi poſſe, ſi non conſcientiæ morſus illis moleſtiam faciat, quia cauſam ſuſtinent non bonam, ſed ſuper arenam fundatam. Quod ſi vis homines connivere opportere ad tot Romanorum Pontificum ſupra trigenta vitas abominabiles & planè beſtiales: potes & Chriſtum etiam reprehendere quod palam aperuit pernicioſas enormitates & *Phariſæorum* (qui tum ſancti ſcilicet patres habebantur,) atque etiam Patrum eorum tunc mortuorum: reprehendite etiam *Eſaiam*, qui non vult malos dici bonos, denuncians maledictum eum qui ſanctum appellat eum qui non eſt ſanctus. Reprehendite S. *Bernardum* qui vocat eos *miniſtros Antichriſti*. Nos meritò excuſant ea, quæ alii viri pii ſcripſerunt in hanc ſententiam. Reprehendit apertè ea de quibus fatetur turpe eſſe dicere. *Non operta revelo*, inquit, *ſed aperta redarguo*. Ad quod etiam divino mandato ſumus obligati, *Eſaiæ* 58. 1. *Oſtende populo meo ſcelera eorum*. Quòd dicis quinque Sacramenta apud nos eſſe reprobata; non rectè reprobata dicis: nos enim reverenter eis utimur ſecundum Dei verbum, adeoque nec nomen Sacramenti tollimus, ſicut eſt Sacramentum generaliter dictum. Sicut erat Lotio pedum, & multa alia quæ nomen Sacramenti in genere retinere poſſunt, ut & apud Patres retinent. Verum antiqui Patres, & Scholaſtici nonnulli affirmant Baptiſmum, & Euchariſtiam propriè tantum dici Sacramenta: *Beſſarionis* etiam teſtimonium eſt; hæc duo ſola Sacramenta in Evangeliis manifeſtè tradita legimus. Miror te verba S. *Pauli* ad eum ſenſum torquere, ut ex iis verbis omnes in Miſſa ceremoniæ ſtabiliantur. Quum non ignores earum plurimam partem additam multis poſteà ſæculis ab Epiſcopis Romanis. Legimus etiam Apoſtolos cum verbis Evangelii, & oratione dominica conſecraſſe. Præterea S. *Paulus* jamdudum ordinaverat, ut populus non ſolùm manducâret panem cum miniſtro, (ſicut verba ejus manifeſtè declarant:) verum etiam ex poculo biberent vides iſtos penitùs abſtuliſſe Eccleſiæ ordinationem illam Chriſti & Apoſtolorum. Qua authoritate hoc factum ſit ipſi viderint. Autoritatem illam ego nunquam legendo cognoſcere potui. Contrarium invenio nempe omnes omnino homines, prohibitos eſſe, ne quid de verbo ac voluntate Dei mutent in ſacris ſcripturis tradita. Dicis Scripturas probare orationem pro mortuis, & hoc te benè ſcire. S. *Hieronymus* dicit librum *Machabæorum*, ad mores non ad ſtabiliendum dogma valere. S. *Auguſtinum* dicis in multis locis dubitaſſe utrum fuerit purgatorium. Id ſi ſit dubitabile, non eſt obtrudendum tanquam articulus fidei, ſed relinquendum ut liberum. *Nam fides eſt ſubſtantia &c. Heb*, 11. 1. *fides non fluctuare debet*, inquit S. *Jacobus*. *Roſſenſis* de purgatorio ſcribit. *Apud priſcos vel nulla, vel quam rariſſima fiebat*

mentio.

mentio. Et quamdiu nulla erat de purgatorio cura, nemo quæſivit indulgentias. Atque ita innumerabilia illa ex indulgentiis lucra nunquam nota fuerant priuſquam purgatorium fuiſſet inventum. Quid jam dicemus ex illis Pauli verbis nobis innui, *Exiſtimantes queſtum pietatem*, ſi hoc non ſit? Hæc mercatura paverat, & adhuc paſcit multos pigros ventres, qui verbum Dei ſtrenùe abigunt quantum poſſunt ne pereant porci! Tandem tamen prævalebit veritas utcunque illi conjuraverint. Quod addis de invocatione Sanctorum, S. *Auguſtinus* hortatur nos Scripturis potius quàm ſuis, aut aliorum ſcriptis adhæreſcere: nec ipſius ſcriptis acquieſcere ſine Scripturarum autoritate. Et certè mea in conſcientia hoc ſedet, nihil eſſe ex iis omnibus quæ in controverſiam vocantur, quod magis evidentibus Scripturæ teſtimoniis demonſtretur; quàm quòd ſolus Deus ſit invocandus: & *per unum Mediatorem, nempe Jeſum Chriſtum, Rom.* 10. 14. *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt*? In ſolum Deum credendum, ergo ſolus invocandus. Diſtinctio illa de Invocatione & Advocatione, ut ſi non invocationem Sanctorum, ſaltem eorum Advocationem probes, inutilis eſt; quia ſicut Chriſtum ſpoliant honore ſuo, qui alium Mediatorem quærunt, ſic non minus Chriſto injurii ſunt, qui alium Advocatum quærunt, quia *Chriſtum habemus Advocatum apud Patrem*, 1 *Joh.* 2. 1. Et *Eſaia* 63: affirmat quod *Abraham ignoret nos.* Equidem credo *Abrahamum partem credentium* non minus eſſe ſanctum quàm alium quemcunque ex Sanctis in Cœlo. Dicis te credere Communionem Sanctorum, quod & omnes credimus. At ſubinfers te non intelligere quomodo communio Sonctorum eſſe poſſit, ſi non Sancti defuncti orent pro nobis, & nos advocemus illos in ſubſidium. Atqui Eccleſia Dei longè aliter intelligit Communionem Sanctorum. Nam ex uſu communi loquendi ſacræ Scripturæ Sancti intelliguntur non defuncti in cœlis, ſed viventes in terris. Nec ferè per univerſam Scripturam veteris & novi Teſtamenti, Sancti nomen homini additum reperies, quin ut eo nomine intelligatur Sanctus in terris vivens. Aliquando expreſſiùs loquitur Scriptura, *Pſal.* 16. 3. *Sanctis qui ſunt in terra, &c.* Omnis voluntas mea in eis. Si quis habuit vel habere potuit, Communionem cum Sanctis in cœlo, *David* certè habuit. Hic autem Communionem quam novit, explicat, hoc eſt Communionem Sanctorum in terris. S. *Johannes* ſic hanc rem exponit, 1 *Joh.* 1. 3. *Quod vidimus & audivimus, annuntiamus vobis, ut & vos Communionem habeatis nobiſcum, & Communio noſtra ſit cum Deo, & Filio ejus Jeſu Chriſto.*

1. Omnis Chriſti Eccleſia Communionem habet cum Eccleſia Apoſtolica, *ut vos nobiſcum Communionem habeatis.*

2. Conſiſtit hæc Communio Sanctorum in prædicatione verbi, in variorum donorum communicatione ad Eccleſiæ ædificationem in publicis & privatis precibus.

3. *In precibus* autem *fundendis Communionem habemus cum Patre & Filio, vel cum Patre per Filium.* Nulla eſt hic defunctorum Sanctorum mentio vel ratio habita. Hæc communio ex verbis ſacræ Scripturæ non ultra progreditur, quàm ad Eccleſiam in terris. Qui ultra quærunt ambulant in tenebris. Sancti defuncti non vocantur in Scripturis Sancti ſimpliciter, ſed Eccleſia primogenitorum in cœlis, & *Spiritus juſtorum conſummatorum, Heb.* 12. 23.

Erit nobis cum illis communio post hoc sæculum, sed in hoc sæculo qui quærunt hanc communionem, vel è sacris literis proferant quod dicunt: vel audiant illam Domini sententiam: *Frustra me colitis, docentes doctrinas, mandata hominum, Matth.* 15. 9. Fateor si usum nostri sæculi, aut aliquot superiorum sæculorum respicias, Sanctos vocari defunctos: sed non hujus aut illius sæculi consuetudo, sed sacræ Scripturæ regula nobis sequenda proponitur. Sed quid de hac re certamus? Qui pro Invocatione Sanctorum tantopere decertant, concedent nobis liberum esse: scilicet tutissimum est accedere ad fontem misericordiæ relictis rivulis. Nec te moveant illi qui dicunt Deo nihil eos detrahere qui orationes suas ad Sanctos dirigunt. Nemo enim magis Deo detrahere potest, quàm qui cultum uni Deo debitum creaturæ transfert. Nam invocatio est pars cultus divini; hunc cultum nullæ creaturæ communicat, qui *gloriam suam non communicat alteri.* Quod attinet ad argumenta illa tua, de Imaginibus, de Jejunio: (quod quidem jejunium absit, ut vel ego, vel quispiam neget: Imò potius ad illud omnes exhortamur: superstitionem tantummodo pravasque opiniones sublatas cupimus.) Cum aliis illis argumentis de reliquiis, exorcismis, in spiritibus scilicet immundis ejiciendis, quod quum ad idololatriam ducit, *Pseudo-Prophetæ* signum est, *Deut.* 13. Ad hæc quamvis omnium facillimè responderi possit, quia tamen otium nunc mihi desit, utpote negotiorum cumulis onerato, quum jam mihi desit Curatus, & parochiam latissimam habeam ad visitandam, & tenue sit corpusculum citò præ lassitudine languens, laboribusque multis attritum: his igitur omnibus de causis responsionem in aliud tempus differendam censui. Si cogitas te nolle *Houghtonam* accedere die Dominico, ne sis parochianis offendiculum: (qua in re non reprehendas me si de parochianis meis maximam sollicitudinem geram, pro ratione magni oneris mihi impositi: constat enim Prophetarum temporibus, sæculisque subsequentibus omnibus, vulgus pronius fuisse ad superstitiones: & malum facilius crescit & longius serpit uno die, quam bona præcepta per mensem integrum.) Proinde illo die Dominico excepto, (nisi fortè in chorum accessurus, quod meo judicio recusare non debes:) si post diem Dominicum finitum protinus accedas, discedasque post mediam diei Saturni, hospes mihi gratus eris. Itaque illa quam prætendis excusatio, accessum tuum non debet impedire. Postrema conclusio tua quamvis sicut jam dixi spem fiduciamque omnem tollere potest ei, qui sit tecum collaturus, non tamen ego cessabo de conversione tua meliora sperare, quàm tu videris de teipso sperare. S. *Paulo* propositum firmum fuit aliquandiu, ut *Pharisæus* moreretur, & Christianorum persecutor: Deus tamen ei & potentiæ, & misericordiæ Thesauros servaverat, quo illum ordinaret ut prædicaret glorioſum illud nomen, quod ante fuerat persecutus. Commendo te omnipotentis Dei bonitati, quæ te spiritu scientia ducat in omnem veritatem. Vale *Haughtonæ* 14. *Octobris.* 1580. Avunculus amantissimus, *Bernardus Gilpinus.*

Quamdiu *Pilkintonus* Episcopus vixerat, jucundissimam cum eo consuetudinem retinuit *Gilpinus.* Mortuo *Pilkintono* successit *Richardus Barnes*: Is in *Gilpinum* insensior videbatur. Hæc res paulo altius repetenda est. *Gilpinus Oxonium* subinde proficisci solebat, maximè, quum junior esset, & sustinendis itineribus idoneus. Accidit forte dum *Oxonium* iret, ut puerum per

viam

viam cerneret nunc ambulantem, nunc curſitantem. Rogat quis eſſet, unde, & quò proficiſceretur? Reſpondit ille ſe ex *Wallia* profectum, *Oxonium* diſcendi cauſa petere. *Gilpinus* puerum examinat, invenitque in Latinis literis promptum, in Græcis non ignarum. Num ergo placet, inquit *Gilpinus*, mecum proficiſci? Ego tui curam habebo. Aſſenſit ille. Puerum ergo primùm *Oxonium* tulit, deinde *Houghtonam*, ubi in Græcis, & Hebraicis literis egregiè profecit. Tandem ad Academiam *Cantabrigienſem* miſit. Hic eſt *Hugo* ille *Broughtonus* in Græcis, & Hebraicis literis capeſſendis promptiſſimus, ſed homo leviſſimus. Nam ſeneſcente *Gilpino* utrum ſacerdotio *Gilpini* inhians, an ex alia cauſa ipſe *Gilpino* apud *Dunelmenſem* Epiſcopum moleſtias, & offenſiones creâſſe dicitur: ita ut Epiſcopus in *Gilpinum* occaſiones aucupaſſe videretur. Dum in Epiſcopo animi hæc abalienatio naſceretur mittit ad *Gilpinum*, eumque monuit ut in viſitatione loco & tempore conſtitutis concionem habeat. *Gilpinus* jam paratus erat ad conſuetum iter boreale, nempe ad *Tindalenſes*, & *Riddeſdalenſes*: itaque ad Epiſcopum expedit famulum ſuum, qui apud Epiſcopum ſe excuſet, & rationem itineris propoſiti doceret: oretque Epiſcopum, ut alium in viſitatione concioni accommodet; multos eſſe qui in viſitationi concionare velint, ad apud iſtos limitaneos nullum eſſe qui officium illud ſuppleat, ſi ab ipſo negligatur: ſe paratum futurum quocunque alio tempore voluerit ad officium præſtandum. Famulus profectus ad Epiſcopum, redit ad *Gilpinum*: quærit ab eo *Gilpinus*, num excuſationem ſuam ad Epiſcopum detuliſſet. Detuli inquit ille. Et *Gilpinus*, quid ergo reſpondit Epiſcopus? Famulus retulit, nihil Epiſcopum reſpondiſſe, ſed tacuiſſe. At qui tacet, inquit *Gilpinus*, conſentire videtur. Itaque *Gilpinus* in ſuſcepto itinere pergit. Id ubi primùm reſciverat Epiſcopus, *Gilpinum* continuò ſuſpendit ab omni munere Eccleſiaſtico, *Gilpinus* reverſus reperit ſe ſuſpenſum quod minime excogitarat. Rem patienter tulit. Epiſcopus de *Gilpini* reditu certior factus, protinus ad eum mittit, monuitque ut ipſum unà cum reliquo clero *Ceſtriæ* conveniat. *Gilpinus Ceſtriam* profectus, invenit Epiſcopum cum multis ex clero. Omnes in Eccleſiam ſunt juſſi convenire. Erat cum Epiſcopo Cancellarius *Johannes Barnes* Epiſcopi frater, homo flagitioſus in libidinem, an ad turpe lucrum propenſior incertum: is multorum in Dioceſi flagitiorum inſpector eſſe debebat, autor erat: ſordidi homines nummis impunitatem redimebant: Epiſcopus paſſim malè audiebat. Quum jam omnes conveniſſent, Epiſcopus *Gilpinum* ad ſe vocat: hodie, inquit, oportet te concionem habere. *Gilpinus* ſe excuſat: non, inquit, paratus veni, & ſuſpenſus ſum. At ego te à ſuſpenſione liberare poſſum, inquit Epiſcopus, & libero. *Gilpinus* reſpondit ſe non audere imparatum aſcendere. At novimus, inquit Epiſcopus, te nunquam imparatum eſſe; id enim ex uſu concionandi jam conſequutus es, ut & ſubitò id præſtare poſſis, ſi volueris. *Gilpinus* pertinaciter hæret in propoſito, non ita Deum tentandum reſpondit: ſatis ſibi eſſe, ſi ex juſta meditatione aliquid præſtare poſſit. Epiſcopus protinus ut aſcendas, ego te jubeo, inquit, ſub intuitu canonicæ obedientiæ. *Gilpinus* pauliſper moratus; age, inquit, quum aliter fieri non poſſit, fiat quod jubet dominatio veſtra: & poſt aliquam moram *Gilpinus* concionem inchoat. Inter concionandum proſpexit quòſdam non ſolito more expeditos,

qui

qui ſcriptis excipiebant ea quæ *Gilpinus* protulerat: Pergit ille in concione donec ad exhortationem, & vitiorum reprehenſionem pervenerat. Dilabitur tandem ad illa vitia reprehendenda quæ in illa Dioiceſi regnabant, & in ore omnium erant: atque hoc loco, inquit, Reverende Pater, ſermo meus ad paternitatem veſtram eſt convertendus: Deus paternitatem veſtram ad hujus Dioiceſis curam extulit, eam Deus adminiſtrationis veſtræ rationem expoſcit; eorum omnium quæ tam inordinatè geſta ſunt in hac Eccleſia à Paternitate veſtra expectatur emendatio, exigitur ratio. Et ne forte quum tanta flagitia perpetrata eſſe conſtet, reſpondeat dominatio veſtra hæc neſciſſe, nec ad veſtram noticiam hæc fuiſſe perlata: (hæc verba *Gilpinus* dixerat, quia intelligebat hanc fuiſſe uſitatam Epiſcopi reſponſionem: quum homines quererentur de mala Cancellarii adminiſtratione; ſolebat dicere Epiſcopus illa ad ſuam noticiam non perveniſſe: quæ facta ſunt infecta fieri non poſſe: melius in poſterum ſe proviſurum, ſi quæ ad noticiam ſuam pervenerint.) Ea, inquit *Gilpinus*, ego hæc ad noticiam veſtram produco: ne dixerit dominatio veſtra aliorum vitio hæc mala perpetrata, non veſtro conſilio, nam veſtrûm eſt quicquid ſive feceritis, ſive ab aliis factum diſſimulando permiſeritis: itaque coram Deo, & Angelis, & hominibus, ego Paternitatem tuam horum omnium malorum autorem denuntio: ego etiam in illo ſtricti judicii die teſtis adero hæc omnia ad veſtram noticiam perveniſſe per me: teſtes aderunt omnes qui hic me loquentem audiunt. Dum hæc *Gilpinus* intonaret, amicos ſuos in magnum timorem & anxietatem conjecit: itaque quum finem dicendi feciſſet, conveniunt eum amici, & cum lachrimis dixêrunt, tandem habet Epiſcopus quod diu quæſiverat: tu telum contra te porrexiſti in ipſius manus: ſi prius ſine cauſa offenſus fuerat, quid faciet is qui jam irritatus jure ſuo, vel juris ſpecie utetur ad nocendum? Quibus *Gilpinus* reſpondit, nolite timere; Deus nos omnes gubernat: dum veritas propagetur, & Deus glorificetur, de me fiat voluntas Dei. Poſt concionem omnes ad prandium convenerant: omnes de *Gilpino* metuebant aliquod malum ab Epiſcopo, tacitique eventum rei expectabant: Poſt prandium *Gilpinus* ad Epiſcopum accedit, ut Epiſcopo ſalutato, & valedicto domum redeat. Non ita fiet, inquit Epiſcopus; nam ego te domum tuam perducam: ergo domum redit *Gilpinus* in Epiſcopi comitatu. Quum jam *Gilpini* ædes intraſſent, & ad conclave penetraſſent, Epiſcopus ſubito arrepta *Gilpini* dextra, hæc habuit verba: Pater *Gilpine*, agnoſco digniorem te eſſe qui ſis Epiſcopus *Dunelmenſis*, quàm me dignum qui ſim rector hujus Eccleſiæ tuæ: præteritarum offenſionum veniam poſtulo; da veniam Pater: ſcio quod pullos quoſdam educaveris immorigeros qui contra matrem calcitrant; ſed quoad ego vixero Epiſcopus *Dunelmenſis*, ſecurus eſto, nemo tibi moleſtus erit. Amici *Gilpini*, hoc eſt omnes boni exultare ceperunt, & gratias Deo agere, & potentem Dei manum agnoſcere, quod Epiſcopus ei infenſus ita divina potentia correctus fuerit, ut quod in ejus contumeliam primò excogitaverat, cederet ei in honorem. *Gilpinus* interea uberrimum pietatis ſuæ fructum tulit.

Poſtquam ſenectus ei ingraveſcere cæperat, erat in oppido *Novi-Caſtri Geniſonus* qui fratris filium è tranſmarinis regionibus redeuntem ſuſceperat: *Geniſonus* vehementer dolebat de fratris filio quem Jeſuitam factum intellexe-

rat,

rat, eumque ad *Gilpinum* miſit orans ut juvenis curam habeat, eumque à pravis & perniciosis opinionibus ſi fieri poſſit reducat. *Gilpinus* poſtquam ſæpius cum eo contuliſſet invenit hominem abjecta humilitate inſolentiſſimè ſuperbientem, audacia atque impudentia armatum novis atque inauditis gloſſematis ſacras ſcripturas corrumpentem. Scripſit *Gilpinus* ad *Geniſonum* avunculum; juvenem illum audaciſſimum veniſſe ad ſe non ut diſceret, ſed ut doceret. Homo inquit magnificum neſcio quid de ſe ipſo ſentiens ſperabat etiam me hac ætate ingraveſcentem ad abſurda quædam agnoſcenda allicere. Video *Jeſuitas* novas inveniſſe ſcripturarum expoſitiones antea nunquam auditas. Abjecta omni reverentia, audacia graſſantur. Audent probare invocationem ſanctorum ex *Abrahamo*, *Iſaco*, *Jacobo*. Iſte pertinaciter tenet Eccleſiam Romanam nulla in re erraſſe. Errores maximè horrendos de indulgentiis, miraculis falſatis, falſatis reliquiis, peregrinationibus, imaginum cultu, de reliquis ejus generis, hæc omnia iſte homo mirificus reperit in Evangelio. Omniaque hæc bona eſſe & ſancta contendit. Ego cum tam horrido hominum genere, qui os ſuum in cælum aperiunt (nam quid eſt os in cœlum aperire, ſi non hoc ſit ſacras Scripturas tam violenter, tam contumelioſè tractare?) cum tàm horridis ingeniis, nihil mihi negotii amplius eſſe volo: excogitarunt & quotidie excogitant horrenda gloſſemata, quæ nec in Romana Eccleſia anteà fuerunt audita. Hunc igitur tanquam morbidum pecus ne gregem inficiat miſſum facio.

Poſtquam tenue corpuſculum variis laboribus confecerit tandem mortem præſentiens pauperes convocari jubet, ad quos orationem habuit, eiſque valedixit. Deinde & alios. Ægritudinem contraxit, propè finem Februarii, poſt varias exhortationes ad Scholares, ad famulos ſuos, alioſque tandem placide in Domino obdormivit *Martii*. 4. 1583. *Anno* ætatis ſuæ 66.

Corpore fuit procero, & macilento, naſo aquilino, veſtitus erat pretii paulò vilioris. Fulgentes veſtes omninò fugiebat. In iis quæ ad corpus proprium pertinent, parciſſimus erat & antiquam auſteritatem retinebat. In iis quæ ad aliorum bonum cederent munificentiſſimus erat, maximè in pauperes & Scholaſticos. Januam apertam eſſe voluit pauperibus & peregrinis. Domi ſuæ Scholaſticos aluit ut plurimum viginti quatuor, quandoque pauciores. Eorum quæ domi habebat major numerus erat pauperum quibus victum, veſtitum & educationem in bonis literis præſtitit. Conviviis ſuos parochianos hoſpiteſque excepit non tantum Saturnalibus diebus ut mos eſt, ſed quia late diffuſam habuerat parochiam, magnamque populi multitudinem, convivium exhibuit ſingulis diebus Dominicis a feſto S. *Michaelis* uſque ad *Paſcha*. Separatos habuit & velut in claſſes diſpoſitos generoſos, colonos, & pauperes, quos omnes ſuo ordine excepit. Laudare ſolebat conjugium in clero, ipſe cælebs vixit. In Schola ædificanda, inſtituenda, confirmanda, & in ſtipendiis annuis Ludi Magiſtro & hypodidaſcalo inſtituendis inſumpſit quingentas libras. Ex ea Schola *Anglicanam* Eccleſiam doctorum virorum ingenti multitudine adauxit. Non vitia tantum verum & leviſſimas ſuſpiciones vitabat. Judicio etiam inimicorum ſi quos habuit Sanctus habebatur. Fide non ficta, & bonis operibus repletus, Sepulchro tandem ſicut acervus tritici tempore ſuo infertur.

VITA

VITA
JOANNIS VINCENTII PINELLI,
PATRITII GENUENSIS.

In qua ſtudioſis bonarum artium, præponitur typus viri probi & eruditi.

AUCTORE PAULO GUALDO,
PATRICIO VICETINO.

ILLUSTRISSIMO
ET REVERENDISS.
D. DOMINICO PINELLO, S.R.E. CARD.
EPISC. OSTIENSI,
Sacri Collegii Decano.

PAULUS GUALDUS VICETINUS
SALUTEM.

EXIMIUM illum Philoſophum, Magiſtrum, ut Cicero ait, intelligendi & dicendi, cujus nomen æternis præclarum monumentis, nemo non admiratur, gloriatum ferunt aliquando, quod Socrate vivente vixiſſet. Aſt ego non præclarè minus mecum cenſeo actum, cui contigerit primum eo ſæculo naſci, quo non tantum de facie noſcere, ſed & colere obſervareque licuerit per annos non paucos JOHANNEM VINCEN-

VINCENTIUM PINELLUM, doctum & probum ſupra omnia pæne noſtrorum temporum exempla; tum vero deinceps vitam ejuſdem moreſque elegantiſſimos commendare poſteritati, in quo quidem munere, ut rei magnitudini mihique adeo ipſi non fecerim ſatis, (quis enim ejus viri merita explicet pro dignitate?) confidam tamen obventurum inde mihi laudis & exiſtimationis non parum, quod lubens contulerim vires omnes meas in Viri CL. res, ſi non univerſas, at quas licuit mihi, ſermone celebrandas. Illud vero quam eximium? extare te nunc ex eadem gente DOMINICE CARD. Illuſtriſſime qui ut JOH. VINCENTIUM, non vi magis affinitatis quam charitatis, perpetuo amaveris, ita videaris hilaris excepturus ſcriptionem hanc meam, quæ gentilis tui laudes prædicare ſit aggreſſa.

Et ſane cui hæc alii inſcripſiſſem, quam tibi? in quo abſolutum actionis exemplar, ut in JOH. VINCENTIO contemplationis propoſitum habemus. Ille per faciles ſemitas, & amœna Philoſophiæ vireta, tu per ſalebras & ſentes Juriſprudentiæ; ille in Muſarum congreſſu, tu in Judiciario & forenſi pulvere; abditus ille in domeſtica bibliotheca, tu in conventibus, in Legationibus, in ampliſſimorum Patrum pæne quotidiano cœtu; in Academia ille Patavina, tu Romæ in oculis orbis terrarum, variis adeo itineribus eo perveniſtis, ut JOH. VINCENTIUM intra limites umbratilis illius vitæ ſuſpexerint omnes, te vero civilibus muneribus exercitum, fides, prudentia, integritas in ſanctiſſ. Cardinalium Collegium cooptarint, in quo collegas omnes, & univerſos Chriſtianæ Reip. Epiſcopos, à Summo Pontifice primus, anteis dignitate, faſtigio illi proximus, à quo non abfuturum te diu boni omnes augurantur. Munus igitur hoc tibi tot nominibus debitum, apud te eſſe patere Vir Illuſtriſſime non indignum prorſus quod extet meæ in nominis & gentilitii ſplendoris tui gloriam obſervantiæ teſtimonium, complectendum tibi ſi non auctoris ratione, at ejus memoria, cujus laudes prædicare conſilium fuit. Illius ego enarrandis rebus geſtis, ut non quam illum decebat operam præſtiterim, at quam ego potui impendi ſane. Et quid homini poteſt dari majus (inquit junior Plinius) quam gloria, laus, & æternitas? At non erunt æterna quæ ſcripſi! non erunt fortaſſe; ſcripſi tamen (ut reſpondeam ejuſdemmet Cæcilii verbis) tanquam eſſent futura. Tu hæc DOMINICE CARD. Ampliſſime, accipe uti dantur, non ſine jucunda magni gentilis tui memoria, delectationi proculdubio futura.

Vale.

MARCO VELSERO II. VIRO AUGUSTANO,

PAULUS GUALDUS VICETINUS SALUTEM.

QUI ſerio amant MARCERE VELSERE, eo allicientis naturæ propenſione ducuntur, ut rei quam amant bona omnia, perpetuitatem adeo ipſam, in hoc viciſſitudinum humanarum æſtu contingere flagrantiſſimè cupiant, qui ſane affectus, quo magis intimus, eò ſemper ſolertior fuit in perquirendis rationibus, per quas tendere ad propoſitum hunc finem liceret. Hinc antiquioris ævi decora, hiſtoricæ narrationes, tabulæ, ſigna ærea, marmoreaque; poſterioris calcographicum inventum, quæ omnia eo ſpectant, ut non ſolum habitus corporum delineare, ſed & animorum exprimere ornamenta poſſimus. Qui ſane affectus amores benevolentiæque impulit etiam me ipſum, non modo ut JOH. VINCENTII PINELLI imaginem deſcribendam curaverim, ſed &, cum per annos prope XXX, à die quo primum ſtudioſè magnum virum obſervare cœpi, ad eum quo ſupremo in ſinu meo animam egit, dilexerim ſupra quam ſermone explicari queat, coegerim etiam intra non magni voluminis anguſtias, è latiſſimo rerum campo, præcipua quædam ipſius vitæ capita, tum ut mihi etiam nunc exemplar referrent, ad quod formare me poſſem, tum vero etiam ut mœrorem levarent, quem mihi incuſſerat ampliſſimi viri quam feceram jactura. Propoſitum hoc meum cum plerique communium amicorum ut fit exploraſſent, perurgere cœperunt, ut ne publicæ literatorum rei lucubrationes meas inviderem, ſtudioſis ſcilicet omnibus gratas ſaturas, apud quos PINELLI memoria, & grata & ſancta jam diu eſſet. Me vero hæ preces, ut non permulcebant, gnarum videlicet tenuitatis meæ, ita in eam ſententiam traxerunt, ut fœtum hunc meum diſpiciendum traderem, examinandumque tibi V. Clariſſimo PINELLI amico, bonarum artium patrono, qui prudentia, eruditione, & animi candore in conſilium advocatis, tùm demum pronuncies an è re PINELLI, an è literarum, an è mea ſit, ut in lucem hominum prodire ſinam qualeſcunque haſce ſubſecivarum horarum reliquas, hoc tibi arbitrium ut deferam, faciut multa; præſtantiſſimorum quo teneris ſtudiorum amor, impollutæ quam nobiſcum profiteris religionis patrocinium, & princeps in Pinelliana amicitia locus, qui te potiſſimum alliciet, ut more majorum his animum advertas, quæ pro tuo nutu vel abdent ſeſe, vel dabunt in conſpectum. Mihi enim, cui non alius quam JOH. VINCEN-

VINCENTII gloriæ obſervatur finis, ſi tibi cum me aſſecutum non videatur, ſufficiet voluiſſe ſaltem, continebiturque ſcriptio hæc mea intra domeſticos parietes, conteſtatio utique gentilibus meis non injucunda, fuiſſe mihi cum ætatis noſtræ maximo viro non vulgares præſtantiſſimæ amicitiæ rationes.

VALE.

ANTONII QUÆRENGI.

PERPETUA rapidis annis obſiſte juventâ
Muſarum pia cura liber.
Quaque diem promit, qua mergitur æquore Titan.
Fer magni ſuper aſtra decus
PINELLI; non rara altæ ſæpientia mentis.
Non morum ſine labe nitor,
Invida Letheæ metuant oblivia noctis.
Promeritus quoque tollat bonos
Inſignem cœlo PAULUM, quem dulcis amici
In tantum laus egit opus.
Gloria Germanæ gentis te VELSERUS heros.
Ante alios per docta virum
Agmina dimittat celebrans: illo auſpice tutam
Ad Gades ad Bactra viam
Carpe volans, famæque diu te crede vocanti.
Ingreſſum quocunque feres
Te lætæ excipient urbes, ſed luminæ Tuſci
Præſertim tibi clarâ maris,
Magnanimi plaudent Ligures, civemque verendum
Poſteritas imitata colet.

ALOYSII VALMARANÆ
VICETINI E SOCIETATE JESU.

TE PINELLE, reum
mortis genuere parentes,
Et vitæ ingressus janua mortis erat:
Lactea Lethæis miscebat pocula poclis
Parvuli, eratque viri tempus edentis edax:
Longa brevi moriens traxisti funera vitâ,
Longior at longo funera vita subit:
Nam GUALDUS calamo, quod non potuere parentes
Stirpe, virûm in memori vivere mente dedit.
Quæ tibi vita fuit, non est: tibi vita perennis.
PINELLI inscriptus Vita, libellus erit.

BERNARDI STEPHONII
E SOCIETATE JESU.

OPACA PINUS, & vetusta, nobilis
Gnidi Paphique sylva, sibilantibus
Comis sonora: sic susurrus ingruat
Tepentis aut Favonii, vel arduis
Serenus Auster implicata brachiis
Volutet usque ludibunda murmura:
Beata sic perennitas aquæ tibi
Amica, semper obloquente sibilo
Comæ volumen humidum secus citans,
Amœnitate fertili riget nemus:
Ut hinc & inde Pinea gravis nuce.
Comas onusque sustinere vix queas:
Vige salubre Cypridis nemus domus:
Vige perenne gaudium Liguriæ:
Quod & benignus educat Gnidi lepor:
Quod & leporis aura Paulus educat,
Superstitatque, sospitatque fœtibus
Tuis, suisque: Paulus unus omnium,
Quot & fuere, quotque sunt, eruntque post.
Amœnitatis instar integellulæ,
Amoris, & decoris, & tui sequax,
Tenaxque

Tenaxque veritatis, & boni tenax,
Vige: vigebit aureus ſimul decor:
Vige: vigebit elegans ſimul fides:
Datura frigus hoſpitale poſteris,
Domus virentis uſquequaque textili
Repexa fronde: ſive littoralibus
Maritimiſque floreum leporibus
Cubile perbenigna garrientibus,
Ut ante, ſemper apparare geſties:
Alumna ſeu Cytheris evocaverit
Liguſticaſque Romulaſque Gratias,
Jocis remixta Lydiis & Atticis.
Tuos ad hoſce ceſpites frequens ego
Meuſque Paulus, ingeni grauis lepor.
Tuos ab uſque Regia Cypro ſatus.
Ab ultimaque Pineos origine
In hoc cacumen editos, in id decus,
Redordiemur invicem: modis ego:
Ut ut libebit ille: ſive libera,
Severiore lege ſive mavolet
Rotundiora verba dulce volvere:
Utroque mirus artifex, tui memor,
Vigebis uſque: ſpondet id Gnidi Charis.
Et hic vigebis in ſodalis hortulis,
Loquente ſemper irrigata rivulo:
Ut alba poſcit, alba reddit ut fides.
Et has, arata literis fidelibus,
Sodalitatis indices notas geres.
Meâ ne ſtirpe lætiore creverim,
Tua ne PAULI culte diligentia
Amica Pinus, ambigo. Sed hoc liquet,
Quod interire poſſet, id dedit genus,
Quod interire neſcit, hoc AMOR dedit.

FAMIANI STRATÆ

E SOCIETATE JESU.

AMOREM audieram patrem doloris;
Nec dum crediderам, utriuſque mores
Longe diſſimiles, fefellerant me.
Sed jam percipio miſer, queroreque
Veroverius eſſe quod negabam.
Nec ſolus queror, hoc idem querunтur
Mecum, docte PINELLE, qui te amarunt,
Nam quis docte PINELLE, non te amavit?
PAULUS ante alios pereleganti
Ne totus pereas vetans libello.
Partum in pectore ſentiunt dolorem.
Infantem ſine lachrimis dolorem

Qui

Qui naſci nequit. Et Catoniano
Mi ſupercilio quis exprobabit
Lachrimas oculis perenne fuſas!
Quid ergo? ex oculis Amor creatus
In pectus cadit, hic creat dolorem.
Qui veſtigia per paterna, ad ipſos
Se refert oculos, & inde adauctus
Lachrimis, velut annis imbre, prima
Incunabula pectoris reviſit.
Hinc dolere, & amare ſe ſequuntur.
Qui dolor modo natus occidente eſt
Te PINELLE, in Amore delitebat.
Proque uno dolor occidente, mentes
Multrum numeroſus occupauit.
Sic quæ ſidera per diem latebant,
Apparent mortente Sole, & uni
Plurima face funus exequuntur.

JOSEPHI CASTALIONIS J. C.

EDITUS antiqua Ligurum de ſtirpe parentum,
Parthenope imperii claro quos auxit honore,
Venerat exemplar morum PINELLUS in urbem.
Quam poſuit pulſus Phrygiis Antenor ab oris,
Ingenii ut cultus caperet juvenilibus annis.
At licet in libris illic exegerit ævum
Abditus, & Regum vitarit tecta ſuperba,
Pollicitis magnis, precibuſque vocatus in aulam:
Haud latuit, vixitve ullo tamen ille beatus
Rege minus. Teſtis Germania, teſtis Hiberus,
Cumque Italo teſtis celeberrima Gallia tractu.
Nam quo non adiit PINELLI gloria? Quiſve
Conſpicuæ titulo doctrinæ floruit uſquam,
Cui cum PINELLO fuerint commercia nulla?
Democriti incultos quis jam mirabitur agros?
At tibi ſuſceptos nemo non PAULE labores
Laudibus in cælum tollit. Tu poſtera ſæcla
Quod ſtupeant, ſerique imitentur rite nepotes,
Digeris in libros, & mores exprimis ejus,

Sollicitis

Sollicitis qui opibus Regum ſecura potentum
Privatæ novit præponere commoda vitæ.
Tu pius officium merito perſoluis amico,
Cumque tuo longum producis nomen in ævum
Illius, officiantque caves oblivia neutri.
Hinc quoque permultum ſumit VICETIA lucis,
Et tanto natale ſolum ſe jactat alumno.
Felix qui caro capiti, patriæque tibique
Struxiſti doctis monumenta perennia chartis.

LAURENTII PIGNORII.

QUOS ſollicitat doctarum forma Sororum.
Dulci alit aut ſapientia cura,
Quos juvat emeritæ ſplendeſcere frontis honore.
Decerptæ ex Helicone beato:
Si lubet ô longum cœleſti accumbere menſæ,
Atque animum perfundere ſacro
Nectare, non alios quam PAULI evolvite chartas.
Queis pius inclyta nomina amici
Imprimit æternum manſuris, ille perenni
Eloquio bonus, aurea vitæ
Concludit præcepta, virumque informat amantem
Muſarum, & laudabilis oci,
Qua valeat certam Sophiæ contingere metam.
Et Famæ decurrere campo.
Non legat hæc cui ſtat foribus confixa ſuperbis
Mens, effræni perdita luxu:
Non qui inhiat gemmis, perituroque incubat auro.
Qui patriam, miſeroſque penates
Servilio premit infando. Num dicere laudes
GUALDE tuas ego carmine tentem?
Anne idem, mare cum fervet, deprendere nôrim
Quot veniant ad littora fluctus?

VITA

VITA
JOANNIS VINCENTII PINELLI,
PATRICII GENUENSIS.

HOMINUM qui in ſcientiarum mitiorumve literarum ſtudia incumberent, reperti ſunt omni ævo adeò pauci, quibus ſolidus unicuſque earum fructus propoſitus ex animo eſſet, ut ſi quis ejuſmodi fortefortuna compertus aliquando ſit, ad miraculum vergeret, raraque ut dicitur in terris avis, ſpectaculo magis eſſet quàm imitationi. His enim qui literis operam unquam navarunt, is ut plurimum obverſatus eſt finis, ut aut rem quærerent, nummaria quadam nundinatione profectum diſtracturi, aut inanes honores ut conſequerentur, propoſita ſibi ſcenica quadam & inſolenti oſtentatione, iis omnibus deliciis deſpectui penitus habitis, quas literarum ſuavitas, optimorum auctorum tractatio, doctorum hominum repetita conſuetudo, eruditorum & ſui amantium animis inſtillare conſueverunt. At non ita quos expreſſit Chriſtianus Rhetor; Magno, ait, & excellenti ingenio viri, cum ſe doctrinæ penitus dediſſent, quidquid laboris poterat impendi, contemptis omnibus & publicis & privatis actionibus, ad inquirendæ veritatis ſtudium contulerunt, exiſtimantes multo eſſe præclarius humanarum divinarumque rerum inveſtigare ac ſcire rationem, quam aut ſtruendis opibus, aut cumulandis honoribus inhærere. *Luculenter ut ſolet, Doctrina enim ipſa,*

Lactan. in præfat. lib. 1. de falſ. Relig.

——pretium ſibi, ſolaque late
Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus ullis
Erigitur, plauſuve petit clareſcere vulgi,
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Divitiis animoſa ſuis, immotaque cunctis
Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce.

Claudianus Panegyr. in conſul. Manl. Theo. in prin.

Hæc omnia, ætate noſtra intimè nota, & vitæ inſtituto comprobata fuere, uni ferme *JOH. VINCENTIO PINELLO* Cl. viro, cujus nunc vitam in publicæ rei commodum, & in veteris amicitiæ teſtimonium exordimur. Ejuſce rei ſpecimen, ab ipſo, ineunte etiam adoleſcentia exhibitum, teſtem habet *PAULUM MANUTIUM*, qui anno MDLXVI. per Epiſtolam *OCTAVIO SANMARCO* gratulatur, quod ſe Patavium

Epiſt. 16. lib 7.

vium ſtudiorum gratia contulerit, & amicitiam cum *PINELLO* inierit, in hæc verba; 'Nam de *IOH. VINCENTII PINELLI* con-'ſuetudine nihil dico, non enim dubito, quin ipſe jam perſpexeris, quæ ſint 'in illo juvene virtutes, quæ probitas, quæ humanitas: ut omni digniſſimus 'honore ſit, qui tamen ab omni honorum cupiditate, ſola virtute contentus, 'longiſſimè diſtat. Hæc ille. Quæ ſanè laus, ut ad animi compoſitionem, & ad inſtitutionem educantium creantur, manat etiam à majorum præſtantia, & nobilitate; fortes enim oriuntur fortibus, ut in confeſſo eſt. Cujus domeſtici ornamenti compendium hic attingemus, non quia monſtrari egeat, ſed quod ea demum germana laus eſt nobilitatis, quæ inter majorum imagines aditum ſibi comparat ad immortalitatem. Gentis *PINELLÆ* unius è duo de triginta Reipub. *GENUENSIS* nobilioribus & antiquioribus, meminit *UBERTUS FOLIETA*, his verbis: 'Gens *PINELLA* 'nobilis & pervetuſta, multos egregios atque inſignes viros, patriæque petu-'tiles tulit. At encomium hoc, jejunum fortaſſe viſum, extorſit acris judicii viro laudationem illam, qua vix ullam apud eundem reperias ampliorem, ea ſic ſe habet: 'Gens enim *PINELLA* apprime nobilis, turbulentiſſimis 'civitatis noſtræ temporibus, procul ab omni faſtu & ambitione, ab omnibuſ-'que civilibus contentionibus remota, cùm nullo loco operam & induſtriam 'ſuam Reipub. ſubtraxerit, nullumque illius procurandæ aut munus unquam 'intermiſerit, aut laborem ſubterfugerit, non tamen aut ex malis publicis creſ-'cere unquam ſtuduit, aut per publicam privatamve cujuſquam injuriam in al-'tiorem potentiæ aut dignitatis locum aſcendere contendit. *FOLIETÆ* præclarum teſtimonium de familiæ *PINELLÆ* ſplendore & vetuſtate, comprobabit minimè novitius ſcriptor *ELUTHERIUS MIRABELLIUS*, cujus de Gothorum Regibus ſermonem habentis hæc ſunt; Ex familia *PINELLA* ortus eſt *ILDOVALDUS* ſextus Rex Gothorum. Exſcripſit hæc *FANUSIUS CAMPANUS*, auctor nondum editus, cui Gentes Italicas illuſtriores, earumque origines recenſere curæ fuit. Ejus mihi copia facta eſt ab amiciſſimo viro *PAULO TÆGIO*, cujus animi candorem, & multiplicem rerum uſum, liberalemque doctrinam, *PINELLUS* noſter magni ſemper fecit. Sunt autem qui nerveſe aſſerunt (rumore ne domeſtico, an certis argumentis nixi, non ſatis ſcio) *PINELLOS* Cypro oriundos, manaſſe à Regia Luſitanorum domo. Mihi neque in horum, neque in Eleutherii verba juranti, compertum quidem eſt, gentem hanc inſignibus præditam ornamentis, inter Italicas clariores recenſeri jure meritò poſſe. Ideoque ego domeſtica *PINELLORUM* ornamenta conſulto prætereo, Senatores videlicet, Militiæ Præfectos, Reipub. Duces, & alios complures, optimè de poſteritate meritos, quorum, domi foriſque, ad laudem, & gloriam extant geſtarum egregiè rerum præclara monumenta. Summorum item Pontificum, & Regum aliquot perhonorifica decreta, *INNOCENTII* ſcilicet VIII. cujus avia *PINELLORUM* Gentilis fuit, *ALEXANDRI* VI. *FERDINANDI* patris, & *ALPHONSI* filii, Arragoniorum regum, quorum mihi omnium diplomata videre contigit, lubens omitto, rem actam minime acturus, illud ſane ſatis ſuperque fuiſſet, *DOMINICI PINELLI* Cardinalis

Lib. de Claris Ligurib.

Lib. 1. cap. 12.

ampliſſimi nunquam intermorituras laudes, inſtitutæ narrationi leviter aſperſiſſe: at iis, optimo quidem fato, ſcriptorem alium tanto oneri parem obtigiſſe gratulandum. Supra gentilitia ut diximus decora, *JOH. VINCENTIUS* noſter, natalibus Neapolim patriam ſortitus eſt, Urbem Italicarum ferè omnium nobiliſſimam & elegantiſſimam, quam loci amœnitas, & urbanæ nobilitatis ſplendor eò provexerunt, ut Hiſpanis, qui nunc ejus potiuntur, vernaculæ vocis, qua Italicè Neapolin appellamus, illud Hiſpanicum etymon unicè probetur, quo urbs Neapoli ornatior in eorum ditione extare uſquam pernegatur. Et ſane Heſperidum Alcinoique horti, præ Neapolitano agro ignobiles inamœnique fuerunt: nec aliunde videtur maximus poetarum laudandæ Italiæ, multiplex illud, & nobile argumentum arripuiſſe. Eximia enim ſunt illa, tractuſque hujus terrarum peculiaria.

Virg. Georgic. lib. 2.

Sed gravidæ fruges, & Bacchi Maſſicus humor
Implevere: tenent oleæque armentaque læta.
Hic ver aſſiduum, atque alienis menſibus Æſtas,
Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbos.

Et profectò apud non iniquos rerum æſtimatores, quid mollius eo cælo? quid uberius eo ſolo? quid hoſpitalius illo mari? Splendidiſſimam igitur patriam nactus *PINELLUS*, naſcitur anno MDCXXXV. patre *COSMO*, animi maximi viro. Huic Ennianum illud animo volventi, Multos rem ſuam bene geſſiſſe patria procul, Genua placuit Neapolim proficiſci, magnam ibi copioſamque mercaturam facturo. Et vero Genuenſium privatæ publicæque cum Hiſpaniarum Regno contractæ rationes, Neapolim eos frequenter advocant, cujus regni non contemnenda hodie portio Genuenſibus ceſſit. Negociationem autem liberalem illam & minimè ſordidam, civibus urbium liberarum & probari, & ornamento eſſe, extra controverſiam eſt. Ex quo capite *COSMUS* apprimè laudandus, quem Bartholomæus Maranta ‘probæ vitæ, ‘ſanctæque religionis unicum exemplar appellat. ‘In quam ſententiam Folie-‘ta; *COSMI* enim eximia animi moderatio, & noſtræ ætati conſpecta, & ‘poſteritati memorabilis inprimis eſt, nam nemo in quærendis opibus caſtius eſt ‘verſatus, famamque & mentem ab omni ſordium & avaritiæ labe integriorem ‘purioremue ſervavit; & iis opibus partis, quæ ad cultum honorificè tuen-‘dum ſufficerent, modo cupiditati ſalubriter poſito, omnique quæſtus genere, ‘ac ſollicitudine valere juſſa, præclarum exemplar poſteris ad imitandum in ſe ‘conſtituit, præterea, nulla in re privatæ ac civilis vitæ modum exceſſit, præ-‘terquam in ædificiorum magnificientia, ſumptibuſque in filiorum cultum, in ‘bellis, in aulis Regum, in gymnaſiis magnificè tuendum largè ſuppeditandis: ‘qua in laude perpetuæ & conteſtatæ gentilitiæ commendationi proximus fuit. Nupſit *COSMO CLEMENTIA RAVASCHERIA* è Lavaniæ Comitum nobiliſſimo ſtemmate, Barienſis, uti appellant, Prioris filia. Suſcepit is ex ea filios ſex: mares quaternos, fœminas binas *CORNELIAM & LUCRETIAM*: illa *JOH. SIMONI CARACCIOLO*, hæc *ANTONIO GUEVARÆ* collocatur: Capuæ ille, hic Nidi primarias equeſtris ordinis curias (vulgo Seggi) domeſtica dignitate attingebat.

Cic. Epiſt. 7. ad Treb. lib. 6. ſim.

tingebat. Spectat autem ad quinas patriciorum haſce curias, ſeu conventus mavis, Neapoli urbanæ annonæ, & civilis Juris procuratio, quibus è ſtato, & legitimo familiarum numero quinque viri ex urbana nobilitate præficiuntur. Eò proceres itare, tum Reipub. tum animi gratia conſueverunt, ex quo fit, ut magnam etiam apud exteros conſecutæ ſint hæ publici Conſilii Sedes ſermonis hominum celebritatem. Ei fratrum qui primus natus eſt, *GALEATIO* nomen fuit. *JOH. VINCENTIUS* ſecundo loco, *CAROLUS*, qui admodum adoleſcens periit, tertio, *JULIUS* quarto editi ſunt. *JOH. VINCENTIO* contigit ut geminus naſceretur; eodem enim partu, & ut ferunt octimeſtri, infrequenti admodum, & dubiæ videlicet ut medicis placet, vitalitatis, cum *CORNELIA* ſorore prodiit in lucem. Et ſanè æquum erat admiranda vitæ primordia illi obtingere, cujus ingenium, & vitæ rationem poſteri nunquam ſatis admirabuntur. At *COSMUS* pater cum ad CCC. Mil. aureorum ſummam rem domeſticam & familiarem, fælici eventu redegiſſet, *JOH. VINCENTIO* tum Patavii degente, obiit jam octuagenarius. Is filium qui reliquos ætate anteiret, ceteroſque deinceps è familia maximos natu, ampliſſima Primigeniorum jura teſtamento ſibi habere juſſit. Dum viveret, oppidum Neapoli proximum comparavit, Julianum nomine, loci deliciis inſigne, & incolarum frequentia: ibi ipſe Prætorium elegantiſſimum, peramænos hortos, laxa vivariorum ſepta, regio prope more excitaverat. Multò antequam vita excederet, mercaturæ nuncium (quod etiam *FOLIETA* teſtatur) lubenti animo remiſerat, atque à majori natu filio minoribus certam pecuniæ partem teſtamento legaverat, quam *GALEATIUS* religioſe perſolvit ſemper, *JOH. VINCENTIO* præſertim, & quidem magna cum acceſſione, quod fratris enixos ad virtutem conatus vir ornatiſſimus unice amaret: ideoque inter hos fratres ad ultimum uſque vitæ ſpiritum gratia non rara, mutuique amoris ſpecimen perjucundum animadverſa: &, quod mirere, adeo fratrum omnium horum pectoribus *JOH. VINCENTII* virtus inſederat, ut ſiquando diſſidiorum exordia uxoribus filiiſve ſeu affinibus (ut fit) incidiſſent, tunc eum per litteras non conſulere, ejuſque reſcriptis non obſequi religioni haberent. *GALEATIUS* adoleſcens ad bellicam gloriam aſpiravit, navavitque ſtrenuam operam *PHILIPPO* II. Hiſpaniarum Regi in bellis, Senenſi, Truentinoque, & ad Echinadas nobili illo navali certamine, quo Turcarum opes debilitatæ afflictæque, noſtris maris imperium veluti precariò conceſſerunt. Itaque *GALEATII* ſpectata induſtria *PHILIPPUM* allexit, ut Turonenſem Ditionem, quam ille in Lucania ſui juris fecerat, Marchionatus titulo ornaret, cui beneficio majus quippiam adjectum volens, eundem Acheruntinum Ducem declaravit, cùm Acheruntiam vetuſtiſſimam Apuliæ civitatem, cujus Horatius meminit, quæque hodie Acerenza, ſibi acquiſiviſſet. Viri hujus encomium ex *FOLIETA* deſumptum exſcripſimus, quia narrationi noſtræ animadvertimus non minimo ornamento futurum. ‘*GALEATIUM* in paterno ſinu, paternaque cura & diligentia educatum, omneſque artes non modò libero homine, ſed ſummæ fortunæ amplitudine dignas edoctum, non magis paternæ peramplæ opes, quàm ſuæ ipſius virtutes ac merita extulerunt, quippe qui omnia vitæ munera cumulatè implerit,

Plutar. lib. 5. de placit. philoſoph. c. 18.

'implerit, omnesque officii gradus erga propinquos, & ditioni subjunctos, at-
'que adeo omnes homines, persanctè, & diligenter servarit: nam propinquos
'& amicos liberalitate & hospitalitate, subjunctos vero æquitate, justitia,
'charitate coluit, veritatis in omni vita retinentissimus. Duxit uxorem,
'*LIVIAM* nomine, è vetustissima familia Squarciafica, a qua dotis nomine
'accepit, in Japygia Galatenæ Marchionatum, Galatena, Cupertino, Velia,
'& Librano, elegantibus oppidis insignem. Delectatus est is polytropia qua-
'dam, & varia peregrinarium rerum experientia, quam ipse sibi, non pervo-
'lutandis libris, ut *JOH. VINCENTIUS*, sed profectionibus pepe-
'rerat, & gentium externarum moribus indagandis. Et profecto bivium hoc
'ad civilem prudentiam ducit regiis & compendiariis itineribus. Libri enim,
'ut sensit Demetrius Phalereus, nos de plerisque admonent, quæ ne amici
'quidem audent attingere: turpia honestaque omnium ætatum exempla ob ocu-
'los ponunt, quæ à vitio avocent, quæ ad virtutem impellant. Peregrinati-
'one verò, nisi quispiam secum ipse peregrinetur, tanta rerum vis, tanta un-
'dique colligitur sapientiæ copia, ut quisquis illa afficitur, ceteris excellere
Philostrat. lib. 1. 'videatur. Itaque nobilis ille orbis terrarum peragrator, domo Tyanæus,
'conducere adolescentibus ajebat, voluntarium sibimet ipsis exilium indicere;
'hoc tamen, ut nihil aliud, profecturis (quæ fuit *GALEATII PI-*
'NELLI sententia) ut res admirari desinerent, sepositа, quod nemo non
'præclarum ducat, eorundem ignoratione. Ita mihi ille, cum ipsum officii
'gratia Neapoli aliquando convenissem. Decessit is de vitæ statione anno
'MDXCVIII. exacta plane ætate, omnium pene hominum ordinibus Neapoli
'ejus mortem dolentibus, cujus vitam summo cum splendore traductam proba-
'rant, cujus virtutem, cujus prudentiam non semel experti erant. Unicum
'filium reliquit *COSMUM* avi cognominem, qui partæ jam gentis existi-
'mationi, præstantiori aliquo decore consultum in posterum volens, magni
'Cancellarii munus è septenis Regni Neapolitani, post Proregem, insigniori-
'bus, grandi pecunia, LXX. aureorum millibus coemit, succesitque *CÆ-*
'SARI D'AVALO, magni illius Vastii Marchionis filio. Proceres Nea-
'politani permoleste tulerunt, honorem eum sibi ereptum, & in peregrinum
'hominem collatum; egeruntque cum *PHILIPPO REGE*, ut empti-
'onem irritam faceret, quod advenis hæc capessere non liceret. At *COS-*
'MUS, & exemplo *ANDRÆ AURIÆ* affinis sui, qui æquè olim
'magno munere fuerat Neapoli functus, & gentilitiis meritis, apud Regem
'obtinuit. At in semitam redeuntes, lectorem monitum volumus, secuisse
nos narrationem hanc vitæ *PINELLIANÆ* in præcipuas sectiones
duas. Continebit altera, quantopere *JOH. VINCENTIUS* eru-
ditionem eruditosque amarit, quo conatu in scientias incubuerit, quo de-
fectu nobilium ingeniorum monumenta conquisierit, qua demum via perve-
nerit ad fastigium immortalitatis. Complectetur altera, tum mores ejus-
dem, animique ornamenta, tum vitæ, cultus, nobiliumque institutorum ra-
tiones, quibus ipse quoad vixit laudatissimè usus est. Perspicuum hinc erit
& constabit, primum, ingentem eam esse voluptatem, qua perfunditur seri-
us, qualis ipse omnino fuit, literarum amator: deinde cuilibet qui velit ip-
sum imitari, latissimum patere (curis & ambitu procul) existimationis &
gloriæ

gloriæ campum, in quo ſumma cùm animi tum corporis tranquillitate, Philologia & Muſis comitantibus, verſari poſſit. Verè enim ille; 'Unam eſſe ex omni laudum genere, ingenii gloriam, qua ſine ulla cujuſquam querela perfrui 'ad extremam uſque homines ſoleant. Quibus accedet in corollarii non minimi vicem, mentis moleſtias, & animi ægritudines levari ſemper, abigi plerumque, ſuaviſſimis illecebris ſtudiorum, quæ & ipſas eruditorum animi remiſſiones condire adeò ſolent, ut quæcunque ſine illis aliquando obtigerint, inſuavis prorſus animi palato videantur. Optimæ igitur indolis puerum *JOH. VINCIENTIUM* pater eruditis viris, nobili Philoſopho *JOHANNI PAULO VERNALIONI* inprimis tradidit inſtruendum, qui eum brevi græcè latineque doctum, ad eum profectum evexerunt, ut literarum humaniorum periodo Neapoli abſoluta, Juri civili, Philoſophiæ, & Mathematicis non perfunctoriè fuerit initiatus. Vidit hæc prædicavitque Bartholomæus Maranta inſignis Medicus, qui Methodum ſuam ſimplicium medicamentorum evulgaturus, inſcripſit eam Anno MDLVIII. *JOH. VINCENTIO*, tres tunc & viginti annos nato. Appellat autem in Epiſtola ea quam editioni præfixit, 'doctiſſimum, medicæque materiæ 'peritiſſimum: hæc addens; huc accedit, quod bonam partem eorum quæ in 'meo libro continentur, in tuis hortulis obſervavimus, in quibus quam plurimas plantas ex variis remotiſque regionibus, magno illas quidem impendio 'advectas, perpulchrè aliis, de quibus ſæpe etiam inter nos commentati ſumus, 'innumeras admirabileſque naturæ varietates magna cum admiratione penſitantes. Illa vero ejuſdem *MARANTÆ* quàm præclara! Hanc Plan- *Lib. 2. Cap. 7.*
'tam, non contemnendis conjecturis, Dioſcoridis Piſtacium credit eſſe *JOH.* 'VINCENTIUS PINELLUS, vir (ut ceteras animi dotes propè 'innumeras taceam) materiæ medicamentorum ut quivis alius peritiſſimus. 'Neque hoc tantum adoleſcens callebat, ſed & alia plurima, ſi eidem Marantæ credimus, ità ſcribenti; Nam etſi in gravioribus ſtudiis à teneris uſque 'annis verſatus, inprimiſque in Juriſprudentia, atque in re tam Philoſophica 'quam Mathematica, in quibus ita excellis, ut nulli eorum qui ſeſe in iis jactant concedas; Medicam tamen materiam ità perfectè calles, ut omne ſtudium in hac una ſcientia conſumpſiſſe videaris. Hoc vero eo magis verum eſt, 'quod non minus in Græcarum literarum, Latinæque eloquentiæ, & poeticarum rerum ſtudiis præſtas. Ut ex his in magnam admirationem traducamur, 'qui fieri potuerit, ut omnia hæc in adoleſcentem convenirent; præter ſuaviſſimos & ſanctiſſimos mores, de quibus ita *MARANTA*; 'Adde & optimos integroſque mores, quibus omnius te, nobiliſſimamque familiam tuam, 'ita exornas, ut pater tuus *COSMUS*, probæ vitæ, ſanctæque religionis 'unicum exemplar, hoc uno inprimis ſe felicem prædicet, ac jucundam ſe agere ſenectutem teſtetur; nihilque non ſibi de te magnum, quod prudentem 'virum ſperare deceat, promittat. At quia muſices cognitio ſapientibus viris non minima Philoſophiæ portio ſemper viſa eſt, eò quod humanas affectiones egregiè curet, animoſque ab officio deflectentes in ſemitam revocet, ideo etiam huic operam ſuam impenſam voluit, præeunte domeſtico tunc & familiari præceptore Philippo de Monte, quem vidit noſtra ætas Phonaſcum Cæſarei Chori. Animi rectè conſtituti indicia hæc ſunt, quæ uſqueadeò Philo- *Bar: Maranta.*

phorum

phorum quidam olim comprobarunt, ut ſe matutinos ad lyram componerent, ſomni torporem & ſomniorum deliria ablegaturi. Animadverterat autem hic noſter, domi, inter amplexus parentum, & familiarium obſequia, in urbe deliciarum plena, militaribus & equeſtribus, quàm Muſarum ſtudiis aptiore, non perventurum ſeſe ad eam gloriæ metam, quam ſibi deſtinarat, ideò Gymnaſii Patavini fama permotus, quod ceterorum in terra Italia Policletæam normam appellaris, captuſque nomine, & amore.

Jacob. Ruſin. Patav.

——Urbis tam nobilis ævo,
Quàm ſtudiis, & Dardanio poſitore verendæ.

Profectionem incipit meditari, repugnante tamen patre, jam ſenio confecto qui ſpes ſuas omnes in hoc uno adoleſcente collocarat, cui jamdiu redituum ampliſſimorum procurationem ſenex optimus mandarat, nullis unquam ab eo exactis rei familiaris rationibus, ut olim narrare *JOH. VINCENTIUS* conſueverat. Perſtabat uti diximus in ſententia pater, ægreque chariſſimum filium à ſe divelli patiebatur, cujus rei teſtem damus *SCIPIONEM AMMIRATUM*, qui in dialogum vernacula lingua conſcriptum, Marantam Medicum narrantem induxit, *JOH. VINCENTII* patrem profectionem hanc ſummopere aſpernatum, quod eum Neapoli etiam putaret proficere in literis poſſe. Subdit idem, filii voluntati tandem obtemperaſſe indulgentiſſimum patrem; & ſeſe tunc, nobiliſſimi adoleſcentis precibus, hoc propoſitum, creſcentis lunæ ſymbolo expreſſiſſe, adjecta Epigraphe, *REDIBO PLENIOR. JOH. VINCENTII* virtuti (cujus ſe olim prædicat conjectorem) id ſymbolum datum. Narrat ibidem Maranta, intuenti ſibi gloriam, qua hic adoleſcens maxime excellebat, emblema hujuſmodi excidiſſe; arcum videlicet ita intentum, ut cornua propè coire videantur, impoſita ſagitta, cujus ferri acies in cœlum tendat, & omen inſcriptum, *SIC ITUR AD ASTRA.* Hæc, quæ ille pluribus, hic ea mente recenſui, ut ex illis, patris in *JOH. VINCENTIUM* amor, ut quæ Neapoli diſceſſuro impedimento fuerint, ut qua famæ celebritate motus fuerit, adoleſcens annos natus quinque vel ſex ſupra viginti, deprehendatur. *AMMIRATI* dialogus prodiit Anno MDLXII. quo, ſi, lunæ plenæ inſtar, abſolverat univerſum orbem diſciplinarum, aſſerente Ammirato vaticinatum ſe, & multò ante proſpexiſſe præclaros *JOH. VINCENTII* ad gloriam, & immortalitatem conatus, quò perveniſſe dicemus eum, qui ſpatio XL. annorum iiſdem veſtigiis inſiſtens, eadem ſtudia, nunquam remiſſa, vehementi illa animi contentione, fuerit amplexatus?

Dialog. Symb. Heroic.

Claudianus. Panegyr. in conſula. Manl. Theodor. in Princ.

——Uno ſe pectore cuncta vetuſtas
Condidit, & major collectis viribus exit.

Huc pertinet aliud emblema, quod ipſe ſibi Patavii degens concinnarat; terrarum orbis, quem ſerpens ambiret horizontis in morem, & huic ſuperſtans radiato capite albens columba, adſcriptis ſacroſancti Evangelii verbis,

ΓΙΝΕΣΘΕ ΦΡΟΝΙΜΟΙ ΩΣ ΟΙ ΟΦΕΙΣ ΚΑΙ ΑΚΕΡΑΙΟΙ ΩΣ ΑΠΕΡΙΣΤΕΡΑΙ, docturus, prudentiam ſibi non vafriciem placere. Oderat ille verſutos, fallaces, & veteratores, qui ſubdolis ingeniis virtutis nomen obtenderent, informi perſona virtutum parentem prudentiam dehoneſtantes: aliud agere aliud ſimulare improbum ducebat, cui nefas fuit ſemper, not ita ſe gerere, uti inter bonos viros bene agier oportet. Prudentia autem ſine ſimplicitate calliditas eſt, ſimplicitas ſine prudentia, ſtultitia. Symbolum hoc, in auctarii vicem, imagini *JOH. VINCENTII*, quam amici ΜΝΗΜΟΣΥΝΟΝ, in æs affabre incidi curavit, adjunxit *MARCUS VELSERUS* II. *VIR* Auguſtanus, humaniorum literarum, & Catholicæ religionis laude clariſſimus. Geſtabat ille quandoque aureum annulum ſignatorium, in cujus pala itidem aureus hic idem columbæ orbis & ſerpentis character extabat, nullis tamen adſcriptis literis, niſi quà circuli pars interior digitum amplexatur, ubi hæc è Pindaro inciſa: ΜΑΚΥΝΩΝ ΤΕΛΟΣ ΟΥΔΕΝ. Utebatur hoc ille, quoties ſe rei alicujus commonefieri opus eſſet, excitans ſeſe Pindarica gnome, ut innueret, momentum præcipuum conficiendi negotii, in arripienda occaſione conſiſtere. Venit ergo Patavium *PINELLUS* vergente jam anno *MDLVIII.* indicante id Maranta, qui ſub initium Julii menſis ejuſdem anni, ita ad Gabrielem Fallopium Medicum primarium ſcribit; '*DE PINELLO*, eſt enim juvenis, præter antiquam gen'neris nobilitatem, & Græcis, & Latinis literis impenſè eruditus, & cum 'liberalium artium ferè omnium cognitionem profiteatur, tum in hac ipſa de 'ſimplicibus medicamentis ſcientia plurimum excellit, in primiſque in expen'dendis doctiſſimorum virorum ſententiis acri pollet judicio, quod & tute ipſe 'fatebere, cùm illum intus & in cute (ut dicitur) noveris: paucis enim poſt 'menſibus Patavium ſtudiorum cauſa ſe recipiet. Hoc poſtremum caput confirmat Epiſtola Hieronymi Seripandi Archiepiſcopi Salernitani, & maximi Cardinalis, qua ille anno *MDLIX.* Patavium ad *JOH. VINCENTIVM* Italicè ita ſcribit, inter cetera; gaudere ſe ſibi, quod ex laudatione ſua in funere *CROLI V.* optimi Imperatoris, arripuerit occaſionem amicitiæ cum *PAULO MANUTIO* contrahendæ. Hinc duo præterea eliciuntur: alterum; jam tum à magnis viris *PINELLI* habitam rationem, alterum, hoc anno eam cum *MANUTIO* conſuetudinem & amicitiam junctam, ut hic nunquam Patavium veniret, quin ad *PINELLUM* hoſpes familiaris diverteret.

Matth. c. 10.

Pind. ode IV.

Iuprinc. Method ſimpl. Medicament.

Lib. 4. epiſt. ſelectior. virorum illuſtrium.

Placebat patri, ut in Gymnaſio Patavino Juris prudentiæ operam daret; ſpectanti nimirum opes & exiſtimationem, quas *I. C.* noſtro & patrum ævo longe maximas habuere. Aulæ Romanæ ampliſſima munera animo revolvebat *COSMUS*, quibus filii ſtudia pridem deſtinarat, ideoque cogitabat (ut *ALPHONSUM SOTUM* Dominicani inſtituti Sacræ Theologiæ in Gymnaſio Patavino Profeſſorem narrantem memini) Apoſtolicæ Cameræ, ut vocant, Clericatum ipſi comparare, quæ ſententia jamdiu ſederat & *GALEATIO* fratri, Duci Acheruntino. Neque patri aliquandiu non obtemperavit *JOH. VINCENTIUS*, ut ex Paulo Manutio diſcimus, cujus hæc verba; 'Magna fuit, atque etiam nunc inter homines eſt de genere 'vitæ controverſia, cùm alios ita doctrinarum cognitio delectet, ut ab agen-

Lib. 4. epiſt.

'dis-

'dis rebus abhorreant: alii non ſibi tantùm, verum etiam amicis, & patriæ, 'planeque omnibus hominibus homines eſſe natos exiſtiment, ex quo ſequitur, 'ut ſcientiarum ſtudiis uſum rerum anteponant; hoc diſcrimen, in quo valde 'pro ſenſu partium dubia veritas fluctuat, tu quidem, quod ad te attinet, op- 'time *PINELLE*, optimiſque & eruditis viris merito chariſſime, egregia 'quadam, vulgo non ſatis cognita, ratione ſuſtuliſti; ſimul enim utrumque 'ſtudium complexus es, tum earum diſciplinarum, quibus exculta mens uber- 'rimos in omni fortuna ferre fructus ſolet, tum Juris civilis, quod alienos ad 'uſus maximè porrigitur: ardua res & operoſa, quod exemplorum declarat 'inopia; ſed ingenio tuo nihil difficile. Hæc ille ad *PINELLUM*, 'uti paret, adoleſcentem; cum pergat ſcribere: in Philoſophia quidem, cùm 'operam ſtudioſè des M. Antonio Genuæ, cui veterum doctrinarum arcana 'patent, quo nemo peritior Ariſtotelis interpres, nemo vir melior uſquam vi- 'vit. Et inferius: Hauries enim ex eodem fonte, non ea ſolum quæ vel olim 'in Lycæo, vel etiam in Academia diſputabantur; ſed id quod longe præſtan- 'tius eſt, Chriſtianam pietatem, à qua manat una, & in qua item una Philo- 'ſophia perficitur. Obiit autem Genua Anno. *MDLXIV.*

Jam verò, cùm Philoſophiæ Philologiæque ſuaviſſimis fontibus labra admoviſſet, Juriſconſultos cum operoſis illis ſuis voluminibus res ſuas ſibi habere juſſit eo animi ardore, ut cum ipſi pater pecuniam curaſſet, qua Juris interpretum libros coemeret, in Græcos ille codices, Euſtathium præſertim, nobilem illum Homeri explicatorem impenderit. Scio ego non deeſſe, qui hæc ſtudia effuſius rideant, perinde ac inania quædam, & fluxa, quæ neque nobis ornamento, neque aliis uſui ſint: dedecere hæc Principes viros, & verè nobiles, ad quos publicæ rei adminiſtratio pertinet, quorum operam familiarium, & cognatorum commodis inſervire par eſt. His Picus, Italiæ noſtræ Phœnix, unica reſponſione faciet ſatis. Scripſit is olim ad Andream Corneum, 'ſtudia 'hæc non ad oſtentationem, ſed ad cultum animi dirigi, in quo uno conſiſtere 'legitimam fælicitatem: cùm ipſius Philoſophiæ ſtudio nec ad vitæ conſtanti- 'am, nec ad delectationem animorum ullum majus, aut melius à Deo munus 'homini datum ſit. Et nemo certe negabit, quin *PINELLUS* recte fe- cerit, & ſapienter, genio, quo ſe ad has artes raptari intelligebat, indulgen- do. Carnificina ingeniorum nulla major, quam promiſcuè, & ſine ullo de- lectu impellere hominem in ea ſtudia, quæ ipſe faſtidiat, & averſetur. Hinc torpent animi juvenum peſtilenti hoc ſidere afflati; hinc bonarum artium, & bonæ mentis verius, contemptus, & odium; 'hinc rerum rumor, & ſenten- 'tiarum vaniſſimus ſtrepitus, ut ille ait. Neque aliunde fœdi plerumque exi- tus, quos tum demum vitare liceret, ſi patres ſapientis naturæ monita non aſ- pernarentur. Prodit in hanc ſententiam graviſſimus auctor Plutarchus, A- pollinem Delphicum Romanæ eloquentiæ parenti, qua ratione ad immortali- tatis faſtigium pervenire poſſet conſulenti reſpondiſſe, hoc illum aſſecuturum, ſi ad propenſionem, præſcriptumque naturæ, non ad ſententiam aliorum vi- tam inſtitueret. At is, famæ & gloriæ præpoſterè ſitiens, vulgi rumuſculis percitus, & domeſticorum commodis conſultum volens, ultro ſe perditum ivit, non ſecutus atque ille.

In lib. epiſt.

Plutarchus in prine. in Ciceron.

Quem

Quem pater ardentis maſſæ fuligine lippus.
A carbone & forcipibus, gladioſque parante
Incude, & luteo Vulcano ad Rhetora miſit.

Demoſthenes.
Juvenalis.
Sat. x.

Illud ſane obſervandum (ut in orbitam redeamus) ſiniſtro genio, & invita Minerva aliquid agere dicereve temerarium eſſe, ne quid dicam majus.

Patavii *PINELLUS* cum Dominico, gentili atque affine ſuo conjunctiſſimè vixit, quem non multo poſt vidit, & lubens, clariſſimum Cardinalem; amicoſque tum primum habuit excoluitque officiis ſane omnibus, Guidum Ubaldum è Marchionibus montis, Cæſarem Benedictum poſtea Piſaurenſem Epiſcopum, *AUGUSTINUM VALERIUM*, doctrinæ etiam tum ſanctitatiſque meritis ad Veronenſem Epiſcopatum, & ad Cardinalis honorem proludentem; Johannem præter hos, & *HYPPOLITUM* Aldobrandinos, quorum alterum vidimus Cardinalem, Summum Pontificem alterum. Vixit Patavii annos III. ſupra XL. per quos nemo fuit apud Italos vel exteros qui ingenii laude clareret, qui non *PINELLUM* officioſè obſervarit, & quamvis conſilium mihi ſit ab eorum indice contexendo abſtinere, ne lectores tædio afficiantur, eos tamen parcè admodum recenſebo, quos narrationis ſeries ſive rerum geſtarum fides, ad finem properanti obtulerint. Id unum, exquiſitum ſane & ſingulare, haud ſilentio prætereundum, anno videlicet MDXCIIX. *CLEMENTE* VIII. Ferrariam Roma profecto, ut eam urbem ex morte *ALPHONSI* II. Ateſtini caducam reciperet, Cardinalium & inſignium virorum pleroſque omnes, qui ut Venetias ſe conferrent Patavium attigerant, ad *PINELLUM* honoris gratia divertiſſe. *CÆSAREM* Baronium Card. inprimis, ampliſſimi ordinis decus, quem ævi noſtri lumen nos Romæ nuper morte interſtinctum cum bonis adeò omnibus doluimus. Baronio aderat *Robertus* Bellarminus, doctorum votis, & propriis meritis diu olim deſignatus Cardinalis, qui & ipſe congreſſus eſt cum *Pinello*, geſtiente præ gaudio, quod tunc temporis domi ſibi inviſere contigiſſet, quos non nemo in diſſitis undecunque regionibus maxima cum admiratione veneraretur. Meminique ego Card. Barromæum juniorem, probum illum non minus quam eruditum, & alios complures literatos viros, audiſſe me Romæ dicentes, ſibi non alia de cauſa Patavinam urbem videre in votis fuiſſe, quam ut *Pinellum* fama notum, de facie agnoſcerent. Percupivit hoc I. Lipſius, qui id ſcripto etiam teſtatum voluit; 'ſpero enim (ita ille) quia penè 'decretum mihi, ſub annum inſtantem ſæcularem in Italia me ſiſtere; & abſit 'ut ea exeam, niſi te videam & amplectar, quid exeam; imò cum inibo, hoc 'fiet opinor: & inter prima & calida deſideria mea eſt, ut hoc reddam affect-'um. Vive, vivam: niſi caſus aut vis impedit, videbo. Et verò tantam eruditorum conſenſionem quis admiretur? nemo opinor, niſi qui ignorabit, *Pinelli* domum Patavii animorum Prytanæum, Bibliothecam ingeniorum, Muſæum doctrinæ fuiſſe & eruditionis. Vixdum *Joh. Vincentius* Patavii domicilium collocarat, cùm accerrimo ſtudio ductus nobilium quotquot erant rerum dignoſcendarum, quo ipſe ad extremum uſque vitæ ſpiritum honeſtiſſimè flagravit, Tridentum proficiſci decrevit, ut ibi ſapientiſſimos, & religioſiſſimos orbis Chriſtiani viros de maximis Catholicæ religionis dogmatibus conſultan-

Epiſt. cent. 3. ad Italos & Hiſpanos.

tes, & agnoſceret, & audiret. Socium ſibi peregrinationis aſcivit *Joh.* Franciſcum *Muſatum* Patricium Patavinum, Philoſophum cognomento, literarum omnium apprime ſcientem, qui morum elegantia, & vitæ innocentia *Pinellum* ſibi adeo devinxit, ut nihil ſupra. Contigit autem *Muſato Joh. Vincentio* ſuperſtiti eſſe, ut nimirum defuncti vicibus in re literaria tuenda & exornanda, ut facit, perfungeretur. Linguas hic noſter non tantum Græcam, & Latinam callebat, ſed & exoticas quoque, Hebræam, Gallicam, Hiſpanicam, quarum & auctores perpendere, & ſpeciem formamque amare, & intueri jamdiu noverat. Vernaculum ſermonem ita pridem excoluerat, ut nitorem in eo ſuſpiceres & elegantiam, non elaboratam concinnitatem; & ſanè prodit animum frequenter oratio: nec aptius vitro facies, quàm ſermone mores exprimuntur.

Hor. ad Piſones.

Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum: juvat aut impellit ad iram.
Aut ad humum mœrore gravi deducit, & angit:
Poſt effert animi motus interprete lingua.

Neque vero pœnituit Patavium ſeceſſiſſe. Hic enim couſque in ſcientiarum cognitione profecit, donec omnibus admirationi eſſet. Audivi ego eum domi ſæpe ſæpius maximis de rebus in eruditorum coronâ differentem, animadvertiq;, mirari omnes quotquot aderant, rerum ſelectarum copiam cum orationis ſplendore certantem. Proprium Græcorum fuit, ex tempore dicere ad propoſita omnia. Extemporalis hujus eloquentiæ auctor laudatur nobilis Sophiſtes Gorgias Leontinus, à quo arripuere Græci, à quibus Romani. Abſtulit autem ſecum bonarum artium interitus exercitationem hanc, quæ linguam acueret, excogitandique celeritatem compararet. Excitavit verò *Pinellus* magno cum fructu, ut qui orationem mente, & ſcientiarum gravitate honeſtaret. Hinc *Hieronymus Mercurialis*, magnus ille ſine controverſia Iatronices, cui medica ars ornatum debet ſelectum illum & peculiarem, quo priſtinam dignitatem nunc demum abundè teſtatur, in admirationem actus aliquando cum *Pinellum* domi audiſſet, egrediens (aderant ibi forte communium amicorum plerique) ecquem ait vidiſtis viro huic multiplici doctrina conferendum? comprobavere qui audierant, nec injuria profecto. Hæc enim quæ diximus ita eminebant in ipſo, ut in his regnare propè omnibus videretur. Oſtentatio tamen ab ejus dictis factiſque procul aberat, nihil de ſe magnificum, præclarumve ſentientis; quo fiebat, ut egregium duceret *ſeneſcere ſe*, ut ille olim, *ſemper addiſcentem*. Si quando verò, ut inter loquendum fit, animadvertebat, aſſervari à ſe libros, ſcripta, aliave quæpiam recondita ac ſingularia, quæ amicis viſa hactenus non eſſent, ea promere, atque adeo commodare ultrò nec petentibus avebat. Quo ſtudio incitatus, in uſum omnium, difficile dictu eſt quantis laboribus vir natus ad literariæ reipub. commoda fuerit perfunctus. Vera hæc, & citra aſſentationem dicta. Is enim quæ volebat valde volebat; Lydium ingeniorum lapidem dixiſſes, amicorum omnia non ſecus ac ſua ad amuſſim explorantem. Repoſcebat ille ab amicis eandem ſedulitatem; quam tamen præſtare contigit admodum paucis, quos

ille

ille (ut par erat) aureos homines appellabat. Et profecto plerosque eximia illa diligentia, ne dicam morositas deterrebat, non æstimantes quanti interfit temerene, an consultò quidpiam agas. Instruxerat ille præclaram hanc suam discendi cupiditatem ope multorum, qui eadem voluptate afficerentur. Hos non in Italiæ, Europæque urbibus modo, sed & in oppidis, vicisque selegerat, quorum industria continenter uteretur, ad quos Epistolas schedulasve oportunè missitaret. Illud sane in *Pinello* mirandum, quanam ratione ipsi per imbecillam valetudinem liceret tot rerum meminisse, tot negotiis sufficere. Et verò hanc ille sibi præter ceteras methodum præscripserat, ut perlectis amicorum literis, earum capita compendiaria via in codicem referret. Hunc sibi proponebat responsurus, sepositis Epistolis, in quarum mox tergo adnotabat nomen ejus qui scripsisset, annum, diem, locum, & negotiorum indiculum. Harum fasciculos singulis hebdomadis in cistulas transferebat. Ad literas cum demum responderat, selectas in manipulos cogi, annorum, mensium, septimanarum, dierum habita ratione digeri, & in unum secludi imperabat. Consueverat insuper tabulas sibi quasdam conficere, in quas referret ea omnia quæ ipse ab amicis, quæ ipsi ab eo vicissim postularent; descriptisque summis negotiorum, petentiumque nominibus, uno intuitu discernebat quid actum esset, quid agendum restaret: re confecta, nomina inducebat, postquam rescripta cum codice contulisset: & omnia manu plurimum sua conscribebat, (duobus quibus ægrotavit annis exceptis) ne scilicet ulla in re officio deesset, neve cuipiam minus diligens videretur. Et quamvis firma satis non sit amicitia, ‘ si qua, velut tibicines, ultrò citroque concursantium literarum sibi ‘ vicissitudines postulat, quæ nutantem infirmiusculamque furcillent, frustra‘ ri tamen desideria amicorum inurbanum sanè est. Negociorum refertam Epistolam scriptitanti, mos erat præcipua capita subdita linea indicare, ut eo confestim excurreret legentis oculus. Ego profectò neminem novi, tum in scribendo, tum in respondendo, *Pinello* diligentiorem; cum enim annum Romæ sæcularem integrum exegerim, neminem omnino tabellarium, cui non ad me literas daret, sibi unquam elabi passus est, quantumvis æger, & medicis conclamatus decumberet. Id omnem superat admirationem, quod cùm per annum è lecto surgere non licuisset, febrienti sine intermissione, vexato stranguria intimisque doloribus, lithiasi in vesica, & renibus laboranti, ad extremum tandem quà tabe, qua nimiis vigiliis redacto, quòd inquam hæc & non minora patienti, libri tamen, scriptiones, plantæ, semina, fossilia, nummi veteres, & alia hujusmodi, nunquam ex animo exciderint. Dolori (quod mirum) ita imperabat, ut unis medicis proderet, non ostentaret; mecum sanè interdum, & cum amicorum nonnullis strictim, & aliud agens, de morbi gravitate conquestus, illico digrediebatur, hilarem se, & communem præbens ad miraculum usque. Hinc, ni fallor, patet quanti interfit præclaris actionibus consueviſſe. Amplectitur enim eas animus, neque se ab iis ullo patitur incommodo divelli. Obstrepent licet, obtundantque, hinc animi egritudines, inde corporis morbi: is qui semel, serioque literarum suavitate animum adjecerit, attendet uni sibi non minus, quàm fidicines & circulatores in magna hominum celebritate. Actum sanè de bonis artibus esset, nisi ipsæ id amatoribus suis præstarent, quod de plebe sordidis & illiberalibus non paucis

Joan. Picus in epist. ad Andr. Cornetum.

lucri cupiditas. In eam curam, dum vixit, ardenter incubuit, ut libros editos, manuſcriptoſque, linguarum doctrinarumque omnium in unum cogeret, cui operi deſtinarat ſcriptores librarios pleroſque, quorum ipſe unus operas ferè omnes mercede conduxerat. Bibliotheca ejuſdem, quæ inter omnes penè Italicas, ac ferè dixerim Europæas, una eminebat, quinquaginta annorum opus fuit, magni ex eo ſaltem æſtimandum, quod accuratiſſimus vir in illud unum contulerit curas ſuas omnes & cogitationes. Effinxerat eum ad hoc munus natura, quam ipſe ſolertia & ingenii acumine eo uſque provexerat, ut non magis frequentes olim Apollinis tripodas conſulentes, quam Bibliothecas inſtructuri *Pinellum* inviſerent, à quo veluti à cortina Muſarum, aurea hujuſmodi rerum præcepta domum referrent. Librorum numerum mihi incompertum, ex eo inveſtigare quis poterit, quod Neapolim poſt ejus obitum capſæ librariæ plus minus centenæ tricenæ delatæ ſunt. Et ſanè librorum quos probitas, aut probitatis plerumque comes raritas commendaret, paucos admodum in ejus Bibliotheca deſideraſſes. Jurisconſultorum commentarios non paſſim, ſed parce admodum, & cum delectu admittebat, veluti Alciatum, Budæum, Cujacium, Duarenum, Goveanum, Auguſtinum, & ceteros qui jus ciuile in priſtinam dignitatem reſtituerunt: alios ab his longum valere
Lib. 4. epiſt. 5. juſſerat. Hanc illi fortaſſe mentem *Paulus Manutius* injecerat; 'Non enim 'te arbitror ſtudiorum tuorum elegantiam ineptiſſimis, planeque barbaris 'quorundam ſcriptis inquinare velle, quæ cum immenſa ſint, pleraque tamen 'inania, laboris & moleſtiæ plurimum, utilitatis & oblectamenti minimum 'habent. Hæc ille. Nundinarum Francfurtenſium, Venetorumque bibliopolarum librarios quotquot erant indices ſedulò perluſtrabat, & ab amicis qua Italicis qua tranſalpinis omnia diligenter in bibliothecæ ornamentum percunctabatur. Si quid Romæ, Florentiæ, Pariſiis, Antuerpiæ, Auguſtæ Vindelicorum, Venetiis, & alibi, *Pinelliana* bibliotheca dignum prodiret, non deerant, qui vixdum edita volumina, & quaterniones aliquando è prælo recentes *Pinello* miſſitarent. Vidimus etiam doctorum hominum pleroſque, egregios dico & nominis magni, ad ſuam dignitatem pertinere arbitratos, Muſæum *Pinelli* exornari commentario quopiam è ſuis. Vidiſſes ibi ſphæras cœleſtes, terrarum globos, organa Mathematica, tabulas geographicas, hydrographicaſque, antiquorum ædificiorum typos, ichnographias, orthographias; foſſilium rariorum prædivitem metallothecam; loculos præterea formulaſque, in quibus plurima eorum, quæ ars, naturave ad oſtentationem elaborarunt, condebantur. Veterum numiſmatum copiam non affectavit: ſelectioribus tamen nonnullis unicè delectatus, queis antiquariis figeret crucem, ſtudioſius quæſituris, ſi quid in ipſis reconditi eruditive lateret. Uno ille Neronis nummo inviſo hactenus & valde ſingulari, ingenia provocavit complurium eruditorum, obtinuitque ut ſimbolum perobſcurum, amici conſcriptione, quatenus licuit, illuſtraretur.

Laurentius Pignorius.

Recentiorum libros empturus, diſquirebat an habenda eſſet fides titulis, qui ſpecioſis plerunque verbis, ineptiſſimis voluminibus lenocinantur. Ideoque bibliopolarum conſenſu inveſtigationi huic impendebat horas aliquot, malæ emptionis faſtidiis obviam iturus, quæ exprobare jugiter ſtultitiam domino ſolet. Librorum qui olim prodierant iteratas editiones cum primis conferebat,

bat, & ſi quid additum ſeu demptum intellexerat, in eorundem margines referebat, magno cum ſui tum aliorum fructu. Accidit enim ſæpenumero, ut optimæ notæ libris frequentes editiones ſuavitatem adimant, & probitatem. Bibliothecam hanc ſuam conſpici, aut contrectari haud patiebatur, quod, ut ipſe dicebat, variarum congeriem informem contineret: cum tamen omnia aptè diſpoſita eſſent, & ſuis quæque regionibus collocata. Artium porro, quas ingenuas appellamus, unaquæque ſuas hic, eaſque perpetuas ſtationes habebat. Grammaticem dico, Rhetoricem, Dialecticen, & ceteras; quarum agmen claudebant graviores illæ, quibus mores formare curæ eſt, & rerum humanarum divinarumque arcana contemplari. Harum omnium ſcriptores in varias dialectorum tractationumque claſſes diſtributos, antiquos à recentioribus ætatum ſeries diſtinguebat. Armaria litteris quadratis, loculi numeralibus notis inſigniti, elementario indici reſpondebant, in quo libros deſcriptos omnes habebat. Perquiramus cum *Pinello* ſi lubet Plinii codicem; ſyllabus ipſum dabat in elemento *P.* cui ſcrinium adſcriptum *T.* cum loculo III. & ad hanc rationem omnia. Libros manuſcriptos tum chartaceos, tum in membranis, ſeorſum ab impreſſis in bibliothecæ umbilico, ut ita dixerim, collocarat. Incluſerat verò capſis, extructis ad eam altitudinem, ut in ſummis, tanquam in menſa abacove, locari orbes cœleſtes & terreſtres, & alia hujuſmodi ſtatui commodè poſſent.

Commentarios demum, libellos, Epiſtolas, hiſtoriolas, & alia hujus ordinis, quæ ipſe plurima anxiè coëgerat, inſigni collocatione aptis & accommodatis locis compoſuerat. Cui rationi rerum diſponendarum, uti ſtudioſis non injucundæ, pauliſper immorari operæ prætium duxi. Infaſciculos ille ſingulos conjiciebat commentarios aliquot, quorum ſcriptioni narrationis alicujus, bellicorum verbi gratia apparatuum, rerum hortenſium, ſimiliumque, ſcopus propoſitus eſſet. Hos faſciculos in libri morem, non tamen compacti, charta emporetica operiebat, cui inſcripti unus plureſve characteres elementarii, prout manipulorum numerus exigebat. Scriptiunculas quotquot erant, chartæ puræ folia diſparabant, cum adſcripta numeri cujuſpiam barbarica nota. Hæc omnia uno aut altero exemplo illuſtrabuntur. Inerant congeriei, *A*, nobilium Mathematicorum ſcripta, inter quæ commentarius *Carolli Tectii* de Circini uſu, notatus 18. In codice *F.* quem rebus Hiſpanicis deſtinarat, numeralis nota 31. Eſcuriaci deſcriptionem, aliæ quæpiam Caroli *V.* Tunetanam expeditionem indicabant. Ad manum erant hæc omnia ope codicis, quem in elementarias ſectiones diſpertitum indicem vocamus. In hoc ſub littera, *A*, cenſebantur ea, quæ ad Mathematicas diſciplinas, nota numerali præeunte. Exempli gratia,

1. *Commentarius Galilæi Galilæi, Florentini Mathematices Patavini Prof. pro Copernico adverſus Jacobum Mazzonium.*
2. *Joſephi Moletii de emendatione anni.*

In quem ordinem redegerat ea omnia, quæ primo illo elemento complexus erat. Subſequebatur littera *B*, qua ſub iiſdem numeris alia continebantur, apta nihilominus inter ſe & convenientia. Neque verò ad calcem codicis hujus.

jus deerat libellus alter, in quo, elementaria ratione, ſumma quædam capita deſcripta eſſent omnium quotquot erant Manipulorum, hac methodo. Nota, *V*, res omnes Venetas indicabat, conjectas in faſciculum *GG*. Demus ergo, collubitum fuiſſe illi commentarium perlegere de æſtu Veneti maris, quod Hadriaticum vocant, ad alterum ille indicem hunc actutum confugiebat, à quo ad priorem illum amandabatur, elementa *GG* inſpecturus. Hic ille rerum Venetarum breviario perlecto comperiebat, latere commentarium de æſtu maris ſub numerali nota 28. congeriei illius cujus character duplex *G*.

Non adeò faciles aditus (ut diximus) præbebat ipſe ad hanc ſuam bibliothecam inſpiciendam. Iis vero, qui illaudata periergia ducti, nullius pretii homines, illam videre affectaſſent, omnino intercluſam volebat: ſufficere dictitans commonſtrari illis imagines illuſtrium virorum, quarum decurias aliquot in domeſticis conclavibus aſſervabat. Hoc idem *Urbini Duci* propoſitum olim audivi. Inviſenti enim mihi aliquando Piſaurenſem ejus bibliothecam, refertam optimorum librorum, admirantique quod eſſet ornamentorum, tabularum videlicet, ſignorumque inanis, bibliothecæ Præfectus reſpondit, dedita opera id factum, ut ne illuc convolarent, qui re literaria non afficiuntur; multos enim bibliothecas inſpectare, ut oculos, non ut animum oblectent. Illud ſane in *Pinello* apprime laudatum, quod libros libenter commodabat, doctis præſertim, & iis quos brevi reſtituturos opinabatur, quorum ſiqui opinionem feſellisſent, libroſve inquinaſſent, aut corrupiſſent, his iterum petentibus duriuſculum ſe præbebat, velut & illis à quibus ipſe vel quidpiam impetrare non potuiſſet, vel quos rudes, & imperitos arbitraretur; Ennianæ ſententiæ memor: *Benefacta male locata, malefacta eſſe.* Cum verò commodare aliquid nollet, utebatur communibus quibuſdam non inurbanæ inficiationis locis, quorum ille princeps, librum qui peteretur jamdiu cum aliis Romæ eſſe. Annis enim ferme viginti antequam decederet, affinium flagitationes eluſurus, amandavit Romam capſas librorum duodeviginti, quas illic quoad vixit manere voluit, ut affines negocium ſibi faceſſere deſiſterent, illuc aliquando ut ipſi rebantur migraturo. Statim atque librum commodaverat, deſcribebat in ſchedula præter diem, nomina tum auctoris, tum illius qui accipiebat. Quæ omnia adjuncto conſpicuo aliquo ligneo, vel chartaceo ſegmento inibi reponebantur, ubi ſtatio libri erat, ut mittamus, relata hæc in codicem huic uni deſignatum. Didicerat hæc ille ab Attica Muſa Xenophonte, cujus verba Latinè reddidit nobis maximus Oratorum Cicero in hanc ſententiam: ‘ Hæc ‘ poſtquam omnia ſecrevimus, tum ſuo quæque loco diſpoſuimus, deinde qui‘ bus quotidie ſervuli utuntur, quæ ad lanificia, quæ ad cibaria coquenda & ‘ conficienda pertinent, hæc ipſa ei qui uti ſolet tradidimus, & ubi ea poneret ‘ demonſtravimus, & ut ſalva eſſent præcepimus. Addit autem; Hæc an‘ numerata ipſi exſcripſimus, eumque admonuimus ut quodcunque opus eſſet ‘ ſciret unde daret, & meminiſſet, atque annotaret quid & quando & cui ‘ dediſſet, & cum recepiſſet, ut quidque ſuo loco reponeret. Et ſanè quis non videat plurima ordine deſtituta peſſumire? Vetus eſt proverbium, paupertatem certiſſimam eſſe, cùm alicujus indigeas, uti eo non poſſe, quia ignoretur ubi projectum jaceat quod deſideratur. Pergit porro graviſſimus Philoſophus ſententiam ſuam obviis & de media hominum vita arreptis exemplis comprobare, in choro canentium, exercituum, militum, armamentorumque in navi, quæ

Cic. lib. 2. de off.

Apud Columel. lib. 12. de re ruſtic. c. 2. §. 3.

quæ omnia rite disposita & usui sunt, & voluptati. Hæc omnia aptus & conveniens rerum ordo præstat, & alia non minora, veluti expediri citra laborem omnia, omnia celerrimè confici, servosque rudes quantumvis & ineptos imperatis esse omnino pares. Vidi ego apud *Pinellum* nostrum, decennem puerum Hieronymum nomine, qui refertissimè (ut diximus) Bibliothecæ seriem ita mente & memoria complexus erat, ut omnia Domino, nutibus penè poscenti, protinus exhiberet. Invidit mors conatibus pueri, qui *Joh. Vincentio* triste sui desiderium reliquit. At quia ad ordinem, quo vir clarissimus est egregie usus, nostra delapsa est oratio, quid vetat prodere nos minuto, at sane concinno exemplo, quanto is odio perturbationem prosequeretur? Pecuniam siquando vel dare vel exigere necesse erat, antequam numeraret, disponere per series, nummorum & metallorum classes consueverat primum, argentum videlicet ab auro, majorem à minori pecunia disparare, componere deinceps eas monetas, quæ idem penderent, postremo adnumerare. At vero ut narrationibus hujusmodi in futurum abstineamus, illud faciet ab eodem fonte haustum, Pinelliano videlicet, à quo nihil impurum, turbidum nihil nos unquam manare animadvertimus. Æstimabat ille ex rei veritate temporis jacturam, quam is faciat necesse est, qui nullam sibi proposuit actionum suarum rationem. Sunt in hac vita plerique male feriati, quos non pudeat bonas horas nihil agendo, male collocare; eos non ineptè similes iis dixeris, qui pecunias, qui patrimonia prodigunt. Ut enim ab his frustra effusarum pecuniarum rationem exrorqueas, cum multas liqueat impensas esse: ita illos vitæ lapsus, temporis fuga, nequaquam admonent perire sibi non cogitantibus rem adeo pretiosam, & contra humanum votum, aditum immortalitatis obserari. Rem sanè dignam Democriti risu. Sunt qui nummi unius jactura non parum afflictentur, diei vel horæ, atque adeò anni non item: cùm tamen hæc abeant in præceps haud unquam remeatura. At quia non sunt hæc publici gustus, ad *Pinellum* revertamur. Is à me cum audisset *Marcum Cornelium Episc. Patav.* clarissimum lumen ordinis sui, frequentibus adeuntium, & salutantium officiis distineri; monuit, ut ipsi *Antonii Perenoti Card.* Granvelani factum ob oculos proponerem. Is dum pro Rege Neapoli esset, matutinarum horarum statas quasdam, & certas, quibus se conveniri volebat constituerat. Jusserat etiam, ut adituri vespere præcedenti nomina profiterentur, è quorum ipse agmine XII. aut XV. seligebat, quos admitteret. Curabat autem ne inanibus exordiis tempus sibi & reliquis profuturum dilaberetur. Quo factum, ut cùm aliquando admissus nescio quis jactare cœpisset, se Archiatrum esse, conductum publico ære, & alia quædam ad dignitatem, ut ipse opinabatur suam, non exigui momenti, exceperit Cardinalis, per me esto ut lubet, rejicienda hæc in aliud tempus, nunc ad rem de qua agimus aggrediamur. Ita ille garrulos, & molestos in publica commoda peccantes, coercere solitus. Curabat sibi *Pinellus* librorum editorum inventu difficilium quotquot comparari poterant exemplaria, tum ut haberet quod substitueret his, quæ casu vel furto pereunt, tum ut prospiceret, si quando iis egerent, commodis amicorum. Quod de libris diximus, de commentariis calamo exaratis dictum puta. Autographa enim perire sibi nolebat, exempla lubens commodare, atque adeò largiri consueverat. Desidiam & torporem ingeniorum maximè insectabatur, quo fiebat

ut

ut amicorum eruditos impelleret ſemper, ad novi quidpiam vel pangendum vel meditandum. Si quid vero animadverterat dignum quod hominum manibus tereretur, in amicorum pluteis latere, tum demum omnes machinas admovere, ut ne ſtudioſis diu invideretur, libris, opera, & præſenti pecunia juvare. Huic *Pinelli* rei literariæ promovendæ ſtudio, non pauca doctorum virorum monumenta accepto ferenda. Teſtis de ſemetipſo *Carolus Sigonius*, *Præfat. de jure Provinc.* ‘Me vero ut hæc facerem (*Joh. Vincentium* alloquitur) cùm res ipſa per ſe ‘cognitione digniſſima, tum tua in primis auctoritas impulit, quæ in omni re ‘ſemper apud me plurimum valuit. Et infra. Quòd autem mea ſponte propter ſummum meum erga te ſtudium, tuamque conſtantem erga me voluntatem eram facturus, ut aliquo te ſcriptorum meorum genere appellando, veterem meam neceſſitudinem notam poſteris facerem, id mihi multo juſtiore ‘ratione in hoc libro retinendum eſſe duxi, ut quod te potiſſimum hortatore ‘opus ad exitum perduxiſſem, id etiam in manus hominum in tuo multo ornatiſſimo nomine darem.

Lib. de vino & aqua. Hieronymus etiam Mercurialis hæc olim præfatus: ‘Complures aguntur ‘anni ex quo Patavii, atque etiam in ædibus tuis, ad quas veluti ditiſſimam ‘quandam diſciplinarum omnium officinam, & cunctorum literatorum celebrem conventum, quotidie concurritur, de vini abuſu ſemel diſſerentes, in ‘eam incidimus diſputationem, utrum ad nutrienda corpora hominum adeo ‘conduceret, quemadmodum à veteribus eſſe putatum paſſim exiſtimatur, ‘cumque recepiſſem, interdum me ea de re publicè eſſe in prælectionibus meis ‘ſerio locuturum, ad perficiendum non modò es adhortatus, verùm etiam ſæpenumero ita acriter inflammaſti, in negotio admodum utili & jucundo potiſſimum eſſe parendum judicaverim; & in fine ipſius Epiſtolæ, inquit; collatis ſimul pluribus ſcriptorum exemplaribus, publicari mandavi, tibique ‘primario ſimilis hujus laboris & auctori, & patrono, dedicare volui, ut cum ‘ab hoc dogmate minimè prorſus coram me averſus ſis viſus, ſi non mordicus ‘tueri, ſaltem non infructuoſum penitus fuiſſe conatum oſtendere poſſis. E‘miſit conſcribentibus hæc nobis librum cui titulus: *INDAGATIO VERÆ ET PERFECTÆ DEFINITIONIS LOGICÆ, HORATIUS CORNACCHINUS*, vir pietate & doctrina inſignis, in quo ſtudium hoc ſibi compertum *Pinelli* noſtri extare voluit, honorificis hiſce verbis: *Præfat.* ‘Non defuerunt etiam, qui acerrimis ſtimulis me ad incœptum proſequendum incitarunt. Præ ceteris, dum viveret *Joh. Vincentius Pinellus*, ‘immmortalis memoriæ vir, atque in omni optimarum artium genere verſatiſſimus, præcipuè verò in rerum abditarum cauſis, naturæque arcanis perſcrutandis, ſtudioſiſſimus & curioſiſſimus, cujus optima, & ſuaviſſima conſuetudine utinam mihi diutius frui licuiſſet. Sed hanc mihi felicitatem mors ‘invidit, quæ eum rapuit, cùm miram hominis eruditionem, morumque ſuavitatem deguſtare vix cœpiſſem. Ad hunc quaſi ad oraculum confluebant ‘omnes literarum ſtudioſi, non Italiæ modo, verum etiam totius ferè orbis ‘terrarum: cujus rei teſtis eſt ingens Epiſtolarum vis, quæ undique ad ipſum ‘quotidie mittebantur. Cum hoc itaque præclariſſimo viro, haſce meas cogitationes cùm quandoque communicaſſem, vererique me dixiſſem, ne nova ‘promulgando ſermonem alicui de me darem, ille me valde hortatus eſt, ne

ab

‘ ab incœpto deterreret, quod diceret, novi aliquid proponere, ſi tamen id ‘neque temerè neque ſine ratione proferatur, haudquaquam verendum eſſe. Et quoniam ſtudiorum ſimilitudo amorem parit, literatos explicari non poteſt quantum amaverit. Non ille ſe incondito affectuum impetu raptari patiebatur, noverat quid & quatenus amandum. Vetus dictum haud de ipſo dictum: ‘ Amans quid cupiat ſcit: quid ſapiat non videt. *Antonium Quærengum Can. Patavinum* dilexit unicè, allectus ſuavitate morum, animi candore, divinarum humanarumque rerum, & nobilium linguarum notitia penitiore. Vidit hæc probè *Ranutius Parmæ Dux*, non paternis tantùm laudibus inſignis, à quo eſt evocatus *Quærengus*, ad hiſtoriam conſcribendam, quæ res ab *Alexandro* ejus patre clariſſimo Imperatore in Gallia & Belgio fortiter geſtas, pro dignitate complecteretur. Ejus ego ſpecimen hiſtoriæ, ac veluti univerſæ narrationis typum, viſum & laudatum magnis viris, perlegi ſumma cum voluptate, gratulatuſque ſum ſæculo noſtro extare quod & in hoc genere conferre cum optimis antiquorum poſſimus. Cum Quærengo eximiè amavit Claudium Puteanum Nob. Gallum, cujus non fictæ laudes, & ampliſſima munera recenſentur à Jacobo Auguſto Thuano, è quo hæc deſcripſimus: ‘ arctiſſimam ‘ in Italia amicitiam coluit cum *Joh. Vincentio Pinello* Patric. Genuenſi, omni ‘ literarum genere ac rerum cognitione viro excultiſſimo & Philologorum ‘ fautore eximio, quam crebris officiis, poſtquam domum rediit, ſemper reno- ‘ vans, ad mortem uſque ſervavit. Oderat *Pinellus* eos qui in hoc univerſitatis theatrum, quem mundum vocamus, ſpectatum introducti, oculis tenus, tanquam hoſpites minimè curioſi, eo munere fungerentur. Allicit nos ad ſui ſpectaculum natura variis admirandiſque imaginibus, quas qui deſpiciat, idem ſe brutorum pleriſque inferiorem fateatur neceſſe eſt. Haud ita hic noſter. Quicquid enim natura aut arte admirandum, quicquid bello paceve inſigne in Europa dum is viveret uſpiam contigit, id penitus ſcrutari pulchrum ducebat. Multiplices amicorum narrationes, delineationes varias, eo ſtudio congerebat, ut nihil ſupra. Exemplum ſit in multiplici iride, & tergemino ſole anni MDCI. VII. ID. Februarii: Patavii, Venetiis, Romæ, & alibi, phaſma illud ſibi deſcribi, & commentariis explicari curavit, ab amicis quorum periergiam aliàs probaverat. Ætas noſtra librorum tum veterum tum recentiorum oppidò ferax, paucos vidit in eo genere literarum quas humaniores vocamus, quibus non inſcriptum alicubi eſſet *Pinelli* nomen: & ſanè decebat honorificè appellari eum, in cujus bibliotheca viri docti maxima ſtudiorum ſuorum præſidia collocata intelligebant. Nimium hic & faſtidioſum ſit, recenſere *PANCIROLOS*, *SCHOTTOS*, *PERSIOS*, *SALVIATOS*, & alios non paucos, quibuis placuit eam *Pinello* mercedem rependere, quam Mileſius Thales ſibi perſolvi optavit. Unius certè *Sigonii* teſtimonium quin adſcriberem mihi ipſi imperare non potui, adeò luculentum eſt & ſingulare. ‘ Omittam, inquit, illud, quod vere mihi videor poſſe dicere, eum ‘ eſſe te, quem ego cùm propter veterem erga me animi propenſionem unicè ‘ diligam, tum propter variam præſtantium multarum artium cognitionem, & ‘ incredibile ac conſtans virtutis ac ſcientiæ ſtudium, omnibus iſtius ætatis ac ‘ dignitatis hominibus anteponam. Itaque cùm in te omnia eluceant, quæ ‘ præclara videri hominibus atque eximia ſolent, Genuæ patriæ claritas, Pi-

Ex libro CIIX. hiſtoriarum.

Apuleius in Florid. lib. 4.

Sigon. in præf. lib. I. de antiq. jur. provinc.

'nellæ familiæ decus, Cosmi patris optimi ac magnifici viri splendor, fortu-
'narum amplitudo; tu hæc omnia perpetuo uno virtutis, ac doctrinæ, quo
'flores studio ita obscurasti, ut qui te laudant, hoc in maximis tuis ornamen-
'tis ponant, quod his omnibus quæ vulgo homines suspiciunt posthabitis, so-
'lam laudem ex beneficentia, comitate, multarumque atque egregiarum dis-
'ciplinarum notitia consecteris. Fuerunt plerique qui ne de facie quidem no-
to librorum suorum patrocinium commendarent: tum ut cum eo amicitiam
inirent, tum ut ex ejus nomine libris quos edebant existimatio non vulgaris,
sed doctorum hominum accederet. Quas rationes *Ludovicus Septalius* clarissi-
mus medicus obversatas sibi profitetur, cum *Pinello* suos in Hippocratem com-
mentarios nuncupavit. Neque minus laudatum quod mox narraturi sumus.
Ab ipso, tanquam tabularia Musarum asservaret, exquirebant quibus id cu-
ræ, quid editum, quid non, scriptorum ætates, nomina, & alia sexcenta, qui-
bus ille scrutandis eum sibi reconditarum rerum apparatum congesserat, ut
Sigonius nulli non faceret satis. Expertus hæc idem Sigonius, qui ad calcem aureo-
rum librorum quos inscripsit de regno Italiæ, hæc habet: *Joh. Vincentius Pi-*
nellus, 'vir plane in omni studiorum genere singularis, ac propter eximiam hu-
'manitatem inter omnes maximè memorabilis, qui non solùm pretiosissimum
'ingentis suæ bibliothecæ thesaurum totum explicuit, sed nullum etiam dili-
'gentiæ atque impensæ officium in hoc opere provehendo reliquit. Experti
Biblioth. De no- *Antonius Possevinus*, & *Guidus Pancirolus*, viri nunquam satis laudati. *Petrus Pi-*
tit. utri. Imper. *thæus* vir rei literariæ studiosissimus, ad novellas Juliani antecessoris hoc abun-
dè testatus, 'sed & permulta debeo viro clarissimo, & nunquam laudato sa-
'tis, *Joh. Vincentio Pinello*, ex cujus unica bibliotheca plura mihi de *Justini-*
'*ano* didicisse contigit, quam ex ceteris omnibus.

Neque libris tantum inquirendis navavit operam *Pinellus*; *Caroli Clusii*, *Ulyssis Aldrovandi*, *Ferrantis Imperati*, & aliorum hortos, metallothe-
cas instruere ornareque satagebat: labores pecuniasque optimè impensas
arbitratus, quæ in amicorum commodum, & publicam cederent utilitatem.

Borromæus jun. Card. cùm insigniorum virorum autographa schedia discu-
peret, dignoscendis marginalibus librorum annotationibus calamo exaratis u-
sui futura, uni *Pinello* negotium detulit, qui diu gravissimeque ægrotans,
brevi tot nobilium scriptorum manus congessit, ut & Cardinali multa trans-
miserit, & sibi non pauca in bibliothecæ ornamentum reservarit; Cujus rei
gratia hæc ad *Pinellum Josephus Scaliger*; 'Duo autographa patris tibi mitto,
'fragmentum Epidorpidum, & indicis cujusdam, quem locupletissimum in
'Galenum confecerat, ut una opera perspiceres, quæ fuerit ejus ἀδοξηλία tam
'in mundo quam in litura. Libros idemmet à *Pinello* sibi comparari exoptans
'ita scribit; Nos magna in penuria librorum sumus, qui immanibus sumptis
'bibliotheculam nobis paramus. Neque verò nos tam caritas afficit quam ra-
'ritas, quæ hic accendit pretium eorum librorum, quos alibi copia viles fa-
'cit. Itaque sæpe cogimur inviti ad opem amicorum confugere, quod fe-
'cit ut & tuam implorarem. Itaque quanquam sentio quàm incivilem
'rem faciam, qui tuas meliores curas morer, ut te meis rebus adjuto-
'rem parem: tamen, nisi grave est oro te, ut tua opera Judæi curent
'mihi illos libros quorum nomina in schedio sepositi. Ego frustra illos libros

'in

'in Germania, Anglia, & Italia conquiſivi. Et infra. Non ſatis eſt ſemel
'perfricuiſſe frontem, niſi rurſus orem te, ut ſi qui nummi priſcorum Princi-
'pum Scaligerorum reperiri poſſint, quales apud patrem vidi, eorum aliquot,
'aut unius ſaltem copia mihi fiat, quod mihi non ſolum majorum meorum, ſed
'etiam tuo nomine chariſſimum κειμήλιον erit.

Franc. Maria Urbini Dux, quem veterum Regum ſtudia æmulantem admiratur ætas noſtra, *Pinellum* conſulere haud gravabatur. Idemque cum acta rerum in orbe noſtro quotidie geſtarum, quæ Imperiorum olim inſtrumenta qui rerum potiebantur in arcanis habebant, colligenda ſibi decreviſſet, ad unum *Joh. Vincentium* confugit, qui ejus votis egregiè reſpondit. Is horum actorum per annorum ſeriem compoſitorum, non modicam ut ita dixerim ſtruem aſſervabat, in quam non ea tantùm quæ ipſe ſingulis hebdomadis accipiebat, ſed & quæ amici, deſcripta conjecerat; ut auctior minimis etiam rebus, ſeu alia interdum à ſuis, animadverterat. Minuta hæc, & alicui forſan leviora, at cordatis viris ſecus. *Spero Speronius*, Patavinæ urbis decus & *Pinello* perfamiliaris, Plinianum illud commendabat plerunque; *Nullum eſſe librum tam malum, ut non aliqua parte proſit.* Qui enim hac rerum geſtarum cognitione delectantur, non oculos tantum aureſque inani lectione paſcunt, ſed & animos exemplis inſtruunt, pretioſum ſibi theſaurum civilis prudentiæ comparantes. Contemplatur animus, è præteritis eventibus doctior factus, ea quæ in conſpectu ſunt, & mala ſi qua impendent, minus fractus, bona ſi qua adventant, minus inſolens opperitur.

Plin. jun. lib. 3. epiſt. ad Marc.

Siquando ipſi aliqua de re dubitare contigerat, omnes quos penes ejus rei arbitrium eſſet, conſulebat, quorum reſponſa componere, & examinare ſolebat. Si quod denuo non liqueret, monebat modeſtè & cum fructu. Unus Neronis nummus de quo dictum ſupra, fuit in cauſa, ut ego Romæ non ſemel *Pinelli* nomine *Fulvium Urſinum* convenirem, cui uni, & non immerito, detulit ætas noſtra primas in antiquitatis reliquiis cenſendis & diſquirendis. Admonuit ille me, ut ad *Pinellum*, quem is magni faciebat, ſcriberem, non uni datum ut omnia ſciret, relinquendas & poſteris aliquas ingeniorum exercitationes, laudatum illud *Ne quid Nimis*, in literis etiam ſibi locum vendicare, in quibus perquirendi modum qui ſibi non conſtituit, is ſe plerunque inaniter diſcruciet neceſſe eſt. At non his ſe limitibus contineri volebat hic noſter, qui plurima, abjecta aliis & deſperata, hac ratione protulerat in lucem.

Accidit quandoque, perraro tamen, ut amicorum quiſpiam expoſceret ab ipſo librum commentariumve, quos ipſe non noſſet, quo veluti claſſico excitatus, perquirere, ſcriptitare, omnia miſcere conſuevit, eo ſtudio, ut & ipſum non lateret ſiquid ejuſmodi extaret, & pleraque ejus generis præclara alioqui a tenebris & ſitu vindicaret. Ad ejus arbitrium diremptas vidimus omnes fere de humanioribus literis controverſias, quæ inter noſtri ævi doctos viros in gymnaſio Patavino, exortæ: in quibus tamen æquum ſe adeò & officii non immemorem præbuit, ut Biante major, amicos amiciores habuerit ſemper. At verò ut bibliothecam ſuam, quam in oculis ferebat, quotidie locupletaret, hanc ſibi inter alias rationem propoſuerat, ut à literatorum, qui diem nuper obiiſſent, heredibus, librorum indices compararet, ex quibus ea omnia

perdiſceret, quæ ſibi in bibliothecam eſſent transferenda. Quod tamen rarò admodum accidit, cùm haud æquè dominis, ac ipſi nota eſſent, quæ in cujuſque bibliotheca latebant. In his verò perquirendis quàm fuerit accuratus, declaratum volumus unico exemplo. Vir clariſſimus Venetiis idemque doctiſſimus annis præteritis vita functus eſt, *Pinello* charus, ut plerique omnes Venetorum, quos doctrinæ illicio, & nobilium ſtudiorum amore ſibi devinxerat. Libros aliquot magni nominis manuſcriptos ille diu in deliciis habuerat, quos *Joh. Vincentius* divenditos redemit, & cùm ejuſdem bibliothecæ reliquias bibliopola neſcio quis ſchedas videlicet, atque alia ejus generis coemiſſet in gratiam ſalſamentariorum, re comperta, illico hic noſter nobiles illuſtrium virorum Epiſtolas perire non eſt paſſus. Emiſſarios ille habebat, quorum induſtria ex orci faucibus ſæpe ſæpius eripuit inſignium virorum liberales labores, in quam curam qua ſedulitate incumberet, ex eo patebit, quod mox narraturi ſumus. Cribrorum, cymbalorum, & citharārum artifices, quod non modicam vim membranarum in artificium ſuum abſumerent, ſingulis ſaltem menſibus conveniri à ſuis volebat, & id optimo ut plurimum eventu. Amicos *Pinellus* ſibi conciliatos ſimilitudine ſtudiorum, tanquam exemplar aliquod intueretur ſui, ſingulari benevolentia proſequebatur, eos præſertim quibus curæ eſſet rerum admirandarum, quæ ab arte vel natura proficiſcerentur, accurata diſquiſito: *Edmundum Brutium* in his nobilem Anglum, diſciplinarum Mathematicarum, rerumque militaris, & herbariæ apprimè ſcientem, cujus ille commentationes non ſemel ſuſpexit, cujus ſe quandoque imparem curioſitati eſt ingenuè profeſſus. Hujus quam diximus diſquiſitionis ille in *Pinello* character; quod cum is aliquando neſcio quò proficiſceretur, animadvertit non incolarum mores tantùm regionibus diſtingui; ſed & herbas, arbuſtaque alia in aliis locis naſci, ſubſtituique a natura in denaſcentium locum quotidie recentiora, quæ ſuis tamen limitibus contineantur, ac ſi externi ſoli horreſcerent peregrinitatem. His qui animum advertit, confectum plerunque itinerum moleſtiis, næ ille in ſinu Muſarum conquieſcens omnia rimabitur, abdita licet ſemotaque, nullumque ſibi temporis articulum ſine fructu diffluere patietur.

Hominum quo quiſque inclinaret atque propenderet illico pervidere ſolitus, non è Metopoſcopi alicujus traditionibus, ſed præſtantium tot virorum conſuetudine congreſſibuſque eruditus. Unica illi allocutio penetralia ejus cum quo loquebatur in conſpectum dabat; verſabat enim ſermonibus variis, ſeria jocoſis temperabat, Protea dixiſſes multiformem illum, nec præſagientem minus atque divinum. His verò quos intimè noſſet, inſignia cognomina certas rerum notas pleruaque procudebat, quibus animi propenſiones, corporis formas, aliaque id genus indicaret. Modeſtos ille & verecundos ſuſpiciebat; à garrulis & glorioſis, ut â peſtiferis & nocentibus refugiebat. Bardos, & inelegantes formidabat, odio inſito penitus à natura, quod in horridos etiam incomptoſque præpoſterè inurbaneve aliquid agentes erumpebat. Tu illum elegantiarum patrem meritò appellaſſes, ita omnia cum modo & ad præſcriptum rationis ſibi gerenda conſtituerat.

Communibus & urbanis mirum in modum delectabatur, ſannionesà congreſſibus ſuis abigebat, turpe hominum genus, cui in gratiam alieni riſus, inſania

ſania perpetuò convenit in manum. Eruditos quantumvis, maledicos tamen & intemperantes, oderat odio Vatiniano, quorum pridem conſuetudini renunciarat, qui rem honeſtiſſimam fœditate morum dehoneſtarent. Hos ſiquando neceſſe habuit, invitus tamen admiſit, egitque data opera ut animadverterent illorum ſibi congreſſum, colloquiumque haud probari; malle ſe cum illiteratis at bene moratis multum eſſe, quam illis tantillum. Et ſanè qui literis & probitate animum excoluerit, is ſupra faſtigium mortalitatis elatus, Dei opt. max. gentilis videri ſolet; at vero ſi quis mihi poteſtatem optionemque fecerit, ut eligam utras velim, literas an probitatem, ineptus profecto ſim niſi poſthabeam illas huic. Quid enim diſtat literatus vitæ informis à geniis malis? dixerunt illos Græci Dæmonas, appellatione à ſcientia ducta, improbos licet artifices omnium ſcelerum libidinumque. Alexandri Olivæ Cardinalis dictum extat, præclarum illud ſanè & memoria dignum, *Probum agrius evadere quempiam, quàm doctum: At illud huic longè præſtare, cùm ex integris moribus uberes magis, quàm ex bonis literis fructus percipiamus.* Doctrinam ergo & mores qui coagmentaverit glutino pietatis religioniſve, omnium ille ſibi amorem conciliet neceſſe eſt. Hæc fuerunt in cauſa ut *Pinellus* nobiliſſimam Societatem quam *Jeſu* appellamus, diligeret charamque haberet, in qua ille amicos habuit; *Antonium Poſſevinum, Auguſtinum Juſtinianum, Julium Negronum, Paulum Comitolum, Laurentium Tertium, Fratres Galiardos, Bariſonos, Biſciolos, Franc. Forteciam, Alexandrum Granellum, Richardum Eſlum*, alioſque non paucos, qui morum ſanctitatem cum doctrinarum cognitione ſociarant. His officia omnia præſtare, de his honorificè multa prædicare jamdiu aſſueverat; hujus ſocietatis non Patres tantum ſacerdoteſque, ſed & fratres quos vocant maximè admirabatur, ut quibus modus decorumque in omni vita ſit in promptu. Ex hac *Pinelli* cum his Patribus conſuetudine, ſuſpicati ſunt nonnulli fore, ut ipſis bibliothecam ſuam teſtamento legaret. Quod utinam factum, & memoriæ profecto ſuæ, & publicæ utilitati optime conſuluiſſet.

Hier. Garimb. in vita ejuſd. Card.

Domi *Joh. Vincentius* quotidie conveniebatur ab omnibus quotquot Patavii literarum ingenuarum ornamento nobiles erant, neque ab his ſolum, ſed & ab advenis, qui eò ventitare glorioſum ſibi ducebant. Hic docere & doceri pulchrum, quò nemo aſymbolus veniebat unquam, nemo ſine recondito aliquo munere literario, quibus ille ut erat inſtructiſſimus ad docendum, parem gratiam retulit ſemper. Tranſalpinis hominibus, qui bonas artes non tralatitiè amarent, curæ erat cùm primum Patavium venerant, hunc noſtrum de facie noſcere, ab eoque in albo, ut vocant, amicorum teſſeram philotheſiam ſibi comparare. Has ille elegantiæ & amoris plenas concinnare ſolitus, in gratiam ſtudioſorum, quos etiam munuſculis plerumque proſequebatur. Religioni in congreſſibus habebat digredi, quantumvis neceſſario, tantiſper ab iis qui eum convenerant, niſi prius libros aliave illis è bibliotheca prompſiſſet, quibus moræ tædium levaret. At quàm officioſus fuerit ex eo poſſis arguere, quod cùm ipſi cum pleriſque, qui in Patavino Gymnaſio profiterentur, amicitia intercederet, ipſorumque aliqui (ut fit) alter alterum non omnino amarent; haud tamen unquam is officii lineas tranſiliverit. Quo factum, ut & ipſi *Pinello* certatim bene vellent, & is pacem inter ipſos non ſemel conciliaret.

ret. Pacis vero, concordiæque adeò fuit ſtudioſus, ut illi valde ſoleret in ore eſſe, diſſuere qui poſſit, ſi incidat minus rectè facere: comitate, ut innueret, facilitateque nihil non expugnari. Et ſanè de *Pinello* id prædicare poſſumus, quod de Solone Plutarchus, nullis eum ſe in civitatis diſſidio immiſcuiſſe factionibus, non magis huic, quam illi faviſſe, ſed conatus omnes ſuos paraſſe in civium concordiam. Quos invitus vel occupatior admittebat, in veſtibulo domus excipiebat, ſtare vel deambulare ſolitus. Hominem enim præclara cogitantem, nihil æquè torquet ac temporis jactura, quam tum maximè percipit, cum otioſis ineptiſve aures ſuas dedere cogitur. Jure & feſtive Horatius, quem neſcio quis de genere hoc miſerandum in modum obtuderat.

De inſtit. Trajan. Imper.

Lib. 1. Satyr. 2.

Hunc neque dira venena, nec hoſticus auferet enſis,
Nec laterum dolor, aut tuſſis, nec tarda podagra;
Garrulus hunc quando conſumet cunque; loquaces,
Si ſapiat, vitet ſimul atque adoleverit ætas.

Moris ipſius fuit, omnes qui eum venerant ſalutatum, ad infimos uſque ſcalarum gradus comitari, domeſticos ut libet atque familiares. Iraſcebatur quippe ineptis quibuſdam, qui neſcio cujus exiſtimationis magis, quàm amicorum rationem habentes, ſanctiſſimum amicitiæ nomen inani verborum geſticulationumque obſervatione turpiſſimè polluunt. Ne vero fructus illos quos ex amicorum congreſſu perceperat, ulla ſibi abriperet oblivio, cùm illi abiiſſent, ſecedebat is in cubiculum interius, ubi quæ præclara in colloquendo animadverterat, in commentarium manu ſua referebat. Imò & cùm amici adeſſent, nunquam non illi ad manus fuit calamaria theca, ut ſumma rerum quæ placuiſſent capita ne exciderent, annotaret. In hos commentarios ſi quis fortè ſtudioſorum inciderit, is tum denique leonem ex unguibus, ut dicitur, æſtimabit. Teſtatus ſanè mihi eſt Antonius Perſius, ſelecta doctrina non minus quàm *Pinelli* antiqua familiaritate illuſtris, conſueviſſe *Joh. Vincentium* adnotare ad omnes quotquot nanciſceretur alicujus pretii auctores, uberiores & politiores notas, quas acerrimo ſtudio ab aliis non conquirebat modò, ſed & excogitabat ipſe doctè & eleganter. Ariſtotelis libellum commonſtrans amico, ejuſdem contubernalis Paulus Aicardus, & quidem ad eum modum compactum, ut pagellæ puræ in uſum ſcriptionis eſſent interjectæ, ſubdidit; en quæ *Joh. Vincentius* elaborat Ariſtotelis interpretamenta! Fuerunt ſanè qui crederent, habere præ manibus hiſtoricum quidpiam, quòd viderent anxiè propemodum perquirentem quidquid ubique terrarum contingeret dictis factisve memorabile, Nomotheſiam præterea explorantem, & Topographiam regnorum inſigniorum, urbium, oppidorumque. At quid Ariſtotelicum interpretaretur, quidve operis ille ſepoſuiſſet ſibi, in quod unum præclaras ſtudiorum ſuorum opes conferret, nos adhuc ignoramus, ut ut ſimus anxiè percunctati. Quocirca in eam devenimus, ut arbitremur cum *Juliano Medice, Leonis XI.* magni Pontificis chariſſimo agnato, juvene quidem ornatiſſimo, quem *Pinellus* ipſe unice amavit, doctum probumque expertus, diſplicuiſſe quidquid vel olim adoleſcenti, vel jam ſeni exercitationis gratia excidiſſet, aſſueto nihil probare, quod non eſſet numeris omnibus abſolutum; cum quotidie

tidie magno reipublicæ literariæ detrimento, nec minimo cum faſtidio, videret ſcripturientes eos, & ineptè paſſim volumina procudentes, qui literas vix à limine ſalutaſſent. Tantis curis implicitus, non abjecerat hic noſter, ut plerique faciunt, familiarium curam, in quibus probandis mihi ſemper diligens, nonnullis plerumque difficilis viſus eſt. Et ſanè formas ſpecieſque verius rerum, quam res ipſas intueri dixiſſes: adeo nihil non eximium perfectumque ſpectare didicerat. In his, ut probitatem mittamus, nihil æquè diligebat ac vigilantiam & attentionem, quas ut acueret, nutu quandoque ſi quid fieri vellet, ſignificare ſolitus. At ſi qua minus exaudiſſent, repetebat, ſubiratus tamen, & ſtomachanti ſimilis; quæ omnia eò tendebant, ut illis ſocordiam excuteret. Quidquid imperaſſet ad unguem factum volebat, ferebatque permoleſtè, ſi quid ipſi aliquando non ex præſcripto actitaſſent. Nihil non componebat, ipſe & quidem meditatus, ad normam rationis: hanc abjici, compendii vel ſapientiæ obtentu, pati haud poterat. Quo facto familiarium faſtum, nimioſque ſpiritus obtundebat, quorum eſt ſpe fortunatioris eventus, conſiliique, ut ipſi arbitrantur præſtantia, ab imperatis diſcedere, cum detrimento ac pernicie eorum, quæ ipſorum fidei committuntur. Servis enim, ut ille ajebat, utilius eſt parere quam conſilium afferre. Cavebat autem hac in re, ut in ceteris, à perturbatione confuſioneque, tum ut familiares ſibi quiſque attenderent, tum ut clamoribus & jurgiis abſtinerent: quod ita executus eſt. Locos pleroſque inſigniores in templo D. Antonii, quod in ejus vicinia ſitum, memoriæ commendarat, in quibus quotidiana omnia, tum dicta, tum facta ordine collocabat. Quo ſubſidio munitus, ad veſperam in ſumma ſcheda notabat literam I, præcipuam nominis ſui, quæ agmen duceret eorum quæ in craſtinum peragere conſtituerat. Hæc demum linea concludebat, ſub qua per claſſes familiarium nomina, litera ut diximus capitali adnotabat, cum indiculo eorum quorum curam cuilibet demandaſſet. Quæ tamen ſibi reſervarat, ut emiſſitios famulorum oculos celaret, Græcè ſcribebat. Exinde die craſtina primo diluculo ſerius in cubiculum accitis, curabat ut ipſi in ſchedula exſcriberent, quæ ſingulis obtigerant, ea prope ſerie, qua & ipſe deſcripſerat. Si qui ſcribere neſciſſent (quod tamen raro admodum contingebat) ſcribebat ipſe non invitus. Quibus peractis, curabat unuſquiſque ſua, quorum ipſe dominus exitum in ſeceſſu bibliothecæ præſtolabatur. Qua methodo citra confuſionem, & omnes quod ſibi quotidie faciendum noſcebant, & familiares, rudes licet, imperitique, ingenioſi exercitatique brevi evadebant. Torpentes ille tardoſque, Lentulorum gentiles appellabat; & narrabat ſubinde, *Ferdinandum* Regem, Catholicum cognomento, ea ratione familiarium novitiorum ingenia exploraſſe, ut omnes juberet officii negociive gratia convenire: & ad magnatum pleroſque amandaret, à quibus cum demum rediiſſent, quæ dicta quæ facta ſciſcitabatur, atque eadem opera quis aptus ad ejuſmodi munia obeunda, quis ſecus, obſervabat. Servorum peccata, quæ modo alicujus eſſent momenti, memoriæ mandabat hic noſter uſque adeo, ut nunquam ex illius animo diſcederent. Meminerat eorum multis poſt annis, interpellabatque ſæpe ſæpius, ut eorum reprimeret confidentiam, meminiſſentne quid peccaſſent, quid præpoſtere egiſſent ſuperioribus annis eodemmet die? Horum familiam ſatis frequentem aluit, & quod mirere, altum domi ſilentium

inter-

inter tot capita, quorum plerunque eſt non modo eadem non ſentire, ſed perpetuò diſſidere. Hos ille fidos licet, minimeque loquaces, ita inſtituerat, ut advenientibus amicis decederent ſtatim, ne videlicet aut illi oblivíſcerentur conditionis ſuæ, aut hi ſe adhibitis arbitris exceptos ſuſpicarentur. Iiſdem tamen ope vel conſilio, indigentibus ægrotantibuſve defuit nunquam, imo ſumma benevolentia illis opibus, his adhibita medicorum opera, ut convaleſcerent ſedulo curabat, quo factum, ut quod raro contingit, metueretur idem & amaretur à ſuis. Horum agmen ſecum trahentem nemo unquam vidit, vix uno cum proceſſerat contentum, eoquè frequenter amandato, cùm copia comitis eſſet, qui cum deambulare & colloqui liceret. At quia ut diximus, docere vel doceri eximiè avebat, recepit lubenti animo in contubernium doctos aliquot viros, quibuſcum differere de re literaria continenter & per otium poſſet. Nec ſane minimum hoc ingeniorum incitamentum ; cum intra domeſticos parietes monitores alimus, qui forment ſtudia noſtra, qui animum excitent reverentia ſui, quos neque ſubruſticus pudor, neque inanis aſſentatio à dicenda ſententia deterrerat.

Horum primus (quod ego ſciam) *Michael Sophianus*, à quo Græcè peritiſſimo ejuſdem linguæ hauſit intimas notiones : cui deinde ſucceſſere non magno intervallo, *Theodorus Rendius*, *Conſtantinus Patricius*, *Nicaſius Ellebodius Belga*, qui Latinè nobis Nemeſium de natura hominis expreſſit, quem apud *Pinellum* degentem anno *MDLXVIII.* magni, ut par erat, fecit *Paulus Manutius*, callidus elegantium ingeniorum æſtimator. Præter hos domi habuit *Benedictum Octavianum*, res Philoſophicas Theologicaſque doctum, *Joannem Careſium*, & *Leonardum Sguttam*, domo Chios, optimarum artium ſtudiis impenſe eruditos, *Mariangeli Accurſii* filium *Franciſcum* ni fallor, inſignem moribus & doctrina. At egregium hoc ſtudium doctorum hominum juvandorum, mala valetudo intercipere aggreſſa, obtinuit, ut præter binos. I. Lipſii alumnos, neminem amplius domi habuerit. Horum alteri *Thomæ Segeto* nomen, alteri *Erycio Puteano*, cui eruditio modeſtiaque adeo ſuffragatæ, ut primum artis Oratoriæ interpretem Mediolani, & Chronographum Regium, deinde ſuffectum in præceptoris locum, in Lovanienſi Schola declararint. His grave præclarumque teſtimonium impartitus I. *Lipſius*.

Lib. 8. *epiſt.* 15.

I. Lip-

Quicunque hæc legetis.

Teſtor apud vos ex animo, Erycium Puteanum *bene honeſteque natum, educatum, inſtitutum: Ingenio ad optimas artes facili, & tenaci, in utravis lingua Græca, & Latina peritum, verſu & proſa bonum, vita moribuſque modeſtum, & plura etiam reperienda in eo ſi quis pernoverit, quàm hic dicam. Habet Matheſim, Philoſophiam, Muſicam quoque, & planè digniſſimus eſt cui bene velit, ſive bene faciat, quiſquis doctrinam, elegantiam aut virtutem amat. Commendo vobis talibus hunc juvenem, à mea quoque inſtitutione & manu profectum: ac ſpero, vel confido potius, gratiam me debiturum quidem, ſi quis mea cauſa bene fecerit, ſed & habituros mihi, ſi qui propius, aut familiarius ſibi jungent. Rogo, fides mihi ſit ſincerè ſcribenti; rogo gratia aliqua & ſubſidium in mea ſcriptione. Lovanii anno MDXCVI.* Cent. 3. epiſt. ad Italos & Hiſpanos.

I. Lipſius Profeſſor, & Hiſtoriographus Regius ipſe ſcripſit.

De Segeto vero hæc ille.

Qui hæc Legetis.

Teſtor apud vos ſeriò, hac mea manu, Thomam Segetum, *gente & domo Scotum, notum mihi à pluribus annis fuiſſe. Immo ab ipſa prima ejus adoleſcentia, meum vel diſcipulum, vel auditorem. Eo omni tempore, probis ſe probaſſe, ac mihi inprimis, ob acre, & excellens ingenium, ardorem ſtudiumque diſcendi: atque ita profeciſſe, ut in meliori omni literatura, paucos ſibi æquales habeat, in æquali ævo. Addo & moribus modeſtum ingenuumque eſſe, & dignum quem tales omnes æſtiment, atque ament. Peto igitur atque abſens rogo, uti hunc in occaſione adjutum velitis, favere animis, conſiliis, factis: bene locaturi beneficium quodcunque in eum conferetis. Stirpes iſtæ fovendæ & attollendæ ſunt, in commune reipublicæ bonum, cui bono omnes ſtudemus. Lovanii.* Ead. cent.

I. L.

Idem Lipſius *eidem alibi gratulatur, quod fuerit receptus in* Joh. Vincentii *domum. Gaudeo in Italiam incolumen veniſſe, gaudeo in domum magni* Pinelli *admiſſum, quem virum, ævo & gloria jam veterem, Italia vel inter veteres ſuos præferat & jactet. Idemmet* Pinello *gratias agens, quod* Segetum *apud ſe voluerit eſſe in unius teſtimonii ſui gratiam, ita præfatur: Si quis in Italia hodie veteri & merita fama eſt, eum ego te cenſeo* Vincenti Pinelle, *& ideò jam à pluribus annis tacito quodam affectu & colo & amo. Ejuſdem quam præclara illa, & lucu-lenta? Malo fato & raro factum eſt, ut una Epiſtola bis miſſa, nec ſemel pervenerit. Haud magna alioqui jactura, niſi quod teſtimonium cultus mei, & affectus tetardavit, non tamen oppreſſerit, vel nunc ecce revelandum. Nam ego tuum nomen ab adoleſcentia prima & novi, & amavi, & veneratus adeò ſum: ut debui ejus, qui virtutem, & doctrinam eximiè coleret, & in ſe haberet, & in aliis excita-* Epiſt. 62. Epiſt. 76. Epiſt. 78.

ret. Sunt iſtæ breves, ſed veræ tuæ laudes, quas in his annis, & maturiore ævo, quia pernovi, magis etiam amo. Si aliqua ſimilis affectus tui ſcintilla in me; triumpho, non ſolum gaudeo, & eſſe cùm aliorum literæ, tum tuæ loquuntur, ante duos menſes plus minus ad me amanter ſcriptæ. Ergo amare amatum me poſſum dicere, & ut ſemper poſſim, te per genium tuum, virtuti & honori ſic amicum, rogo. Lovanii Kal. Decemb. 1699.

Mihi verò animadverſum quod eſt, haud videtur prætereundum, *Lipſium* quoties *Pinelli* inciderit mentio, magnum fere vocare, ut proximè vidimus ad Segetum; & ad Cluſium: *Illuſtri viro* Vincentio Pinello *cum ſcribes, quæſo te ſalutem ei à me dicito, ignoto de facie, non de fama, amo virum magnum apud omnes magnos.* In eadem cent. ad Mercurialem: *Abiiſſe te honeſtiſſima vocatione Bononiam audimus. Ni id eſſet, valde rogarem in viri magni* Vincentii Pinelli *amicitiam me inſinuares, quem ego jure æſtimo inter Italorum primos.* Quem vero eorum *Pinelli* contubernalium quos ſupra recenſuimus, deſignet *Paulus Manutius*, haud ſanè novi. Is hæc ad *Joh. Vincentium* in calce Epiſtolæ: *Vale, & familiarem tuum, cujus doctrinam, & ingenium in Lucretiana interpretatione mirum in modum probo, ſalutameis verbis.* Non paucos, præter hos, quorum fecimus mentionem, domeſticos habuit literatos viros, inter quos unum in deliciis habuit, cujus & nos vitæ ſcribendæ non aliquantiſper immorari, pleriſque nefarium videatur: tum quia hic *Pinellianæ* animæ dimidium fuit; tum quia par viguit inter nos & mutua benevolentia, ad extremum uſque vitæ ſpiritum. Neque vero id ſine lectorum voluptate, quos certo ſcio jucundè ſpectaturos, amicorum nobile par, quos cum celebratis illis componere poſſimus, tot annos ſumma concordia ſine ulla querela vixiſſe. At mihi liceat quæſo (ut cum D. *Gregor.* Nazianzeno dicam) ὅτι μοι μικρὸν ἔτι ἐνίσχυε καὶ ὦ διηγήματι, Detur id amici docti piique memoriæ, quæ nunquam diſcedet ex animo meo, quem ipſe ſibi aureis in perpetuum catenis devinxit. Hic fuit *Paulus Aicardus*, cui patria Albingaunum Liguſticæ oræ nobile oppidum. Is Taurini primum per aliquot annos verſatus, ubi in Philoſophorum Medicorumque album deſcriptus eſt, anno 1570. Patavium venit, ut inſignes aliquot Medicos, qui tunc temporis hic profitebantur, tum audiret tum aſſectaretur. Hic, ut Genuenſem, eundumque eruditum decebat, ſæpe ſæpius *Pinellum* conveniebat; quo accidit, ut genio conciliante alter alterum certatim amaret, charumque haberet. Nec mirum utique, cum πολύσωρ πολύσωρα, φιλάλλω φιλάλλωα, μισοπονηρὸς μισοπονηρὸν amplectatur: Cùm ſit ad connectendas amicitias vel tenaciſſimum vinculum morum ſimilitudo. Amoris hujus eximium illud indicium, quod cum *Joh. Vincentio* tunc obtigiſſet Neapolim proficiſci, uni *Aicardo* bibliothecam ſuam commendarit. Ex quo arguas licet, quanti æſtimarit *Pinellus Aicardi* & probitatem & integritatem, cujus ſpectatiſſimæ fidei crediderit literarios illos theſauros ſuos, à quorum etiam conſpectu pleroſque arcere conſueverat. Reverſus aliquot poſt menſes *Joh. Vincentius*, *Aicardum* ſecedere volentem comiter rogavit, ut ſecum pauliſper maneret, hoc unum ejus gratiæ & conſuetudini indulgeret, in cujus domo per tot menſes ſolus, & non invitus fuiſſet. Annuit ille, non diu ſe manſurum arbitratus.

Cent. 2. Epiſt. 24.

Greg. Nazian. in laud. Athanaſii.

At

At cum peſtilens morbus annis 1574. & 1575. Venietias primum deinde Patavium pervaſiſſet, in quem Lucretii carmina optimè quadrabant. *Lucr. lib. 6.*

——— *& mortifer æſtus*
Finibus Euganeis funeſtos reddidit agros,
Vaſtavitque vias, exhauſit civibus urbem.

Hunc declinaturus *Pinellus*, ut nemo non faciebat, ſeceſſit in amœniſſimum agri Patavini oppidum, Euganeorum collium decus, cui Montis ſilicis nomen, quo mala hæc lues appellere haud valuit. Eo divertit cum *Pinello Aicardus*, magno amborum bono, cum invicem longe lateque graſſantis morbi moleſtias excutere ſuaviſſimis colloquiis valerent. Huc acceſſit, quod cum illuc migraſſet Venetorum Patavinorumque Patriciorum non minimum agmen, ædes *Pinellianæ* iis omnibus paterent, eò doctrinæ animique gratia confluentibus.

Ut primum abiit peſtilentia, reverſus Patavium *Pinellus Aicardum*, cujus ſuaviſſimos mores, eruditionem, vitæque integritatem deprehenderat, ut apud ſe aliquandiu eſſet exoravit. Quod ſane ambobus optimè vertit, cum alter ſine altero eſſe minimè poſſet, acciditque brevi, ut quæ inter ipſos interceſſit benevolentia tam altas radices egerit, ut neque mors illas convellere potuerit. In *Pinelli* conſuetudine ejuſmodi evaſit *Aicardus*, ut ſapientia, animi moderatione, humaniorum omnium literarum cognitione, non paucos anteiret, inter quæ modeſtia, & ingenuus pudor ita eminebant, ut nemo eum, vix de facie notum non amaret. Linguas nobiliores, Græcam, Latinam, Italicam uſque eo callebat, ut ſi quid ipſi priſci inſolitive interpretari libuiſſet, prorſus quid adderes non haberes. Ad 620. annos Patavii moratus, magni ſemper eſt habitus, idque ultra vulgarem modum. Memini ego *Meliorem Guilandinum*, rem Herbariam Patavii magna cum laude profitentem, & non minoris apud eruditos nominis, parcum alioqui laudatorem, advenis quibuſdam de *Aicardo* ſciſcitantibus reſpondiſſe, neminem illo Patavii doctiorem, etiam ſi gymnaſii quotquot erant interpretes adnumeraſſent. *Jacobum Davy Peronæ* D. Epiſcopum Ebroicenſem, quem *Clemens* VIII. in Cardinalium collegium cooptavit, in quo ambigas utram mirere, pietatemne an multiplicem eruditionem, Roma redeuntem ubi ſumma cum fide Regis ſui cum Catholica Eccleſia reditum in gratiam procurarat, Patavii anno 1596. *Marcus Cornelius* Epiſcopus Patavinus ſplendidiſſime excepit. Is ut hoſpitem tantum commodiſſime liberaliſſime haberet, ut ſedulo curavit, ita *Aicardum* illis diebus in Ebroicenſis gratiam domi habuit, quocum doctis & eruditis ſermonibus horis ſucciſivis congrederetur. Hinc ille *Aicardum* admiratus dixit aliquando, per id tempus quo ſibi in terra Italia eſſe licuit, præter quatuor aut quinque magnos & eruditos viros, in queis & *Aicardum* reponebat, haud obtigiſſe ut alios noſceret. Quam amicitiam contractam ſimilitudine ſtudiorum, aluit in poſterum uterque communibus officiis, epiſtoliſque doctorum problematum refertis ultro citroque miſſitandis. Omnia dicta *Aicardi* factaque citra venditationem animadvertere, qui hominem noverunt. Et licet frequenter literatorum congreſſibus adeſſet, non ideo tamen obtrudere ſeſe viſus unquam, e-

rumpebat ſane aliquoties, ne pedaria omnino ſententia videretur, at parcè, & ea ratione, ut qui aderant animadverterent ipſum ad ſcopum collimaſſe. Quæ nimirum ſeriò doctis familiaria, ut & paucis ſe expediant, & è verbo non temerè prolato virum multiſcium metiantur. Quæ ſi cui non ſufficiunt, is demum ſciat, *Hieronymum Mercurialem* (qui nobis hæc ſcribentibus prope octuagenarius diem functus eſt) edere cogitantem librum illum ſuum de morbis cutaneis, quem is olim auditoribus ſuis dictarat, *Aicardum* ſelegiſſe, qui menda tolleret, errores corrigeret, redigeretque in legitimam & germanam libri faciem. Neque verò imparem ſe oneri præſtitit *Aicardus*, qui librum *Gulielmo Syrleto* laudatiſſimo Cardinali inſcripſit, & *Mercuriali* fecit abunde ſatis. Ea illi à natura inſita humanitas, ut omnes ſibi promiſcue doctos, indoctos, ſummos, infimos, devinciret. Qua ratione qui illi obtrectaret reperiiſſes neminem, niſi malevolum inſigniter & maledicum. Vertebat ille ſeſe in omnes omnium propenſiones Φιλανθρωπία quadam, cujus comites manſuetudo morum, ac facilitas, lenitaſque animi, quarum eſt animis, velint nolint, dominari, pellicereque ad ſeſe alienas quantumlibet hominum voluntates. Ejus opera quiſquis uſus, nihil unquam habuit quod amplius deſideraret, ſeu fidei ſeu diligentiæ. Qua id eſt aſſecutus, ut nemo non auderet ejus comitatem & induſtriam periclitari: Invitarant eum non ſemel amici, ut profitendi munus in gymnaſio Patavino capeſſeret; neque deſuere ex ipſius gymnaſii moderatoribus, qui eadem proponerent, quos ille omnes unico reſponſo refellebat, imparem ſe oneri & non tranſlatitia illi doctrina opus eſſe, qui alios publicè docere velit. Eadem opera Cardinales, & Dynaſtas non paucos, à quibus, magnis propoſitis conditionibus eſt plerumque evocatus, *Pinelli* domeſticæ conſuetudini poſthabuit. Quæ res in cauſa fuit, ut *Aicardum Pinellus* eo impenſius amaret, quò ejus ſibi conſuetudinem cerneret acrius invideri: cum nihil æque (ut neſcio quis ait) amorem incitet accendatque, quam carendi metus. At *Joh. Vincentio* non erat quod metueret, deſpexerat enim jampridem hic noſter inanes honorum titulos, effrænemque pecunia cupiditatem, uni mentis tranquillitati intentus; quam abjiciat neceſſe eſt, qui illis ſeſe fluctibus jactari patiatur. Non neſciebat nimirum quantas immodicum honoris ſtudium miſeris aulicis conſtituat cruces, didiceratque pervolutandis nobilium ſcriptorum monumentis, viro honeſti otii amanti, nihil æquè fugiendum ac ſuperba, ut Horatius ait, *civium potentiorum limina.* Meminerat nobilis adagii; Procul à Jove procul à fulmine, appoſitè ad illud ejuſdem Poëtæ,

A. Gell. lib. 13. c. 15.

Epod. od. 2.
Lib. 2. od. 10.

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celſæ graviore caſu
Decidunt turres, feriuntque ſummos
Fulmina montes.

Hanc illi mentem, præter alia, injecerat *Pinelli* contubernium, à quo videbat omnia hæc, uti apinas tricaſque contemni & rejici. Optimum *Aicardo* viſum, docti ſapientiſque convictum, à quo fratris loco haberetur, Principum virorum conſuetudini præferre, quos nonnunquam deprehendas Phryxæos arietes, perſonamve Æſopicam illam, cui extima ſpecies, & præterea nihil.

Interiore

Interiore ſe quandoque animi motu ad Eccleſiaſticam vitæ rationem corripi ſentiebat, at abſtinuit, quia cùm *Marco Cornelio Epiſc. Pat.* charus eſſet ſupra quàm dici poſſit, videri noluit eo inſtituto proventus aliquid amplioris aucupari. At in morbo qui poſtremus illi fuit, decreverat cùm primum convaleſceret, animum religione liberare, mecumque, ſi *Pinello* ſuperſtitem eſſe contingeret, aut Veronæ cum *Ptolemæo Oliveto*, quod vitæ reſtitiſſet abſolvere. *Aicardi* liberalitas eo magis enituit, quò minus ipſe dives fuit. Neque enim valuerunt rei familiaris anguſtiæ continere animum magna cogitantem, quin erumperet ſæpe ſæpius collatione inſignium beneficiorum. Res domeſtica non omnino ampla ut diximus illi fuit, cujus ne experiretur tenuitatem, *Pinellus* quà officiis quà beneficiis eximiè juvit. Neque ſanè iis quibus minimæ fortunæ ſunt, præcluſus omnino eſt aditus liberalitatis, ſi Ariſtotelem audiamus, cum divitem faciant (inquit ille) non poſſeſſio, ſed uſus. Amicis hic noſter omnia largiri, ut ut pretioſa, conſueverat, modo animadverteret jucunda eſſe quæ donaret. Inde jocari nos cum ipſo, eſſe in poteſtate noſtra quicquid haberet, ablaturoſque, cum libuiſſet, ne petentes quidem. Monſtrabat aliquando amicorum cuipiam numiſmata quædam argentea recondita & ſelectiora, cumque notaſſet in eximia quæpiam oculos (ut fit) conjectos, miſit ſub veſperam familiarem, qui amicum domi conveniret, numiſmataque ſuis verbis donaret. Ut fuit elegantiarum omnium amator, librorum, nummorum, gemmarum, tabularum, nulli unquam pepercit impenſæ, deterruitque *Pinellum* aliquando, qui magnos in his comparandis *Aicardi* ſpiritus non ſemper approbabat. Quod tamen nullum inter ipſos unquam diſſidium peperit, cum alter alterum ſummè diligeret, *Pinellus*que *Aicardum* filii, hic illum parentis loco haberet. Rectè enim Tyanæus, cauſam eſſe amoris ſimilitudinem, quæ in ſapiente in affinitatem evaderet. At quod dictu mirum, cum familiaritas pariat contemptum, nemo unquam illorum ad id dilapſus, ut alterum minus, quam amicitiæ leges ferunt, amaret ſuſpiceretve; ut enim (inquit Plinius Jun.) *de ſculptore, pictore, fictore, niſi artifex judicare, ita niſi ſapiens non poteſt perſpicere ſapientem.* Horatii carmina in ipſos quadrabant.

Rhet. lib. 1. c. 5.

Philoſtr. lib. 4.

Lib. 1. *epiſt* 10.

Lib. 1. *od.* 33.

Felices ter & amplius,
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Divulſus querimoniis,
Suprema citius ſolvet amor die.

Et ſanè, cujus oculos non præſtringat, cujus animum non alliciat doctorum hominum par, volentium idem idemque nolentium? Theſauros & opes nemo ſanus prætulerit his bonis, quæ eo majora, quo rariorem hujuſce notæ amicitiam reperias. Neque non norat hæc *Joh. Vincentius*, homo ſi quis alius perſpicax, & acer in judicandis rebus. Ideoque largitionibus & congiariis *Paulum* ſibi devinctum frequenter voluit, ut illi ſuppeteret unde partam exiſtimationem ſuſtentaret. Ideoque, non multis ante obitum annis, aureæ præceptionis memor, *ante mortem amico benefaciendum*, donavit illi inter vivos IV. millia aureorum, è corpore grandis pecuniæ quam Romæ habebat. Qua in re *Aicardus*, idem qui ſemper, à *Pinello* impetravit, ut non niſi mortis cauſa donaret, quaſi jam tunc animo pærvideret præmoriturum ſe, & liberalitatis rivum

Eccl. c. 14.

ad

ad caput unde manarat, turbato ordine reverſurum. Quod ſi *Aicardum Pinello* ſuperſtitem eſſe contigiſſet, non dubito quin ipſi *Joh. Vincentius* bibliothecam ſuam legaſſet, Cum enim *Aicardus* decedens libros ſuos *Pinello* teſtamento reliquiſſet, ille tum mihi qui aderam, en qui rerum humanarum luſus! is mihi bibliothecam ſuam legatam vult, cui ego meam volebam. *Aicardi* bibliothecula (ita enim præ *Pinelliana* operoſa illa & voluminum ſane multorum videtur appellanda) ſelecta erat, claſſiciſque auctoribus referta, veteribus nimirum, quorum lectionem ille amicis decantato carmine ſubinde commendare conſueverat.

Enn. apud Cic. 2o lib. 6. de Rep.

Moribus antiquis res ſtat Romana viriſque.

Horum pleroſque eruditiſſimis ad marginem notationibus illuſtrarat, veluti Polybium, Cæſaris commentarios, libros univerſos Ciceronis, de Officiis præſertim, Plauti comœdias, Cornelium Celſum, alioſque non paucos, quos ille veterum exemplariorum collatione meliores fecerat & auctiores, quos ni ſuppriment ii ad quos *Pinelli* bibliotheca pervenerit, animadvertent brevi omnes, qui hæc noſtra legent, non feciſſe nos gigantem è pumilione. Commentarium in Ariſtotelis Ethica elaboraverat præterea, in gratiam *Aloyſii Oricellarii*, præſtantiſſimi adoleſcentis, qui nunc Romæ in conſpectum dat quicquid è *Pinelli* & *Aicardi* conſuetudine ſibi olim comparavit. Faſtidiebat *Aicardus* immanem copiam librorum, quos *Joh. Vincentius* coegerat, dictitabatque nolle ſibi tot libros, & alia ejus generis donari, quæ poſſidentis animum raperent in diverſa: quæ profecto vera eſſe nemo negabit, niſi qui bibliothecam non modo in ſuum (ut fecit *Pinellus*) ſed & in aliorum uſum inſtruxerit. Qui enim oſtentationis gratia librorum ſtrues affectant, næ illi ridiculi ſunt, qui Muſarum delicias, ſupervacaneam ſupellectilem faciunt. Adde, congeriem tot auctorum ſine ullo delectu, quorum pleriſque mos eſt, recentioribus præſertim, aut veterum ſcrinia compilare, aut meras nobis nugas obtrudere, horum qui acervos domi habet, quid mirum ſi minimè ſapiat; & ſane vidit ſuperior ætas in librorum inopia viros magnos, quibus curæ fuit antiquos auctores, probos videlicet atque eruditos, lectitare. Obiit *Aicardus* anno 1597. *IV. ID. Aug.* feſto martyris Laurentii die, cum octo aut ad ſummum decem dies æger decubuiſſet, laboraſſetque primum lateris doloribus, incidiſſet deinde in malignam febriculam. Tertio poſtquam ægrotare cœpit die teſtamentum condere voluit, quod eſt *Joh. Vincentii* manu ſcriptum. In eo ut amicos vivens dilexerat, & munuſculis fuerat proſecutus, ita & amoris in eoſdem ſui moriens extare optarat illuſtria monumenta; quicquid enim ille Patavii habebat inter amicos; quicquid domi, inter affines & fratres partiri conſtituerat, vir amicorum ad miraculum amans. Teſtamentum nimirum ſpeculum morum ſre quenter eſt, in quo datur intueri, an teſtator quos amavit ſerio amaverit necne? Detrahitur ibi perſona captantibus, & ſubdolis amoribus præteritionis adſpergitur labes. *Aicardum* utinam omnes illi imitarentur, qui amicos juſtos & legitimos nacti. Quid enim pulchrius, quam gratiè pieque eos proſequi judicio ſupremo, quos individuos vitæ comites habuimus? Quid turpius quam eorum memoriam cum vitæ exitu interlinctam velle;

Senec. lib. de tranq. c. 9.

Quibus

Quibus in teſtamento legavit quidpiam, & quidem cum honorifica appellatione, fuerunt, *Joh. Vincentius* primùm, cui libros ſuos fere omnes reliquit. Quanquam ille (exceptis manuſcriptis quibuſdam, impreſſiſque nonnullis ad ad marginem adnotatis) reliquis abſtinuerit, ea mente, ut pretium illorum *Aicardi* fratribus repræſentaret. Immo ut audivi, conſtituerat ejuſdem ſororibus mortis cauſa donare IV. illa aureorum millia, quæ ad ſe ex *Pauli* morte rediiſſent, ut haberent quò expeditius nuberent.

Poſt *Joh. Vincentium*, honorati ab *Aicardo* inter cæteros *CÆſar Nicheſola Patric.* & *Can.* Veronenſis, Latinè græceque peritus, tabularum, ſignorum, numiſmatum, gemmarum amator ſi quis alius: munificentia adhæc, vitæque ſplendore inſignis, & pleriſque è Dynaſtarum ordine apprimè charus; & *Ptolemæus Olivetus Patric.* itidem *Canonicus*que Veronenſis, quem ſuaviſſimi amici, Dominique elogio in teſtamento proſecutus eſt, nec ſanè injuria. Ut enim prætereamus nobilium ſcientiarum cognitionem, in quibus Mathematicarum diſciplinarum peritia excellit, vitæ ſanè candor, & aurea morum integritas, *Aicardum* adeò raptim in amorem ſui pellexerant, ut quod amplius adjiceret nihil haberet. Me hic tertium niſi collocem, haud faciam recte. Exigit enim id ſuo prope jure mutua inter nos benevolentia, quæ corpora quatuor, totidemque animos, unum corpus, unam animam effecerat. Quæ nos Patavii ſtudiorum morumque ſimilitudo conjunxerat, eadem nos alibi comitata eſt, quam ſemper honoratam, ſacro-ſanctam ſemper habuimus. Neque aliunde vindemiales illæ noſtræ feriæ, quas in agro tum Vicetino, tum Veronenſi, & ad Benacum quandoque, cum amicis quotannis exigebamus. Hinc illa deliberatio, curaturos nos aliquando, ut pictor quiſpiam inſignis, nos in tabula iconicos delinearet, appoſito videlicet emblemate aliquo, indice futuro apud poſteros amicitiæ noſtræ. At invidit mors honeſtiſſimæ deliberationi, eripuitque nobis potiorem animæ noſtræ partem. Suppellectilis domeſticique inſtrumenti quod ſupererat *Aicardus* diſtrahi juſſit, & pecuniam quæ inde redigeretur familiaribus, *Pinelli* arbitratu, diſtribui pro ſalute animæ ſuæ. Fratres, ſorores, affines elegantiſſima Epiſtola conſolatus eſt, biduo triduove antequam moreretur. Me autem ille per amicitiæ jura obteſtatus eſt, ut adeſſem ſibi, & præſtarem, ut ſedulo feci, officia ſuprema. Nec vero quidquam eorum omiſſum quæ Chriſtianum hominem decent, migrantem è vita hac ad meliorem & beatiorem. Ita ille obiit intempeſtive quidem ſi annos quos vixit ſpectemus, & commoda noſtra; at tempeſtivè ſatis ſi uberes ſapientiæ proventus, & innocentis vitæ rationes diſpiciamus. Quæris (inquit aureus Philoſophus) quod ſit ampliſſimum vitæ ſpacium? Uſque ad ſapientiam vivere. Quæ ſane cogitatio, illuſtribus ingeniis ad ſapientiam conſequendam acre incitamentum ſit neceſſe eſt. In hos enim bacchatur mors, quæ præclara quotidie ingenia ſuffuratur, ut innuat nimirum vitreas eſſe laudes noſtras, tunc demum cum ſplendeant frangi ſolere. *Aicardi* obitum nemo amicorum non deflevit, inter quos fuit *Laurentius Pignorius*, qui dolorem ſuum, & *Pauli* in ſe merita, utut poterat conteſtaturus, in viri optimi memoriam, qui ſibi bonarum literarum ſemitam digito velut oſtenderat, hæc appoſite cecinit. *Sen. epiſt. 93.*

Qualis

Qualis honos pelagi vitreis emergit ab undis
Gemma nitens, quæ matris amor, quæ gloria conchæ,
Tale decus tulerunt te orbi fata improba noſtro,
Aicarde: ah properè heu nimium decus addite cœlo.

Hanc jacturam *Pinellus* ægerrimè tulit, diuque nulla luctus levamenta admiſit, cum illum ſibi ipſe videret ereptum, quem (ut ille ſemper præ ſe tulit) habuerat in omni vita fratrem verius quam familiarem, is me aliquando conantem lenire deſiderium quod ſui reliquerat *Aicardus*, ita eſt allocutus: Nunc demum *Pauli* morte ſentio quàm nullus prope ſim. Ille mihi ſtudebat, mihi laborabat: ego nihil (neque pœnitebat ſane) inconſulto ipſo audebam, amicos ille mihi parabat, paratos retinebat, conſilio ſiquid impedimentum aderat expediebat. An non hæc mihi, oro te, deflenda, ægrotanti præſertim, ſeni, peregrino, & quod caput eſt, mercenariorum familiarium injuriis expoſito? Hæc ille, vera ſane, & citra ullam aſſentationem. Poſtremis enim iis annis, quos æger *Pinellus* exegit, ætate præſertim ingraveſcente, ſi qua inciderat literaria quæſtio, ſi quis recens prodierat liber, in *Aicardi* præclara diligentia totus conquieſcebat. Abſtinuit ille per aliquot dies ab ædium parte inferiore, ne conclavia videret, in quibus *Aicardus* diem obierat, in quæ & jam non niſi poſt annos aliquot ingreſſus eſt, ne recrudeſceret vulnus, quod ex amici jactura ad intimas uſque animæ partes adactum ſenſerat. Abjecerat utique omnem ſpem in poſterum aliquem *Aicardo* parem reperiendi, nec opinione ſua fruſtratus eſt; doctrina enim & probitas ejus indicaturæ, raro admodum inter ſe conveniunt, ævo præſertim noſtro, quo rerum nomina ſpecioſa, rebus ipſis ablegatis, in pretio ſunt. At non fecit *Aicardi* mors, ut ille deliciarum ſuarum obliviſceretur, literarum inquam, & hominum qui illas amarent, Decreverat enim domi habere *Laurentium Pignorium*, probe cognitum ſibi ex *Aicardi* familiaritate, cujus ingenium ille prædicare ſolitus, bonarum artium cupidum ſupra conditionem, cujuſque lucubrationibus ipſe *Pinellus* multum tribuere viſus. Hujus non irritum conatum in exponenda vetuſtiſſima tabula ærea, quæ fuit *Petri* olim *Bembi Card.* ſummopere eruditi laudant. Intactum ſane aliis opus, & quod non modo ævi noſtri hominum, ſed & poſterorum plauſum mereatur. Dabit is alia propediem, antiquitati, cujus ille ſupra modum ſtudioſus eſt, non obſcuram facem prælatura: ab illo ego non minimum adjutus in his conſarcinandis, ut qui *Pinellum* obſervare, & convenire terq; quaterq; quotidie ſolitum cum fructu, ut *Pinelli* in re literaria curas acerrimas nemo illo hodie melius norit. Domo raro egrediebatur poſtquam *Aicardus* vita functus eſt. Feſtis tantum modo diebus ad templa divorum *Antonii*, *Juſtinive*, ut ſacris matutinis intereſſet, ceteroqui intra domeſticos ſe parietes continere ſolitus. Extra urbem nemini viſus, niſi cum proceſſit (ut diximus) ad peſtilentiam declinandam, & cum Neapolim ad inviſendos affines. Amicis vero ut ſecederet inſtantibus, equum objectabat, rhedam, lecticam, ipſam adeo cymbam incommodam ſibi. Frater ipſe, quem non perfunctorie amabat, nunquam ab eo impetrare potuit, ut iterum Neapolim proficiſceretur, incaſſum precatus, incaſſum obteſtatus. *Julius* frater *Coſmus* & *Ceſar* fratrum filii, non ſemel Patavium profecti, ut ipſum abduce-

cerent

cerent, irritis conatibus receſſere. Hic ille jam diu ſibi & Muſis vivere decreverat, ubi literarum bonarum amorem hauſerat, ubi doctrinarum ſuaviſſimos fructus deguſtarat. Nihil ſibi poſthac negotii cum patriæ ab hoc otio avocamentis fore tunc aperte denunciarat, cum tot Neapoli turbarum pertæſus, ſæpe ſæpius inclamaret, ô Patavium, ô Patavium, quamdiu abero abs te?

At quæ cauſæ cur unam urbem omni orbi terrarum prætulerit? Patavium (ut nobiliſſimæ urbi quod bene de nobis merita eſt, rependamus) literarum cupientes præ cæteris omnibus, amœnitatis & otii philtro allicit mirum in modum. Inſigniores duas, mea quidem ſententia, in terram Italiam colonias Trojani deduxerunt, Romam, & Patavium, advenarum ambas frequentia celebres, diſſimili tamen & prope diverſa ratione. Ille enim laboriolis hominibus, honorum divitiarumque cupidis, hæc otioſis doctrinarum amatoribus patet, quos.

Pax ſcura juvat, fœlicis & otia vitæ,
Et nunquam turbata quies, ſomnique peracti.

Statius lib. 3. Sylv. ad Claudiam uxorem.

Nullibi enim (Europam ut libet pervagare) Academiam reperias, in qua Muſarum altrix quies literatos æque ad ſe invitet. Hic nemo eſt, qui advenarum vitam curioſius exploret, hic ſeu genio indulgere quis velit, ſeu ipſum defraudare, nemo erit qui impenſè curet. Animadverterat hæc *Pinellus*, narrabatque Patavii omnes, peregrinos quantumvis, perinde vivere ac ſi in patria eſſent; Germanos enim, Gallos, Polonos, eandem vitæ victuſque rationem aſſervare, cui domi aſſueverant, quod nullibi videas. Advenis enim alibi uſitatum tranſire in mores incolarum, & patrios averſari. Bononiæ namque, ne longe abeamus, Germani, Galli, Hiſpani, Italiciſſant omnino, conformantque ſeſe ad civium conſuetudinem; at Patavii nihil tale. Cujus eæ poſſunt eſſe rationes: vel quod Venetorum moribus, honeſtæ huic ad placitum vivendi licentiæ Patavini aſſueverint, ideoque nihil ad ſe pertinere putent, quo quis corporis cultu utatur, quid agat, quid meditetur; vel quod hic advenarum frequentia non niſi æquis conditionibus ſe in civitatem, ut ita dicam, recipi paſſa ſit. Huc ergo peregrini ſe lubentes tanquam in portum recipiunt, quotquot literarium otium amant, quà ſibi lucubrationibus, quà aliis publicè interpretandi munere conſulturi. Clementia præter hæc aeris advenis omnibus, ſub alio quantumlibet cœlo natis, domeſtica & familiaris, non minima in cauſa eſt, cur qui hic aliquandiu vixerint, honoribus quamvis & dignitatibus in patria & alibi aucti, ad Patavinam tamen libertatem quoties meminerint, ſuſpirent. Neque hac non uſus *Pinellus*, in cujus victu & veſtitu elegantiam quidem & ſplendorem, ſed non ultra privatum modum notaſſes. Veſtibus ille ſericis in perpetuum abſtinuit, laneis uſus, ſed optimis & præſtantiſſimis, luxum & faſtum quacunque ratione declinans: Socratis imitator, cui Sicyonii calces habiles quidem aptique ad pedes viſi, at ſibi non convenientes omnino. Domum qua parte ſe in conſpectum interiorem dabat, inſtruxerat ornaratque Geographicis grandioribus tabulis, iconibuſque illuſtrium virorum. Anno enim *MDLXXXII.* cùm *Nicolaus Primus* Patricius Epidaurius Patavii diem obiiſſet, *Pinello* amicorum principi tum legavit non paucas clarorum imagines,

Cicero. lib. 1. de orat.

quas domi habebat. Arripuit ſtudium hic noſter, grandique acceſſione bibliothecam, conclavia, atrium, ejuſmodi ornatu honeſtavit. Ut enim pleriſque moris fuit libros illi ſuos inſcribere, aliiſve inſcriptos elargiri, ita non defuerunt, qui imaginem ſuam bibliothecæ ejus dicatam vellent. *Carolus Cluſius* hæc ad ipſum; *Meis literis ſignificabam, me Franciſco Raphelengio meæ plantarum hiſtoriæ exemplar majore & nitidiore charta expreſſum tradidiſſe Francofurtum, ut inde ad illuſtrem veſtram Dominationem allegaretur. Et* Matthiæ Lobellii *effigiem mittere etiam volui, quam exiſtimo* Ill. V. D. *non fore ingratam.* Multi autem, qui imaginem ſuam haud paſſi evulgari, *Pinelli* ſtudio perſpecto, à propoſito facilè declinarunt; inter hos *Joſephus Scaliger*, qui effigiem patris & ſuam his verbis comitatus; *Effigiem meam tibi mitto nobiliſſime* Pinelle, *magis quia ita viſum eſt, cui nihil negare debeo, quam quòd libenter id faciam, paucis enim id conceſſi, &, ſi qui impetrarunt, ab invito expreſſerunt. Quandoquidem igitur nefas mihi denegare, quod tuo jure à me exigere potes, age fiat, & habeat illa locum in angulo quodam, ubi non obruatur ſplendore illarum Heroicarum imaginum, quibus totum Muſæum tuum ut audio collucet.* Ad patris imaginem hæc; *addidiſſem illi comitem imaginem, patris, ſi nactus eſſem qui cera bene fingere poſſet qualem protomen habeo, os ſenis elegantiſſimi referentem: Si erit copia ejuſmodi artificis dabo operam ut habere poſſis.* Quæ fere omnia etiam Gallicè ſcripſit ille ad *N.* Epiſcopum Valentinum nobilem Gallum, qui *Pinello* amiciſſimus, quibus referendis ſuperſedemus, πωπολογίαν vitaturi.

Haſce imagines elegantiſſimis carminibus exornavit *Hieronymus Alexander* junior, qui domeſticum & familiare ornamentum *Hieronymum Card.* illum magnum, ab ineunte uſque adoleſcentia æmulatus, Muſarumque delicias *Amalthæos*, avunculos ſuos, doctos viros, & in his *Pinellum* cum Patavii ſtudiorum cauſa degeret, officioſiſſime coluit:

Quæ præclara tuos ornant ſimulacra penates,
Heroum Pinelle *decus, virtutis alumne?*
Quam mire paſcunt animos, ac lumina fallunt,
Dum tacitis ſpirant verboſa ſilentia labris,
Immotoſque oculis volvunt radiantibus orbes?
Magnanimi hic Reges, auro gemmiſque coruſcam
Oſtentant frontem, quam majeſtate verendam
Mirantur, pictaque omnes ſub imagine honorant.
Illic ſanguinei viſuntur fulmina belli
Heroes, quos nunc etiam ſpirare furorem,
Et rigidum vultu jures accendere Martem;
Parte alia Tyrio decorat fucata veneno
Purpura longævos pulchro velamine patres.
Queis pia relligio mundi commiſit habenas,
Candidaque in nitido ſe carbaſus implicat oſtro:
Nec minus intentos rara ad ſpectacula formæ

Allicium

Alliciunt matronæ oculos, radiiſque micantes
Haud vanas picti flammas jaculantur amoris.
Vos quoque, quos vigili ſtudio, multoque labore,
Mercurius Pallaſque ſuas duxere per artes,
Conſpicuis tabulis ſpatioſa hæc artia ſervant:
Vivida pallenti fulget ſapientia vultu,
Hi mentes animoſque trahunt, oculosque morantur.
Sed velut ætherei qui gemmea gaudet Olympi
Mœnia ſcrutari, & divûm percurrere ſedes,
Frigida Hyperborei miratur plauſtra Bootæ.
Nimboſaſque Hyadas, claramque Lycaonis urſam,
Et Lunam, & ſeræ qui noctis nuncius, idem
Lucifer aurorum rutilanti provocat ore,
Cunctaque per tacitum labentia ſydera mundum.
Nil tamen ille magis, quam Solis ſuſpicit ignes,
Hunc lucis fontem dicit, rerumque parentem.
Sic variis quicunque animata coloribus ora
Circum aulam aſpiciunt, in te unum lumina figunt,
Te te admirantur ſolum, te cernere gaudent,
Nec mentes oculoſve queunt ſaturare tuendo,
Semideûm Pinelle *genus; tu maximus ille es*
Unus, qui reliquos claris virtutibus anteis,
Nectare quem Divûm pavit Tritonia virgo,
Cœleſteſque dedit depromere pectore ſenſus,
Ac ſolem veluti toto ſplendeſcere mundo.

Habitu corporis *Joh. Vincentius* gracili fuit, ſtatura grandiori, colore candido, valetudine non nimis firma. Coquinæ cupedias jamdiu aſpernatus: munditiarum tamen, optimorumque eduliorum appetens. Vini ejuſque diluti ita parcus ut toto anno Patavini dolii quadrantem circiter abſumeret. Aqua utebatur hauſta è Medoaco flumine, quam uti Romæ fit de Tiberina, fictilibus vaſis aſſervabat percolandam, donec limus ſubſideret. Vino capiebatur albo magis quam rubro, leni, non tamen dulci, generoſo, auſterove, pellucens cupiebat, ex uvis lectis in ſolo aprico, & optimæ notæ: circa panem & cæterum victum eâdem diligentia fuit, quam explicare pulchrum profecto eſſet, utileque iis qui valetudine imbecilla ad ſtudia doctrinarum minus valentes accedunt. Hæc mihi probe nota, qui per multos annos *Vicetiæ* in patria moratus, *Pinello* vina, obſoniorumque præſtantiſſimorum apparatum quotannis curabam. Nec difficile ſanè, cum ubertas agri noſtratis non Italis modo, ſed & exteris probè cognita ſit. Oculorum illi acies obtuſior fuit; tum quia dextrum oculum tormentario pulvere per luſum cum fratre puer offenderat, tum quia ex viſus imbecillitate frequentes floccos ſibi ante oculos concurſare conquerebatur. Qua de cauſa cubicula viridibus aulæis exornabat, praſiniſq; adhi-

bitis è vitro orbiculis reficiebat visum. Hepate ad hæc utebatur iniquè calido, unde illi facies plerunque rubicunda. At quo minus corporis oculis valebat, eo magis animo viguit, in opera præsertim amicis præstanda, quos o-
Cicer. Tuscul. quæst. lib. 5. pibus & consilio supra eorum votum enixè juvabat; *C.* Druso nobili illi *I. C.* persimilis, qui cæcus optime videntibus dux in consulendo adhibebatur.

A *Pinello* ego non pauca didici, quorum selectiora quædam supprimere, & aliis invidere turpis animi sit. Quamvis plane videam, ejus generis plurima & superius relata, & inferius esse referenda. Monebat ille cum obstinatis & refractariis hominibus ea ratione agendum, ut finamus illos errare quandoque, mitius acturos in posterum, neque suæ omnino sententiæ confisuros. Monitum comprobabat auctoritate *Nicolai* de *Ponte*, quem nostra ætas Ducem Reip. Venetæ tanto oneri parem vidit. Is cum in nescio qua legatione collegam haberet ingenii quam par esset ferventioris, dictitabat, permittamus eum impingere, ut & nostro consilio uti discat aliquando. Quod sane & de *Q.* Fa-
Liv. lib. 22. bio Max. legimus, qui Magistrum equitum Minutium hujusmodi nactus, elati animi, & plurimum sibi confidentem, eodem consilio habuit in posterum morigerum, & obsequentem. Narrabat *Pinellus*, se ex *Donato Iannottio*, viro magni suo ævo in Italia nominis, didicisse, decedendum de via, declinandumque tantisper, cum equos aliasve è genere bestiarum quæ pauperiem facere possint, cicures quantumlibet, obuias habemus; hac enim cautione toto vix anno mille passus confici, propulsarique ingentia pericula, quæ tum demum cum nobis acciderint, magno velimus redempta. Belluas ille ut caveremus monebat, quibus addimus nos efferos homines immanesque, à quorum consuetudine eò magis nobis impendet periculum, quo minus hominum munera quæ sunt, modestiam, æquitatem, morum facilitatem amant. Admonere præterea consueverat eos qui ad longum iter se accingerent, ut ne dies certos ad præscriptum itineris destinarent, neve pecuniam parcè conficerent; accidere enim nobis repentina pleraque, & inopinata, quæ domi initas rationes non impediant modo, sed & planè evertant. Prudentiam non versutiam magni faciebat; ingenui animi ratus ea dicere quæ sentias non plani in morem elabi passim, dataque opera ita loqui, ut sententia contra naturæ institutum, sermone tegatur magis quam aperiatur. Candidas enim (ut in proverbio est) & apertas esse Musarum januas, neque homines quidam appellandos eos, qui uno eodemque fundunt ore calidum & frigidum. Eleganter sane *L.* Annæ-
Senec. ep. 83. us Seneca pronunciavit; 'Si certè vivendum est, tanquam in conspectu viva-
'mus, sic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum inspicere possit, &
'potest. Quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum; nihil Deo clu-
'sum est. Interest animis nostris, & cogitationibus nostris intervenit. Nam-
'que qui bonum virum profiteatur, cordis sensa, cum opus sit in propatulo
'habere, tanquam si is, qui cum loquitur, cogitationis intima oculorum acie
Idem cap. 1. de clemen. 'introspiceret, meminisseque ejusdem dicti, neminem posse personam fictam
'diu ferre, ficta in naturam suam cito recidere. Cognatum vafriciei mendacium, vix dici potest quantum odisset. Servilis ingenii, parum certe liberalis esse dictitabat mentiri subinde, & veritatem pulcherrimam virginem, cujus nitor & forma respuant omnem cultum, fuco & lenociniis mendaciorum interpolare. Vidi ego non semel, dimissos ab eo parum honesta missione familiares,

miliares, quod hujus vitii labeculis adſperſos agnoviſſet. Ab illis ipſe non alia de cauſa (ſi quando quidpiam interrogaſſet) exigebat ingenuam reſponſionem, *eſt* & *non*, ablegatis omnino verbis quibus ſe opinari profiterentur. Hujuſmodi homines affirmabat, quibus aſſeverare aliquid religio ſit, non nomine Stoicorum, ſed ſtolidorum appellandos, ut qui vix unquam compotes ſui, diffidere ſibi plerunque, & inanibus concuti ſoleant terriculamentis, quibus de mentis ſtatu, ſi quem habent, dejecti, in opinionum ſalo perpetuo æſtu jactantur. Non nimis æquus illis erat, quorum ſumptus cenſum ſuperarent, optimæ ſententiæ memor, *ſtultum eſſe id ſequi, quod aſſequi non poſſis* Privatos ideo homines, nec multarum ſane opum, ægre ferebat in conquirendis veteribus nummis, gemmis, tabulis, ſignis patrimonia prodigere: ſtudium hoc beatis tantum & luxu affluentibus convenire, apud quos multa ejus generis reperias, quæ ſingula tenuioris fortunæ hominum multas congeries obruere ſpecie & pretio poſſint. Quod ad tabulas attinet, his conſulebat qui pinacothecas ſupra vires inſtruerent, ut exemplari quopiam contenti eſſent, quod Bonaroti, Raphaelis Urbinatis, Titianive protypon bona fide referret. Præſtare enim veteres illos pictores recentioribus, quos graphices non ita ſtudioſos, vividorum colorum lenocinio vulgi plauſus captare ſtomachabatur. In familiaribus amicorum colloquiis, ſermonis varietatem amabat, docendi percupidus & dicendi; ut enim agros multiplici conſerimus ſemine, ita ingenia, quæ Clemens Alexandrinus agros animatos appellat, non iiſdem ſemper meditationibus excolenda. *In Pædag. li. cap.* 10.

Sermones veterum auctorum dictis, plerumque Græcorum, diſtinguebat, condiebatque nonnunquam dicteriis jociſve, quos vel vetuſtas, vel illuſtrium virorum recens auctoritas commendaret. Horum omnium copioſam adeo ſupellectilem ſibi comparaverat, ut nemo unquam ab ejus congreſſu diſceſſerit niſi doctior. Ipſe viciſſim colloquentes in omnem partem verſare, ut erueret quod ſibi hactenus minimè cognitum in promptuarium ſeponeret. Qua ratione aliquem nullius pretii hominem cum vellet deſignare, dicebat ab ejus colloquio divertiſſe ſe inanem ſemper & vacuum. Si quid novi Patavii accidiſſet, rei ſeriem amabat ab omnibus quotquot eum inviſebant, cognoſcere, quaſi tum primum inaudiſſet. Afficiebatur enim varietate illa narrationis, quam ipſe callidus verborum æſtimator, in ſermonis auctore, cui amoris odiive cauſæ adeſſent, deprehendebat. Neque hoc ſine fructu, eruebat namque latitantem ſæpenumero veritatem, eventuſque cauſas acu (ut in proverbio eſt) ſolerti ratiocinatione tangebat. Eodem conſilio rumorum, ſi qui percrebuiſſent, auctores inveſtigare conſueverat, quod hac ratione diſquirere ſe poſſe confideret, verine an falſi quidpiam continerent. A levibus enim hominibus vix alios quàm inanes ſermones prodire. Cujuſmodi neſcio quem narrabat Romæ olim tabellarii adventum, veluti magnum quidpiam, in aurem inſuſurraſſe *Gabrieli Silvago* Patric. Genuenſi contubernali olim ſuo, leporum ac facetiarum, perinde ac bonarum literarum ſtudioſo. Ridebat ſuaviſſimè, ſi quando in aliquos Regum moleſtos amatores inciderat, quos neque officii, neque ſpei beneficiorumve acceptorum ratio, ſed inconſultus quidam genius permoverat; Horum è re dicebat fore, ſi aulas eorum quibus inſaniebant inviſerent, multa ibi conſpecturos, quæ amorem abigant, odia provocent

vocent non pauca. Illorum nonnullos eburneis aureisque simulacris persimiles, externa illa Imperii, fælicitatisque specie, latere intus non ut in illis asseres, clavos, araneorum telas, sed animi vitia plerumque vix ulli ferenda. Horum consuetudine si quis utatur, animadversurum brevi, quam pernicioſa sit; ignis enim in morem illuminare quæ remota sunt, quæ admota comburere. Et hæc præcepta *Pinellus* ita animo infixerat, ut quamvis domi quotidie audiret magnorum regum acta, non ideo tamen visus fuerit unquam gratiæ odiive causa incessere quempiam, aut de æquitatis semita declinare. Quod illi in universa vita apprime placuit, ut se amicis omnibus præstaret eundem semper; ἀδιαφορίαν frequenter & cum primis commendans, & neutram in partem moveri. *Joh. Vincentii* sapientiam una certè, quando alia non suppeterent, constantiæ laus commendaret, ut qui in proposito susceptoque consilio permanserit semper; Patavii ille habitare constituit, huic deliberationi incassum admotæ preces affinium, & amicorum. Domum conducit, utitur ea per triginta & amplius annos, migraturus nunquam, si per dominum licuisset; familiarium quidam ad triginta annos, quidam ad extremum vitæ spiritum eodem domino usi; Vivendi denique rationem, quam sibi ab ineunte adolescentia præscripserat, remisit nunquam. Quæ faciunt, ut dogma hoc præcipuum Stoicæ sectæ paucis complectar, illustraturum quæ diximus cum magna *Pinelli* laude. Constans hoc ille vitæ institutum ὁμολογίαν vocabat, quam Cicero convenientiam appellat; convenientem nimirum per virtutem consentientemque vitam, cujus origo à divinarum humanarumque rerum scientia sit. Hoc fundamento nititur vera sapientis fælicitas, cum sapientia nihil aliud sit, *Seneca* definiente, quam semper idem velle & idem nolle, à quibus rectum abesse nullo modo possit; *non enim potest cuiquam semper idem placere, nisi rectum*, (liceat mihi interserere orationi meæ mundum orations alienæ) *si vis eadem semper velle, vera oportet velis.* Qua ratione impulsus nescio quis, ajebat sapientem κατ' ἀνάλογον σύμφωνον ζῶν. Recte sanè. Nisi enim sapienti, sua non placent: omnis stultitia laborat fastidio sui. Nec aliunde quam à constantia compositus ille perpetuo, mitisque sapientis animus, quem à vulgi turbis secretum, propriæ & mansuræ semper opes beant. Ex quibus non magno negocio eliciamus nos, non nisi sapientem esse eum qui vitam ad certam constantiæ normam dirigere velit, neque se de hoc statu mentis dimoveri patiatur. Animum enim insapientis quot fluctuationes agitent, nemo non videt. Huic nihil certi, nihil explorati; vivere in diem, & quovis vitiorum æstu abripi assueto. Hæc qui in *Pinello* non laudat, næ ille aut invidum se, aut tenebrionem profiteatur necesse est. Expressit enim hic noster nostro ævo T. *Pomponium Atticum*, nobilem equitem Romanum, cujus ea præcipue laus literarum monumentis commendata, quod in summa Principum virorum gratia, summa etiam moderatione usus sit, quodque pari fastigio steterit in utraque fortuna. In constanti hoc vitæ instituto nihil in moribus non aptum aut inter se conveniens observasses. Modestiam enim, ut in Boteri carminibus habetur, jam tum à puero *Joh. Vincentius* sibi desponderat, cujus in hac nostra narratione non obscura frequenter indicia prodierint, nolui tamen indictam præterire; ut detur nimirum intelligi, quam prudenti pocillatore usus, labra admoverit calici voluptatis. Nemo in ipso unquam inconsultam famæ

I. Lip. Manud. lib. 2. Dissertatio XV.

Epist. 20.

Corn. Nep. in vita Pompon. Attici.

sitim

ſitim deprehendit; adeo parcus patriæ, gentis, affinium laudator fuit. Actiones ſuas, aut elevare, aut obtegere ſi lentio; dicta etiam ſi quando præclara, ut non ſemel excidiſſent, adſcribere aliis ſolitus. Qua ratione ambitionem, tragœdorum Erynnim procul à moribus ſuis amandarat, cùm aſſurgeret, caput aperiret, decederet de via, non religioſis modo viris quotquot obvios habebat, ſed & his qui perfuncti ullis honoribus, Patriciis Venetis, Gymnaſii interpretibus, aliiſque non paucis, quorum pleriſque nobilitate, opibus, doctrina maximè præſtabat. Cùm plures illum obſoleta noſtris penè moribus Illuſtriſſimi appellatione, multis tamen illi capitibus convenienti, compellarent, abſtinuit tamen pertinaciſſimè ab ea, & ne poſthac ita vocaretur, ab amicis deprecatus eſt; corripuit etiam repreſſitque amicis verbis eos, qui ipſum honoris gratia Excellentem, ſeu Excellentiſſimum nominarent, eo prætextu, quod hæc non ſibi, ſed magnis in re literaria viris deberentur, vixque poſſent ad ſe traduci, qui adoleſcens relatus in album ſcholaſticorum, vitæ inſtitutum, cui ſemel aſſuevit, deſeruit nunquam. At deſpectui haberi ſe, redigive in ordinem, non ferebat; uti & injuries in familiares ſuos, quorum æſtimationem perinde tutabatur ac ſuam. Appellari ſe in aliqua ſcriptione minus honorificè quam decebat, enixe prohibuit. Exemplo ſit *Philippus Plegafecta* civis meus, nobilis ille polytropia & vario rerum uſu, qui non ita pridem in patria obiit. Hic in commentario de Seſtertiis, quem Romæ ediderat, *Pinellum* noſtræ ætatis ſummum Criticum appellavit, ea mente, ut penes coryphæum animorum (eo enim loco *Joh. Vincentium* habuit) rei literariæ arbitrium eſſe pronunciaret. At non huic ita viſum, cùm induci nomen ſuum, vel in aliud commutari epitheton illud poſtularit. Ægerrimè tulit habitam mentionem ſuam à nullius precii ſcriptoribus, obſoleſieri hac ratione arbitratus nomen ſuum, cujus cura magno cuique præcipua. At vero non ita penitus hominem exuerat, ut à laudatis viris amiciſque profectas laudes aſpernaretur; quæ ſi veræ ſunt (referebat Picus) nos ipſos nobis, ſi falſæ illorum nobis amorem voluntatemque commendant. Ut Romam non migraret, oſtendimus jam quibus artibus fratrum cognatorumque petitiones eluſerit: cui tamen propoſito, præclaro licet minimeque populari, non defuturos obtrectatores compertum habeo; amaſſe illum, videlicet otioſam & deſidem vitam, quam cum laborioſa illa commutatam noluiſſe, quod ad eximios honores patere ſibi viam utique deſperaſſet. At valeant hi cum ſomniis ſuis, deſinantque tum demum virtuti maledicere, cum legerint, quæ ego mox retulero, non ſine admiratione. Ad *Clementem* VIII. *Pont. Max.* recens declaratum, cum *Dominicus Pinellus Card.* veniſſet gratulandi cauſa, quæſivit ille de *Joh. Vincentio*, num valeret, atque ubinam moraretur: cumque Cardinalis Patauii degere etiammum reſpondiſſet; hortatus illum eſt Pontifex, ut ſuo ipſi nomine ſalutem diceret, Romamque invitaret, ejus ſibi adventum jucundum omnino futurum. Noverat illum Patavii *Clemens*, ut diximus, & viri moribus doctrinaque valde permotus, apud ſe jam ante conſtituerat Romam illum Patavio advocare, in urbis & Pontificatus ſui ornamentum. Cardinalis cum *Joh. Vincentio* nulla interpoſita mora accuratè egit, ut *Clementis* deſiderio ſatisfactum vellet, patereturque ſe in lucem & conſpectum hominum ab ocio literario, cui pridem aſſueverat, cum nominis gloria & gentilium commodo

De Seſtert.

modo avocari: non defuturos in urbe viros ejuſdem ordinis, quibus eadem ſtudia cordi ſint, apud quos eſſe, quorum congreſſibus perfrui poſſet. Hæc & alia, quæ Cardinalis ad hominem excitandum ſtudioſè collegerat, *Joh. Vincentium* minimè exoraverunt ut Patavium deſereret. Quinimo ad Cardinalem reſcripſit Epiſtolam modeſtiæ plenam, in qua enixè petebat, ut ageret ſuis verbis optimo Pontifici gratias ingentes: non licere ſibi ætate confecto, imbecillæ ad hæc valetudinis, morem gerere Sanctitati ſuæ; tanti beneficii oneri imparem eſſe: gratias quas referre non poſſit pro dignitate, animo habere, curaturumque ne unquam è memoria dilaberentur. Involvit ſilentio hæc omnia eo ſtudio *Pinellus*, ut etiam fratri, ad quem ſingulis hebdomadibus literas dabat, cælata eſſe voluerit: eſſetque voti compos effectus, niſi frater de tota re factus fuiſſet à Cardinali certior, ut mihi ipſe Neapoli aliquando confeſſus eſt, cum haud modicè remiſſi adeò animi moderationem, quà admiraretur, quà commendaret. Capuæ Archiepiſcopatum (ut audio) eodem ardore quo non pauci appeterent, rejecit; neque ſe nobiliſſimæ urbis præſtantia, ampliſſimi Sacerdotii proventibus, affinium precibus, de propoſito dimoveri paſſus eſt; ut qui optimè noſſet, in quas ærumnas incidant ii qui ſe muneribus Eccleſiaſticis incogitantes urgeri ſinunt: obeundas ipſis moleſtias complures, niſi officii ſui eſſe deſertores turpiter malint. Quæ ſanè *Gaſparem Contarenum* nobiliſſi. Cardin. impulerunt ut diceret, ampliſſima Sacerdotia plus in ſe oneris quàm ſplendoris habere, quoque majora illa forent, eò moleſtiæ plus ſolicitudinisque continere. *Pinello* ſanè in patria & alibi, ſatis ampla patuiſſet quorumvis honorum via, modò ipſe non noluiſſet; at maluit ille, ut præ-
Epiſt. 16. lib. 7. dicaverat de adoleſcente *Paulus Manutius*, ab omni honorum cupiditate, ſola virtute contentus, longiſſimè diſtare. Recepiſſent eum Patavini lubentes in civitatem, magno ſplendori publicæ illorum rei futurum. At is Scholaſtici nomen ne dimitteret, quod arripuerat ſemel, conſtantiſſime recuſavit. Ortus Neapoli & educatus, Neapolitanum dici ſe non ferebat; non quod affines, quos Neapoli ſplendore opibuſque præſtantes habebat, non amaret; ſed quod Genuam patriam agnoſceret, in qua à ſexcentis jam annis gentilitii decoris primordia, & libertatem in oculis ferret: pulchrum ratus ejus civitatis primarium eſſe civem, quæ propriis conſiliis, non alienis nutibus, avitum imperium tutaretur: hanc patriam vocabat, hujus ſe deſiderio teneri aſſerebat, dolebatque quòd eò nunquam acceſſiſſet, ubi omnibus charus, amicorum & affinium copias recenſeret. Oſtentationem quæ ſaperent repudiavit ſemper; ideoque neque ſe unquam ad faſtigium ſtudiorum, quod vocant Doctoratum, emeritum licet, promoveri paſſus eſt: quam deliberationem egregiè tutatus eſt in omni vita. Et cum Patavii complures clarorum virorum cœtus cogerentur, quos Academias appellamus, Elevatorum, Occultorum, Æthereorum & aliorum, nulli unquam nomen dedit; ampliſſimis viris Baſilio, Gregorioque Nazianzeno in hoc non impar, qui ab ambitione & theatrali quadam oſtentatione procul abhorruerunt.

Nazianzeni oratio in laud. Magni Baſilii.

Morum integritatem adeo adamavit, ut cum adoleſcens Patavii domum conduxiſſet è regione ædium clariſſimæ tunc temporis fœminæ Conſtantiæ Fulgoſiæ, ad quas animi cauſa horis ſubſecivis ventitabant, quotquot Patavii tunc ingenii laude florebant, nunquam tamen eo diverterit *Pinellus*, pudori ſuo labeculam

labeculam quampiam adſpergi poſſe ratus, ſi de inſtituto genere vitæ aliquantulum remiſiſſet. Quod ſibi propoſitum ne excideret unquam, vitreas feneſtras, per quas in lectiſſimæ matronæ, ejuſque pulcherrimarum comitum cubicula introſpectaret, peſſulo obfirmatas perpetuo voluit, quod (ut ajebat) exiſtimaret, nolle illas ſpectari ſe, moleſteque laturas ſi quis earum acta parum tempeſtivè exploraret. Interdixerat ſibi conviviorum, & chorearum præſertim, celebritatem, quod iis mulierum virorumque parùm ſanis conventibus avocari ſe a ſtudiis extimeſceret, eorum exempla animo volvens, qui harum illecebrarum turbine in voluptatum ſcopulos acti, exiſtimationis naufragium fecerunt. Macte animo vir clariſſime, qui adoleſcentibus noſtris Canona expreſſiſti, ut ad tui conſpectum voluptates blandiſſimas dominas procul haberent, modo gloriæ culmen attingere aliquando exoptarent. At quoniam hunc noſtrum ſæpe ſæpius curioſum appellavimus, non diximus ea mente, ut alienorum exploratorem vitiorum notaremus, cui fuerit curæ alienum dedecus ob oculos ponere, inquirenti videlicet in dicta omnium & facta; longè aliis illum moribus imbuerat natura, ne per annos quidem XX. & amplius ſcientem quales in vicinia eſſent ii inter quos vix unus domeſticus paries interjectus. Ea nobis voce propoſitum fuit nobilem animi propenſionem exprimere, quam ille ad omnes inveſtigandæ veritatis rationes acerrimam conferebat, aliarum omnino rerum, quarum huc non tenderet cognitio, negligens & incurioſus. Hinc fiebat ut ſpectaculorum minimè amans eſſet, irrideretque eos, qui pompas, fabulas, ſaltationes, haſtiludia ſpectatum irent. Cumque Vicetiæ anno M.D. LXXXV. Academia uti vocant Olympicorum, regio prope apparatu, Sophoclis Oedipum tyrannum, Italicè redditum ab Urſato Juſtiniano Patric. Veneto, agendum decreviſſet, confluerentque eo turmatim è vicinis urbibus docti paſſim & indocti, ſubſtitit tamen ille domi, preceſque meas & amicorum quotquot aderamus averſatus eſt, ſibi ſuffecturam confeſſus *Aicardi* in eo genere diligentiam, quem nolenti ſimilis, permiſit tamen fabulæ nobiſcum intereſſe. Ferrariam itidem cum Pontifex Maximus Clemens VIII. adventaret, ut eam urbem ditioni Eccleſiaſticæ ſuis auſpiciis incruento bello reſtitutam inviſeret, nuptiiſque Hiſpaniarum Reginæ, Flandriæque Comitum, dictus ibi eſſet dies, cujus, & Pontificis gratia, Ferrariæ convenirent Italorum procerum flos, Cardinales, Regum Dynaſtarumque exterorum legati, & tota pene Italia avulſa ſedibus ſuis, unus *Pinellus* prætulit nobiliſſimo conventui quietem Patavinam, & audire maluit quam inviſere, quid actitatum eſſet in frequenti illa procerum virorum celebritate. Non illum Pontificis Maximi minimè obſcura erga ſe benevolentia, non purpuratorum patrum amor, quorum pleroſque officiis ſibi & ſtudiorum ſimilitudine devinxerat, non affinium charitates, quorum haud pauci inter Principes viros illius conventus numerabantur, flexerunt ut pedem porta efferret, conjiceretve ſe in turbas illas, è quibus non niſi poſt inſignem bonarum horarum jacturam regredi liceret. Venetias, proximo & commodo trajectu, ut appelleret, ſpectatum Regum ſeu Ducum adventum, ſtatumque ac ſolennem inaugurationis Sereniſſimæ Principis *Mauroceræ Grimanæ* diem, nunquam adduci potuit, maluitque ſolus Patavii eſſe (diſceſſerant enim cives pene omnes) quam vulgi ſe converſationibus inepte immiſcere: memor dicti Senecæ; *vita-* *Epiſt. 8.*

te quæcumque vulgo placent. Patavii, ubi degebat, ubi habitabat, ſi quid incidiſſet ejuſmodi ſpectaculorum, quæ curioſos allicerent, perſtitit ille in propoſito niholominus, neglexitque eò adjicere oculos, unde animus doctior redire non poſſet. Quo in genere eximium illud fuit, quod narraturi ſumus, documento futurum iis omnibus, qui ſapientiæ laude cenſeri volunt, ne temere credant, meminerintque eſſe germanas ſorores, unoque partu editas, credulitatem & pœnitentiam. *Marcum Bragadenum*, Cyprium Chymiſtam illum, Patavio Venetias trajicientem, nemo non accurrerat ut de facie noſceret. Nec deerant qui ſe beatos arbitrarentur, quod Pactolum Hermumve aureas volventes undas cernere daretur, atque adeo contrectare: continuit ſe domi ſubridens *Pinellus*, narravitque mihi, qui eum tunc forte conveneram, chymiſtarum inſigniora quædam tum dicta tum facta, quibus me ſub veſperam uſque lubentiſſimum detinuit. Sentiebat nimirum vir magnus cum maximo oratore, quem legerat ita ſcribentem: *Me autem quid pudeat? qui tot annos ita vivo, ut à ſtudiis nullo me unquam tempore aut commodum aut ocium meum abſtraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique ſomnus retardarit. Quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi jure ſuccenſeat, ſi, quantum ceteris ad ſuas res obeundas, quantum ad feſtos dies ludorum celebrandos, quantum ad voluptates, & ad ipſam requiem animi & corporis conceditur temporis, quantum alii tribuunt tempeſtivis conviviis, quantum denique aleæ, quantum pilæ, tantum mihi egomet ad hæc ſtudia recolenda ſumpſero?* Liberalitas etiam, quæ magna in viro nobili laus, in *Pinello* non minimum enituit, cùm vel beneficia minima rependeret maximis, vel dignos conquireret ſtudioſè, in quos aliquid conferret. Modum tamen rationemque ad amuſſim adhibuit, ut ne videretur agere præpoſterum quidpiam. Cavit enim ſanè quàm accurate, ut bonos tantum ſibi obſtringeret, ut beneficia tempeſtive collocaret in eos qui officium agnoſcerent, quoſque res muneri data oblectaret: patebit hoc ex iis quæ hic exſcribemus, in quibus animadvertemus profecto, ſi non immanes profuſiones, at convenientiam ſaltem, qua munera non vileſcerent. In me ille olim audiverat ab Epiſcopo Vicetino collatum honorem Canonicatus, cum munere adjuncto Theologicæ ſcholæ; diſquiſivit ſtatim, quid ejus mihi tractationis præceptum eſſet, cumque Geneſiam conperiſſet ſacrorum voluminum caput, de induſtria ſelectum, ea ratione, quod mihi primum in Eccleſia Vicetina, & in patria id muneris demandatum eſſet, inſtruxit is me, nihil tale cogitantem, elegantiſſimo librorum commentariorumque apparatu, quò deſumerem quæ liberet ad ornatum interpretationis meæ, quibus adjunxit aureorum monitorum centuriam, quibus quatenus progrediendum, ubi ſiſtendum, deliberandumque cum laude in ſuſcepta interpretandi ratione, quæ mihi inſiſtenda veſtigia, qua methodo utendum, peramanter docteque præſcripſerat. *Cæſarem Nicheſolam* quod inaudiſſet politicæ rei ſtudioſum, luculentarum de ea re conſcriptionum faſce ideo voluit locupletatum, quod ſibi, præclari ſane opus artificis horologium, minutum tamen, dono dediſſet. Ab Archiepiſcopo Barienſe ſalgama quædam cum accepiſſet, renunciaſſetque illi Archiepiſcopi familiaris, habere ſe in mandatis à domino ſuo, ut in comparanda librorum aliquot non contemnenda ſerie, *Pinelli* opera uteretur, prævertit hic noſter, conquiſitoſque, & redemptos ſua pecunia libros, tradidit Archiepiſcopi familiari, fruſtra

Cic. in orat. pro Archia.

Joh.

Joh. Vincentii fidem obteſtanti, fruſtra domini ſui mandatum inclamanti. At non Italos modo, ſed & tranſalpinos homines ſibi demeruit, ſiquando opera ſua indigere animadverteret. Cum nobili Gallo, cujus nomini parcimus, recte factorum conſcientia contenti, amicitiam Patavii contraxerat, colueratque mutuis officiis. Hunc domum redeuntem, & Mediolani politiam curioſè, ut advenæ eruditi conſueverunt, explorantem, conjecerunt in carcerem Hiſpani, ſuſpectum duplici nomine, & quòd Gallus eſſet, & quòd haberet tunc temporis ſolertiſſima natio, cur ſuſpicionibus per finitimorum bella indulgeret. Vix hæc inaudivit *Pinellus*, cùm Mediolanum ad *Jacobum* Menochium, & ad *Jacobum* Mainoldum, Senatorii tunc ordinis clariſſimos, ſibique amiciſſimos viros, literas dedit enixè rogans, ut dimitteretur vir nobilis, quem male conſultus diſcendi ardor, nihil hoſtile cogitantem, eò loci provexerat. Mercatoribus etiam mandavit, ut pecunia juvarent, curantque ne quid illi deeſſet. At Gallus longioris moræ impatiens, cùm dies ejus miſſionis adventaret, muliebri veſte ex arce proripiens ſeſe, primis excubiis deceptis, à ſecundis in ponte ſublicio deprehenſus, prodente virum greſſu ultra muliebrem modum, in arctiorem cuſtodiam datur, non ſine capitis diſcrimine, quæ tamen omnia bene illi verterunt, cum *Joh. Vincentius* quà auctoritate, quà teſtimonio, libertatem ipſi amicorum ope impetraſſet.

Neque non munificus in ſuos fuit, qui in alienos adeo liberalis; *Nicollettæ Grillæ* Agapiti clariſſimi Trierarchi filiæ, virgini lectiſſimæ, quæ fratris filio Coſmo Duci Acheruntino convenerat in manum, nuptiarum cauſa dono dedit uniones duos, inaurium ornamento, precioſæ indicaturæ. At hæc largitas cum illa minimè conferenda eſt, in quam *Pinellus* mirè propenſus: cum videlicet egentes, qui non ſua culpa rei familiaris jacturam fecerunt, opibus juvamus. His ille, & probis quidem præ ceteris, nunquam defuit. Deo Opt. Max. animo lubenti hanc operam navare ſolitus.

Jaſon Denores Cyprius, ante patriam acerbiſſima Turcarum dominatione oppreſſam & afflictam, vir opulentus olim & fortunatus, ac primariæ apud ſuos nobilitatis, quique in Gymnaſio Patavino Philoſophiam de moribus aliquandiu cum laude eſt interpretatus, Patavii diem obiit anno 1580. huic viventi ut omnia abunde præſtitit amici officia, ita ejuſdem uxorem & filios, cùm ſibi moriturus commendaſſet affectus ſuos, impenſè fovit. *Carolum Tectium* Mathematicum amicum ſuum vita Patavii functum, pecunia ſua non modo extulit magnifico funere, ſed & ſepulchro, & nobili honeſtavit elogio: haud paſſus perire memoriam ejus, quem interioris notæ amicum habuerat, quem ægrum omnibus officiis recreaverat. Imò quod multi laudabunt, imitabuntur pauci, affinem ipſius & hæredem inſtitutam, litibus implicitam, cum ſolvendo non eſſet, ſuis opera & ſumptu gratis explicitam voluit. Hinc fiebat ut in probos & literarum amantes, inopes tamen, ſi quando incidiſſet, nihil relinqueret intentatum quò eis opitularetur. Hæc demum germana vocanda eſt liberalitas, cui non majora præmia propoſita ſunt, ſed ingenua virtutis forma, ſed candidus bonorum amor. Apage captioſos illos, qui ſe liberales videri amant, ut paria ſibi, atque adeò majora rependantur. Et quia non infrequenter fit, ut qui mutuò pecuniam accipit, amicus eſſe deſinat, conſueverat hic noſter bonæ frugi pauperibus, nummos non quot ipſi mutuos

poſcerent, ſed pauciores elargiri. Inopem enim amicum (ſive mutuo des, ſive neges) inimicum mox experiare neceſſe eſt, negantem averſatur, quod nullum ſibi in ejus opibus paratum ſubſidium, averſatur dantem, quia qua ratione alienum æs diſſolvat non videt. Eximium illud, quod ter in anno quaterve, ſub inſigniores quoſdam profeſtos dies, ſibi in vicinia curabat deſcribi quotquot maxime egerent, monaſteria item, & inopum per urbem ſtationes, quibus viritim nummos dividi citra oſtentationem imperabat. Peſtilentia ut diximus in agro Patavino graſſante, haud facile dictu eſt, quam ſe munificum pauperibus præbuerit, quibus etiam antidota adverſus imminentem morbum largiri conſueverat. Hæ nimirum veræ liberalitatis artes ſunt, quæ eò magis alliciunt oculos animumque, quo minus ævo noſtro, depravatis videlicet moribus, munificentiam amamus, captare aſſueti & captari, ſpeque lucri potioris, ſpecioſa virtutum nomina aucupari. Hoſpites quibus domum ſuam patere perpetuò voluit, lautè ſatis habebat, amator in hoc quoque genere munditiarum. Menſæ apparatum, & obſoniorum ſeriem qui viderunt, ii ſane domini mores unico argumento pervidere ſoliti. In hoſpitum verò gratiam, ſobrius alioqui & abſtinens, remittebat aliquantiſper de propoſita vivendi ratione, amicorum id ratus conſuetudini indulgendum, & genio menſæ communis.

At inhibendus mihi demum progreſſus orationis meæ, impar videlicet magni viri virtutibus aſſequendis, quas noſtratium & exterorum nemo non ſuſpexit, non admiratus eſt. Divertam igitur (invitus licet) ad morbum ejus & mortem, in gratiam eorum qui noſſe velint, quantam in uno homine fecerimus bonarum artium jacturam. Nec ſanè indignum quod expendatur, cur *Joh. Vincentius* adeo infirma valetudine uſus ſit, qui ſobriè admodum vixerit, quia in victus ratione omnia ad normam exegerit, qui demum honeſtarum voluptatum lineas nunquam tranſilierit. Et hæc profectò in eam me ſententiam compellunt, ut arbitrer duabus potiſſimum de cauſis hoc *Pinello* accidiſſe; aut quod majori animi ſtudio quàm valetudo ferret, libros pervolutaret, quorum eſt univerſa trahere ad ſe animi corporiſque munera; aut quod nimis familiariter cum medicis verſaretur. Horum ſiquidem nonnullis, familiaritatis vel exiſtimationis ſpecioſo obtentu, eſt in votis (venia ſit dicto) homines torquere per varia artis experimenta. Quæ ut in medicos, quos ſibi *Pinellus* optimos, optimo eventu, prolatæ ut licuit vitæ, delegerat, minimè cadunt, ita me in alteram illam ſententiam procliviorem reddunt, per libros illi, ut pleriſque aliis, animo valere, corpore imbecillo uti contigiſſe. Viſus ipſi ut diximus hebes, legentem, nec ideo intermittentem torquebat, hepate adhæc utebatur ſupra modum calido, ſtomacho autem infirmo, crurum altero minus valuit aliquando; ſtranguria illi familiaris, quæ per tædia diuturni morbi ipſum confecit, atque adeo exanimavit. Quæ tamen tantum abeſt ut ipſius conſtantiam convellerent, ut firmaverint potius: ſuſpexerimuſque nos virum in adverſis rebus æquè fortem, ac in ſecundis temperantem adverteramus. Ad præſcriptos enim ſibi in victu & curatione medicorum canones, ita ſe compoſuit, ut abſtinentia, qua ille uſus, vix fidem habeat in ægrotante, qui per annum cum morbo luctatus eſt, de quo medici jam olim deſperaſſent, qui ſibi etiam poſſet in ſolatium aliquid indulgere. Quo factum, ut contra ſententi-

am

am medicorum vitam in annum protraxerit, accepto ferendam dubio procul eximiæ illi, ad quam animum intenderat, medicis obſequendi voluntati. Verſatur quippe in hominum ore frequenter, recte ſe habitura omnia, ſi ægrotanti cum medico perito conveniat. Viribus ſe ut quotidie deſtitui animadverterat, rationem excogitavit qua falleret ſeſe, avocaretque animum à moleſta illa cogitatione. Ea fuit, ut craſſiores è lecto culcitras amoveri ſibi, reponique leviora ſtragula curaret, æſtivas adhæc interulas indueret, quadras etiam, ſcutellas, cyathos, aliaque è miniſterio ad eandem rationem tenuiora ſibi apponi juberet. Neque diſpari ſolertia cum erigere ſe, ut conſueverat, in cubitum minimè valeret, adhibuit in eam rem funis vicariam operam, quem de laquearibus ſuſpendi juſſerat, appoſito in imo paxillo, ad quem ſe injectis manibus allevaret. Famulos nunquam paſſus eſt in cubiculo pernoctare, quod diceret iniquum eſſe, ut penderent illi pœnas vigiliarum quæ domino obtigiſſent. At nos qui viribus quotidie minus valere, & ad interitum properare videbamus, in eam curam enixè incubueramus, ut ne inteſtatus diſcederet, nobiliſſimæ bibliothecæ diſtractioni obviam ituri, quam Dux fratris filius, animi quodam præſagio, nimium quantum averſabatur. Ille vero ne palam tenderet contra ſtudia noſtra, annuenti ſimilis, rem verbis proferre cœpit, duabus (ut ego quidem ſenti-) impulſus rationibus, vel quod corpore æger, animo tamen valeret, confideretque convaliturum ſe, & cauturum, ut dictitabat, ſibi minori negotio rebuſque ſuis; vel quod arbitraretur teſtationem ſupremæ voluntatis eos tantum decere, quibus hæredes ad manum non eſſent. Habere ſe domi lectiſſimos affines chariſſimorum fratrum filios, quibus cum deferrent ſanctiſſima ſanguinis jura domeſticas facultates, non paſſurum ſe, ut minus officioſum quam par eſſet, morientem patruum experirentur, qui viventem omni officii genere eſſent proſecuti. Horum alter *Coſmus* nomine Dux Acheruntinus, & magnus regni Neapolitani, ut diximus, Cancellarius, patruo, ſupra quam dici poſſit dilectus eſt; modeſtia enim, animi candore, ingenii acumine, diſcendi ſtudio, patruum adeo referebat, ut ille mihi narraverit aliquoties perjucunde, *Coſmum* à ſe diligi, quod ſe non tantum ore, ſed & ratione ſtudiorum referret. Noverat quippe librorum optimorum amantem, nobilem bibliothecam ſibi comparaſſe, quam inſtituerat patrui ſupplementis ſubinde reddere ampliorem; ut enim librum quempiam rariorem ſibi deeſſe animadverterat, ad *Joh. Vincentium* confugiebat, qui libraria ipſum ſuppellectili auctum volens, libros optimos, quorum in hunc uſum quotquot nanciſcebatur exemplaria comparabat, in ejus bibliothecam Neapolim tranſvehi curabat. Huic ille bibliothecam ſuam, ni fallor, deſtinarat, optime actum ratus ſi libros ad eum qui amaret noſceretque, tacito judicio ſineret pervenire. Huic nos (ut & hoc obiter dictum ſit) qui memoriam *Pinelli* colimus, ejuſdem iconicam imaginem debemus, quam *Pinellus* nemini non pernegaſſet. Impetravit hoc à patruo *Coſmus*, cum primum Patavium venit, eo conſilio ut Neapolim abduceret. Cum enim *Joh. Vincentius* adoleſcentem animadvertiſſet indolis magnæ, maximeque in literis arbitraretur profecturum ſi vixiſſet, ipſum amare ſupra affinitatem cœpit, eouſque, ut diſcedentis imaginem penes ſe detinere deliberaret, abſentis utique deſiderium leniturum. Non renuit ille, expoſuit tamen eſſe ſibi in votis patrui imaginem,

nem, quando patruum non liceret, Neapolim asportare secum, ut patri cognatisque hac saltem ratione obtemperatum iret. His auditis abnuere *Joh. Vincentius*, haud commissurum se unquam, ut gloriolam captasse eo facto videretur; tum demum à patrui constantia metuens petitioni suæ *Cosmus*, obtestari cœpit admonereque, videret quid ageret, certum sibi esse, nisi invicem exoret, non stare promissis. Præbuit ille se difficilem diu, annuit tamen, & adolescentis optimi precibus, iconem suam est elargitus. Pictor huic rei adhibitus *Franciscus Apollodorus* Venetus, Patavii jamdiu habitans, cujus in ea arte studium ad antiquorum artificum laudem proximè accedit. Hic nobis penicilli ductu *Pinellum Ducem* ipsum, & *Alcardum* in tabulis quas ego adservo, suavissimum amicitiæ nostræ monumentum, ita expressit, ut nihil ultra desideret qui illos de facie norit. Et hinc studiosis ferè omnibus (quotquot in Italia novimus) oblata nobilis occasio, bibliothecas & Musæa ornandi *Joh. Vincentii* imagine, quam avidè à plerisque arreptam scimus, qui egregie norant, inter *Pinelli* laudes præcipuam illam seriò commemorari, deambulantis musæi, & spirantis bibliothecæ. Neque aliunde *Marcus Velserus*, reipublicæ perinde literariæ, atque Augustanæ suæ nobilissimus *II.* vir, exhibuit nobis incisam in æs artifici plane manu, elegantissimam ejusdem *Pinelli* iconicam effigiem, quam ipse, & in gratiam hominum transalpinorum, & in testationem perjucundæ quæ sibi cum *Pinello* intercesserat amicitiæ, vulgandam curavit. Nec mirum, cum ille tanti faceret quam cum *Joh. Vincentio* habebat animi studiorumque conjunctionem, quippe de ipso jam defuncto scribens ad *Cæsarem Nicheſolam*, *eo se demum capite*, inquit, *laudari malle*, *quòd* Pinello *intimè amicus esset*, *quàm alio quovis*, *insigni licet*, *factoque ad gloriam utcunque comparandam.* His demum aliisve de causis, ut ad testamentum redeamus, non valuimus nos *Pinellum* de semel arrepto consilii sui statu dimovere. At qui, si à condendo testamento, non tamen à Christianæ pietatis officiis abhorrebat, eleemosynas in pauperes elargiri, Deo se, sanctisque omnibus commendare haud unquam gravatus est. Per annum quo æger in lecto decubuit, expiare animum confessione, eundem sanctissimo Christi corpore non semel piè admodum reficere consuevit. Familiares profectò quotidie decumbenti sibi septem quos pœnitentiales vocant Psalmos recitantes exaudiebat, neque ideò Deum sibi & cœlites omnes oratione propitiare intermittebat. Me sane ille nunquam dimisit, quin rogaret, ut ipsi Deum, vel quotidianis precationibus, vel sacrosancto Missæ sacrificio conciliarem: gaudebatque cùm ex me postridie audiret, facta quæ imperasset, faustis officium meum qualecunque id esset precationibus, & cumulata gratiarum actione prosequi solitus. Ad monasteria Deo devotorum hominum, & virginum sacrarum, non raro familiares destinabat, qui collata in eleemosynam stipe, ægrotantem dominum illorum precibus commendarent. Ad Aram D. Antonii Ulyssiponensis, cujus nomen quaqua patet Christianus orbis celeberrimum est, sacrum fieri pro se impenso studio expetebat, divinam sibi opem eo precante affuturam confidens, quem Deus vi miraculorum excellere voluisset. Huic affinia illa, quod cum die festo ægritudine prohiberetur quin sacro interesset, consueverat è domesticis religiosiorem dimittere, qui & suam vicem quatenus licebat expleret, certamque inter pauperes à se pecuniam divideret, in expiationem ejus delicti, cujus ille tenuem etiam conscientiam

ſcientiam averſabatur. Et ſi quando divinis officiis hebdomadæ uti appellant majoris, exaudiendis (quod raro admodum contigit) impediebatur, nihil antiquius habuit, quam ea domi ut recitarentur curare. Beatiſſimam virginem eximiè coluit, ejuſdemque feſtos dies. Quocirca paucis antequam obiret diebus, ſub diem Deiparæ virginis aſſumptioni ſacrum; mihi ille tum, adventat inquit tempus perſolvendi tributum. Ego qui à morbo pejus quotidie ſe habentem noveram, loqui illum de ægrotationis moleſtiis exiſtimabam, quarum monitu adfuturam propediem ſentiret mortem, quæ naturæ penſum exigeret; at is ut me hærentem vidit, explicuit ſeſe, de animo videlicet intellexiſſe ſacra confeſſione purgando, eodemque reficiendo ſanctiſſimo *Chriſti* Domini corpore, ut quotannis eo die præcipuo cum ſenſu pietatis conſueverat. A mortis ille meditatione haudquaquam alienus fuit, cum optime ſciret, naturam morti oſtiariæ munus injunxiſſe, quo amota corporis ſera, noſtris animis aditum in cœlum affectantibus, viam veluti poſtliminio aperiret. Cavit tamen cogitationem hanc ne plus nimio oſtentaret; imo dedit operam, ne ab amicis, & familiaribus in ea deprehenderetur, turpe id ſibi, & parum conveniens anteactæ vitæ inſtituto ratus, quam ita compoſuerat, ut in omnem eventum citra ſolicitudinem aut curam obtemperatum iret legibus, quas Dei Opt. Max. adminiſtra natura in genus humanum ſanxiſſet. Hoc ille præſtabat, animum in alias curas traducendo, literarias præcipuè, quarum ſuavitati jam tum à puero aſſueverat. Memini ego cum ipſum ſemel adhortarentur medici, ut ab his abſtineret, non renuiſſe quidem pro ea qua ipſos proſequebatur reverentia, at poſt eorum diſceſſum, converſum ad me in hæc verba, Ego vero in hoc morbo, diutino ut vides & permoleſto, tantis premor cruciatibus, ut niſi eorum amaritiem jucundiſſimorum mihi ſtudiorum dulcedine diluam miſerrimus profecto ſim. Anatomes profeſſor clariſſimus *Hieronymus Fabricius* ab *Aquapendente*, qui cum *Camillo Fraſcato* ægrotantem quotidie inviſebat, amici aliquando miſeratus, quem ad exitum vitæ feſtinantem his cogitationibus diſtineri permoleſte ferebat, admonuit, ut hæc abjiceret, decurrendi ſibi vitæ ſpatii modicum quid ſupereſſe, adhortationem hanc eſſe officii ſui, quod in maximo amici diſcrimine ſi deſerat impius ſit: animum ſe voluiſſe religione ſemel liberare, ne ullus ipſi unquam eſſet conquerendi locus. Subriſit ille, & perquam facetè, ut ut morti proximus, à me ſanè inquit ſi obiero, non eſt, quod objurgationem metuat quiſpiam. Mox ſerio, compoſitus ad gravitatem ſubdidit, agere ſe illi gratias; imminere ſibi, nec imprudenti aut inſcienti poſtremum vitæ actum, daturumque operam ut concluderet non indecore. Et quidem multis antequam decumberet diebus, de valetudine ut ſit percunctantibus, reſpondebat, tam diu ferri ſe ad metam ſagittæ in morem; obrepere ſibi feſtinam præcipitemque ſenectutem ut eo reſponſo monſtraret.

Deceſſit Prid. Non. Aug. 1601. animo pridie ritè expiato; cum enim animadvertiſſimus nos, qui ægrotanti aſſidebamus, adventare jam mortem, monuimus recte facturum ſi abſtergeret ſacra confeſſione anteactæ vitæ labes, præceptoque ſanctiſſimo Domini corpore, ad ſupremum ſe iter compararet. Deliberaverat ille, ut diximus, exequi hæc in aſſumptæ Virginis beatiſſimæ venerationem, ejuſdem feſto die. At ex horum frequenti uſu vegetiorem

fieri

fieri animum probè ſciens, eo præſertim tempore, quo ſibi erat cum morte colluctandum, geſſit nobis morem, adhibitoque Sacerdote, qui tum ipſi erat à confeſſionibus, Euchariſtiam in craſtinum ſumere diſtulit, ut ad ſacrum convivium paratior accederet; decreverat autem, ut retulit confeſſarius, tum demum teſtari, & hæredibus ſuis eo pacto proſpicere, quorum in ſe benevolentiam poſtremo hoc elogio fraudare parùm officioſum ducebat. Porro Sacerdos conſilium laudavit, adjecitque optimum fore ſi non in craſtinum differret. Excepit is, rejicere ſe conſulto teſtamenti factionem in craſtinam diem, ut præſentis Dei ope, rem non ita facilem aggrederetur. Veſperi cœnavit hilaris; meque intuens, qui ibi pernoctare deſieram ab adventu *Cæſaris Pinelli*, qui patruo ut adeſſet Neapoli advenerat, monuit, ut domum abirem, adventaſſe jam noctem, viderem ne per tenebras aliquid caperem detrimenti. Aſt ego negavi me diſceſſurum, velle ſiquidem apud *Cæſarem* cœnare; quod ille ſubridens probavit. Ego ſanè animum induxeram per eam noctem emanere eo conſilio, ut ſanctiſſimam Euchariſtiam percepturo adeſſem, at Deus. Opt. Max. eam mihi mentem (ni fallor) injecit, ut viri in re literaria memoria noſtra facile principis, extremum ſpiritum exciperem, & piis de more precibus proſequerer abeuntem. A cœna ipſius temporis neſcio quid ſermonibus extraximus, quouſque illi viſum inſtare cœnæ noſtræ tempus. Tunc is me diſcedentem affatus, erupit in hæc poſtrema verba: Tibi gratias mi *Gualde*, præſagienti ſimilis, & ſupremum valere pronuncianti. Tum *Cæſarem* enixè intuens ſalutavit alacriter. Quo factum ut nos in eam ſpem veniremus, producturum vitam ad aliquod tempus. At veluti in lychno intermoriens flamma erigit ſe ſubinde, & cum proximo defectu collectis viribus luctatur: ita *Pinelli* vires collegerant ſeſe adverſus impendentem mortem, & in corpuſculo illo, quod vis diuturni morbi exederat, ſuprema munera peragebant. Ad mediam noctem juſculi aliquantulum, ut à medicis imperatum, exhauſerat, cum reclinantem ſe in pulvinar, invaſit deliquium ita vehemens, ut non multò poſt vitam eriperet; accurrimus nos à familiaribus excitati, nec ſanè intempeſtivè, cum ego ſpiritum è corpore proficiſcentem Deo & cœlitibus omnibus, precationibus ſolennibus commendarim. Ita ego eodemmet Auguſto menſe ante quattuor annos *Aicardo* adfui, hoc uno in chariſſimorum mihi capitum jacturis fortunatus: cetera parùm felix; quod cauſæ luctus ad manum eſſent, neque mitigaret dolorem abſentia, quæ omnes emollit aſperos humanarum viciſſitudinum eventus. Annos *Pinellus* erat natus VIII. ſupra LX. nec ideo tamen non deceſſit immature; præproperum enim ſemper illius eſt funus, mea quidem ſententia, qui hominibus poteſt eſſe adjumento, ut hic noſter inſigniter fuit. Cadaver medici exſecuerunt, deprehenſique in veſica lapides quatuordecim magnitudine [illegible] pares, & prægrandis unus, cruentus, aſpera cute, & muleata in omnibus, in veſica verò arenæ & calculorum ſubſiderat nimio p[illegible] ſatis. Elatus eſt funus ad D. *Antonii*, quò frequens *Pinellus* religionis cauſa convenie[illegible]bat ubi condi *Aicardum* curarat, cui etiam nobilem memoriam deſtinaverat, poſteri indicio futuram illius in ſe meritorum, & ſui in illum amoris. Exequiæ ſacrificiorum funebrium frequentia; & larga in egenos diviſione nobilitatæ. Laudatus publicè non eſt, quod excluderentur omnes anguſtia temporis ab opere aggrediendo, quod ſui magnitudine, ſublimia

quæque

quæque ingenia deterreret. Et vero quis illaudatum dicat, quem in unum conſpirantes quotquot aderant Patavii eruditorum voces, in funere non tralaticiis laudibus ornaverunt. Quicquid enim ſcripſit Corn. Nepos de Attico, ibi de *Pinello* conſtanti prædicatione inaudiſſes, per XL. annorum ſpatium injurium fuiſſe nemini, juviſſe omnes; in jus de ſua rei viſſe nunquam, infimis communem, principibus parem, gratiſſimum omnibus. Libros illi non otioſe pervolutatos, ſed ad exemplum inſtructionemque vitæ, neque majorem operam cognoſcendis naturæ arcanis, quam excolendo animo impendiſſe. Nemo tum Patavii, qui literas & humanitatem haud perfunctiorè amaret non acceſſit ad *Cæſarem*, ut clariſſimæ domus per eam jacturam extinctum ſplendorem doleret. At ejus generis officio quamplures mecum perfuncti, quod ſcirent extare illas graviſſimas cauſas doloris mei, amiſſum mihi patrem, patronum, amicum, qui me amaret, tueretur, diligeret, cui per XX. & amplius annos fuiſſem intimè familiaris, quem & Patavii dum eſſem quotidie non inviſere, & abſens non per literas ferme quotidianas ſalutare, nefas haberem. Conſtituerat ipſe (ut ex ejus perantiquo familiari audivi) etiam apud poſteros mutuam benevolentiam noſtram, inſigni aliquo edito amoris monumento conteſtari, quod ut averterit mors, non ideò minus debere me illi ſentio, felicitatis & exiſtimationis meæ (ſi quid mihi earum contigerit) parenti, & auctori. *Pinello* enim & *Aicardo* adhortantibus, à patria non procul (quod magno quis emptum velit) nactus ſum tutiſſimum aſylum fortunarum mearum, domum *Marci Cornelii* Epiſcopi Patavini, quem uti exemplar ævi prioris, & miratur noſtra, & ſuſpiciet poſterior ætas. In ſuam me is familiam illectum, ſuavitate morum, & animi candore, ea complectitur benevolentia, ut habere videatur juſti fratris loco. Probitas nimirum, & humanitas ſolitaria non ſunt, ſed amant dare ſe in conſpectum, contrectari, & moderato uſu niteſcere opes ſuas. Et vero non alia ratione hominem homini deum fieri contingit. Horum ego mutuo amori, quæ dixi ni accepta feram magna ex parte, ingratus profecto ſim. Quid enim optandum magis, quam mihi in patriæ pene dixerim conſpectu, in ſuaviſſimi fratris oculis, qui me à ſemetipſo divelli ægerrimè tuliſſet, patronum optimum obtingere, per quem apud *Pinellum* & *Aicardum*, quos ille propter multas ingenii & humanitatis ſuavitates amabat, eſſe quotidie liceret?

Audiſti quiſquis hæc legis, privatas doloris mei cauſas, vidiſti jacturam: at detrimentum, quod Italia, & univerſa penè dixerim Europa, in eodem paſſæ ſunt, quo ſatis digno genere orationis proſequemur? Ejuſmodi viros parcè profert natura, opes ſuas in abdito habere jamdiu docta. Methonis fortaſſe annus tranſigendus iis qui alterum *Pinellum* expectant, cujus ſtudium humaniora ſtudia reſtituat in priſtinum ſplendorem, cujus opes in nobiles libros colligendos impendantur, cujus dignitas viris doctis patrocinio ſit. Ætas ſane noſtra ſi quem ferat ejuſmodi, is (ita me Deus amet) non alius erit à *Nicolao Fabricio* Gallo, domo Aquis Sextiis, clariſſimo adoleſcente, qui Romæ & Patavii vixdum plenam pubertatem egreſſus, eo ardore *Pinellum* & *Pinelli* ſtudia eſt complexus, ut omnibus nobis, & doctis viris quotquot his capiuntur literis, miraculo ſit.

Poſt patrui obitum *Cæſar Pinellus* Patavii ſubſtitit per aliquot dies, tum ut

creditores (ſi qui forte erant) haberent quem adirent, tum ut bibliothecam ad *Coſmum* patruelem tranſvehendam Neapolim curaret; cujus ſemiſſem hæreditario ſibi jure obvenientem *Coſmo* dono dederat, cui, ut nos audivimus aliquando, mens fuit *Cæſaris* liberalitatem pari officio compenſare. At humana hæc ſtudia quam parvi Deus pendat, & ſæpe alias, & tunc in pretioſa illa bibliotheca perſpectum ſatis. Ejus nobis jacturæ hiſtoriam pertexere in animo eſt, ut nimii rei literariæ amatores, excitentur recenti exemplo ad comparanda ſibimet ipſis bona illa, quæ nec vis temporis abolere, nec injuria hominum intervertere poſſint. Et ſane ridendum neſcio an plorandum ſit, congeſtas bibliothecarum opes miſeris modis quotidie diſſipari, nec ideo minus deeſſe homines, qui ſumma cura in id incumbant, ut hæredes oneroſam ſibi ſarcinam prorſus abjiciant, vel controverſam conjiciant in domeſticas latebras, ubi cum blattis & tineis perpetuò pugnet. Patavii animam vix egerat *Pinellus*, cum neſcio quis ad Senatum Venetum detulit, è republica non eſſe, aſportari Neapolim, cum *Joh. Vincentii* libris, intima quæque Venetorum conſilia. Collegiſſe illum per XL. annos, quicquid legatis Venetis legatione perfunctis adnotare, & in Senatu exponere moris eſt: opibus & gratiæ illius patuiſſe tabularia Senatus, rei videlicet Venetæ amatori: at defuncto ipſo minime ferendum, ut arcana imperii evulgarentur, & in hoſtium fortaſſe manus inciderent. Probavit Senatus quæ dicebantur, imperavitque Patavii Prætori, ut capſas librorum centenas & amplius ſiſteret, obſignaretque. Ex his in XIV. conjeceramus libros manu ſcriptos, quarum binæ nihil aliud continebant, quam commentarios & acta rerum Italicarum, exterarumque. Has oportuit ex compacto deferri in domum Prætoriam, ubi delectus habitus Ccc. ejuſmodi commentariorum, qui ſtatim Venetias amandati. At nos, qui videramus Prætorem Senatus imperio abuſum, ſuſpicionibus æquo plus indulſiſſe, Venetias perreximus, jacturam nimis gravem nobiliſſimæ bibliothecæ deprecaturi. Et cecidit ad votum res. Delegavit Senatus nobis nonnullos eorum civium quos à Secretis habet, mandavitque ut recenſionem Prætoris inſpicerent, dimitterentque nobis omnia, quæ res Venetas minimè attingerent. Ita factum ut ducentæ ſolummodo conſcriptiones nobis perierint, quæ in arcanum Tabularium conditæ ſunt, oppoſita ibi ſcheda, in qua notatum, decerpta hæc imperio Senatus è *Pinelliana* bibliotheca. Præceſſerat has turbas familiaris cujuſdam furtum, qui per ſummum ſcelus quæſtum è domini morbo captans, pleraque ejus generis, non animadvertenti ſubtraxit, diſtraxitque. At detrimenta hæc omnia vili æſtimanda, præ hoc ipſo quod mox enarrabimus. Bibliothecam Venetias devehendam curaveramus, ut inde mari Neapolim impendio minori appelleret; at ne qua vis major, ut in navigatione ſolet, peſſundaret univerſam, placuit in tria navigia capſas conjici, quæ recta Fortori portum in Apulia peterent, excipiendæ à cive meo Hieronymo Velo Epiſcopo Larinate, quem *Pinellus* dilexerat, *Urbano* etiam VII. Pont. Max. charum, & ad ſumma quæque deſtinatum, ni mors optimi Pontificis conatibus obviam iviſſet. Navium harum altera cum trium & triginta capſarum ſarcina in piratas Turcas incidit, qui prædæ opulentæ inhiantes, cum chartas & libros inveniſſent, gaudio in iracundiam verſo, inutiles ſibi merces abjicere cæperunt in mare, quouſque captivi navarchi monitu deliniti, & tot exhauriendarum

chartarum

chartarum tædio fatigati, ab impotenti cœpto deſtiterunt. Ita navigium exarmatum, nautæ in vincula conjecti, merces reliquæ in triremem comportatæ, & libri (ut ille monuerat) relicti beneficio alicujus, qui cum navigio in littus ejectos colligeret, aſportaretque. Ita plane factum: cum enim fluctus maris navim deſtitutam ejeciſſet in littus, è regione Firmanæ coloniæ, convolarunt ad expoſitam prædam piſcatores, aliique, quorum nonnulli libros domum aſportare, quidam papyros in fruſta diſſectas ad rimas navigiorum cum glutino adhibere, non pauci, ſpecularium vice, tuguriorum feneſtris aptare, & profectò memini audire me à quopiam, per tractum ſane quam patentem litoris illius, aliud tum omnino haud comparuiſſe, quam laceras ſchedas, quà projectas in litus, quà in ſalo fluctuantes. I nunc qui ſine modo hæc amas: Reges magnos æmulare, hæredum improbitas, latronum injuria, domeſticorum fraus, elementa adeo ipſa perdent delicias tuas. Audi, audi, quiſquis incubas librariis illis theſauris; I conſultum publicæ utilitati, evulga ingenia magna, lucubrationes non tuas publici juris fac, permitte ut alii proficiant nullo tuo detrimento, non minima tua cum laude: Quæ tu ſponte rei literariæ perennitati commodaveris, ea univerſa effugient Adraſtiæ manus. At Firmanus præſes ut primum hæc percepit, edixit deferri ad ſe quicquid ibi chartarum librorumve ejectum fuerat, collectumque; ea mente ut domino reſtitueretur, ſi quem dies obtuliſſet. Me tunc Venetiis commorantem male perculit hic rumor; ingemuique fatum nobilis bibliothecæ, cujus genius cum *Joh. Vincentio* periiſſe mihi ſemper non dubiis argumentis viſus. *Cæſar* Neapolim verſus proficiſcebatur, nec mihi certum, ubi literis aſſequerer abeuntem, conſultius ergo viſum *Coſmum* de tota re facere certiorem, atque interim curare, ut *Marcus* Epiſcopus Pat. *Octavium Cardinalem Bandinum*, qui tum Anconitanæ Marchæ legatus præerat, oraret ut naufragam bibliothecam conquiri, & aſſervari imperaret. Hac de re tum ego literas etiam dedi ad *Horatium Martiarium* Vicetinum, primum Epiſcopum civitatis ſancti Severini, excitatæ annis ab hinc circiter MLIII. in vetuſtiſſimæ Septempedanæ coloniæ ruinis. Dux, perlectis literis meis, non ſegniter agendum ratus, certos homines in Picenum allegavit, qui Cardinalis legati opera, præmiis pœniſque propoſitis, è tribus & triginta capſis, duas & viginti coëgerunt. Ita compertum periiſſe XI, librorum octo, iconicarum imaginum duas, mathematicorum organorum unam: librorum jactura quam gravis, incertum adhuc nobis, ea de cauſa quam afferemus infra. At ſive impreſſos ſive manuſcriptos attigerit, in utramvis partem deploranda. Et ne ulla bibliothecæ pars à turbis vacaret, libri illi quos à *Joh. Vincentio* diximus Romam miſſos, ut affinibus ſpem faceret profecturum ſe illò quandoque, diem functo Abbate Ravaſcherio, cujus illos fidei commiſerat, ab Apoſtolica quam vocant Camera, cum reliqua Abbatis domeſtica ſupellectile obſignati, & penè diſtracti ſunt. Inhibuit tamen *Card. Pinellus*, profuitque *Joh. Vincentim Clementi* Pont. probe cognitum fuiſſe. Quare libri redditi, & Neapolim amandati. Patavii non nemo ſtudioſus doluit, ſublatum ex ea civitate tantum theſaurum, quem homo talium rerum ſciens, exquiſita opera, per tot annos, è manubiis ſelectarum ejus regionis bibliothecarum congeſſiſſet. Et profecto ſi quis hæc bonarum literarum ſubſidia iterum Patavii videre ſe non deſperet, deſipiat neceſ-

se est. At quamvis suspiciones, furta, piratæ, præstantissimam uti narravimus bibliothecam afflixissent, recreabat nos tamen ea cogitatio, quod in Ducis manus perveniisset quicquid reliquum erat. Huic enim communia cum patruo studia, doctos amare, libros in deliciis habere, bibliothecam inter Europæas non exigui nominis brevi concinnare. Destinarat huic suburbanum amæniissimum Julianum nomine, ubi opes in hoc genere suas exponeret asservaretque, futuras perpetuo, ut cauturum se dictitabat, patrui & gentilitii nominis ornamento. Præfectum huic destinarat *Thomam Segetum* domo Scotum, è patrui ut diximus contubernio eruditum adolescentem. Quæ meditantem distraxit profectio Genuensis. Uxor à patria jam diu absens, flagrabat desiderio revisendi affectus suos, quos puella vix nubilis Genuæ reliquerat. Annuit indulgens maritus, filiosque secum deducit, marem alterum *Galeatium* nomine, fœminam alteram nomine *Liviam*, impuberes ambos. Excepere Genuæ cognati & affines magno apparatu, & ut civem decebat, in comitia sua peramanter invitarunt. Ibi cum per aliquot menses moram traxissent, *Cosmo* Genua discedere meditanti, Mediolano Venetias pergere placuit, tum in gratiam uxoris, quæ Italiæ miraculum perlustrare avebat, tum ut patruo (ut ille non semel ad me scripserat) monumentum Patavii in D. Antonii excitaret, pro gentis splendore, constitueretque annuam pecuniæ vim, erogandam in sacra quotidiana pro ejusdem anima noxis expianda. Et quia non ignorabat *Cosmus* quantopere *Aicardum* cum viveret charum habuisset *Pinellus*, ratus est sui officii esse, ut quorum animos amor mutuus conjunxerat, eorundem cineres idem tumulus asservaret, Scipionis gloriam pari exemplo æmulatus, qui præconem laudum suarum poetam Ennium, condi secum in eodem monumento præcepit. Quare *Cosmus* Patavii apud Galileium, in Academia res Mathematicas magna cum laude profitentem, hospitio peramanter exceptus, nihil antiquius habuit, quam locum in eo quod diximus templo maximè conspicuum seligere, intimum videlicet parietem ostii majoris, quem ipse pro dignitate marmoribus, signis æneis, parergis elegantissimis exornasset. Qui tamen haud impetratus, fastidio quorundam, qui (alia permissa intra templum statione) nobilissimæ ædis structuram deformari jactabant novitiis ornamentis. Patavii ille anixiè scrutatus est, an patruus quippiam deberet cuiquam, an è domesticorum numero alicui non abunde factum esset satis. Et quamvis obtulisset se nemo, depositi nihilominus apud me non exiguam auri summam, dividendam arbitratu meo in pauperes quosdam, quibus *Pinellum* patruum, si testari contigisset, legaturum aliquid conjectabat. Patavio Venetias se contulit me comitante, gnaro videlicet civitatis, & rerum earum perito quas peregrinis spectare operæ precium foret. Cessit ad votum res, privataque & publica omnia, quæ visu digna, nobis patuere. In navali etiam (quod non nisi principibus viris & non passim deferri solet) lautissimo convivio excepti fuimus, commonstratæque omnes quotquot adsunt bellicæ rei instructissimæ officinæ. Quæ omnia *Cosmo* Venetiis hilarè comiterque exhibita, tum in patrui memoriam, quem suspexerant viventem Senatorum & Patriciorum plerique, tum in gratiam ipsius, qui modestia animique magnitudine sibi omnes vixdum in primo congressu demereret, Uxor adhæc ornatissima fœmina, omnibus de rebus quæ matronam decerent.

ornate

ornate & copioſe diſſerere ſolita, viris graviſſimis miraculo fuit. De literis illi, de re Poetica, nautica, bellica, de gemmis, tabulis, ſignis, ſermo multiplex, qui varium ingenium proderet, ſupra ſexum ætatemque. Scripſit illa Venetiis Genuam ad Liviam matrem, quem fuiſſet lautè regieque ad gentis morem excepta, ſibique tum demum contigiſſe, quod exiſtimaſſet nunquam, ut ſcilicet longe majores apud exteros ſibi honores, quam in patria in affinium ſinu deferrentur. Profecturis inſtructa triremis *S. Cio.* decreta eſt, quæ Lauretum uſque vectaret, cum ampliſſimis mandatis, ut una & altera triremis quatenus opus foret exhiberentur, ſarcinis & comitatui comportando; Lautia inſuper decreta, & cibaria publico ære. At rerum humanarum quæ viciſſitudo eſt. Vix Venetiis egreſſos, & adhuc in conſpectu littoris poſitos, turbavit primum improviſus & ſubito irruens Ducis morbus, tum venti vis ſubadverſa, quæ comites impulere, ut relegerent iter, & Venetiis commorarentur quouſque convaleſceret *Coſmus*. At morbo quotidie invaleſcente, Patavium Dux devehi ſe imperavit, medicorum operæ, quos ea urbs celeberrimos habet, plurimum fidens. Eò advectus, me curante divertit in domum *Benedicti Georgii* Patr. Veneti clariſſimi viri, qui ad *Joh. Vincentii* exemplar factus, Venetiis æquè ſuſpiciebatur, ac Patavii ille. Eadem ſtudia, iidem mores, mutuis ſemper excultam officiis amicitiam pepererant. Huic ego dum viveret ſupra votum charus, cujus memoriam non ſine lacrymis valeam commemorare, erepti videlicet ab immatura morte tum primum, cum laudatiſſimi patris honoribus omnibus in patria perfuncti, veſtigiis inſiſtens, ad gloriæ metam æquis paſſibus properaret. Patavii *Coſmo* medici præſtantiſſimi *Hieronymus Fabricius*, *Herculeſ Saxonia*, & *Æmilius Campolongus* fruſtra manus admoverunt. Morbi enim vi graſſante latius, quam ope medica coerceri poſſet, poſt XV. dies acerrimis doloribus capitis, & corporis univerſi cruciatu febrique confectus, & vehementiſſimo delirio exagitatus, deceſſit. Adfuimus religioſiſſimè morienti *Laurentius Pignorius* & ego, qui vixdum elapſo anno ſupremum hoc officium patruo præſtiteram. Obiit *Coſmus* anno *MDCII.* prid. Kal. Novemb, annos natus III. & XXX. de quo Virgilianum illud legitime pronunciaſſes.

Oſtendent terris hunc tantum fata, neque ultra *Æneid. l. 6.*
Eſſe ſinent.

Vitæ ſiquidem innocentia, morum candore, paucos inveniſſes pares. Avitæ religionis prima illi cura, inter delicias qua urbanas qua domeſticas, ſemper fuit. Quotidie ſacro intereſſe, in hebdomada ſaltem ſemel refici pane cœleſti conſueverat. In ſocietatem ſodalium D. Franciſci, quos Capucinos vocamus, ex privilegio cooptatus, de illis mereri optime nunquam deſtitit. Cœnobium iiſdem & Eccleſiam in ſua ditione excitaverat, magna in eos ſuſtentandos erogata quotannis pecuniæ vi. Ex eorundem numero impetraverat ſibi apud quos animi noxas confeſſione expiaret, ſeque ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſumptione intimè recrearet. In pauperes annuatim dividebat duodena & amplius aureorum millia, nubiles puellas honeſte collocando, ſublevando eos qui non ſuo vitio ad inopiam redacti eſſent, ſenio confectis, debilibus, languentibus, opibus ſuis eximiè conſultum volens.

Neapoli

Neapoli ante aliquot annos firmus & valens teſtatus erat, præterieratque bibliothecam, & *Joh. Vincentii* monumentum, patruo adhuc ſuperſtite, quorum recordatus fortaſſe cum ægrotaret, petierat ab *Alphonſo Soto*, quo Patavii confeſſario uſus eſt, ut morbo non remittente admoneret Codicilli, quem decreverat teſtamento adjicere. Et ſanè bibliothecæ ſtatum, & amplificationem, patruique memoriam animo complexum vidimus, quotquot cum illo Patavii familiarius verſati ſumus. At præclaris cogitationibus invidit improviſum delirium, quod optimum juvenem de ſtatu mentis dejecit miſerandum in modum. Maritum optimum, & indulgentiſſimum, (& has funeris appendices liceat mihi perſequi, amoris & benevolentiæ ergo) uxor infeliciſſima luctu perpetuo proſecuta eſt, ereptum ſibi à patria & affinibus procul, iniquiſſimis temporibus, eum virum dolens, cum quo vixerat ſine querela, quo ſoſpite vix ullam ſibi matronarum Neapoli præferri optime norat: relictos ſibi parvulos filios, non qui mærorem levarent, ſed quorum conſpectus luctum augeret, quorum orbitas matrem cruciaret. Neapoli in more poſitum eſt, ut mulieres in chariſſimorum ſibi conjugum funere incidant capillos, cum defuncto efferendos, teſtes doloris, & indicio futuros interceptum ſibi morte viri capitis ſi quod erat ornamentum. Conſuetudinis memori, huic noſtræ forcipes diu pernegatæ à familiaribus, & ſubtracta ferramenta omnia, quibus propoſitum exequi poſſet, donec filiolus matrem angi diutius non ferens, auratam forcipem è loculis puerilibus promens, matri obtulit, admonens capillos recideret ſibi, & memoriam patris ſuprema illa conteſtatione recoleret. Laudavit illa filii pietatem, & ſibi dicto citius obſecuta, ſpiſſam & flaventem comam in feretrum conjecit, operuitque caput nigra palla, qua circumfluente contecta, humi cubans in abdito ſepoſitæ cellæ angulo, dolori habenas laxavit. Audivimus nos ibi tum eam conquerentem, ſermoniſque nitorem admirati ſumus, & ingenii alacritatem. Quo factum, ut tragicos poetas minus improbaremus, quos frequenter animadvertas inducere in ſcenam dolore & mœrore confectas, Electram Hecubamve, ornatè tamen & copioſè diſſerentes. Grave vulnus inflixit domeſticæ rei præmatura mors Ducis adoleſcentis. Honos enim ſummi Cancellarii, in quem uti diximus impenderat ipſe LXX. M. aureorum, è familia exivit, neque tranſlatus in filium eſt, uti pater præſagio fortaſſe quodam mortis adventantis admonitus, tunc temporis maximopere nitebatur. Venetiis quidem puero factum nobile omen, quod nemo tum animadvertit, brevi obventuram illi Ducis appellationem, quam à morte patris nactus eſt. Oſtentabatur ipſis in ea civitate locus in æde Marciana, ubi copia gemmarum & unionum ad miraculum uſque, cumque ad mitram ventum eſſet, quæ ibi auro, gemmiſque diſtincta aſſervatur, in uſum Ducis inaugurandi, puero ſpectanti oborta eſt de repente cupiditas mitræ geſtandæ, quod ubi intellexit Præfectus Senator, qui tum aderat, mandavit miniſtris uti obſequerentur puero, cui ad eum honorem jam tum præſternebat mœrore obſitam viam, importunum patris optimi fatum. Duciſſa erepto ſibi ut narravimus viro, nihil antiquius habuit, quam cadaver Neapolim præmittere, & Patavio diſcedere domum verſus, tum quod eum terrarum tractum odiſſet, in quo naufragium fecerat delitiarum ſuarum, tum quod hiems, cujus ibi magna vis, quotidie appropinquaret. Comites habebat reditus, quos

&

& adventus; *Cæsarem Pinellum*, & *Julium Sangrium*, ex primaria Neapoli nobilitate elegantissimum virum, quibus me adjungere tum precibus tum obtestationibus ita enixa est, ut alieno maxime anni in hyemem vergentis tempore, non optimè valentem, pertraxerit in sententiam suam, ejus misertum, quæ cum lacrymis dictitaret, neminem præter me tum adesse, quicum causas luctus sui conferre posset, à quo mœrorem sibi levari posse confideret. Romæ illam Neapolitanæ aliquot matronæ exceperunt, ubi me dimisit perinvita. Mihi vero, iter protinus remetiri constitutum erat, quod haud passus vir illustrissimus *Octavius Card. Paravicinus Sacri Rom. Imperii* Protector, cui propriæ dotes, probitas, humanitas, solertia, splendoris non minus, quam adventitii amplissimæ dignitatis, & avitæ gloriæ tituli contulerunt. Hic me multos jam annos addictum sibi (absit verbo invidia) unicè fovet, exiguorum plane conscium meritorum, nec videntem quid ad amandum me ingenium acerrimum allicere possit, nisi perenne studium bene de unoquoque merendi, & ingenua mea apud omnes ejus gratiæ contestatio, quam me præclarissimi viri humanitati debere sentio. Hinc ego hyemem Romæ exegi totam, ubi me cum *Joh. Vincentii* interitum literati omnes & singuli doluerunt. Nec defuerunt qui perquirerent an bibliotheca ejusdem esset venalis, elabi sibi quod nollent è manibus tantum thesaurum. Principem inter hos locum obtinuit *Fridericus Borromæus Card.* Archiepiscopus Mediol. qui pietatem Christianam ita cum studio literarum conjunxit, ut præter absolutum *Caroli* patruelis sanctissimi viri exemplar, quod refert ad amussim, habeat Italia in hoc etiam genere quem exteris gentibus ostentare possit. Is Mediolani bibliothecam instruit optimorum librorum refertam, innixam adhæc firmis legibus, quæ ab omni peculatorum injuria tutam diu præstent, conquisitis etiam undique eruditis viris, qui agmen ducente Gratia Maria Gratio, viro docto & spectatæ fidei, tantas opes custodiant pro dignitate: quo utinam respexisset *Pinellus* noster, cujus delitias, reliquas à piratarum injuria, heredum discordia male perdidit. *Cosmo* filius octannis heres obvenit, de cujus tutela dum inter matrem & testamentarios tutores diutius disceptatur, libri interim penè madentes ut è mari collecti in capsas tumultuariè conjecti, nulli dubium an cum tineis pugnent; ne dicamus, quod aliqui retulerunt, asportatos plerosque, & divulsos miserandum in modum. Ineptos dicam nos an prorsus amentes, quos perennium bonorum oblitos, fluxa hæc & incerta follicitant? Hæc in causa fuerunt, ut non solum bibliotheca pessum iret, sed etiam & monumentum, quod *Joh. Vincentio* parabatur, evanescat omnino. Supremis tabulis *Cosmus* nihil addere potuit, actus in delirium ut diximus importuna morbi vi: hæredibus quid animi sit ignoramus. Ut ut se res habeat, cessantibus his, quos par erat hæc curare, *Cæsar Nichesola*, *Ptolemæus Olivetus*, & ego, cogitabamus & hoc postremo munere *Joh. Vincentii* & *Pauli Aicardi* memoriam commendare posteritati, perpendentes nimirum, quam turpe sit eorum prorsus oblivisci, quibuscum suavissimè & conjunctissimè vixerimus.

Mihi verò ad scriptionis meæ calcem de proximo jam recurrenti contestari illud lubet, narrationis meæ fidem oculatam esse, haustamque ex intima viginti & amlpius annorum consuetudine, quæ mihi cum *Pinello* intercessit, & præscripsisse me mihi veri rectique lineas,

ultra

ultra quas minime transilirem. Inopiam rerum diffiteri aut excusare consilium non est; cum nemini non pateat quantas immatura *Cosmi* mors offuderit scriptioni nostræ tenebras, quas ego dispellere frustra diu nixus sum. Exoptabat ille perfici propositum hac de re meum, exhibuisset adversaria, schedia, indices librorum, Epistolas ad patruum scriptas à doctissimis viris: instruxisset ille me elegantissima supellectile notarum, observationum, adversariorum; at ille dolendus defletusque nobis abiit, abstulitque secum invidia fati universos amores nostros. Mihi viam tentasse aviam plane, & difficilem satis erit, ipsamque velut digito intendisse alicui, quem juverit Bonus Eventus, ea proferendo, quibus nos destituti, exegimus tamen aliquid non sine fructu, & delectatione studiosorum, quibus hæc nostra Damus, Dicamus.

VIRO

VITA
SCÆVOLÆ SAMMARTHANI,
Gallicè Scripta Per Gabrielem Michaelium Rupi-malletum in Senatu Advocatum.

Latinè Reddidit JOANNES VIGILIUS MAGIRUS.

Viro Doctiſſimo Integerrimoque *GULIELMO BATESIO LONDINENSI* Parochiæ Sancti Dunſtani ad Occidentem Rectori digniſſimo.

S. D.

JOANNES VIGILIUS MAGIRUS.

TRALATITIUM hoc opus, tuo juſſu confectum, quidni ad te referam, doctiſſime Bateſi? Et quidem ità oportuit, tùm gratitudinis nomine, quòd me dignum cenſueris cui hoc pauxillum oneris impertires; tùm neceſſitatis etiam, ut ſcripti

mei infantiam deformitatemque tua manus emolliat, exornet, perficiat, adeoque rudibus membris animam nobiliorem infundat. Concionandi labor (in quo nemo vel cum laude vel cum fructu majore versatur) obstitit certe, quò minùs omnes illustrium virorum vitas (quos hoc volumine tanquam speculo literario conspiciendos exhibes) calamo tuo conscriberes; nihil tamen vetare debet, quin horis succisivis conatus nostros leviter percurras, & omni scabritie exculptâ faciem atque imaginem tuam universo operi imprimas. Ista clarissimi SAMMARTHANI *vita, è Gallico in Latinum versa, à me fidem invenit, à te petit elegantiam. Vale. Prid. Cal. Maji,* M. DC. LVIII.

VITA
Scævolæ SAMMARTHANI.

Si gloriam haud mediocrem promerentur ii, qui pulcherrimas occupationes suas & studia eò solùm conferunt, ut bono publico quam maximè inserviant; nec minorem illi, qui rerum administratione omissâ, tranquillæ vitæ lenociniis allecti, scripta æternitate digna in lucem edunt: quanto magis laudandi sunt, qui ingenio excellenti & fœcundo præditi, ità facultates animi commiscere ac temperare norunt, ut in utramque partem facilè comparentur? Eximia cœli dona, quæ mirâ felicitate in Scævola SAMMARTHANO *se invicem sunt complexa! Cum enim ad laudabiles hasce & diversas vias aque se præstiterit idoneum, in ambiguo reliquit, utrum fideli erga Reges nostros obsequio, & muneribus eorum maximi momenti defungendis, an vero lucubrationibus suis pari eloquentiâ ac scientiâ conscribendis, magis inclaruerit.*

NATUS est initio mensis Februarii, Anno *MDXXXVI.* Julioduni; quæ urbs in finibus Andium, Turonum, Pictonumque sita, miti aeris temperie gaudet, & agrorum fertilitate (siqua alia in Galliis regio) admirabili: Quæ quidem conditiones ad ingenia melioris notæ producenda maximè conducunt, qualia hic locus protulit innumera; nemo autem eorum (ut opinor) tantum patriæ suæ decus ac *SAMMARTHANUS* noster attulit. Idem annus eo illustrior extitit, quod alio non minùs fausto auspicio, Arnaldum,

Arnaldum Cardinalem Oſſatum, & Achillem Harlæum, Senatus Pariſienſis Principem, duo altera ſeculi noſtri lumina, Galliæ dederit.

Proſapiam è nobili familia deducit, quæ plurimos in vario profeſſionum genere præclaros ſortita eſt, maximè autem in cognitione literarum non vulgari; quæ quidem huic genti hæreditaria ſemper fuiſſe viſa eſt.

E veteribus quibuſdam titulis conſtat, Petrum *SAMMARTHANUM* honorificum in Ærario procurando munus obiiſſe regnante Carolo VII. Et ex hiſtoria *M.S.* temporum Caroli *VIII.* diſcimus, Nicholaum *SAMMARTHANUM*, cùm in bello adverſus Anglos egregium fortitudinis ſpecimen dediſſet, dum Bayona abſideretur, Equitem una cum nobilibus aliis à Legato Regio exercitûs Aquitanici creatum eſſe.

Ludovicus *SAMMARTHANUS* Armiger dominus *de Villedam* in agro Juliodunenſi, regnante Ludovico *XII.* in Italia militavit. Sub vitæ finem in Andes receſſit, & præcipuas ac gentiles familiæ ædes (à *Galero* dictas) propè Salmurium extruxit. Hic noſtri Scævolæ proavus fuit. *du Chapeau.*

Avus ejus, Gaucherus *SAMMARTHANUS* dominus *de la Rivere*, conſiliarius erat & medicus ordinarius Regis Franciſci *I.* tantoque in honore habitus, ut Conradus Lommellus ſcriptor illius temporis, libro qui inſcribitur *De advocati Officio*, eum appellet *unicum ex omnibus tam noſtris quàm peregrinis medicinæ Oraculum, alterumque adeò Æſculapium.* Leo etiam de Sancto Mauro ex illuſtri familia oriundus ſcribit, *ejus virtutes & doctrinam magno in pretio fuiſſe.* Ut concludam, hiſtoricus quidam rerum potiunte Carolo *IX.* editus illum *primarii Regis medici* titulo honeſtat. Patrimus fuit *SAMMARTHANO* noſtro nepoti ſuo, nomenq; ſuum ei indidit Gaucherum; quod ipſe poſteà ingenioſè in *SCÆVOLAM* tranſtulit, eodemque in ſcriptis ſuis uſus eſt: quamvis hæc appellatio dotibus ſuis minùs congruere, nec niſi per antiphraſin adaptari poſſe videretur, cùm adeò dextre ſe geſſerit in iis quæ ad cultum & ornamentum patriæ pertinerent. Nonnulli literati ſuo tempori æquales hinc anſam arripuerunt varias facetias & alluſiones conficiendi de nomine Scævolæ & de manu *SAMMARTHANI*, etiam & *ambidextrum* ratione muſæ Latinæ Gallicæque vocitarunt.

Deceſſit avus ejus honorum, amorum, & bonorum ſatur; maximè autem quinque filiis beatus, quos ut ſurculos tenellos ſtudioſè colendos pius ſenex curavit, optimeque inſtitutos ad ſcientiarum ſtudia ſucceſſu non pœnitendo incitavit.

Ludovicus *SAMMARTHANUS* dominus *de Nuelly*, in curia Juliodunenſi Procurator Regius, quinque filiorum natu maximus, totum ſe juriſprudentiæ addixit, nihil impenſiùs cupiens quàm Regis miniſteria intra patriam ſuam exequi; eamque prætulit aliis omnibus locis, in quæ tamen vocatus eſt, & in quibus majori nominis incremento conſpici potuiſſet, tùm quòd ex ſe rebus agendis inſtructiſſimus eſſet, tùm quòd ſtirpe paternâ maternaque perquàm inſigni niteretur. Iſte & Gaucherus pater celebrati ſunt à Salmonio Macrino, celeberrimo ſuperioris ſeculi poetâ: nec injuriâ de ſuis natalibus gloriatur Juliodunum.

Ludovicus tres filios reliquit: quorum Scævola primus eſt; Secundus patris nomen ſortitus luculento fuit ingenio, & cum laude gradus omnes Pictavienſis

vienſis fori percurrit. Ubi primùm Regius Advocatus, deinde Aſſeſſor, & tandem Prætor Juridicus evaſit. Neque parùm decoris huic acceſſit, quòd defunctus Præſes Segvierius, cujus ſapientia & facundia ſupra omne quod dici poteſt eminebant, ſæpe teſtatus ſit quanti æſtimaverit nonnullas ejus publicas actiones, quas audivit cùm ſupplicum Libellorum Magiſter delegatione quadam Pictavii fungeretur. Renatus *SAMMARTHANUS* filiorum tertius juvenilibus annis militiæ operam dedit; poſteà autem ſacrorum quietem amplexus, factus eſt magnus Eccleſiæ Pictavienſis Archidiaconus, cujus etiamnum ſubdecanus eſt.

Pariſiis è vita exceſſit pater: in cujus memoriam inſcriptio hæc à filiis poſita ad Sancti Severini legitur;

D. O. M.

S.

LUDOVICO SAMMARTHANO J. C. *viro nobili, apud Juliod. Procuratori Regio, doctrinæ probitatis, eloquentiæ laudibus inſigni; qui dum Regis & patriæ negotia ſedulò procurat, ſui ipſius negligit, non Regi ſolùm & patriæ, ſed & ſuis & ſibi præmaturè moritur.* SCÆVOLA *Queſtor Franciæ,* LUDOVICUS *apud Pictones Regius Advocatus,* RENATUS *ſub ſignis Principis Dumbarum eques, parenti optimo* FFF. *mæſtiſſimi poſuere.*

Obiit Lutetiæ Kal. VII. *M. D. LXVI.*

Carolus *SAMMARTHANUS* cauſarum Capitalium apud Alenzonios Præfectus, ſecundus Gaucheri medici Regii filius, inter literatos ſui temporis celebrem locum obtinuit. Gratiâ floruit exquiſitiſſimæ illius Margaretæ Navarræ Reginæ Regis Franciſci *I.* ſororis, & Franciſæ Alenzoniæ Vindocini Duciſſæ; quæ ambæ illius operâ in rebus graviſſimis uſæ ſunt, ſicut etiam Navarræ Rex Antonius. Harum egregiarum Principum funera ſingulis orationibus in publicum emiſſis, nec non carminibus Latinis Galliſque, condecoravit. Paraphraſin quoque Latinam in quoſdam Davidis pſalmos, cum aliis operibus, edidit. Scævola nepos eum adnumerat in aureo illo faſciculo Elogiorum doctrinâ illuſtrium Gallorum, juxtà cum fratre Jacobo *SAMMARTHANO* à *Candoeſello*, ipſo quoque ſingulari eruditione prædito, & medicinæ, linguæ Græcæ, ac Matheſeos ſcientiſſimo. Cùm juvenis eſſet, amicitiam Budæi adeptus, viri clariſſimi vitam eleganti ſtylo deſcripſit; cujus Conradus Geſnerus in Bibliotheca ſua meminit. Græca

de Candoiſeau.

etiam

etiam Oracula Zoroastri Latinè reddidit, quæ patri dicavit, fuitque sicut ipse medicus Regius. Major duorum quos genuit filiorum, Ludovicus *SAMMARTHANUS*, Gallicanæ militiæ Juridicus, insigni literaturâ ornatus est; quod ille scriptis suis liquidum fecit: minor autem Franciscus *SAMMARTHANUS* officium Advocati in augustiori Regis Concilio summa cum dignitate exercet. Quod ad Renatum spectat dominum de *Castro-novo* in Pictonibus, & Josephum dominum *dela Gueritiere*, quartum & quintum Gaucheri filios, armorum exercitio studia quoque literarum adjunxerunt. Hi quinque fratres unicam sororem habuere, Isabellam *SAMMARTHANAM* domini *de la Goberie*, viri & animo & patrimonio præstantissimi, uxorem: Barones *Crucis Blerensis* in Turonibus ex hoc conjugio prodierunt.

de Chasteauneuf.

de la Croix de de Blere.

Quin & ex parte materni sanguinis multùm enituit Scævola. Nicolaa à Fabro mater ejus, Ludovici *SAMMARTHANI* uxor, filia erat perillustris domini *Bizaii* in agro Juliodunensi, & neptis Francisci Fabri domini de *Bello-loco*, Regii in suprema Rationum curia Advocati. Fratrem habuit Renatum Fabrum Senatûs Præsidem in tertiâ classe inquisitionum.

le Febure.

de Bizay.

de Beau-lieu.

Avia materna *SAMMARTHANI* (de quo sermonem instituimus) ex antiqua & prænobili familia Berthelotorum in Turonibus orta est; (unde etiam processit Ægidius Berthelotus Rationum Regiarum Præses.) Amitam habuit Janam Berthelotam, quæ nupta Joanni Briconneto Varennio, regnante Ludovico *XI.* Regiæ gazæ præfecto (dictus est tunc temporis Regii æris perceptor generalis) tres filios peperit merito & dignitate florentissimos: Gulielmum Briconnetum Senatorem Parisiensem, cujus etiamnum posteri supersunt; Gulielmum Briconetum juniorem, Cardinalem & Archiepiscopum Narbonensem, posteà Rhemensem, quem Carolus *VIII.* ità carum habuit, ut maximis Reip. negotiis eum impositurit, & secretioris Consilii Præsidem elegerit; Robertum deinde Briconetum, Archiepiscopum item & Ducem Rhemensem, primum inter Pares, & Galliæ Cancellarium. Ratione hujus propinquitatis, & aliarum à gente Berthelota pendentium, *SAMMARTHANA* domus attingit etiam nobilissimas familias de Huralto-chevernio, *de Galliard-long-jumeau, de Beaune, de Reffuge, Ruzè, Rebertet, Spifame, Fumée, Prevost* S. *Cire*, & alias inter potissima munera dignitatesque Ecclesiæ, Regiæ, & senatuum collocatus.

Scævola *SAMMARTHANUS* exemplis hisce domesticis excitatus, quasi face quâdam prælucente, viamque monstrante virtutis & præclarorum actionum, protinus spem sui ingentem & testimonia generosæ indolis non obscura prodidit. Brevi tempore progressum fecit in literis admirabilem, maximè quidem in Universitate Parisiensi, ubi clarissimi viri, qui doctrinam & facundiam omnem Græcam & Latinam penitus hausisse videbantur, Adrianus Turnebus, *M.* Antonius Muretus, & Petrus Ramus, liquidos fontes eloquentiæ & Poetices ipsi aperuerunt: adeò ut hoc novellum germen istiusmodi manibus irrigatum quotidie crescceret, unde suâ tempestate sperandi essent & suavissimi flores, & posteà etiam fructus gratissimi, quos non Gallia solùm, sed exteræ quoque regiones cum stupore degustarent.

Auspicatò etiam in primò literarum tyrocinio & studiorum socios & amicos habuit

habuit viros ſcientiæ ac meriti ſingularis, ad ampliſſima Reip. munera poſteà evectos; inter alios Petrum Fabrum Sanjoranum, Claudium Falconem Rezium, hunc Rhedonenſis, illum Toloſani ſenatûs primarium Præſidem; Carolum Cantoclarum & Franciſcum Viettam, ſupplicum libellorum in Aula Regia Magiſtros, Nicolaum Sudorium Inquiſitionum curiæ in ſenatu Pariſienſi Præſidem, & Nicolaum Rapinum ſupremum cauſarum Capitalium in Regio Comitatu Præfectum. Sed Rizii benevolentiam præ aliis intimam adeptus eſt, ſicut poſteà filii ejus primogeniti, Alexandri Falconis, Senatûs Neuſtriani Principis; quos inſignis virtus & eruditio in ſublimes illas juſtitiæ ſedes evexit.

Dum Scævola in Academia Pictavienſi jurisprudentiæ incubuit, Joannes Peruſius (laudatus à Ronſardo & Mureto) ſub exitum Henrici *II.* diem obiit, Medeæ tragædiam quam verſu Gallico pangebat imperfectam relinquens. Principium operis ità feliciter contexebatur, ut conſummatio ejus magnopere cuperetur; cùm illud ſcribendi genus eo tempore novum apud Gallos eſſet & inuſitatum. *SAMMARTHANUS* primo flore juventutis rem perficere ſuſcepit, eo quidem ſucceſſu, ut maximum poëmati ornamentum, nec laudem ſibi minorem comparaverit: adeoque hic conatus animos ipſi dederit, ut majora aggrederetur. Itaque juvenis iſte poeta tragicus & infelix, qui vitæ curſum vixdum exorſus ſtatim finierat, ſorte tamen meliore hac in parte uſus eſt quàm olim Timomachus in imagine Medeæ, (quam licèt imperfectam tanti emerat Julius Cæſar;) mortuo enim hoc inclyto pictore, nemo alius potuit, aut ſaltem auſus eſt tabulæ excellenti, non magis quàm Veneri Appelleæ, extremam manum imponere.

A Pictavio ad urbem Biturigum Scævola ſe tranſtulit, ut ibi ſtudia inchoata perſequeretur, & eloquentem Juriſconſultum Duarenum audiret; qui raras juvenilis animi dotes illicò perſpexit, eumque amavit & in prætio habuit: prævidit etiam, Galliam olim de illius incunabulis gloriaturam; nempe cui natura ea omnia indiderat, quæ aliis ex arte & induſtria provenire ſolent. Præter juriſprudentiam, rei quoque Poeticæ delicias imbiberat, & talem ejus ideam ſibi mente efformaverat (ſicut quemque ſua fert indoles) ut Lutetiam reverteretur, quò hiſce ſtudiis, & aliis quibus acria aſſueſcunt ingenia, meliùs vacaret; quò etiam conſuetudine doctorum hominum, quibus urbs illa tunc temporis abundabat, magis magiſque proficeret. Ibi primum magni illius & incomparabilis ſcientiarum ac linguarum Genii, Joſephi Scaligeri, familiaritatem iniit; quæ quidem illis ad annos fermè quinquaginta interceſſit. Amicitiâ quoque complexus eſt Claudium Eſpencæum clariſſimum Theologum, Joannem Auratum, Petrum Ronſardum, Joannem Antonium Baiſium, Joannem Paſſeratium, & Remigium Bellaqueum.

Generoſâ & honeſtâ ambitione permotus ut illuſtrioribus ſui ſeculi viris innoteſceret, Cancellarium Hoſpitalium viſere ſtatuit; qui quidem poema Latinum *De præjudicio ex venalitate Officiorum* ab ipſius manu benigniſſimè accepit. Quanquam divinus ille antiſtes, Themidis oraculum, non minori doctrinâ quàm gravitate Juſtitiæ bilancem tractavit; tanti tamen fecit poeticen, ut inter occupationes maximè ſerias auſteritatem negotiorum & legum rigorem hujuſmodi ſcriptionis dulcedine lenierit: ſicut alii complures gentis togatæ

togatæ principes viri noſtro tempore fecerunt. Epiſtolæ ſuæ verſu Latino ſcriptæ, eo artificio compoſitæ ſunt, ut doctorum hominum judicio cum Horatianis facilè comparari poſſe, etiam neſcio quid ſuavius molluiſque ſpirare videantur.

SCÆVOLA ſibi in animum induxerat Carolum *IX.* longo illo itinere quod provinciis univerſi regni peragrandis ſuſcepit, comitari, cùm paulo antè à civibus Juliodunenſibus ad Majeſtatem ſuam de rebus graviſſimis delegatus eſſet. Sed parùm temporis in aula Regia moratus, conſilii ratione interruptâ, Burdigalas profectus eſt, ubi cum Lanceloto Carleſio Epiſcopo Reienſi, Michaele Montano, Eliâ Vineto, aliiſque Aquitaniæ doctris viris amicitiam contraxit. Regi nihilominùs in urbe Metenſi poſteà obviàm factus eſt, atque inde tranſiit uſque ad fines Germaniæ. *di Riez.*

Juliodunum reverſus, uxorem ibi duxit Renatam Hayam filiam domini *de Malagnet*, & ampliſſimæ fortunæ unicam hæredem, cujus tamen divitias & dotem longè ſuperabant animi ornamenta ac virtutes, inter quas flagrantiſſima erga pauperes charitas maximè enituit. Multos habuit liberos, poſteà memorandos, qui à paterna bonitate moribuſque laudandis nè minimùm quidem deſciverunt.

Dum Pariſiis hæſit, annis *M. D. LXIX.* & *LXX.* benevolentiam adeptus eſt Ponti Thiardi & Gulielmi Ruzæi, qui poſtea fuerunt, alter Cabillonenſis Epiſcopus, Andegavenſis alter; Germani Valentis Gueſliſſii Abbatis Primpontii, Conſiliarii & poſteà Epiſcopi Aurelianenſis; Chriſtophori Thuani, qui Senatûs Pariſienſis principatum digniſſimè geſſit; Henrici Memmii domini *de Roiſſy*, ſanctioris Conſilii aſſeſſoris & Cancellarii Navarræ, patris domini *de Roiſſy*, & avi Præſidis Memmii, qui cum tanta honoris & ſcientiæ laude in Conſiliis Regiis & ſenatu Pariſienſi etiamnum verſantur. Hunc affectum erga *SAMMARTHANUM* ipſi quoque haud intermiſſum coluerunt; ſicut etiam Guido Faber Pibracius, in ſupremo Galliæ ſenatu regius tùm patronus & poſteà Præſes, Philippus Portæus Abbas Tyronius, Stephanus Paſchaſius Regius in ſuprema Rationum curia advocatus, Antonius Oiſelius, Petrus & Franciſcus Pithœi, advocati in ſenatu celeberrimi. Hi omnes viri illuſtres ejus ſocietate magnopere oblectabantur, quam ſuavitate morum ità condiebat, ut ſingulorum animos facilè ſibi conciliaret; magnatum, famæ ac virtutem ſplendore; æqualium, converſationis dulcedine & doctrinæ incantamentis; inferiorum denique, comitate admirabili: qui reciproco quodam ſtudio omnia honoris & venerationis officia ipſi detulerunt, quæ viris ſummâ virtute præditis, & ſupra communem hominum ſortem egreſſis, meritò debentur.

Nuptiæ Caroli *IX.* cum Elizabetha Auſtriaca, Maximiliani *II.* Imperatoris filiâ, commodam præbuere occaſionem quâ ſe doctiſſimæ pennæ volatu in altum eveheret, Epithalamium Gallico verſu compoſitum in lucem emittendo; quod Rex ab authore oblatum animo benigno accipere dignatus eſt. Ex eo tempore in cognitionem venit præclari illius Politici, Nicolai Novo-villani domini *de Villeroy* Regi à mandatis, apud quem ob egregia ſua merita ſummo honore habebatur.

SCÆVOLA

SCÆVOLA noſter non tantùm ſe vernaculæ Poeticæ addixerat, ſed Latinam quoque adjunxit; quò ingenium utrobique felix & fœcundum naturali quodam ductu eum inclinavit: Quod etiam cum paucis habuit commune, Joachimo Bellaio, Joanne Paſſeratio, & Nicolao Rapino. Itaque Gallicè tranſtulit, vel potius imitatus eſt opus quamplurimis pulchris & ſalutaribus documentis refertum, quod *HUMANÆ VITÆ ZODIACUS* inſcribitur, ab inſigni poeta morali nationis Italicæ, Marcello Palingenio, carmine Latino conditum. Quæ tranſductio adeo genuina eſt (ſicut omnes aliæ quas poſteà feliciter elucubravit) ut Remigius Bellaquæus animadvertat, authorem hunc extraneum *Palingenii* nomen quaſi divinitus accepiſſe, quod bis natus ſit; ſemel ſuo poemate; & rurſus eruditi *SCÆVOLÆ* verſione.

Aliquot annis poſt initum conjugium maxima ex parte Pictavii commoratus eſt, ubi potiſſimo Quæſturæ munere in illa Juriſdictione fungebatur. Hæc ſedes eò ipſi jucundior viſa eſt, quòd duo ejus fratres ibidem quoque degebant; tùm quòd eo tempore & Academia ſatis florebat, urbs & ipſa viris Juris prudentiæ, Medicinæ, ac literarum amæniorum ſcientiſſimis abundabat. Adde quòd etiam magnus ille Scaliger tunc in Pictonibus agebat apud dominum Abanii & Rupipoſæi, Romæ legatum, & Præfectum Marchiæ, qui ad illuſtrem familiæ nobilitatem, ſcientiæ & belli gloriam adjecerat. Unde *SAMMARTHANUS* ampliſſimum campum nactus eſt illius fidem, & affectum in Regum miniſteriis flagrantiſſimum, ſicut etiam filiorum virtutem ac generoſam indolem, celebrandi. Epigramma quod Scaliger miſit ad Baronem Chryſæum Pictavii agentem, ac *SAMMARTHANI* & celebrium doctarumque dominarum de Rupibus frequenti conſortio ibi fruentem, hic omitti non debet, cùm ad laudem illius de quo verba facimus haud parùm faciat.

de Greſſe.

SCÆVOLA ſi cultis mulcet tibi verſibus aures,
Dum tua mens docti pendet ab ore viri;
Si lepidæ blandis inhiant tibi mille puellæ
Eloquiis, animo qua ſitiente bibis:
Cur felix mecum eſſe cupis, Chryſæe? quid ultrà,
Quò cæli tangas ſidera ſumma, petis?
Ille tenet cælum, cui præſtant mille puellæ
Mille Deas, unus SCÆVOLA mille Deos.

Ex imitationibus Palingenii, & aliis ejus operibus, præcepta bene vivendi & virtutum incitamenta proffluxerant; ſicut etiam aculeos ad pietatem dederant perquàm multa illius carmina ſacra inter quæ præcipuum locum obtinet docta Paraphraſis Latina Canticorum Biblii, aliique verſus quibus impietatem proſternit & Atheiſmum jugulat. Intereà caſus quidam occurrebat, quo facile perſuaſus eſt aliam pulchram quidem ſed inuſitatam ſcribendi materiam amplecti. Cùm enim unus ex infantulis ejus gravibus morbis laboraret, ſicut bonus erat paterfamilias, nulli medicorum etiam optimorum aut experientiæ aut induſtriæ pepercit; quinetiam ipſe operam dedit ut infantum naturam & teneras

teneras lactentium habitudines curiosè exquireret: cumque permultas singularis momenti observationes feciſſet, adeoque in abditos Naturæ receſſus atque intima Philoſophiæ adita penetraſſet, poema Latinum *Pædotrophiæ* dictum aggreſſus eſt, ſive de modo infantes ex ubere nutriendi, & tenellas ejuſmodi plantas conſervandi adverſus infinitas tempeſtatum minas, quæ ſæpenumerò in ipſo naſcendi exordio eos enecant; ſicut author ipſe alicubi in ſcriptis ſuis opportunè ſatis expoſuit. Et quamvis hæc ſcribendi ratio primo quidem aſpectu humilis & vulgaris eſſe videatur, ſiquis tamen animo perpenderit, hominem ad imaginem Dei efformatum, nobiliſſimam & principem in univerſa rerum natura ſpeculationem eſſe, haud facilè negabit, tale opus adeò divine contextum, adeo ad incolumitatem humani generis accommodatum, ejuſdem pariter dignitatis aliquo modo particeps eſſe debere: Unde etiam jure inferri poteſt, hoc quidem nomine magis laudandum eſſe quàm Georgica Virgilii, cujus Majeſtatem hoc opere prope aſſecutus eſt.

Ante *SCÆVOLAM* nemo Gallorum auſus erat Epicum poema Latinum longioris contextus ſuſcipere, ſaltem lectione dignum, aut quale iſtud, in quo omnes numeri artis Poeticæ, omnes gratiæ elegantiarum, omnes doctæ antiquitatis regulæ conſpiciuntur: unde acceptiſſimum evaſit apud omnes cultioris ingenii viros, & præ aliis apud Italos. Quod ad noſtrates attinet, cùm Baiſius ad magnum Ronſardum mitteret, ſuâ reſponſione Gallicâ, quæ poſteâ in Latinum verſa eſt, non ſimplici operis laudatione contentus, ejus pulchritudinem, diſpoſitionem, ac varietatem admiratur. *Dii boni*! (inquit) 'quem mihi librum miſiſti à noſtro *SAMMARTHANO* con-'ſcriptum? non liber eſt, ſed ipſæ muſæ; totum noſtrum Helicona teſtem 'appello. Quin & ſi de eo judicium mihi conceſſum ſit, velim equidem il-'lum omnibus hujus ſeculi poetis anteponere; vel ſi Bembus, Naugerius, 'divinuſque Fracaſtorius ægrè laturi ſint. Dum enim perpendo quàm apte 'ſuavitatem carminis puræ terſæque dictioni, fabulam hiſtoriæ, Philoſophi-'am arti medicæ conjunxerit, libet exclamare;

— Deus, deus ille, Menalca —

'Seculumque iſtud felix dicere, quod nobis talem tantumque virum pro-'tulerit.

Judicium item Scaligeri admodum illuſtre eſt; quod è pluribus ejus literis ad authorem miſſis colligitur, quarum unâ Lugduno Bat. ſcripta menſe Feb. *M. D. XCVIII* dicit; 'Nihil in carminibus tuis, video, quod omnem 'noſtri temporis Poeticen non longè exſuperet: Etiam Pindarica planè divina 'ſunt. Pædotrophia tua nobilioris quidem telæ quàm Venatio Bargei eſt, 'quamvis & ille poeta ſit non inconcinnus: ſed dulcedo illa quam tantoperè 'proſequitur, maſculo verſuum tuorum robore deſtituta eſt. Victuri pro-'cul dubio ſunt, & ego quoque vitam ab illis hauriam. De meis operibus 'unum ad te mitto, De emendatione temporum; χάλκεα χρυσείων: verùm 'amicitia noſtra faciet, nè tibi ſit ingratum. Boni quæſo accipias, & me-'mineris (ſi placet) amici fidelis experientiâ annorum quadraginta, aut cer-'tè parùm abeſt. In alia Epiſtola ita ſcribit; ſua poemata omnibus noſtri ſe-'culi palmam præripuiſſe. Sed religio eſſet hoc in loco tacere dignum elogium alterius illius bonarum literarum luminis, Juſti Lipſii. Sub finem ſeculi

SCÆVOLA noſter non tantùm ſe vernaculæ Poeticæ addixerat, ſed Latinam quoque adjunxit; quò ingenium utrobique felix & fœcundum naturali quodam ductu eum inclinavit: Quod etiam cum paucis habuit commune, Joachimo Bellaio, Joanne Paſſeratio, & Nicolao Rapino. Itaque Gallicè tranſtulit, vel potius imitatus eſt opus quamplurimis pulchris & ſalutaribus documentis refertum, quod *HUMANÆ VITÆ ZODIACUS* inſcribitur, ab inſigni poeta morali nationis Italicæ, Marcello Palingenio, carmine Latino conditum. Quæ tranſlatio adeo genuina eſt (ſicut omnes aliæ quas poſteà feliciter elucubravit) ut Remigius Bellaquæus animadvertat, authorem hunc extraneum *Palingenii* nomen quaſi divinitus accepiſſe, quod bis natus ſit; ſemel ſuo poemate; & rurſus eruditi *SCÆVOLÆ* verſione.

Aliquot annis poſt initum conjugium maxima ex parte Pictavii commoratus eſt, ubi potiſſimo Quæſturæ munere in illa Juriſdictione fungebatur. Hæc ſedes eò ipſi jucundior viſa eſt, quòd duo ejus fratres ibidem quoque degebant; tùm quòd eo tempore & Academia ſatis florebat, urbs & ipſa viris Juris prudentiæ, Medicinæ, ac literarum amæniorum ſcientiſſimis abundabat. Adde quòd etiam magnus ille Scaliger tunc in Pictonibus agebat apud dominum Abanii & Rupipoſæi, Romæ legatum, & Præfectum Marchiæ, qui ad illuſtrem familiæ nobilitatem, ſcientiæ & belli gloriam adjecerat. Unde *SAMMARTHANUS* ampliſſimum campum nactus eſt illius fidem, & affectum in Regum miniſteriis flagrantiſſimum, ſicut etiam filiorum virtutem ac generoſam indolem, celebrandi. Epigramma quod Scaliger miſit ad Baronem Chryſæum Pictavii agentem, ac *SAMMARTHANI* & celebrium doctarumque dominarum de Rupibus frequenti conſortio ibi fruentem, hic omitti non debet, cùm ad laudem illius de quo verba facimus haud parùm faciat. *de Gueſſe.*

SCÆVOLA ſi cultis mulcet tibi verſibus aures,
Dum tua mens docti pendet ab ore viri;
Si lepidæ blandis inhiant tibi mille puellæ
Eloquiis, animo qua ſitiente bibis:
Cur felix mecum eſſe cupis, Chryſæe? quid ultrà,
Quò cæli tangas ſidera ſumma, petis?
Ille tenet cælum, cui præſtant mille puellæ
Mille Deas, unus SCÆVOLA mille Deos.

Ex imitationibus Palingenii, & aliis ejus operibus, præcepta bene vivendi & virtutum incitamenta proffluxerant; ſicut etiam aculeos ad pietatem dederant perquàm multa illius carmina ſacra inter quæ præcipuum locum obtinet docta Paraphraſis Latina Canticorum Biblii, aliique verſus quibus impietatem proſternit & Atheiſmum jugulat. Interea caſus quidam occurrebat, quo facile perſuaſus eſt aliam pulchram quidem ſed inuſitatam ſcribendi materiam amplecti. Cùm enim unus ex infantulis ejus gravibus morbis laboraret, ſicut bonus erat paterfamilias, nulli medicorum etiam optimorum aut experientiæ aut induſtriæ pepercit; quinetiam ipſe operam dedit ut infantum naturam & teneras

teneras lactentium habitudines curiosè exquireret: cumque permultas singularis momenti observationes feciſſet, adeoque in abditos Naturæ receſſus atque intima Philoſophiæ adita penetraſſet, poema Latinum *Pædotrophiæ* dictum aggreſſus eſt, ſive de modo infantes ex ubere nutriendi, & tenellas ejuſmodi plantas conſervandi adverſus infinitas tempeſtatum minas, quæ ſæpenumerò in ipſo naſcendi exordio eos enecant; ſicut author ipſe alicubi in ſcriptis ſuis opportunè ſatis expoſuit. Et quamvis hæc ſcribendi ratio primo quidem aſpectu humilis & vulgaris eſſe videatur, ſiquis tamen animo perpenderit, hominem ad imaginem Dei efformatum, nobiliſſimam & principem in univerſa rerum natura ſpeculationem eſſe, haud facilè negabit, tale opus adeo divine contextum, adeo ad incolumitatem humani generis accommodatum, ejuſdem pariter dignitatis aliquo modo particeps eſſe debere: Unde etiam jure inferri poteſt, hoc quidem nomine magis laudandum eſſe quàm Georgica Virgilii, cujus Majeſtatem hoc opere propè aſſecutus eſt.

Ante *SCÆVOLAM* nemo Gallorum auſus erat Epicum poema Latinum longioris contextus ſuſcipere, ſaltem lectione dignum, aut quale iſtud, in quo omnes numeri artis Poeticæ, omnes gratiæ elegantiarum, omnes doctæ antiquitatis regulæ conſpiciuntur: unde acceptiſſimum evaſit apud omnes cultioris ingenii viros, & præ aliis apud Italos. Quod ad noſtrates attinet, cùm Baiſius ad magnum Ronſardum mitteret, ſuâ reſponſione Gallicâ, quæ poſteâ in Latinum verſa eſt, non ſimplici operis laudatione contentus, ejus pulchritudinem, diſpoſitionem, ac varietatem admiratur. *Dii boni*! (inquit) 'quem mihi librum miſiſti à noſtro *SAMMARTHANO* con-'ſcriptum? non liber eſt, ſed ipſæ muſæ; totum noſtrum Helicona teſtem 'appello. Quin & ſi de eo judicium mihi conceſſum ſit, velim equidem il-'lum omnibus hujus ſeculi poetis anteponere; vel ſi Bembus, Naugerius, 'divinuſque Fracaſtorius ægrè laturi ſint. Dum enim perpendo quàm apte 'ſuavitatem carminis puræ terſæque dictioni, fabulam hiſtoriæ, Philoſophi-'am arti medicæ conjunxerit, libet exclamare;

— Deus, deus ille, Menalca —

'Seculumque iſtud felix dicere, quod nobis talem tantumque virum pro-'tulerit.

Judicium item Scaligeri admodum illuſtre eſt; quod è pluribus ejus literis ad authorem miſſis colligitur, quarum unà Lugduno Bat. ſcripta menſe Feb. *M. D. XCVIII* dicit; 'Nihil in carminibus tuis, video, quod omnem 'noſtri temporis Poeticen non longè exſuperet: Etiam Pindarica planè divina 'ſunt. Pædotrophia tua nobilioris quidem telæ quàm Venatio Bargei eſt, 'quamvis & ille poeta ſit non inconcinnus: ſed dulcedo illa quam tantoperè 'proſequitur, maſculo verſuum tuorum robore deſtituta eſt. Victuri pro-'cul dubio ſunt, & ego quoque vitam ab illis hauriam. De meis operibus 'unum ad te mitto, De emendatione temporum; χάλκεα χρυσέων: verùm 'amicitia noſtra faciet, nè tibi ſit ingratum. Boni quæſo accipias, & me-'mineris (ſi placet) amici fidelis experientiâ annorum quadraginta, aut cer-'tè parùm abeſt. In alia Epiſtola ita ſcribit; ſua poemata omnibus noſtri ſe-'culi palmam præripuiſſe. Sed religio eſſet hoc in loco tacere dignum elogium alterius illius bonarum literarum luminis, Juſti Lipſii. Sub finem ſeculi

postremò elapsi ad Dominicum Baudium scribens, his verbis utitur, brevibus quidem pro more suo, 'sed magni ponderis; *SAMMARTHANI* poe-'mata & Elogia vidi; illa doctè, hæc & prudenter scripta. Felicem etiam 'filiis patrem! gaudeat, & fruatur.

Pædotrophiæ liber Henrico *III.* nuncupatus, ab omnibus doctis, & præcipuè à peritissimis medicorum eo in pretio habitus est, eo desiderio quæsitus, ut impressionem ejus tàm in Gallia quàm aliàs decies iteratum viderit *SAMMARTHANUS*: Etiam eo vivente usitatus est & pueris expositus in quibusdam Collegiis & Scholis celebrioribus, eo planè ritu quo prisci authores prælegi solent. Sed quò Gallia penitiùs propiusque doctissimum utilissimumque hoc opus intelligeret, Gallico versu feliciter reddidere Petrus Lætus Medicus Regius, Carolus Rogerius assessor in Jurisdictione Juliodunensi, & alii scriptores optimi: Quin & author ipse versionem ejus inchoavit, quam in publicum emisit,

Quamvis autem studio Latinæ Poeseos, quàm Gallicæ, magis incubuerit, cùm tamen in utraque pari successu versatus sit (ut supra notavimus;) ideo selectum Gallicorum carminum fasciculum, quæ anteà Latinis immiscuerat, seorsim luci dare voluit: Quo in opere alterius etiam pulcherrimi incæpti particulam inseruit, quam *Metamorphoses Christianas*, posteà autem *Sacras* appellavit; in octo libros dividendas, si ad finem perduxisset. Ad hoc opus efformandum, diligenter è Bibliis omnia loca collegerat, quo de mutatione sive transformatione rerum multarum ab ipso mundi exordio ad usque Salvatoris nostri adventum passim loquuntur. Conatus quidem poetâ Christiano verè dignus, & tanto magis laudandus quàm lusus illi in simili materia vel Ovidii Latini vel Theodori Græci, quanto veritas mendacio præstat, & Historia Fabulæ. Cùm principia tantùm divini hujus poematis prælibasset, tùm bella civilia subindè erumpentia, quæ Galliam universam & maximè Pictonum provinciam infestarunt, tùm rei familiaris cura quæ *SAMMARTHANUM* sollicitum habuit, tum etiam ministeria Regis quibus sæpenumerò distinebatur, conspiratione quàdam obstabant quò minùs huic consilio non minus pio quàm generoso ultimam manum imponeret. Cujus generis & illud erat, quod publici quoque juris facere decreverat, nimirum Historia sanctorum bellorum in regionibus transmarinis à Gallis gestorum. Nam vir iste, cùm nihil humile aut plebeium spiraret, pulchriora & aliis intentata argumenta semper elegit, ut scriptor quidam illius temporis animadvertit; quod à magno solidoque ipsius judicio proveniſſe minime dubitandum est.

Anno *M. D. LXXIX.* quo Gallica Opuscula edidit, Prætor urbicus & Capitaneus Pictavii summo omnium bonorum consensu & suffragio publico electus est. Munus illud (si alias non esset, ut erat certè & natalium splendore nobilis, & virtute propriâ nobilissimus) titulum gradumque nobilitatis ipsi conciliasset, quam Rex Carolus *V.* Prætori & reliquis Consularis ordinis Magistratibus Pictavii concessit, postquam urbs illa jugum Anglorum fortiter excussera. More eorum qui ad illam Præfecturam perveniunt, pro symbolo accepit, *Patriæ non satis una manus*; quo innuere voluit, id quod in scriptis ejus non semel occurrit, boni civis esse Regi & Reip. pace ac bello inservire, & Roma-

& Romanorum exemplo manum induſtriamque ſuam dedicare, ſive ad ſcribendum pro publica utilitate & honore patriæ, ſive ad defendendum, & cum opus eſſet ad ferendum ſuppetias.

Provincia Pictonum, & reliquæ in eo tractu ſitæ, crebris motibus tunc temporis agitabantur ab hominibus Religionem profeſſis quam Reformatam appellabant, qui urbes etiam aliquas indies dolo aut ſubitâ vi intercipiebant; maximè autem Pictavium ipſum lividis oculis intuebantur, Id quod *SAMMARTHANO* animos addidit, effecitque ut immodicis laboribus ac vigiliis potiſſimum illud regionis caput in tranquillitate & Regis obedientiâ continere ſtuderet.

Dum Præturam urbis adminiſtraret. Conventus Juridici ſenatus Pariſienſis ibi habebantur, quibus præfuit Harlæus ille qui poſteà cum tanto famæ & probitatis decore in illa ſuprema Regni curia principem locum obtinuit. Hunc ſui ſeculi alterum Catonem quotidiana familiaritate colebat *SAMMARTHANUS*; ſicut etiam doctiſſimum Briſſonium primò advocatum Regium, poſteà ejuſdem ſenatus Præſidem: hunc quoque Pictavienſis ager è ſuo ſinu prodiiſſe gloriatur.

Ut primùm hoc Magiſtratu exierat, primo quo fungebatur Quæſturæ munere depoſito, Rex alterum illi contulit quo totius Pictonum Juriſdictionis ærarium publicum procuraret; cui poſteâ quoque Præſidis in eadem Juriſdictione dignitatem adjecit. Quæ omnia officia per quadraginta quinque annos illibatâ quidem integritate geſſit, regnantibus quatuor deinceps regibus, quibus ſummâ fide inſerviit. Neque dicere erubeſcimus, iſtos honores gloriam & ornamentum, quæ cuilibet alteri dare potuiſſent, ab ipſo cumulatius accepiſſe; quem etiam ampliſſimis Regni muneribus parem ac dignum præſtantiſſimus quidam illius ævi ſcriptor judicavit.

Paucis poſt annis inſignis occaſio nata eſt, quâ univerſo quæſtorum Galliæ Collegio (cujus ille ſocius erat) rem gratiſſimam faceret, & novum gloriæ augmentum ſibi acquireret. Cùm enim Henricus *III.* maximam partem id genus Officiorum aboleſſet, qui exuti erant querelis & rationibus agere decreverant ut iterùm reſtituerentur. Idcircò cùm ex omnibus Regni provinciis magnus eorum numerus Pariſios confluxiſſet, *SAMMARTHANUM* obſecrarunt ut unus omnium nomine verba faceret, quippe qui & excellenti judicio, & eloquentiâ conſummatâ, & aliis conditionibus ad perorandum in publico neceſſariis abunde præditus eſſet. Cujus opinionis teſtimonium luculentiſſimum dedit, cùm ſermonem politum quidem & ſublimem coram illo Monarcha ſingulari gratiâ pronuntiavit, & tot argumenta ſolida expoſuit, ut Rex, qui talis ingenii viros magni faciebat, & ipſe quoque facundiſſimus erat, maximâ voluptate eum audiret; quod ille ſtatim confeſſus eſt, & Quæſtores paulo poſt ſenſerunt, cùm fructum quem ſperabant Officiorum redintegratione perciperent. Hæc actio, in qua ſolertiæ & acuminis vim demonſtravit, gratiæ, quam poſtea apud Regem adeptus eſt, aditum fecit; qui eum tanto honore dignatus eſt, ut benigno oculo aſpiceret, donis liberaliter cumularet, & negotiis delegationibuſque ad bonum publicum maximè ſpectantibus eum præficeret: quibus ſemper eâ dignitate perfunctus eſt, ut ſæpenumerò tam publicè quàm privatim laudes quas optimè meruit uberrimè reportaverit:

In Policr. quippe qui scientiam comparaverat exquisitam & Reipublicæ, & Fisci, & particularis civitatum administrationis, cum intelligentia universæ Historiæ, præsertim Gallicæ, cujus aliquos etiam Commentarios delineavit.

Cum interim diuturniorem quàm speraverat moram Parisiis fecisset, idoneam nactus est opportunitatem & veteres amicitias cum multis illustribus viris reparandi, & novas adjiciendi; quales fuere, Chevernii Galliæ Cancellarii, Belmii Archiepiscopi Bituricensis (quos etiam cognatione attingebat) *De Bernard. du Voir.* Varii, qui postea Senatûs Aquensis Præses primarius, & tandem Episcopus Lexoviensis ac Galliæ Sigillorum Custos evasit; Perronii & Bertaldi, quos insignia sua merita ad eminentissimas Ecclesiæ & Reip. dignitates evexerunt. His annumerandi sunt Jacobus Faius Speciæus, primùm patronus Regius in Senatu Parisiensi, & deinde Præses ibidem dignissimus; Claudius Puteanus, & Jacobus Gillotius, Consiliarii; Claudius Mangotius, (Julioduni pariter oriundus) celebris in Senatu patronus, cum duobus filiis suis, quorum alter erat Regius in eadem curia advocatus, (quem mors immatura huic Regno abripuit,) alter item Galliæ Sigillorum Custos. Qui omnes incredibili eum affectu complexi sunt, tùm ob propinquitatem generis quâ illis accessit, tùm ob incomparabilem scientiam quâ omnibus præstitit.

Sed propiori necessitudinis vinculo conjunctus est cum ingenti illo & Galliæ & bonarum literarum ornamento, Jacobo Augusto Thuano, tunc temporis supplicum libellorum apud Regem Magistro, & postea Præside Senatûs Parisiensis. Hic vir illustris cùm præclarum poema Latinum, in quo de Aucupio agit (exercitio Principibus & nobilibus usitatissimo) publicæ voluptati consecraret, his versibus qui in primordio libri conspiciuntur, *SAMMARTHANUM* honorificè alloquitur;

SAMMARTHANE, duplex cui cingit laurea frontem,
Gallica sive placet, sive Latina chelys;
Ista tui patere auspiciis exire sub auras,
Carmina vix pennis fat benè fulta suis.
Nam quid ego precibus Phœbum, votisque fatigem
Non audituras vota precesque Deas?
Tu modò concilia musas, tu Scævola Phœbum,
Cui facilisque deus, cui facilesque Deæ.
Sic semper faciles tibi sint in carmina musæ,
Sic mihi difficilis non sit, ut antè, Deus.

Neque illud alterum minoris gloriæ loco ducendum est, quòd idem Thuanus cum à stricta oratione ad solutam se contulisset, ut Historiam sui temporis conscriberet, suum ea de re consilium ipsi communicavit, & tres priores libros, ut ex illius arbitrio vel persequeretur opus, vel omnino missum faceret; sicut ferunt literæ quas ea de causa scripsit. Adeoque sententiam fortitus est quam tanti incæpti utilitas & præstantia merito postulabat, & quam ille quoque alias in scriptis suis sæpissimè celebravit. Firmissima quæ illis mutuo in-

terces-

terceſſit amicitia ſtudioſè utrinque culta eſt ; cujus rei veritas in doctis utriuſque lucubrationibus abundè conſtat.

SAMMARTHANUS etiam Ronſardo familiariter uſus eſt, & cum dolore vidit hunc poetarum ſolem caligine obduci. Quanti autem ille (ſicut alii complures) *SAMMARTHANUM* fecerit, indè liquet, quod in dedicatione poematis, cujus finis hic locum meretur, excellentiſſimi poetæ laurum ipſi attribuit :

SCEVOLE, amy des Muſes que je ſers,
Je t' offie icy, en lieu de tes beaux vers,
Un froid diſcours, larron de ta loüange.
Tu n'es premier qui te trompes au change ;
Glauque jadis ſy deceut comme toy.
Et toutesfois pren ce preſent de moy,
Pour teſmoigner d' une ancre perdurable,
Que mon vers fut à ton vers redevable.

Quos inſignis poetæ verſus ad Lyram Latinam, ut potui, modulatus ſum ;

SAMMARTHANE, ſacris amice Muſis,
Queis indignus ego miniſter aſto,
Hic pro carminibus tuis politis
Sermonem offero frigidum & ſenilem,
Qui laudes tibi largiendo demit.
Non mutatio te feſellit unum,
Nec primum ; quia damna Glaucus olim
Expertus paria eſt. Tamen benigne
Hoc donum accipias, ut iſta charta
Atramento inarata ſempiterno
Ronſardi tenuem exprimat Camœnam,
Agnoſcatque tuæ eſſe debitricem.

Incomparabilis hujus viri funeribus ingenioſi ſcriptores haud pauci illacrymârunt ; inter quos SCÆVOLA noſter memoriam ejus conſecravit Odâ Pindaricâ, filio ſuo natu maximo Abeli *SAMMARTHANO* (qui patris veſtigia propè inſequitur) dicatâ, & Elegiâ cultiſſimâ, quam ipſi pro Elogio eſſe debere exiſtimavit. Quinetiam Claudius Binetus, Prætor Juridicus (quem Proſeneſchallum vocant) Juriſdictionis Bellovacenſis, in vita quam ſcripſit iſtius Patris Gallicæ Poetices, *SAMMARTHANUM* inter eos memorat quos propter doctrinam & egregia ſcripta præ aliis dilexit & æſtimavit ; in quo opere non tacendum putat, imò ad verbum tranſcribit illuſtre illud Ronſardi judicium de Pædotrophia, cujus anteà meminimus. Iſaacus

acus Casaubonus, illud alterum scientiarum miraculum, debitas meritis suis laudes in literis Latinis ad eum scriptis elargitur. Stephanus Paschasius in opere quod *Galliæ Investigationes* inscribitur, ejus nomen in album poetarum inserit, qui maximè à temporibus Henrici *II.* famæ præconio floruerunt. Joannes Auratus, Joannes Antonius Baifius, Ludovicus Alealmus, Germanus Audebertus, Nicolaus Rapinus, Franciscus Juretus, Jacobus Guttarius, Nicolaus Rigaltius, Paulus Thomasius, & alii permulti viri eruditissimi *SAMMARTHANI* gloriæ adstipulantur. Breviter alii eum poetarum sui temporis Principem appellârunt; alii dixerunt, eum fuisse optimum & politissimum sui seculi scriptorem, & Elogium æquè meruisse ac illi quos ipsius calamus æternitati consecrarat.

Enimvero fama ejus non intra limites hujus Regni concluſa est, sed in exteras regiones, etiam ultra mare provolavit. Rex magnæ Britanniæ Jacobus ejus nominis primus, qui in teneris annis, cùm Rex Scotiæ esset, ab eruditissimo Buchanano bonis literis institutus est, lectis nonnullis *SAMMARTHANI* operibus, miram inde voluptatem concepit, ut Jacobo Elfinstono narravit, qui ipsi à mandatis erat, & cum Pictavii Jurisprudentiæ operam dedit *SCÆVOLAM* ibi cognoverat. Sed & ejus poemata aliaque scripta justâ prædicatione recepta sunt à clarissimis viris, Musarum deliciis, quos Germania & Belgium protulerunt, Jano Douza, Dominico Baudio, Daniele Heinsio, Hugone Grotio, Daniele Tileno, Paulo Melissio, Jano Posthio, & Jano Grutero. Quorum postremus industriam imitatus Matthæi Hetrusci Itali, qui fasciculum poematum à melioribus patriæ suæ ingeniis factorum in uno volumine complexus est, ipse quoque selecta Gallorum carmina Latinè composita in unum contulit, & in Germania sub ficto nomine Ranutii Gheri edidit: & aliorum plerunque poetarum pauca quidem & lectissima desumpsit, *SAMMARTHANI* autem integra opera in suam Collectionem inseruit, cùm omnes eorum partes æquè perfectas & eodem filo contextas inveniret. Adeoque multi scripserunt, in Pædotrophia Virgilii Majestatem propè expressam fuisse, in Elegiis Ovidii ac Tibulli suavitatem, in sylvis Statii gravitatem, in Epigrammatis Martialis acumen, in Odis Horatii genium, immò ipsius Pindari, quem nemini imitabilem prædicarunt.

Memoria hujus antiqui poetæ Græci, & fama illius doctrinæ tantum existimationis ac venerationis etiam sortita est, ut Alexander magnus, cùm Thebas cepisset & solo æquasset, hujus posteros atque ædes servaverit, unicas reliquias florentissimæ civitatis inclementi militum furori expositæ. Sed nostris temporibus, dum bella civilia passim sæviebant, casu ferè simili vidimus, unius *SCÆVOLÆ* gratiâ non solùm domum ejus quam in urbe natali habuit sartam tectam mansisse, sed reliquas etiam omnium civium ædes ab imminente ruina conservatas esse. Dux Joeuſæ, Galliæ Thalassiarcha & exercitûs Regii Legatus, cùm propè Juliodunum in Aquitaniam iter faceret, incolis illius loci ob injurias quibusdam è suo famulitio illatas gravissimè succensuit. Hæc insolentia ita Ducis animum pupugerat, ut iracundiâ exæstuans, & Juliodunum cum exercitu ingressus, vindictam meditaretur, & ad eas extremitates se accingeret, in quas facillimè labuntur, qui vim & legem in manibus gerunt, & omnia possunt in ea loca ubi malè habiti fuerunt; ad quod

etiam

etiam à nonnullis copiarum ductoribus alias ob causas accendebatur. In hisce angustiis cives miserè consternati nullos non explorant modos quibus ingruentem tempestatem averterent, & iratum placarent: ille autem adversus preces quorundam haud infimæ sortis hominum tanto acrius induruit. Cùm omnia frustrà tentassent, præcipui civium tandem memoriâ animadvertunt, tanti mali remedium, quod aliàs tam sollicitè quærebant, apud ipsos reperiri; nempe ad *SAMMARTHANUM* suum refugiendum esse, ut veniam tantoperè exoptatam à Jocusâ impetrarent, quem procul dubio meritis illius viri nihil non concessurum credebant. Aberat tunc temporis in Pictonica inferiori negotium honorificum sibi demandatum administrans: ut primùm autem hujus rei certior factus est, propere Juliodunum advolat, opem operamque suam dilectæ patriæ minimè negandam ratus. Statim adit Joecusam, apud quem singulari gratiâ pollebat, obnixè orat, hortatur, obsecrat demùm ut peccantibus ignosceret. Invictus aliàs imperator tandem se vinci patitur, ceditque non minùs sanctis amicitiæ legibus, quàm suavi violentiæ & mollibus incantamentis efficacium tanti viri verborum; unde & iram simul, & culpam remisit. Tanti fecerunt hoc beneficium Juliodunenses, ut ea de causa *SAMMARTHANUM* insigni titulo *PATRIS PATRIÆ* cohonestarent; quod olim Romanus Orator à civibus suis reportaverat. Ita Laureæ coronæ, quam docta *SCÆVOLÆ* poesis capiti ejus jure circundederat, Civica etiam quernis contexta frondibus adjici potuit, quam hoc tàm illustri facinore, & piâ in patriam charitate non minùs justè meruerat. Quo nomine cum Scævola altero fermè comparandus est, non è duobus illis quos tantùm celebrat historia Romana, sed Philosopho Græco & Historico, qui benevolentiâ Cæsaris Augusti fruebatur: quo enim popularibus suis commendatior esset, Imperator Tarsum urbem ejus natalem vectigalibus & subsidiis planè liberavit; ubi bonus senex summas dignitates adeptus est, & ultimum diem feliciter obiit, cùm annos octoginta duos implêsset, relictâ de se unà cum operibus quæ in honorem patriæ emiserat, memoriâ adeo gratâ & jucundâ, ut populus Tarsensis ipsi tanquam Heroi solennia quotannis instauraret.

Sed ad reliqua præclara facta nostri *SCÆVOLÆ* Gallici redeamus. Dum bella civilia in viscéribus hujus Regni adhuc hærebant, nonnulli fidem ejus magnoperè tentarunt, ut in partes conjurationis, quam *Ligam* appellabant, attraherent; etiam tunc cùm Parisios profectus est paulo post funestum & illætabilem diem quo illius urbis plateæ doliis & omne genus obicibus adversus Regias cohortes intercludebantur. Frustrà tamen; ita enim insculptum infixumque animo gerebat obsequium illud quo subditi erga Principem legitimum naturæ vinculis obstringuntur, (id quod actionibus inclytis per totum vitæ suæ curriculum patefecit) ut nulla unquam tentamenta aut promissa eum labefactare, nec tantillùm quidem ab officio dimovere valuerint. Ideoque Rex Henricus *III.* firmâ ipsius fidelitate fretus, eum ad postrema Regni Comitia Blesis habita vocavit, ut ibi cùm res postularet, boni civis operam & industriam Reip. præstaret. Et insignis quidem occasio data est, quam silentio præterire non possumus absque nefario in illius memoriam sacrilegio.

Fourmée des Barricades.

Haus-

Unus è præcipuis Conjuratis perſpexerat, nullos è Deputatis urbium ſuis conſiliis magis adverſos, aut Regis ſervitio magis addictos eſſe, quàm qui publica miniſteria in provinciis obibant. Unde poteſtate ſuâ & authoritate quam inter Comitiorum Ordines habuit innixus, effecit ut ad ſenatum referetur de tollenda maxima parte Officiorum, quaſi oneri ſuperfluo, nè verbo quidem facto de reparatione pretii pro iis muneribus antea impenſi. Speciosa & Reip. utilis hæc propoſitio videbatur; prudentiores autem ſatis intellexerunt, revera inſidias eſſe poſitas, & laqueum dolo contectum, in quem Miniſtri Regii prolapſi interirent. Qui enim eorum abolitionem premebat, duabus maximè de cauſis id feciſſe credebatur: vel ut eos omni authoritate exueret, atque ità vires quas ſuis incæptis oppoſituri eſſent enervaret; vel ut timore percelleret, eoque adigeret ut ad illius auxilium confugere neceſſe haberent; cujus demùm patrocinio conſervati, in poſterum quaſi jure ad illius partes tranſirent. Miniſtri cùm in commune conſulerent, quibus tandem modis hanc ſuppreſſionem cum univerſâ ipſorum pernicie conjunctam impedirent, fortiter obviam ire decreverunt, imò & ſenaculum tertii Ordinis (hujus mali incunabula) ſimul ingredi, & coram proteſtari pro irrito haberi debere quicquid in eorum præjudicium Deputati ſtatuerent, quorum pleroſque contra mandatum Regis & bonum publicum prenſationibus & emptis ſuffragiis electos eſſe contendebant. Proteſtationem iſtam ab omnibus Miniſtris (qui trecenti omnis generis erant) obſignatam, Comitiis expoſitam reliquit *SAMMARTHANUS*, qui juſſus eſt pro univerſis verba facere, ſicut in ſimili caſu antea quinque circiter annis (ut ſuo loco meminimus) fecerat.

les Officiers.

Eodem die quidam Tertii Ordinis Deputati apud Regem de hoc actu quæſti ſunt, & flagitarunt ut jure cum illis ageretur, quos Comitiorum libertati obſtrepere auſos eſſe clamitabant. Cùm autem viderent Miniſtros iſtiuſmodi querelâ minimè concuſſos eſſe, verùm è contrà Regem orare, ut cauſas quibus Proteſtationem ſuam fundabant explicari permitteret, nihil ultrà turbatum eſt; ſatis enim ſciebant, ſi ad probationes ventum eſſet, de eorum authoritate actum fore, cùm plerique conſcii eſſent parùm probitatis in agendis electionibus adhibitum fuiſſe. Quod cùm Regi nunciaretur, non ſolùm benè interpretatus eſt, ſed privatim quoque amicis ſignificavit Proteſtationem illam ſibi placuiſſe, utpote quæ Regiam dignitatem potiſſimè tueretur. Et illud erat potiùs, quàm privatum lucellum *SAMMARTHANI* & Miniſtrorum, quod eum ad rem adeò generoſam & arduam cum periculo vitæ aggrediendam incitavit; propter quam ab omnibus bonis laudatus eſt, qui animi fortitudinem non minùs quàm ubertatem ingenii æſtimabant.

Sub exitum anni *M. D. LXXXVIII.* Pictavium à Rege miſſus eſt, ut de motibus jam tùm naſcituris Majeſtatis ſuæ ſenſum ac voluntatem civibus aperiret, & quàm fixum immotumque ejus animo ſederet, Religionem Catholicam Apoſtolicam & Romanam ſemper inviolatam ſervare, & ſubditorum calamitatibus ſolatium afferre; nihilominus velle & jubere, ut partium ſtudiis conjurationibuſque miſſis neminem in poſterum ſecundùm Deum præter Regem ſuum agnoſcerent, qui authoritatem ſuam impunè contemni haud ampliùs pateretur. Cùm *SAMMARTHANUS* hæc mandata ſingulatim

executus

executus esset, Rex voluptatem quam indè conceperat literis ad eum scriptis demonstravit, significans, 'se gratias ipsi propter operam navatam agere: 'verùm cùm inter cives quidam male animati delitescerent, qui populum di- 'vellere, & à mutuo consensu (in quo civitatis incolumitas sita est) alienare 'studebant; & quod fideles servos suos invigilare oporteret, quò pernicios 'ejusmodi consilia frustrari, & incolas concordiâ officioque continere possent; 'ideo se jubere, ut eo curas & labores suos ipse intenderet. Sed cùm tumultus interim crescerent, & adversa factio eousque prævaleret, ut urbis portas Regi contumaciter occluderet, *SAMMARTHANUS* tandem coactus est insanæ procellæ cedere, deserere gubernaculum, ædes & familiam relinquere, etiam ex urbe egredi, unà cum Malicornio Pictonum Præfecto aliisque melioris notæ Ministris Regiis, qui fortunam causamque Principis sui constanter sequi decreverant, cujus obsequium cum amore patriæ conjunctum omnibus aliis privatis affectibus commodisque anteferebant. Honestum istud exilium quinque annis & amplius perduravit. Illorum temporum historici dum Pictavii defectionem enarrant, *SAMMARTHANI* fidem non omittunt; quorum unus in hunc modum scribit; 'Ex eo tempore nemo 'qui Regi studeret, saltem dignitate aliquâ præditus, in urbe remansit; præ 'aliis autem gens *SAMMARTHANA* indè ejecta est, quasi in Re- 'giis partibus præcipua: Huic multæ familiæ clariores se adjunxerunt, quæ 'sub ejus auspiciis in unum collectæ semper in posterum tam bello quàm pace 'maximè inter Pictavienses Regio nomini adhærere notatæ sunt.

SAMMARTHANUS ad Aulam se recepit; ubi Rex de illius integritate præstantiaque eam opinionem conceperat, ut sibi à mandatis illum habere destinaret, sicut Magnati cuidam innuebat. Sed cùm opera ejus alibi necessaria esset in re maximi momenti procuranda, Rex beneficentiam suam aliquantisper differendam censuit. Nam post rebellionem Parisiis ortam, induciæ Turonibus pactæ sunt cum Henrico Magno glorioſissimæ memoriæ Principe, tunc solùm Navarræ Rege, qui plurimas urbes & propugnacula ceperat, magnosque progressus in agris Santonensi, Inculismensi, & Pictavensi fecerat. Reges utrique viros illustres deputârunt, quorum esset Induciarum capita exequi, ærarium corrigere, perturbationibus quas infausti motus invexerant remedium afferre; etiam Catholicos, tam Ecclesiæ quàm Regis Ministros, in bona & Officia unde exturbati erant restituere, unà cum exercitio Religionis Catholicæ (quæ belli injuriâ in desuetudinem abierat) redintegrando in urbibus nuper occupatis ab illis qui Reformatæ nomen suæ professioni adscisc unt. His rebus componendis Rex *SAMMARTHANUM* delegavit, Navarræus autem Michaelem Huraltum, Hospitalium Faium Cancellarium suum, Hospitalio Galliæ Cancellario dignum nepotem. Iste quidem doctrinâ singulari, & absolutâ rerum ad Statum Regni spectantium intelligentiâ præditus erat; & cùm iisdem animi dotibus Collega ejus (quem hic celebramus) exornatus esset, eò suavius in hac gravissima legatione operam suam contulerunt. Itaque res eo temperamento constitutæ sunt, ut nihil deesse videretur vel ad boni publici restaurationem, vel ad Regum satisfactionem. Præcipuè autem *SAMMARTHANUS* (juxta mandatum quod à proprio Regis ore acceperat) omni ope enixus est ut exercitium

veræ Religionis priſtinum locum ac nitorem obtineret; id quod ejus induſtriâ in multis Pictonum, Sanctonumque & Inculismenſium urbibus factum eſt. Reformati quos vocant, ad leges & jura provocârunt, cùm hanc reſtitutionem viderent; imò poſteà querelas ea de re ad Henricum Magnum detulerunt, ut conſtat ex literis *VII.* die Novembris anni *M. D. LXXXIX.* ad Pleſſium Mornæum Salmurii Præfectum propriâ Regis manu exaratis, quas ipſe Commentariis ſuis inſeruit. Sed irritæ fuerunt hæ querelæ, niſi quòd *SAMMARTHANI* gloriam eo ſublimiùs evexerint; ſiquidem indè conjicere poſſumus quàm uberes fructus à piis ipſius laboribus Catholici perceperint; neque dubitandum eſt, quin ipſe quoque multò præſtantiores ſibi in cœlis acquiſierit, qui tam inſigne opus confecerat ad prolatandum Dei honorem & bonum Reipublicæ.

Interea Rege Henrico *III.* nefariè trucidato, bona ejus voluntas quâ *SAMMARTHANO* honorificum illud munus deſignaverat, incaſſum fuit. Adeoque animus ejus extremo dolore confoſſus eſt ob ingentem & luctuoſam jacturam, quam non Gallia ſolùm, ſed ipſe quoque privatim fecerat, ut paucis poſt menſibus Juliodunum ſe ſubduxerit, quo liberiùs hoc infandum parricidium & publicas calamitates ploraret: Id quod lugubri carmine præſtitit in lucem edito, quod inſcribitur *Lacrymæ in Memoriam magni Monarchæ*; cujus in Deum pietas, in homines benè meritos gratia & liberalitas æternâ commemoratione renaſcentur. Videbatur quidem atrocitas hujus inauditi ac prodigioſi facinoris novum quendam furorem & inſolitos aculeos in pectore noſtri poetæ excitaſſe, ut execrandum ſcelus acriori deteſtatione perſequeretur, quam hoc nobili & eleganti opuſculo effulminavit.

Sed inſignes victoriæ quas Henricus Magnus ſceptri legitimus hæres brevi poſteà conſecutus eſt, materiam jucundiorem doctæ illius Muſæ ſuppeditârunt. Et ſicut geſta Regia humanos agendi modos excedebant, ac miraculis propiora videbantur, ità ad ea celebranda *SAMMARTHANUS* inuſitatam planè ſuæque inventionis Poeſim adhibuit; Odam ſcilicet pulcherrimam ad lyras Pindari & Horatii ſummâ induſtriâ accommodatam, quâ memorabile illud trophæum decantavit, ab invictiſſimo Principe reportatum in pugna Eurienſi adverſus ingentes Ligæ copias, & Hiſpanicas etiam ductore Comite Egmontio, qui eo prælio vitam finivit. Continuò prodiit hoc poema, non ſolùm in diverſis hujus Regni locis, ſed in exteris quoque regionibus typis impreſſum. Quo ſcribendi genere, gravi admodùm ac difficili, alias excellentes Odas Pindaricas poſteà concinnavit; ſicut noſtris quoque temporibus fecit Illuſtriſſimus Cardinalis Barberinus, qui hodie univerſæ Eccleſiæ Princeps Urbani *VIII.* nomine Sancti Petri Cathedram feliciter occupat.

Eodem tempore Elogia virorum doctrinâ illuſtrium, qui in hoc Regno poſtremi ſeculi curriculo floruerunt, ſermone ſoluto Latinè deſcripſit: unde permagnum nominis & famæ augmentum adeptus eſt; qui verbis quidem conciſis, ſed materiæ multum complexis, lectiſſima quæque ſive de vita, ſive de rebus geſtis iſtorum hominum magnorum (quorum pleroſque vidit novitque) ſive de ſcriptis eorum, luculenter & ſignate animadvertit: quod tantâ elegantiâ & ſtyli puritate fecit, ut quam proximè accedat, & ſi auſim dicere, vix cedat quidem eloquentiſſimis priſcorum temporum ſcriptoribus. Quin & ingenii

ingenii vim incredibilem monſtravit, rem ſæpe eandem tantâ verborum varietate illuſtrando. Nonnulli mirati ſunt, quomodo ille qui à juvenilibus annis ſolius Poeſeos ſtudio (in qua unicè præſtare videbatur) tam feliciter inhæſerat, potuerit nihilominus ità facilè ac genuinè ad modum Oratoris & Hiſtorici calamum convertere; cùm difficillimum ſit, & paucis præter eum contigerit, parem utrinque palmam adipiſci. Sed proſa ætati illius, tunc temporis aliquantò provectiori, magis conveniebat; quod ipſe quoque Elegiâ Thuano inſcriptâ non diſſimulavit; Elegiâ, quæ fores pulchri illius Palatii, vel ut verius dicam, Templi Muſis dicati, & in Galliæ honorem erecti, ſummoperè exornat.

Cùm hæc Elogia inchoaſſet, partem eorum ad Scaligerum miſit, qui carmina illius jamdudum pro merito laudaverat; neque diverſam de hoc opere ſententiam tulit, quam literis ad *SAMMARTHANUM* ſcriptis in hunc modum explicat; *Se Elogia ejus legiſſe cum infinita quadam voluptate, quòd illuſtres illos viros bis vivere videret, ſemel quidem ſuis ipſorum, & rurſus SCÆVOLÆ ſcriptis. Sed hanc voluptatem (ait) non aliam ſibi videri, quàm quæ febricitantibus inter bibendum eſſe ſolet: ut enim illi quam maximè vellent, poculum in quo bibunt capacius & aquâ plenius eſſe; ità ſe optaſſe, librum fuiſſe longiorem, nec partim ſatiatum partim ſitibundum reliquiſſe. Quinetiam perſuaſiſſimum habere, communem eorum amicum doctiſſimum Thuanum opus illud calculis ſuis approbaturum eſſe. Adjecit; Partem eſſe hiſtoriæ, quam doctos ſcire oportebat.* Deinde eum hortatus, ut in laudabili incœpto porro pergeret, inquit; *Et beatos illos qui laudantur à laudato viro, etiam ſermone tam terſo ac nitido.* Adeoque unus quiſque hæc Elogia in pretio habuit, ut ex quo in lucem prodierint, quoties libri doctorum hominum quorum nomina ibi celebrantur, in publicum emitterentur, viſum eſt gloriam quam ſibi pepererant, à talibus Elogiis incrementum accepiſſe; ideoque cura adhibita eſt, ut iiſdem libris evulgatis hæc ſcripta honoraria in limine præfigerentur. Itaque tam varia & diverſi generis opera, quæ ab ipſius manu exibant, non minùs verſatilem agilitatem, quàm copioſam ingenii fœcunditatem, pro guſtu ſingulorum omnibus admirandam exhibuerunt.

Neque hæc literarum ſtudia obſtiterunt, quò minùs Regi interim multis in rebus operam promptè tribueret. Cùm enim Principem Contium exercituum ſuorum in Pictonibus, Lemovicum limitibus, Biturigibus, Andibuſque, Legatum conſtituiſſet, *SAMMARTHANUM* huic Regulo adeſſe juſſit, & conſiliis ſuis aſſiſtere; quod eximiâ fide præſtitit. Pari oſficio, ſed magis aſſiduè, functus eſt apud Principem Dumbarum (paulo pòſt Ducem Mompenſerium) tunc cùm Regio exercitui in Britannia contra rebelles *Ligatos* præficeretur. Nam cùm Rex neceſſe haberet, virum aliquem probitate & experientiâ inſignem eligere, qui in illo exercitu Quæſturam ageret, oculos in *SAMMARTHANUM* conjecit, eumque graviſſimo huic muneri impoſuit, quod duobus annis fideliter executus eſt. Mompenſerius, princeps omnigenâ virtute ac generoſitate plenus, cum ſingulari amore complexus eſt (ſicut anteà fecerant avus & pater ejus, Duces Franciſcus & Ludovicus) ſecretioribus ſuis conſiliis adhibuit; & cùm publicæ rerum *la Marche.*

administratione maximè idoneum sciret, præter castrensis ærarii curam, negotia etiam quæ Provinciæ summam spectabant ipsi commisit.

Jam indè ab anno *M. D. XCIV.* Rex eum jusserat de conditionibus agere quibus urbs Pictavii ad obsequium, civesque præcipui ad bonam frugem reducerentur. In quo ità dextrè commodeque se gessit, ut Rex literis quas ea de re ad illum scripsit, omnia quæ agitaverat sibi cordi esse clarè agnoverit, hortatus insuper ut operi tam benè incæpto porrò insisteret, & pollicitus se meritis officiisque ejus gratiam habiturum. Deinde Carnutum venit ad Regem visendum, quo tempore sacrâ unctione inauguratus est, ut ibi mandata de negotio tanti momenti efficiendo expressiora acciperet. Ad Pictones reverso Rex iterum literas scripsit, quibus monuit ut pacta cum Pictaviensibus inchoata denuo resumeret; quæ tantâ prudentiâ & felicitate tractavit, ut post multos sermones habitos, difficultates superatas, & pericula devitata, tandem victricibus illius rationibus permota civitas ad obedientiam se receperit, & Regiam authoritatem in posterum coluerit. Opus sanè Galliæ utilissimum, duabus maximè de causis; tum quòd Dux Mercurii Namnetarum urbem & totam ferè Britanniam armis adhuc tenebat, Pictonibusque vicinis instabat ut secum contrariis partibus (sicut anteà fecerant) adhærerent; tum quòd Dux Elbonii Præfectus urbis in castra Regia se pariter retulerit. Pictavienses Ludovicum *SAMMARTHANUM*, Jurisdictionis illius Prætorem Juridicum, cum aliis civibus delegàrunt, qui ad Aulam proficiscerentur, & juramentum fidelitatis Regi præstare; ad quem in Picardiam usque accesserunt, obsidione Laoduni tunc occupatum. Satis constabat ex prona benignitate quâ eos magnus Monarcha recepit, quàm gratam acceptamque haberet insignem operam *SAMMARTHANI* (sub cujus auspiciis iter susceperant) in hoc præclaro negotio graviter adhibitam: Cui etiam fortiter incubuerat frater ejus, ideoque munus Prætoris (sive Prosenescalli) liberalitate Regiâ sibi confirmatum habuit.

Paucis post annis quàm Pictavium aliæque urbes ad sanam mentem redierant, Rex perturbato rerum ordini, & confusioni quam bellum civile intulerat, prospicere cupiens, Conventum virorum dignitate præstantium ex omnibus Regni ordinibus Rotomagum convocavit. Huc *SAMMARTHANUM* literis ad eum scriptis honorificè accersivit, qui in hoc celebri consessu ex proceribus Galliæ selectisque hominibus conflato, magno usui fuit, magnamque judicii vim & gravitatem monstravit, tùm sententiam dicendo, tùm salutaria consilia de quamplurimis rebus arduis interponendo.

Rotomago abiens Parisios venit, ubi singulari lætitiâ perfusus est, cùm filium natu maximum Abelem *SAMMARTHANUM* videret in foro Parisiensi tantâ cum laude & existimatione versari. Et hæc quidem voluptas ingeminata est, cùm viros literatos poemata Latina ab eo juvene tunc edita tanti æstimare sentiret; quorum pars maxima in laudibus & victoriis Henrici Magni celebrandis impensa est, sicut posteà gesta Regis Ludovici Justi meritissimis encomiis tam soluto quàm stricto sermone compositis illustravit, quæ benignissimus Princeps renidenti oculo intueri dignatus est, & authorem in consortium ac dignitatem Consilii sui sanctioris adscivit.

Jam *SAMMARTHANUS* adeò ætate provectus erat, ut post tot tantosque

tantoſque labores exantlatos jure optimo quietem potiùs domi ſuæ quærere deberet, quàm in publicis adminiſtrationibus curam & operam porro collocare. Sed cùm Pictavienſes orarent, ut Prætoris urbici munus iterùm acciperet, pro eo quo ſemper ardebat patriæ inſerviendi ſtudio, detrectare noluit. Henricus Magnus huic electioni libentiſſimè ſuffragatus eſt; & cùm ſolenni more menſe Majo. *M. DC. XXII.* urbem ingrederetur, id honoris *SAMMARTHANO* datum eſt ut univerſæ civitatis nomine Regem alloqueretur & reciperet. Itaque ſicut Henricus *III.* virum adeò facundum ſumma cum voluptate audiverat, ita Magnus ille, qui non minùs callebat quàm ſuus anteceſſor ſubditos eorumque merita dijudicare, palàm fecit quàm gratum quamque acceptum haberet eximium illum ſermonem à *SAMMARTHANO* habitum, in quo civium ſuorum vota flagrantia, ſinceros affectus, & fidem inexpugnabilem luculenter expoſuit.

Huic quoque alia felicitas acceſſit, ut tunc temporis Aulicos maximè conſpicuos videret ac ſalutaret; inter alios magnum & venerabilem Galliæ Cancellarium Pomponium Belleuræum, qui ei benevolentiam ſuam effuſiſſimè impertivit, ſicut etiam digniſſimus illius filius, Supremi Senatûs Præſes, ob prudentiam literaſque cum inſigni probitate conjunctas rariſſimum noſtri ſeculi ornamentum.

SCÆVOLA permultos viros eruditione ſuaque amicitiâ pariter cultos diem obire ſubindè viderat; quales erant, Claudius Puteanus, Florens Chriſtianus, Petrus Pithæus, Philippus Portæus, Nicolaus Rapinus, Joannes Paſſeratius, Nicolaus Faber, Stephanus Paſchaſius, aliique qui triſtem quidem ſed nobilem materiam Elogia ſua ulterius deducendi ſuppeditârunt; id quod extremâ etiam ætate faciebat. Quamquam enim pleriſque mortalium in eo humanæ vitæ præcipitio vires ſæpiſſimè deficiunt, illius tamen ingenium minimè ſeneſcebat, ſed cum ingenti omnium ſtupore veſtigia ſui vigoris haud obſcuriora quàm in juvenilibus annis exprimebat. *le Feure.*

Fratris obitus acutiſſimo dolore animum ejus confodiebat: tamen in hoc infortunio ſolatii nonnihil ex eo capiebat, quod permultis officium Prætoris Pictavienſis ſtudioſiſſimè ambientibus, hujus filium natu maximum Nicolaum *SAMMARTHANUM* Rex prætulerat (qui tunc Conſiliarii partibus in Senatu Pariſienſi fungebatur) virum virtute, & affectu fideque erga Regem inconcuſſa laudatiſſimum. Pater illius adeò gratam ſui memoriam reliquit, ut & urbs Pictavii & tota Provincia benè meriti civis mortem luctu incredibili complorârunt. Ludovicus iſte, & Renatus *SAMMARTHANUS* Pictavienſis Eccleſiæ ſub-decanus, qui Theologiæ ſcientiam literis humanioribus adjunxit, ſimul cum fratre *SCÆVOLA* avitum familiæ decus digniſſimè ſuſtinuerunt.

Interea cùm *SAMMARTHANUS* noſter diſſidia quædam Pictavii exoritura prævideret, ſe Juliodunum (ubi reliquum ætatis tranſigeret) recipere cogitavit. Verùm priuſquàm ſedem ibi defixam poneret, quanquam octogenarius erat, viribus tamen ità vegetis utebatur, ut itineri ſufficerent, quod ultimum Pariſios anno *M. DC. XV.* ineunte fecit, quò videret tùm & amicis qui ibidem ſupererant, tùm ex liberis ſuis qui in illa civitate, poſtquam ad Regis obſequium redierat, domicilia collocârunt. Fama ac virtus

ejus

ejus quamplurimos dignitate & doctrinâ præstantes ad eum invisendum excitarunt; quos ipse vicissim salutatum ibat: inter alios ingens illud literarum & Ecclesiæ ornamentum, Cardinalem Perronium, cujus cognitione & familiaritate jampridem in Aula Regis Henrici *III.* usus fuerat. Amplissimus hic Præsul ambabus ulnis *SAMMARTHANUM* amplexus est; etiam judicium illius tanti fecit, ut non pauca de suis raris operibus tam versu quàm prosâ conditis ipsi monstraverit, quo sententiam illius de iis ediscceret. Dixit præterea, nomen ejus passim in Italia famigeratum esse, & summos ingenii arbitros in illa regione florentes poemata ejus Latina omnibus aliorum Gallorum longè præponere; quinetiam elegantiam & concinnitatem Elogiorum suorum mirificè æstimare: se quoque vidisse divina sua utriusque generis opera in celeberrimis Vaticanæ Bibliothecæ scriniis inserta.

Dum Parisiis moratur, Dominos Varium & Vicum Sigillorum Galliæ Custodes visitavit; & Thuanum sæpissimè, qui in sui temporis Historia nobilissimum ipsi locum præbet, frequenti mentione quam de sua fide erga Reges & eruditione singulari facit.

Hoc etiam boni adeptus est, ut quamplurimi Elogia composuerint obtulerintque ipsi dum viveret, qui alios vitâ defunctos tantoperè laudaverat. Nec satis erat quot tot privatorum calamis exornaretur; oportuit etiam ut viva vox publicæ laudis huc accederet: quod memorabili quodam casu advenisse compertum est. Lis agebatur in Senatu Parisiensi inter hæredes Comitis Lavalii, qui in Hungaria diem obiit, & viduam Petri Læti medici, quam suprà meminimus. Fœminæ probandum erat, maritum suum non è triviis homuncionem, sed existimatione ac literis notum fuisse: Quod ut palàm faceret, inter alia, hujusmodi quoque argumento innixa est, *SAMMARTHANUM* eum dignum judicâsse quem suis Elogiis honestaret, & librum illicò in medium attulit; quod tanti fuit, ut non solùm viduam eximeret à longis probationum ambagibus per testes, quò res spectare videbatur, sed causæ victoriam ipsi statim obtineret. Unde permulti senatores, qui in hac controversia sententiam tulerant, ansam arripuerunt quò de meritis dotibusque authoris amplissimè verba facerent; cujus unicum testimonium (contra Juris formulas) tanti ponderis apud Augustum illum senatum habebatur, ut loco plurimum valeret.

Jam dulcis aura soli natalis ità *SAMMARTHANI* animum afflaverat, ut Parisiis Juliodunum reverteretur, ibi reliquum vitæ cum summa tranquillitate peracturus. Cujus gratissimi secessus socios habuit tùm è filiis quartum, Iræneum nomine, munus in Quæstura gerentem, tùm ejusdem Irenæi filium, qui jam à puerilibus annis provectus in literis spem sui jamdudum ingentem dederat. Interea voluptatem, quam anteà de filio natu maximo perceperat, renovatam auctamque sensit, cùm audiret quanto cum applausu cæterorum quoque ejus liberorum opera passim acciperentur; etiam Scævolæ & Ludovici, fratrum geminorum, ità moribus, naturâ, ingenioque similium (sicut etiam lineamentis ac vultu) ut unicam in duobus corporibus animam extitisse crederetur. Cùm enim singulari & exactâ diligentiâ Historiam Augustissimæ Galliarum familiæ conjunctis studiis descripsissent (quod inter scripta Genealogica perfectissimum, celebris quidam hujus temporis Historicus appellavit)

pellavit) primam nobiliſſimi operis editionem Ludovico Juſto inſcripſerunt, qui librum benevolè accepit, & authores ad honorificum munus ſuorum Hiſtroriographorum evexit.

Sicut ſinguli *SCÆVOLÆ* filii operam ſtrenuè dederunt, ut varias patris dotes ac virtutes imitarentur; ità eorum unus, Petrus *SAMMARTHANUS* dominus *de la Jallettiere*, quæſturâ Galliæ apud Pictones functus, quaſi ſortem ſibi peculiarem adſcivit Genium defuncti in carmine Gallico laudatiſſimum: quo ille quoque inclytas Majeſtatis ſuæ victorias feliciſſimè illuſtravit. Quod etiam plerunque huic familiæ proprium & congenitum videmus, ut hæreditario quodam jure heroica Regum noſtrorum geſta ſibi celebranda aſſumant.

Illuſtriſſimus hiſtoricorum *T.* Livius regionum longiſſimè diſſitarum incolas Romam pertraxit, ut aliquid Româ quanquam florentiſſimâ majus admirabiliuſque ibi viderent: Ità Scævola noſter tantam ſibi famam undiquaque comparaverat, ut non ſolùm à quamplurimis, diverſæ ſortis ac loci Gallis, Epiſcopis, Senatoribus, Magnatibus, viriſque literatis inviſeretur, ſed etiam ab exteris variarum gentium, quorum aliqui non minori cultu & honore illum conſpexerunt, quàm ſi coràm venerandiſſimis mortalium capitibus comparuiſſent. Quinetiam nonnulli Principes & illuſtres viri ex Italia, Germania, & Anglia, profecti, cum per Galliam iter facerent, laudabili hâc curioſitate ducti *SAMMARTHANUM* adibant, cum Pictavii habitaret. Sed ſuper omnia ſibi fauſtum ac felix exiſtimavit, quod paucis diebus antequam hanc vitam beatiſſimâ immortalitate commutavit, ſereniſſimus Walliæ Princeps (brevi poſteà Magnæ Britanniæ Rex) cum ementito habitu per hoc Regnum Hiſpaniam verſus tranſiret, tanto honore eum dignatus eſt, ut etiam domi ſuæ Julioduni de induſtria viſitaret, nec exiguam voluptatem ab aſpectu tam illuſtris & ſpectabilis viri ſentiret.

Jam grandævus erat, & aliquoties dicere ſolebat, ſe quamvis ſub auſpiciis ſeptem Regum noſtrorum vixiſſet, hoc tamen præ cæteris inſigne ac glorioſum ducere, quòd preces & vota (quæ multo antè in opere Pædotrophiæ ad Deum effuderat) exaudita atque impleta eſſent, quodque Regiam domum auſpicatiſſimo Delphini partu adauctam videret; quam ſingularem felicitatem bono augurio quaſi prædixerat in perſona magnanimi Regis noſtri conſummatam, opportunè à cœlo dati ad decus & nomen Imperii Gallici ſublimiùs quàm unquam aliàs extollendum.

Hiſtoricus quidam, qui vitam Regis Henrici *III.* ſeparatim deſcripſit, etiam *SAMMARTHANO* (quem inter celebres illius Regni viros memorat) clarorum quorundam eventuum, quos admirabili perſpicacitate judicii paſſim in ſuis operibus præſagiit animadvertitque, prædictionem attribuit.

Cum igitur per quinquemii otium Muſis & libris vacaſſet, tandem neceſſe habuit domicilio hoc terreno exire, ut ſtabilius aliud in cœlis ingrederetur. Itaque febre continuâ per quinque aut ſex dies laborans, cùm ultimum vitæ terminum ſibi propiùs ingruere, & corporis vires paulatim deficere perſenſit, animum & cogitationes omnes eò convertit ut divinæ gratiæ ſubſidium unicè imploraret, & ſacramentis Eccleſiæ piè ſuſceptis per manus Urbani

ni Granderii, docti Theologi & suæ sancti Petri parochiæ Pastoris, extremos halitus in illius amplexibus efflavit *XXIX.* die Martii *M. DC. XXIII.* postquàm octoginta septem annos cum mense & aliquot diebus vixisset.

Deum coluit magis interno & sincero affectu, quàm pietatis ostentatione, probitate morum singulari imbutus, tam adversis rebus quàm secundis sibi semper æqualis, ambitionis & avaritiæ expers, amicis incomparabili studio inserviens, quorum negotia & commoda suis ipsius rebus sæpissimè antehabuit. Revera existimationem, famam, & amicos pluris fecit, quàm divitias & bona peritura, satis seipso contentus quod toties judicatus esset dignus qui publicam pecuniam procuraret administraretque, puris illius mundisque manibus quasi in depositò relictam. Perquàm affabilis erat, in conversatione suavis & benignus, pauperibus & afflictis promptissimè opem tulit, candore plenus, & ad sensa mentis explicanda (sive sermone, sive scripto) mirâ facilitate præditus. Eâ sobrietate vixit, ut haud quaquam excederet quod lex temperantiæ præscripserat; vacuus irâ & cæteris perturbati animi affectibus, ut siquid sequius accideret, nunquam tamen eum à statione tranquillitatis dimovere posset. Istiusmodi virtutes ac boni mores ad producendam vitæ longitudinem, quâ eum vidimus incanescere, multùm adjuverunt. Hinc est quod optimâ corporis habitudine fuerit, nec unquam gravibus podagræ aut calculi morbis cruciatus, nec aliis quæ fera senectus afferre solet incommodis; nisi quod interdum modicâ surditate afficeretur, quod malum communi quodam fato maximis illius seculi poetis accidisse videbatur, Ronsardo, Bellæo, & Aurato. Ore fuit honesto & liberali, gestu gravi & modesto, oculo renidente & benigno, naso decorè producto, colore vultûs suaviter rubescente, staturâ mediocri & quadratâ, capite calvo, & capillo dum juvenis esset castaneam referente.

Præter Abelem, Scævolam, Ludovicum, Irenæum, & Petrum Sammarthanos, filios ejus (quos anteà meminimus) reliquit etiam Franciscum & Henricum, quorum alter militiæ, alter Ecclesiæ nomen dedit. Horum soror unica Jana *SAMMARTHANA* nupta est Nicolao Socheto armigero, domino *de la Charouliere & de Villebovin*, antehac Prætori, Capitaneo, & Instructori militiæ in urbe Pictavensi.

Ut finem faciam, defunctus iste de quo sermonem instituimus, hoc etiam voluptatis incrementum habuit, ut ante summum diem in Petro *SAMMARTHANO* nepote suo quasi renasci se videret; & posterorum seriem integrari ab eo meritò speravit qui filiam, Marchionissæ *de Choisy* ex primis nuptiis natu maximam, uxorem acceperat.

Corpus ejus sepultum est apud magnam Ecclesiam sancti Petri Juliodunensis in sacello sancti Ludovici: Publicè laudatus est orationibus, non tantùm in illa Ecclesia, sed etiam in Prætorio Juridico habitis, coràm Regiis Ministris, Nobilibus, aliisque dignitate conspicuis viris. Ex eo tempore memoria quoque illius celebrata est honorifico amicorum concentu, quem in collectione Tumuli ejus conficiunt permultæ elegantes Inscriptiones, Poemata, Elogia, & funebria Carmina, ab hominibus authoritate & doctrinâ inclytis tàm Gallis quàm exteris profecta. Et sanè æquum fuit, imò justitia postulavit, ut ipsi redderetur quod aliis præstiterat; ut ille qui præclara Regum & Principum

pum gesta quasi postliminio revocaverat ad vitam, & tot illustres viros ex obscuritate cinerum eripuerat; ut ille (inquam) pariter optimis superstitum ingeniorum officiis coleretur ornareturque. Verum ausim dicere, eum fortasse nunquam pro merito laudatum fore, nec ad modum & mensuram illarum perfectionum quæ solidam sibi gloriam peperierunt.

Unde nuper defunctus dominus Rizius Senatûs Rotomagensis princeps dignissimus (cujus anteà mentionem fecimus) cùm ad mortui filium natu maximum scriberet, solatium de gravi jactura adhibiturus, ansam arripuit memoriam ejus hoc pulchro Elogio condecorandi; *Eum remansisse ultimum doctorum, quos bonum illud seculum proximè elapsum viderat; cujus mores æquè suaves & limpidos esse ac ejus poemata; quin & videri illum in terris relictum esse post alios ejusdem subsellii viros insignes (quorum calculis etiam inter primos numeratus est) ut nobis esset in exemplum.* Alius item, nec ille meriti vulgaris, eodem pio erga *SAMMARTHANI* liberos officio fungens, ità scribit; *Damnum ex morte hujus clarissimi Herois* (ita etiam nuncupat) *non illis peculiare ac proprium esse: quamvis enim arbor illa nobilis & divina truncum & radices in eorum familia fixisset, ramos tamen & fructus jucundos per omnia loca, quibus colunter Musæ literæque, protendit; adeoque dolorem æquè communem esse, æquè in universum spargi debere.*

Sicut annus in quo *SCÆVOLA SAMMARTHANUS* in lucem prodiit, aliorum quoque magnorum hominum (quos suprà meminimus) tunc temporis nascentium felicitate insignitus est; ità obitus ejus funestior factus est duobus aliis nominatissimis viris, qui tunc è vivis excesserunt, Nicolao Coeffetello Episcopo Massilienſi, & Petro Janinio, in Regiis Consiliis assessore, Senatûs Divionensis Præside, ac supremo Regni Quæstore: quorum pietas & singularis eruditio, conjuncta cum animo ad Regis obsequium propensissimo (quæ virtutes in nostro *SAMMARTHANO* pari splendore conspiciebantur) pro gradibus erant, quibus ad Honoris & Immortalitatis Templum conscenderunt: Cui ego etiam hanc imaginem viri verè laudabilis dico consecroque. Stylus alter felicior, & penicillum meo præstantius, Tabulam hanc fortasse coloribus ad vivum depictis & lineis audentioribus meliùs in posterum exornare poterit; hoc tamen quantulumcunque est, satis monstrabit quid ingenia Gallica postremi hujus seculi in omne genus literaturâ valeant, & speciatim hunc nostrum exterorum nemini cedere, cùm se adeò consummatum perfectumque reddideret (quod initio diximus, & jam ad finem censuimus repetendum) ut honorificum locum occupaverit in frequentibus Ordinum Galliæ Comitiis, in Consiliis Regiis, in Provinciis, in publicis muneribus, etiam in sacro Musarum viridario, quas unicè amavit, ut ab illis vicissim amatus est. Atque ita videmus, tot raras & incomparabiles animi dotes nomini & memoriæ suæ monumento apud posteros esse; quo nullum dignius aut glorioſius præmium expectare possunt, qui generoso gressu ad magna & sublimia nituntur.

VITA

JULII CÆSARIS SCALIGERI.

Torellius Saraina de principibus Scaligeris.

INTER illuſtres Italiæ familias multis retrò ſeculis floruit & *gens Scaligera*, multorum regum principumque genitrix: id quod teſtatur *Torellius Saraina* Jureconſultus: qui *tres libros de principibus Scaligeris, & eorum geſtis*, ſermone patrio conſcriptos, reliquit. In hac familiâ illuſtriſſimâ, ſed è faſtigio ſuo, ut ſunt humana, variis cladibus devolutâ, natus eſt *Julius Cæſar Scaliger*: qui ut primus in gentem illam literas intulit: ita dignus eſt, ut literis, de quibus præclarè meritus, memoria ejus conſervetur.

Benedictus Scaliger. *Berenica Lodronia.*

Pater ei fuit *Benedictus Scaliger*, vir & animo & corpore magnus: qui ſummæ rei militari ſub rege *Matthiâ*, gentili ſuo, ſeptendecim annos præfuit, & à Rhodo Turcici exercitus obſidionem avertit: mater *Berenica Lodronia*, comitis *Paridis Magni* filia. His igitur parentibus anno ſalutis *milleſimo quadringenteſimo, octogeſimo quarto*, ante diem IX. Kal. Maji. feriâ ſextâ, ſex annis ante *Matthiæ* cognomento *Corvini*, Hungarorum regis, interitum: qui ultimus fuit *Scaligerorum Hunniadum*: natus eſt in caſtro *Ripâ*, ad caput Benaci: qui locus fuerat hactenus ditionis Scaligerorum.

Veneti cum Scaligeris ſimultates exercent. Brunorius Scaliger.

Jam *Scaligeri* magno *Venetorum* odio flagrabant: ex quo *Martinus* Papa *Brunorum Scaligerum*, de poſteritate *Antonii*, ultimi Veronenſium principis, in Venetos concitarat. Deinde *Nicolaus Pius*, ejuſque filius *Benedictus* Scaligeri, apud *Matthiam* regem Hungariæ, & Cæſarem *Fridericum* tertium ſæpiùs egerant: ut avito imperio reſtituerentur. Veneti ergo putantes, quamdiu ullus ex gente Scaligerâ ſupereſſet, novi belli ſemina nunquam defutura, præſertim cum *Benedictus* apud Cæſarem & regem Hungariæ potentiſſimum plurimum gratiâ valeret: nihil prius habuerunt, quàm eos, quos ſecuritati ſuæ imminere arbitrabantur, de medio tollere. Biduo itaque poſt, hoc eſt ante diem VII. Kal. Maji *Ripam* caſtrum invadunt: ut & novam puerperam *Berenicam Lodroniam*, & filios, *Titum* quidem bimulum, *Juliam* autem adhuc de matre rubentem, tollerent. Ad conſternationem ruſticorum, qui, propter repentinum hoſtis adventum, cara ſua ex propinquis villis in arcem convaſaverant, excita puerpera: ſalutem fugâ ſibi, & filiis peperit: atque ad patrem *Paridem*, cognomento *Magnum*, comitem Lodronii, profugit: Hoſtes arce potiuntur. Hanc ultimam de naufragio Scaligeræ domus tabulam rapuerunt Veneti.

Veneti Ripam caſtrum Scaligerorum oppugnant.

Lodronia puerpera cum filiis fugit.

Præſagium

Infanti cum *Paulus à Meddeburgo*, qui poſtea *Maximiliani* Cæſaris benefi-

cio

cio fuit Episcopus Foro Sempronienſium, omnium ſui temporis Mathematicorum ex nationis prærogativâ, facilè princeps; is *Paulus* cùm ei ſalutis lavacrum impertiretur, juſſit nomine *Julii Cæſaris* nominari. * *Canem* imperârat pater; ut majorum ſuorum quaſi inauguratione quadam. Si potentiâ non poſſet, memoriam renovaret. At *Middeburgus*, qui infantis natalem diem, atque cœli faciem conſideraſſet, hilariore, ut ferebant, vultu: *Canes*, inquit, *tui ſuâ fortuna defuncti ſunt. Hunc dictatorem alterius fati, novi ſanè, caput oportet eſſe.* Quod ipſi Scaligero adulto poſtea, &, quid innueret, ignoranti, ſæpe inculcavit hiſce nempe verbis: *A TE PRINCIPIUM.*

Pauli Middeburgi de Julio Scaligero. Jul. Cæſ. Scalig. exercit. 266.

* *Quod linguâ Windorum regem ac principem norat.*

Puer in agris avitis eductus unà cum *Tito* fratre, prima literarum & Grammaticæ elementa didicit, præceptore *Joanne Jucundo* Veronenſi, cliente familiæ Scaligeræ, homine doctiſſimo & probiſſimo: qui poſtea ad monachos Franciſcanos tranſiit. Annorum duodecim minor *Maximiliano* Cæſari à patre Benedicto oblatus, in numero illuſtrium puerorum aulicorum, quos in Galliâ pueros honoratos vocant, habitus, & unà cum illis in liberalibus & animi ſtudiis, & corporis experimentis eruditus eſt, cum illis Latinè loqui, arma tractare, equitare, & ludicra pugnæ ſimulacra ciere. Pyrrhicam * commemorat ipſe & ſæpe & diu, coram Divo *Maximiliano*, juſſu *Bonifacii* patrui, non ſine ſtupore totius Germaniæ ſe repræſentaſſe. Quo tempore aliquando vox illa Imperatoris: *Hic puer aut thoracem pro pelle, aut pro cunis habuit.* Sicut autem ipſe Imperator *Maximilianus* omnes ſui ævi, & ſuperioris memoriæ principes, heroicis virtutibus anteivit: ita & aula ejus omnis honeſti cultûs ſchola fuit: unde qui ex eâ prodierunt viri planè heroici, non pædagogos aut campidoctores aulicos; ſed ipſummet Maximilianum, morum & diſciplinæ militaris informatorem habuiſſe videbantur.

Joan. Jucundus præceptor Scaligeri.

Recipitur in aulam Auguſtam Scaliger.

*. *Lib.* I. *Poët* 18. *Saltat pyrrhicham Scaliger: quod ridet Goropius in Becceſelinis Aula Max.* I. *Cæſaris.*

Sub tanto igitur principe per totos *ſeptemdecim*, aut amplius, annos; quibus in domeſticis Cæſaris fuit, tantùm in militaribus ſtudiis profecit: ut omnibus aulicis & externis admirationi eſſet. Cauſa huic rei duplex erat: Primùm, quod patruus ejus *Bonifacius*, vir vigilantiſſimus & accerrimus, acta totius dici ab eo quotidie faſtidioſè exigebat: ut ei otioſo aut negligenti eſſe non liceret. Deinde Cæſar ipſe, ubicunque illi à curis gravioribus vacaret, quaſi ſpectator diſciplinæ aulicorum puerorum, eos inter ſe certantes, & ludicra prælia committentes, libentiſſimè ſpectabat. Hæc curioſitas principis æmulationem inter eos accendebat; nec fruſtra. Nam quotidiè meliores ſeipſis evadebant. Ita igitur eductus, & inſtitutus Cæſarem in omnibus expeditionibus, aut *Benedictum* patrem, qui in Italia partem rei bellicæ ſub Cæſare adminiſtrabat, ſecutus eſt.

Bonifacius Scaliger.

Orto deinde graviſſimo inter Cæſarem & Venetos bello nunquam à latere patrui *Bonifacii* aut patris diſceſſit: in cujus etiam contubernio *Veronæ* fuit, cùm *Benedictum* Veronæ regendæ impoſitum per ſpeciem eum in avitum imperium reponendi non multò poſt inde Cæſar evocaſſet, pace cum Venetis initâ, & armis in Gallum converſis. Cùm Benedictus evocari ſe; ſed ejici cenſeret, omnemque ſibi ſpem recuperandi aviti ſceptri hoc facto præcidi: graviſſimè hanc repentinam mutationem tulit, & Regem *Ludovicum* clam ſolicitare cepit, ſpondens ſuam utilem in eo bello operam, ſi eo loco, quo apud Cæſarem tunc eſſet, ſeſe habere vellet. Longo enim uſu rerum in *Italia*,

Bellum inter Venetos & Maximilianum Cæſarem.

Germania, & *Hungaria* gestarum sibi nota esse ea, ad quæ discenda Gallis longiore experientiâ in illis regionibus opus esset. Pollicitationem hominis à vanitate remotissimi Rex, alioqui prudentissimus Princeps, inhumano dicto prosecutus est: *servationem non habere nobilitatis quæ pro censu tumulos avorum ostentaret.* Benedictus se ab externo Principe non admitti æquo animo tulit, qui paulo antè ab eo, de quo benè meritus erat, rejectus fuerat.

Prælium ad Ravennam, anno 1512 *d.* 11. *Aprilis die Paschatis. In quo pater & fratres Scaligeri occubuere.*

Secutum est paulo post funestissimum prælium ad Ravennam: in quo prima coitione cum dubia fortuna & multo utrinque sanguine diu pugnatum esset, *Benedictus*, & *Titus* filius Cesariæ turmæ vexillifer, interfecti sunt: quorum cadavera hosti erepta *Julius Cæsar* in tuto reponenda, Aquilam etiam receptam, quam Titus gestaverat, Cæsari reddendam curavit. Cùm Cæsarei jam victoriam exploratam haberent, id quod ex acclamationibus militum, ut fit, sibi persuadebant: Ecce acerrimus juvenis illustris *Gasto Foxius*, dux universi exercitus Gallici, collectis viribus, secundo in Cæsareos signa movet. Unde majore longè, quàm antea, clade prælio instaurato, *Julius Cæsar* equo ab equite cataphracto Gallo deturbatus, & humi afflictus sexcentis equinis ungulis proculcatus est: ut inde pro mortuo à suis post pugnam elatus sit. Paucis tamen interjectis diebus cùm ad se rediisset, licet pessimè acceptus, ad Cæsarem propè depositus, ut deferretur, præcepit. Ibi Cæsar laudatum ob patris & fratris corpora servata, & Aquilam receptam, præmiis virtutis effecit: *equitem* etiam & *propinquum* dixit, datis, ut solet, manu propriâ calcaribus aureis, & torque equestri cum appendice Aquilæ imperialis aurea, quam Aquilam tametsi majores ejus gestaverant; tamen eam huic virtutis præmio Cæsar accedere voluit, tanquam ab illo tunc primum hoc præmium inciperet, non tanquam à majoribus delatum ad Scaligeros pervenisset. Itaque *Scaligeri* Aquilam imperii à tribus Cæsaribus acceperunt: *Albinus* quidem ab *Henrico* septimo, *Canis Major* & *Mastinus III.* à *Ludovico* Bavaro: *Julius Cæsar* pater Josephi à *Maximiliano I.* cujus etiam propinquus dupliciter erat, natura & adoptione. *Bartholomæa* enim Austriaca *Benedicti* mater, Julii Cæsaris avia, propinqua Cæsaris Maximiliani erat. Deinde cui ob virtutem bellicam equites à Principe renunciantur, ii eadem operâ in affinitatem principis recipiuntur, & propinqui ejus declarantur, quasi in familiam ejus adoptati. Plurimum, fateor, Julius debebat Cæsari, quod in ejus aula, literis, moribus, & disciplinâ militari informatus esset. Sed quicquid Cæsar Julio ob navatam strenuè in expeditionibus ejus operam, & vulnera pro eo accepta debebat, hæc omnia uno torque, & calcaribus aureis compensavit: licet ipse supra quàm credibile est, benignus & liberalis esset. Sed ejus voluntati res & facultas defuit.

Insignia in Scalig. à Cæsare Collata. Aquila imperii infigta Scaligerorum, & scala cum quatuor gradib. inferne.

Scaligeri Ferrariam patris & fratris corpora deferunt. Berenice Benedicti uxor Scaligeri mœrore consumitur.

Commeatu à Cæsare impetrato, *Julius Cæsar Ferrariam*, ubi antea à *Benedicto* uxor *Berenica* relicta erat, patris & fratris corpora detulit. Sed mater *Berenice* paulo post ex mœrore diem ultimum clausit. Ita tria funera domestica uno tempore curavit. Nec vero ullum moveat, quod in *Nymphis indigenis Benedictus* pater ab eo inducatur uxorem Berenicam sub Nymphæ Napææ nomine deflens. Prolepsis enim poetica est: cùm octavo post cladem Ravennatem die Berenica, nuncio de *Benedicti* conjugis, & filii *Titi* cæde accepto paulò post mœrore extincta sit.

Ami

Amissis patre, matre, atque fratre, nihil aliud supererat, quàm sorditatum in perpetuâ egestate & luctu vivere. Veneti enim *Ripam* & reliquum Benedicti patrimonium jam tertium invaserant. Ea tempestate non Scaligeri cognomine: sed *Comitis à Burden* vulgo notus erat. Atque ita à *Lylio Gyraldo* Ferrariensi familiari suo quamvis depravatè nuncupatur, in libello de Poetis recentioribus. Quod cognomen, quandiu in Italia fuit: illi semper hæsit: ita ut raro *Scaliger* vocaretur, sed *Julius à Burden*, aut *Comes à Burden*. Cùm autem paupertas omni conditioni sit onus grave, tum nobilitati præcipuè senium est, quotidies per angustias rei familiaris hominibus summo loco natis emergere non licet. Sed hoc incommodum ab illo amolita est liberalitas *Alfonsi* Ducis primi, qui ei annua opima constituit, inque primis amicis & propinquis habuit, memor priscorum Scaligeræ domus in *Estenses Marchiones* meritorum, & contractæ bis *Scaligeris* cum *Estensibus* affinitatis. Neque verò Julius tantam optimi Principis liberalitatem tacitam prætervit: sed longo poemate, cui *Eridano* nomen fecerat, celebravit.

Comes à Burden dictus Scaliger.

Paupertas onus dorum & grave.

Alphonsi ducis liberalitas in Jul. Scaligerum.

Sed cum Julium tæderet inertis vitæ inter aulicos Ferrarienses transigendæ, constituit primùm, ut multorum mos est, præsertim nobilium Italorum in desperatione rerum suarum, *habitum Franciscanum* sumere, & sæculo, ut loquuntur, renunciare. Quare cum *Bononiam* venisset, cœpit *Scoto* operam dare. Atque is primus fuit illi philosophiæ gustus. Tamen non multo post cepit ille monachitini æstus, propter nescio quid *Ajacem*: quod tanti apud eum fuit, ut nunquam postea ad ultimum usque vitæ diem cum Franciscano ullo sermonem ultrò serere voluerit. Ad animi & linguæ dotes, accesserat decor regius corporis, & agilitas tanta, ut armis, saltu, equestri scientiâ omnes æquales anteiret: quibus rebus facile omnium animos sibi devinxerat. Cùm autem in Bononiensi Academiâ, quæ tunc & florentissima, & frequentissima erat, multi nobiles essent, qui literis operam darent, vix ullus fuit, qui non secum malè agi putaret, qui in ejus amicitiâ aliquem locum non obtineret: inter quos duo fratres ex antiquissimâ *Plociorum in Liguribus Turinis*, unus item ex illustri *Roverorum* familiâ, ad amicitiam ejus sese applicarant; ut nunquam ab ejus latere discederent. Quamvis jam in Philosophiâ progressus aliquot fecisset: tamen humanitas studiorum ferocium militarem nondum retundere potuerat, cùm animus irrequies adhuc Martem spiraret. Itaque quemadmodum in illa frequentissima Academia nunquam evitari poterat, quin nationes, ut solet, in diversas factiones & studia discederent, atque inter sese conflictarentur: ita ipse nunquam effugere poterat, quin illi aliquod specimen pugnæ edendi necessitas imponeretur. Non enim tum in ordinem cogebantur Scholastici Bononienses, neque exarmabantur, ut hodie fit. Atque ideo plurimis in ore omnium erat *Tonsus de Burden*. Ita enim eum quod strictim tonderet, vocabat vulgus Italorum. Interea duo fratres *Plociasci*, & post eos *Roverus*, à parentibus domum revocati, triste congressus sui desiderium Julio reliquerunt. Quod dissidium ita impatienter tulit: ut & per multos dies publico abstineret, & consueta corporis experimenta intermitteret: quod illi tamen in bonum vertit: cùm interea totus libris hæreret, & nunquam ab illis sine fructu discederet. Et jam non minor eruditionis ejus, quàm virtutis militaris opinio erat. Quippe publicè quotidie disputans, eosdem

Cucullum induere cupiat Scaliger. Scoto dat operam. Monachatum exit.

Plociasci. Roveri.

Tonsus de Burden.

Scaliger & animo & ingenio promptus.

eosdem oculos in se convertebat, quos antea in admirationem fortitudinis suæ rapuerat.

Sed duæ curæ illum maximè exercebant, & à literarum studiis cogitationem ejus avertebant; *desiderium Plociascorum*, & *armorum* quotidie recrudescens *amor*. Quæ duo cum impatienter ferret; relictâ *Bononiâ*, mediocriter viaticatus, quantum scilicet patiebantur facultates hominis, qui & sua omnia amiserat, & in alienis modicam spem reposuerat, ad *Castrum Nonnum Ligurum Taurinorum*, cujus *Plociasci* domini erant, sese contulit. Quamvis autem domus in luctu esset, ob recens funus patris *Plociascorum*; tantâ tamen gaudii significatione à dominis exceptus est; ut non domum in luctu deprehendisse, sed lætitiam domum intulisse videretur. Non diu in *Nonno Plociascorum* castro fuerat, cum in *Vicum novum* patrimonii *Roverorum* proficiscitur, ab ipsis loci dominis, quibus antea Bononiæ familiariter usus erat, literis accitus.

Discedit Bononiis.

Vicum novum Roverorum.

Hactenus ejus vita instabilis, & desultoria fuit, multis jactata periculis, nullo coalescens otio. Hæc autem domus, ut corporis fugam sistere; ita animum vagum atque æstuantem continere valuit: quanquam armorum semper rebellans affectus non sinebant hominem quiescere, præsertim in iis locis, in quibus propter Gallica bella, nulla dies sine aliquo armorum tentamento transibat, sive hostis excipiendus, sive expeditio in hostem instituenda esset. Nam ex quo ejus virtus tam ducibus Gallicis, quàm nobilitati *Ligurum Taurinorum* nota esse cæpit: ab illis quotidie studiis militaribus provocabatur. Ex eo ipsi etiam *Proregi* notus, & carus, *turmam equitum centum* levis armaturæ adeptus, excursiones quotidianas summâ cum laude faciebat. Applicarant sese illi multi ex nobilitate regionis, ut *Plociasci*, & *Scalengi*, qui se proavis Scaligeris oriundos prædicabant: aliique multi præterea, qui ob locorum & regionis peritiam sæpè illi exploratorum loco erant: eorumque indicio hostium copias & pabulatores repentinis incursionibus oppressos in vadebat. Fortè per eosdem certior fit manipulum hostium cum aliâ equitum, superato jugo, per declivia collis laxo agmine descendere, mandris mulorum pone sequentibus, & *Vercellas*, quantum ex longinquo colligere licebat, tendentibus. Eæ, ut exitus declaravit, pecuniæ Ducis *Sabaudiæ*, magnam vim & supellectilem pretiosam gestabant. Simul admonetur ab exploratoribus, spem egregiæ victoriæ, & ingentis prædæ objici, cujus potiundæ vim in solâ diligentiâ repositam esse. Itaque cum eâ copiâ, quam habebat, magno progressu ad latera collis improvisus pervenit: neque se hosti prius ostendit, quam in planis totum agmen cum impedimentis constitisset. Commisso acriter cum equitibus prælio, diu magnâ contentione ad multum diei pugnatum donec duce alæ & aliquot aliis interfectis, reliquis sine cæde vivis potitur. Pedites cæde equitatus sui perterriti, traditis armis, deditionem faciunt. Itaque ingenti prædâ potitus, impedimenta omnia, & magnum captivorum numerum abduxit, in quibus erat *Anna* Ducis *Sabaudi* concubina, mulier egregiâ formâ, & *Thomas* ille *Franciscanus*, decantatissimus *Agyrta*, quatuor millibus coronatorum instructus, quæ ipse histrionicis concionibus suis, & aliis vernilibus technis in Galliâ per aliquot annos quæsiverat. Annam in arce vici novi pudicè à matronis nobilibus habitam Dux paulò post precio redemit.

Ducit turmam Scal.

Pugna cum Sabaudiæ ducis militte.

Thomæ

Thomæ non aliâ redemtione opus fuit, quàm illis, quæ ſecùm geſtabat, quatuor millibus aureorum, quibus Galerum Cardinalitium redimere conſtituerat. Sed cum amiſſos nummos nulla ſpes recuperandi, aut reparandi, eſſet; mœrore vitam paulò poſt finivit. Etiam Joſepho puero tritiſſimum inter homines militares tàm in Gallia, quàm in Liguribus Taurinis fuit: Ducem *Sabaudiæ*, poſt amiſſum imperium ſuum, nihil acerbius tuliſſe, quam lectiſſimorum equitum ſuorum cædem, ac pecuniæ atque precioſiſſimæ ſupellectilis jacturam. Idque contigiſſe notabant, cum Thomas Franciſcanus, & Anna concubina capti fuerunt, ducis prorſus ignari.

Victor reverſus, nemine de ſuis deſiderator, honorificè à *Prorege* laudatus, & poſtea regi *Franciſco*, qui ſuperatis Alpibus, in *Vicum novum* Roverorum diverterat, eo nomine plurimum commendatus: ut juſta ſtipendia turmæ ſuæ ex regiâ gazâ procederent, impetravit. Extra ordinem enim eam à Prorege obtinuerat, & ex nobilibus voluntariis, amicis ſuis, ferè ſupplerat. Quamvis autem æſtus quidam militiæ armorum amore potius, quàm odio quietis tranſverſum ageret: tamen literarum, quibus prima ejus pueritia ſub *Maximiliano* Cæſare exculta fuerat, obliviſci non poterat. Itaque ubicunque à militiæ laboribus reſpiratio daretur; quas *Bononiæ* reliquiſſe videbatur, ad eas furtim dulcedine quadam rapiebatur: quem ardorem accendebat uſus & familiaritas medici Taurinenſis cujuſdam, & Pharmacopolæ, rei herbariæ peritiſſimorum: qui ubi eum ſemel & iterum in montana ad herbarum inveſtigationem deduxiſſent; accidit, ut eum nihil minus, quàm tale cogitantem alter diſputationibus ſuis, alter peritia ὅλως ἰατρικῆς ad medicinæ ſtudium incitarent. Jam *Bononiæ* eos in Ariſtotele progreſſus fecerat; ut & magiſtris ipſis diſputando admirationi eſſet. Itaque conquiſitis Taurino *Hippocratis*, & *Galeni* libris, quos quidem tum nanciſci per bellum licuit, adhibito in conſilium Ariſtotele ſuo; brevi effecit; ut non ſolùm familiarem ſuum medicum Taurinenſem, quem unicum ad medicinam incentivum habuerat; ſed & ſummos medicos ſuperaret. Oneris militaris ſolicitudo, & literarum amor eo illum perduxerant: ut cùm utrique functioni pro dignitate ſatisfacere vellet, noctes diebus, & munia militaria ſtudiis continuando, rationem valetudinis non haberet. Quare annos natus *triginta quinque*, ex nocturnis laboribus militiæ, & lucubrationibus literariis, item cœli Inalpini inclementiâ, arthritidem contraxit: cujus prima tentamenta adeo acerba fuerunt, ut multos menſes decubuerit.

Ab armis ad literas redit.

Ad medicinam animum applicat.

Arthritidem à primis ſtudiis contrahit.

Valetudo reſtituta priſtinis eum militiæ & literarum ſtudiis reddidit, adeo præteriti morbi oblitum, ut non ſolum ab iis, quæ valetudinem vitiarant, non temperaret, ſed & nova ultrò morborum irritamenta arceſſeret. Nam cùm hactenus Græcas literas ignoraſſet: eas anno poſt primum morbum avidiſſimè proſecutus, incredibili celeritate didicit. Sed pertinaciſſimarum vigiliarum acerbiſſimas pœnas luit, multo acriore, quàm antea, arthritide repetitus. Itaque intermiſſa contentione militiæ, & abdicato turmæ ducatu, ſtatuit literarum ſtudiis reliquum vitæ tempus tranſmittere, tædio prioris inutiliter actæ; cùm jam annum *quadrageſſimum* exceſſiſſet. Quare verè dici poteſt, unicam domum illuſtrium Roverorum ei & belli arcem, & Athenæum fuiſſe.

Græcam linguam diſcit.

Militiæ valedicit.

Erat

Erat in gente Roverorum Episcopus *Agennensis*, Præsul ditissimus, singulari bonitate & pietate, promotus ad eas opes à *Sixto*, & *Julio* Pontificibus Roverorum propinquis. Cùm illi ex officio necessitas incumberet diœcesim suam invisendi, valdè pigebat hominem priscâ simplicitate, & peregrinandi insolentem *Alpes* transgredi, quasi in colonias novi orbis transcriberetur. Ad eum metum accedebat ætas ingravescens, & valetudo cuilibet mutationi opportuna. Quia vero aut omnino migrandum erat, aut Episcopatus abdicandus: satis se ad ancipites casus valetudinis munitum credens, si *Julium Cæsarem* sibi comitem viæ adhiberet; eum per amicos tentatum, mox ipse privatim precibus & blanditiis aggreditur, quòd crederet ad hoc iter suscipiendum haud facilè inductum iri. Neque opinio eum fefellit. Præcisè enim negavit Italiam Transalpinis regionibus mutaturum. Cùm diu pertinacia propositi frustra oppugnata esset; tandem manus dat eâ conditione: ut non amplius, quam octo dies *Agini* detineretur. Quid enim sibi cum eâ gente, cum qua ne unum quidem diem vivere posse? Sed hæc erant verba hominis & amœnitatem Aquitaniæ, & rerum eventa ignorantis. Nam qui octavo die reverti pactus erat, eodem ipso tempore causam consilii mutandi nactus est.

Agennum cum Episcopio.

Educabatur tunc *Agini* apud Aviam, nobilem matronam, puella lectissima *Andiettæ de Roca Lobejaca*, annos nata XIII. Eam primum visam, ita deperire cœpit: ut pactam prius cum Episcopo de reditu in Italiam conditionem, amori ejus posthaberet. Cum itaque nuptias ejus petentem propinqui puellæ, causando ejus quidem jam ingravescentem, puellæ autem acerbam ætatem; sæpe summovissent: non tamen idcirco quicquam de contumaciâ aut amandi aut petendi remittebat: qua tandem effecit; ut *triennio* post, homo annorum *quadraginta quinque* puellam *sexdecim* annorum, uxorem duceret: cum qua annos undetrigìnta vixit, ab an. cIↃ.Ↄ.XXIX. ad annum cIↃ.Ↄ.LVIII. relictis de quindecim, septem liberis superstitibus.

Amore puellæ deperit.

Quam ducit uxorem.

Quicquid is sibi, & publicæ utilitati vixit; id omnem uxori acceptum referri debet. Illa desultoriæ vitæ fluctus & errores composuit: animum vagum & ad incerta transvolantem pudicis suis moribus retinuit: cum ipsa totius rei familiaris onera sustineret, & virum omnis molestiæ securum præstans, sic vacuum ad studia literarum remitteret. Illa tumidum & iracundum sæpe morigeratione suâ placavit, & solennibus podagræ invasionibus repeti solitum charitate conjugis, sedulitate ancillæ curavit; certa, spiritum suum in spiritu viri verti, ideoque sibi consulere, cum illi consultum vellet. Formam ejus supra quotidianam uno ore quondam Nitiobriges, ut & dotes animi ac corporis laudaverunt. Origo ejus ex antiquissimâ & nobilissimâ gente dominorum de *Roca Lobejaca* in Cadurcis. Avus *Benardus*, homo contumax, & perfracti ingenii sub *Ludovico* XII. causam capitis dicens apud Senatum *Tholosanum* interfecti à se domini de *Lusechio* patruelis sui, necessitatem supplicii à se depulit, transactione cum orbis factâ, & omni jure Rocæ Lobejacæ à se in illos translato. Ita Arcem suam longâ majorum serie ad se transmissam liberis interfecti transcripsit, & avito patrimonio exutus *Agennum* Nitiobrigum fese cum liberis suis recepit, uxore annis ante aliquot amissa. Hujus filius *Alanus Andieta* filiolâ bimulâ relictâ, ad modum juvenis decessit. Vetustatem ejus gentis præter alia, quæ in Cadurcis supersunt, argumenta, refert sepulchrum

Ejus elogium.

sepulchrum Episcopi Aginnensis ante hos quadringentos annos amplius vitâ functi; quod visitur hodie in Basilicâ *Stephani* cum vetustissimis Dominorum de *Roca Lobejaca* insignibus, in pariete cellæ, quæ Marianæ juncta.

Staturâ fuit procera, & ad decorum erectâ, regio, & augusto ore, colore fusco, artubus torosis, corpore exercitatissimo. Nam ut in aulâ Maximiliani Cæsaris, sic in Aquitaniâ, omnes in omni genere palæstræ, equitando & armis dimicando superavit. Ac quamvis jam podagra articulos fregisset: tamen adhuc equos domi alebat: quos in campo viridi domitabat; qui ripam Garumnæ & Aginnum interjectus est, quo campo neque porrectiorem, neque amœniorem ulla urbs Gallicana habet. In quo cum *Carbone* illo nobilissimo Aquitano, & acerrimo pugnatore, ludicro certamine hastis confligens, hominem equo dejecit: cum tamen hactenus Carbo tam in Aquitaniâ, quam in *Liguribus Taurinis* in Ludicris equestribus primas obtineret; & in illis invictus haberetur. Sarissa aut sibynâ correptâ, ei innitens in templorum culmina crepebat. Apprehensâ utroque pollice tinâ satis altâ, in eam collecto saltu desiliebat, atque in eodem statu compositus corpus in sublime subjectum extra tinam expediebat, frustra idem tentante, quæ tum intererat, Vasconicâ nobilitate. Annos sexaginta duos natus, manibus arthritide debilitatis, trabem ingentem, & prægravem, quam quatuor operæ moliri non potuerant, & ipse solus loco manibus suis labefactavit, & quo destinatum erat, traduxit. Referremus plura & militaris & campestris disciplinæ ab eo edita exempla, nisi lectorum fastidio occurendum: quorum multi ea tam libenter vituperant, quàm inviti legunt. Non solùm igitur in Pyrrhicâ, quam in homine nobilissimo irridet non nemo: sed etiam in omni palæstrâ, quam hominem tali ortu, & in aula Cæsaris eductum scire oportebat, solers fuit. Quæ ideo retulimus: non ut a vulgaribus meritis ei laudem captemus: sed ut mirentur omnes, eum à duris militiæ studiis, in quibus altus & subactus fuit, ad otium literarum traduci tandem potuisse, præsertim severis *Bonifacii* patrui imperiis à primâ usque pueritiâ assuefactum, ad cujus nomen & mentionem etiam adultus totus tremiscebat. Erat enim homo acer, ferox, impatiens quietis, rigidus disciplinæ militaris exactor & expensor. Contra frater ejus major natu *Benedictus*, erat homo leniissimus & moderatissimus: ut qui ejus fortitudinem & gnavitatem ignoraret, lenitatem hanc lentitudinem interpretari posset. Itaque ex duobus filiis Benedicti, patruus *Julium Cæsarem*, pater *Titum* ex similitudine morum magis diligebat. Ac quemadmodum *Benedicto*, homini placidissimo uxor imperiosa, factiosa, elata (quales semper animos producere solet gens Lodronia) semper aliquid magnum, ac supra fortunam profugi mariti spirans: ita Julio filio iracundo, & ad levia momenta irritabili, contigerat uxor, quæ tum prudentiâ suâ irarum surgentes motus præsentiret: tum patientiâ atque indulgentiâ eluderet.

Prosopographia Scaligeri.

Igitur & militia & arthritide fracto, Philosophia & literæ manum eandem injecerunt, & mollibus disciplinarum suarum imperiis contumacem animum subegerunt. Neque verò obstitit ὀψιμαθία: quin quod alii longo tempore, ille pertinaci labore assequeretur, quamvis ante *quadragesimum septimum* ætatis annum nihil ediderit, neque ante id tempus totum hominem sibi planè subjecissent literæ. Adhuc enim & corpore & animo inter nobilitatis Vas-

Scaliger ὀψιμαθὴς, *sed* ψευδομαθὴς.

conicæ ludicra certamina, & convivia peregrinabatur. Sed postquam morbus jam olim domesticus eum lecto affixit, & quemadmodum corpori facultatem, ita animo voluntatem vagandi ademit: nullum tempus à studiis literarum & lucubrationibus vacuum relinquebat. Quo factum ut eodem tempore nemo eo neque plura, neque meliora ediderit. Quæ omnia bellis civilibus cum domesticâ suppellectile direpta interciderunt ferè. Quoties arthritis ei usum scribendi adimebat, tunc, ut *Ennius* loquitur, poëtabatur, & quotcunque versus noctu conceperat, manè si per frequentiam eorum, qui illum consulebant, aut officii causa invisebant, liceret: sin autem, vesperi, postquam omnis turba illa dilapsa esset, dictabat. Ac tanta erat memoriæ felicitas, etiam in extremâ senectute; ut *ducentos versus* in Vivesiano prædio Josepho filio dictarit, quos die priore conceptos, propter visitatorum officium recitare distulerat. Neque vero minor fuit εὐστοχία ejus in colligendis ex vultu hominum moribus, judicio potius, & vi quadam animi occultâ, quam vanitate Physiognomonica. Neque profectò unquam in eo fallebatur.

Quando poëtari solitus Scaliger.

Memoria Scaligeri.

Ejusdem εὐστοχία.

Prodigiosa etiam ad miraculum usque ex somniis vaticinatio. Unum de multis referemus. Cum *Heroum* suorum *opus* contexens ad multum noctis lucubrasset, absoluto libro, post cœnulam quiete compositus, imaginatus est, in ædem Mariæ Antiquæ Veronensis, ubi sunt monimenta gentis Scaligeræ, hominem procerum, ac gravem sibi obviam factum, secum expostulare, quod se inter Heroas suos non collocasset. Orare igitur, ut hoc faceret: *se Benedictum Brugnolum* esse, *domo Leniacâ, qui Patrem Benedictum ac patruos literas primas docuisset: ipsum quoque puerulum aliquando inter ulnas gestasset. Venetiis se ultimum diem obiisse, ibique sepultum esse.* Experrectus somnium Elegiâ elegantissimâ expressit, quæ calci Heroum addita est. Ipse verò nunquam scivit, quis esset Brugnolus ille, neque quid portenderet somnium. Cognitum tandem à Josepho filio est: Venetiis inter alia, quæ eâ in urbe visenda, monimentum esse *Benedicti Brugnoli Lêniacensis*, excellentissimi ævo suo Grammatici, qui ut ejus Epitaphium fert, & principes & proceres ævi sui in Norico literas docuerit.

Vaticinatio ex somniis.

Benedictus Brugnolus.

Porrò multarum linguarum etiam peritus fuit, *Sclavonicæ*, *Hungaricæ*, *Germanicæ*, *idiotismi Græci*, *Italici*, *Hispanici*, & *Francici*. Sed *Francicum* tribus mensibus, postquam Aginnum venisset, perfectissimè loquebatur: cum tamen & *Valesicum* simul didicisset. Major enim longè differentia linguæ Francicæ & Valesicæ: quam Flandricæ & Germanicæ.

Scaliger multarum linguarum peritus.

Oculis fuit cæruleis dilutioribus, quibus interdum noctu videbat; ut in crepusculo solemus: quod & filio Josepho contigit, à pueritiâ ad vicesimum tertium annum. Nam postea hoc in ipso, ut alia multa, mutavit.

Munditiarum & cultus corporis studiosissimus fuit. Quemadmodum in Italiâ, quod solus strictim tonderet, *Tonsus* vocatus fuit: ita in Aquitaniam solus barbatus venit.

Mendacium ita averfabatur; ut & ad mentionem ipsam excandesceret: & nihil priùs veritate ac pietate in Deum liberis commendabat. *Nunquam memini*, inquit Josephus, *nos pueros coram eo sisti: quin primùm illud præceptum inculcaret: Non mentiri.* Si aliquem mentitum sibi deprehendisset: nunquam postea cum illo in gratiam redibat. Dicebat enim omnem Christianum,

Odium mendacii Scaligeri.

sine

ſine ullâ exceptione à mendacio alienum eſſe debere: nobilem autem hominem etiamſi Chriſtianus non eſſet. Sed & in *Atheos*, quorum illud ſeculum feraciſſimum erat, inexpiabili odio flagrabat. *Petrus Rufus* conſiliarius *Aginnenſis*, qui illi ob doctrinam chariſſimus erat; ut qui & ſummus Peripateticus, & juris civilis Romani conſultiſſimus eſſet, hoc morbo animi laborabat. Nunquam ceſſavit, donec amicum ſæpè convivio adhibitum, aut diſputationibus confectum, aut precibus delinitum, ad meliorem mentem revocaſſet, tradito illi *Auguſtini Eugubini de perenni Philoſophia* opere: quod illi viam ad veram Dei cognitionem muniret, quandoquidem à Rufo nunquam exprimere poſſet, ut ſacra Biblia conſuleret, à quibus Rufi animus abhorreret. Et ſanè ea lectio Rufo ſalivam movit adeò; ut totum ſe protinus ad Theologiæ ſtudium converteret: in quo tantum profecit: ut nemo acrius aut veram pietatem defenderet, aut Atheiſmum oppugnaret. Erat enim acerrimus & acutiſſimus diſputator. Neque ſolum Rufum ſummum virum, ſed & ſciolos quoſdam hoc morbo levavit. Mira ſiquidem ejus erat pietas: ſed præcipua etiam in pauperes charitas. Sub finem Autumni pannos emi curabat, quibus pauperes induebat, & à frigore in totam hyemem defendebat. Cum autem eis cibus miniſtrandus eſſet, filios puerulos adhibitos monebat, eos fratres eſſe, ideoque fraternâ charitate amplectendos: & protinus manibus filiorum ad promum condum deduci præcipiebat. Eos etiam ægrotos tecto recipiebat, & induſtriâ ſuâ curabat, & ſumptibus propriis ſublevabat, re Pharmacopæis, & Chirurgis de ſuo ſolutâ. Domum eis publicam dixiſſes. Tot proceres, tot mediæ & infimæ conditionis homines in illam quotidie confluebant: & ſæpe tantum quidem, ut cibum ſumere illi non vacaret. Tot homines ab Orco, ut ita loquamur, revocavit: ut ſi priſcorum illorum Heroum ſæculo hoc feciſſet, ſupra Æſculapium cultus fuiſſet.

Atheiſmi ejus dem.

Pet. Rufus.

Beneficentia in pauperes.

Felicitas ejus in medicando.

Cùm primum Aginnum venit, neminem deprehendit quocum de literis verba faceret. Tunc enim primum illæ in Gallia naſcebantur beneficio Regis *Franciſci* Magni. Sed *Burdegala* nunquam caruit doctis viris. Nam & in ampliſſimo Senatu, non pauci erant docti, ex quibus præcipuo amore dilexit *Arnaldum Ferronum*, & *Vidum Braſſacum Golardum*, virum nobiliſſimum. In Gymnaſio autem Aquitanico Burdigalenſi tunc erant *Buchananus Tevius*, alii. Ii quotannis feriis Vindemialibus *Aginnum* Julii Cæſaris viſendi commeabant, quos & tecto & menſâ excipiebat. Negabat enim ſibi rem cum podagrâ eſſe, quoties tales convivas haberet; quibuscum de literis loqui poſſet.

Amici Scaligeri doctis.

Anno Chriſti cIↃ.IↃ.LVIII. qui erat ejus vitæ *ſeptuageſimus quintus*, propter anni intemperiem valde æſtuare cæpit. Ad æſtum levandum ſucco Albatecæ, ut Hiſpanis dicitur, ut Vaſconibus Aubiecæ, ſupra vires ſeniles uſus, ex obſtructa ob cruditatem illius fructus veſicâ, languorem nactus eſt: quo in diem ingraveſcente, ne ſtillam quidem urinæ per XIX. dies continuos emiſit Balneo, quod ipſi ſibi præſcripſerat, refotus, urinæ quidem obſtructos meatus reſuravit: ſed corpus ſenile inedia & diuturno morbo emaciatum nullo remedio reficere potuit. Quare *quadraginta duos dies* cum illo languore conflictatus, XII. Kal. Novembris obiit, maximo omnium dolore, & luctu, quem in exequiis ejus magnificis teſtati ſunt, quales fieri ipſe teſtamento vetuiſſet:

Morbus Scaligeri.

Moritur Scaliger.

tuisset : quo etiam cavit, ne ullum aliud Epitaphium monimento suo incideretur, præter hæc verba :

Epitaphium ejus.

JULII CÆSARIS SCALIGERI
quod fuit.

Hunc finem habuit vir vetustate generis, quæcunque ea est, nisi ad fabulas recurratur, nemini secundus. Sed non parum fecit, quod hominis privati in *Nitiobrigibus* summum fastigium attigit, qui principis imum in patria tenere *Fuimus Troës.* noluisset. Officia principis amisit, hominis exercuit. Imperium amplissimum, & ditionem multarum ac potentissimarum urbium amiserant majores ejus. Hæc ille non morabatur ; certus, si quid splendoris ex illâ fortunâ redundabat, id totum non ad suam, sed ad majorum suorum virtutem referendum esse. Imò absurdum non est, in majoribus ejus quosdam in tantis opibus nullâ oris aut corporis dignitate fuisse : quæ tanta in illo erat : ut nemo unquam eum viderit, quin protinùs dicere jure posset, εἰδῶ ἄξιον πεγγνίδῶ. Et certè omnia ejus, corpus, incessus, gestus, oratio, stilus, libri, nihil vulgare redolent. Propterea pauci ejus libros attingunt ; nisi qui nihil plebeium sapiunt.

Liberi Scaligeri. Audectus Scaliger. Liberos ex *quinque maribus quatuor : feminas ex decem* ; *tres* reliquit. *Audectus* quinquennio antè Josephum natus, primus ex maribus orbos parentes fecit. De quo tàm verùm est ; quod dicemus, quam mirum. Cum ea esset illius infantis indoles, quæ non solùm parentes, sed etiam extrarios in amorem sui invitaret, & ut ratio postulat, pater eum impendio amaret ; tamen non poterat sibi temperare, quin quoties in puerum oculos conjiceret, vultum tristitiâ contraheret, & signa animi mœrore depositi, cum gemitu ederet ; ita ut mater non difficulter colligeret, patrem saluti filii diffidere. Cùm causam doloris ex viro exquireret, ille caveret à nutrice vinosâ, monere : sibi exploratum esse, puerum suffocatum iri. Cùm quotidie hanc curam matri objiceret, cæpit & ipsa quoque seriò timere. Itaque accidit, ut noctu surgens nutricem puero indormientem deprehenderet, ore ejus in os pueri impresso, adeo ut puero exanimando punctum temporis deesset : qui ægrè ab eâ oppressione refectus est. Cum iterum, & tertiùm in majore periculo puerum offendisset, ebriosæ mulieris culpâ, ante tempus ablactatum puellæ pedisequæ custodiendum & regendum commisit. Miseram parentem nutricis amolitione periculum à capite filii depulisse, sese autem defunctam omni metu existimantem, nihilo securiorem pater esse sinebat. Quare cum gerula puerum insanum in modum amaret ; nocte quadam dormiens misellum inter arctissimos complexus * *exanimavit.* Ità patris vaticinium infelix exitus comprobavit. *Leonardus*, anno minor Josepho, à duodecim sicariis oppressus, & obtruncatus est, ad Laudunum oppidum Pictonum bellis civilibus. *Julium Constantium*, minorem Josepho quatuor annis, factio nobilitatis per æmulationem in Transylvania interfecit, cum castro cuidam regendo à *Stephano Despota*, qui postea Poloniæ rex fuit, impositus fuisset. Ambobus fortitudo sua, & rara indoles, exitio fuit. Ex quibus *Leonardus* avo Benedicto, Constantius autem propatruo *Bonifacio* simillimus erat. *Silvium* maximum omnium

natu

* *Vide Jul. Cæsar. patris orationem in Audeti. Leonardus Scaliger. Julius Constantinus Scaliger.*

Silvius Scali-

natu, annis totis decem majorem Joſepho, morbus in dotalibus agris *Novempopulaniæ* extinxit, annum agentem ætatis quinquageſimum quintum. Quatuor fratribus ſolus *Joſephus* ſuperſtes *decimus quartus* matris ſuæ: de quo alibi.

ger, qui libros Poet. pater in ſcripſit. & de cauſis linguæ Latin. Joſephus Scaliger: de quo Parentalia ipſi facta Lugduni Batavorum.

Julius Cæſar Scaliger animæ ſuæ profecturæ.

Egredere ô miſeris multum defuncta ruinis,
Egredere & ſervis ſervilia regna relinque.
Aude, hoſpes; tenebris horrendi imponere finem
Exilii, & patriæ ſperatas quærere ſedes.
Triſtes exuviæ, falſæque incommoda lucis,
Iſthic nunc, fera turba, jace, nos libera cœli
Pignora, ſperato jam jam potiemur Olympo.
Tu modo, nate Deo, rerum pia victima, Jeſu,
Aſpice nos, qui cuncta animas: ſpes unica, mortem
Exue morte novâ, atque novâ vitâ induc vitam.

Julii Cæſaris Epitaphium ab ipſomet compoſitum.

Extulit Italia, eduxit Germania, Juli
Ultima Scaligeri funera Gallus habet.
Hinc Phœbi dotes, hinc duri robora Martis.
Reddere non potuit nobiliore loco.

Ejuſdem teſtimonium de ſe, quod omnibus libris proſcribebat.

Βάρβαρος ὁ πλοῦσι' ἀλλ' ἀβέτε ἔυχομαι εἶναι,
Οὐδ' ἂν ἀμοιβαίμην πρὸς Κροίσου πάτραν
Ἣν δὲ Σκαλιγέρων θείων γένος, ἔρνος ἀρίστου
Φοῖβον ὅλον κατέχων σήθεσι, παῖσμα πύρης.

Joſephus Scaliger Epiſtolâ ad Janum Douzam de gente Scaligera: Julius Cæſar Scaliger in exercitationibus: & oratione in luctu Audecti filii.

Opera

Opera Impressa *Julii Cæsaris Scaligeri.*

Exercitationum exotericarum Libri 15 ad Hieronymum Cardanum.
Epistolæ & Orationes.
De causis Linguæ Latinæ.
Hymni, & Poëmata Sacra.
Epigrammata in Clariores Urbes.
Testimonia de Gente Scaligera.
Poemata de Ajace Lorario.
Commentarii in Hipocratem de Insomniis.
Oratio in luctum Filioli Audecti.
Commentarii in Aristotelem de Plantis.
Commentarii in Aristotelem Lib: Hist.
Commentarii in Theophrast. de Plantis.
De Poetica.
Doctrina veræ Alchimiæ atque artis metallicæ.
Oratio pro Cicerone contra Ciceronianum Erasmi.
De sapientia & Beatitudine.
Elysius.
De Numeris Conicis.
Oratio in partu filii habita.
De Ponte Julii Cæsaris.
Duæ Orationes contra Erasm. de Optimo dicendi genere.
Vita per Josephum Scaligerum.

EPISTOLA

EPISTOLA CCCCLIII.

Viro Clariſſimo, Iſaaco Caſaubono, *ſuo* S. D. Daniel Heinſius, *in qua de morte Illuſt. viri* Joſephi Scaligeri.

VIR Clariſſime, Si ullo modo reus eſſem criminis illius cujus me ſuperiores tuæ accuſabant, hoc eſt, niſi quater aut quinquies de obitu communis amici & parentis noſtri τοῦ νῦν μακαρίτου diligentiſſime ad te ſcripſiſſem, & illius commendatione, cui amicitiam tuam debeo, & ea ipſa amicitia, cui omnia merito ſemper poſtpoſui, indignus eſſem. Nunc cum infelicitate mea factum ſit, non culpa, ut de negligentia mea conqueraris, dabo operam, ut quam de me opinionem, ex aliorum culpa concepiſti, hanc viciſſim meæ diligentiæ condones. Et quandoquidem, ὃ θαυμάσιον κέρδος è divini ejus viri virtutibus, quem æque ambo coluimus, nihil præter recordationem nobis reſtat, faciam, ut hoc πλεονέκτημα meum, qui raro quidem quamdiu in hac urbe vixi, nunquam aut rariſſime ſub mortem, ab eo diſceſſi, magna parva quæque obſervare & audire ex eo potui, mecum tibi ſit commune. Quamvis enim fieri non poſſit, quinqui talem tantumque amicum, qui parentem, præceptorem, qui nutricium amiſit, ad commemorationem ſingulorum vehementius commoveatur, quod admonitu non parum recrudeſcat luctus, tamen ubi idem ille aliquantulum remittit, & jam rationi pluſculum de ſe permiſit, ſive voluptate aliqua meminiſſe eorum vix poſſumus, quæ quo magis ſunt præclara ac heroica, eo dolorem adhuc crudum ac recentem vehementius accendunt. Cujus generis non pauca ex divini ſenis ore excepi: qui paulatim morti ac naturæ ceſſit, & a morbo potius conſumptus quam oppreſſus eſt. Menſes admodum ſex ſunt, cum de editione Plauti, urgente Raphelengio noſtro, qui non ignoraret, quantum apud eum prope ſolus poſſem cum eo cœpi agere. Qua in re, ſive amori meo, ſive precibus hoc dedit, ut, quod conſtantiſſime omnibus negarat, mea cauſa & typographi ſuſciperet.

Itaque

Itaque inter nos convenerat, ut uterque hoc ageremus: ego, editionem adornarem, certissima quæque è codicibus, pauca & quæ firmis niterentur rationibus, aut postea à libris confirmata essent, è doctorum emendationibus in textum reciperem, ac deinde singula cum eo communicarem: ille Comicum percurreret, & quæ olim partim adnotarat, partim in memoria, qua plane incomparabili, ut nosti, utebatur, reposita haberet, partim & legendo revocaret, nobis traderet. Sed heu! paulo post, cum dies aliquot continuos, ut sæpe alias, scribendis ad amicos literis dedisset, de ἀνορεξίᾳ subita ἐ δυσλίᾳ vehementer queri cœpit. Ita ut ab omni prope cibo abstineret. Nec post illud tempus, quod rarissime, nec nisi alicujus morbi gravioris victus vi aut pertinacia, consueverat, musæum ingressus est. Ita sine manifesta aliqua mutatione, mentem integrum ad focum in cubiculo sedebat, ut amicis tantum qui accederent, vacaret, neque minus tamen de literis semper cogitare, & libellum penes se habere, quo & morbi tædium & temporis legendo falleret, & è studiis Musarum, quas feliciore nemo coluit successu, ultimam hanc voluptatem caperet. Porro hoc loco positus cum minus minusque cibum quotidie appeteret, magisque ac magis simul animo & corpore langueret, cœpit, quod res erat, nescio quid mali gravioris suspicari. Est huic aëri familiaris quidam morbus, sive languor, quem scorbutum vulgo vocant. Plinius sceletyrben & stomacacen à Medicis suis temporis dictum fuisse notat. Hunc per se ipse, de Medicorum judiciis securus, præsensit. Neque frustra unquam fuit viri prudentissimi vel spes vel metus. Nam ut hoc malum ex priori, ita ex hoc ipso tertium sibi imminere, sæpius dicebat: hydropem nimirum, &, quod magis admirati sumus, certam ejus speciem, τὸ τυμπανίτιδω nempe. Quæ ut aliis plerisque, ita viro huic maximo fatalis fuit. Sunt in hac urbe Medici aliquot clarissimi, & ut ἰατρικῆς ὕλης admodum gnari, ita τὸ ἐμπειρεῖσθαι τὸ ἄκρον ἐλληνικόπες. Inter quos maxime familiariter Ælio Everardo Vorstio, nunc Magnifico apud nos Rectore, utebatur: viro, præter Medicinam, rerum plurimarum egregie perito: cui è baptismo filiolum, miræ indolis puerum, susceperat. Hic primum, ut amicus, cum adhuc medicos aversaretur, invisere aliquoties eum cœpit, & ut majorem sui rationem habere vellet, partim precibus, partim consilio & rationibus, ab eo postulare. Quod cum ægre impetraret, (vehementer enim omnem Medicorum opem, ac præsertim potiones, respuebat) collegam suum virum præstantissimum Reinerum Bontium, circumspectissime adjunxit sibi: partim illius memor, Σύνπ δ' ἐρχομένω: partim, ut si tanto viro præter expectationem, quod futurum omnes jam videbant, gravius quid evenisset, nihil ab uno prætermissum putaretur, quod præstari à duobus posset. Ita simul summi hominis constantiam aggressi sunt, qui vix ulla ratione adduci poterat, ut mortem, quam effugere vix posse videbatur, saltem differri pateretur. Qui initio, qua erat in his quoque rebus peritia, oppugnare eorum consilia quam sequi malebat. Neq; scio, an quicquam perperam, nihil certe sine ratione dixit. Ut illi quoque quibus commissa salus ejus esset, nihil esse difficilius, quam viro tam multarum rerum gnaro, aliquid præscribere, non semel inter se conquererentur. Nam præterquam quod & nomina herbarum & vires, ex frequenti τῶν ῥιζοτόμων lectione, ad unguem didicerat, optime de morbo suo judicabat, quem talem esse ajebat, ut humana

humana ope curari non poſſet. Interim, quantum corporis, quod jam ἀθρίᾳ penitus emaciatum erat, infirmitas permitteret, animum, quaſi in ſtatione, ſemper erectum habebat, ac ne tum quidem, ut nihil ageret, à ſe impetrare potuit. Exiſtimo poſtremos, quibus ante mortem uſus eſt, autores, Polybium & Lipſii De re Militari libros fuiſſe, quorum in altero, qui penes me eſt, infinita emandaverat, ac, inter cætera, pauciſſimis, antequam penitus lectulo affixus jaceret, diebus, pilum Romanum ex auctoris doctiſſimi deſcriptione manu ſua accurate delineaverat: quod in eo omnes qui Polybium illuſtrare conati eſſent, erraſſe exiſtimaret; in altero, nonnulla, in quibus diſſentiret, annotaverat. Cæterum, cum indies jam malum gliſceret, ac conſtans ἀσιτία vires amplius conſiſtere non ſineret, tanquam miles jam emeritus, volente ita ac jubente natura, quod ab eo obtinere nec amici potuerant nec Medici, omni abdicare ſe ſtudio coactus eſt. Qua de re plerumque apud me conquerebatur. Dolebat enim aliquod perire ſibi tempus, neque amplius ſe vivere, ſed ſupereſſe ſibi, quotidie conquerebatur. Toto morbi tempore, cum de morte nunquam dubitaſſet, ardentiſſimas ad Deum preces fundebat, &, ſive ſolus, ſive cum amicis eſſet, magno ardore ac intentione animi delicta ſua deplorabat, quæ quidem ἀνάριθμητα eſſe, tamen fiduciam, quam in eo repoſitam haberet qui peccatum nobis factus eſſet, longe majorem eſſe, ajebat. Sæpe repetebat, certo quidem ſcire ſe, inſtare ſibi mortem. Abeſſe autem tantum, ut communem illum terminum naturæ ac viri ſapientis portum, ſubterfugeret aut detrectaret, ut nihil aliud à Deo peteret, nihil aliud jam cogitaret, niſi ut quam minimo dolore & breviſſimo his vinclis ſolveretur. Æternæ vitæ gaudia præcipere ſe animo ac jam ſentire. Non dubitare ſe quin agnum omnibus mactatum, τὸν μονογενῆ σωτῆρα, τὸν ἐν πᾶσι πάθεσι, cujus deſiderio langueret, brevi jam viſurus eſſet. Reliqua ſordere ſibi, neque quicquam eſſe, cujus cauſa, vel ad horam, vitæ hujus uſum prorogari ſibi vellet. In his vocibus ac cogitationibus non ſemel eum deprehendi. Nihil humile, aut vulgare, aut abjectum loquebatur, qui & voces tales & ſolatia averſabatur, quædam & cum indignatione accepit, ajebat enim puerum ſe iſta didiciſſe. Si quis ſpem vitæ ſupereſſe diceret, petebat, ut hanc ſpem ſervaret ſibi, non enim ſenis intereſſe, quando moreretur: cui ſemel neceſſarium, ſemper tempeſtivum eſſet mori, multo minus Chriſtiani, cujus eſſet bene mori. Quodam tempore, cum omni laudis ac virtutis genere ornatiſſimus clariſſimuſque ſenex Cluſius noſter, qui jam aliquandiu, partim per ætatem (octuageſimum enim annum & aliquot explevit) partim ex debilitate pedum domi ſe continuit, famulum ad eum mitteret, peteretque, ut excuſatum ſe haberet, quod in hoc officio deficeret, reſpondit, non libenter modo ſe ignoſcere illi, ſed & ſingularem animi benevolentiam amplecti, neque opus hoc officio nunc eſſe; futurum enim fruſtra, cum uterque brevi in eundem locum conventuri eſſent, ubi alter alterum ἀγήρως καὶ ἄνοσον complecteretur. Nam præcedere ſe quidem, illum autem ſequi. Inter reliquas virtutes ejus, ſemper prudentiam miratus ſum, quam cum aliis in rebus tum in hoc potiſſimum teſtatus eſt, quod fere annis ſingulis ſupremam voluntatem conſignaret, & in teſtamenti tabulas referret, ſi quid vel mutaret, vel prætermiſſum eſſet, quod poſt obitum præſtari vellet, ne aut teſtamento veteri aut ἀδιαθέτῳ, decederet. I-

dem ſub initium morbi cum in animo haberet, Bibliothecæ ſuæ indicem ad me miſit, petiitque, ut ex eo libros ſeligerem quos vellem, certo enim ſcire, finem vitæ jam inſtare: ideoque tempus eſſe, ut de amicis cogitaret. Hæc ἀπαθῶς & admodum conſtanter. Quod cum peteret (nam & antea de tota nobis reliquenda mecum egerat, in quo pietatem meam ac modeſtiam expertus fuerat) non ſine lachrymis, quæ coram illo imbibendæ erant, petere me dixi, Pietatis meæ ac pudoris rationem aliquam haberet, nec præcipuas delicias ac voluptates ſuas, quibus vitam ſuſtineret, ante mortem aliis tranſcriberet. Frueretur illis diu, quibus maxime delectaretur; & quod vitæ ſupereſſet, ſine curis ac moleſtiis non neceſſariis tranſigeret. Solum illum ſcire, quantopere eum ſemper reveritus fuiſſem. Funeſta eſſe dona, quæ amiſſione ac divortio tam venerandi capitis penſanda eſſent. Supereſſe alia non pauca, per quæ meminiſſe illius poſſem. Vitam præ reliquis, quam emendate & ad exemplum omnium egiſſet, tum non pauca quæ ex eo didiciſſem. Ad quæ ille maxima ſeveritate (erat enim δεινὸς ἀνὴρ τὰ παιδικὰ) recuſantem eo perpulit, ut quoſdam in ſchediolo notarem. Idem duo ex præcipuis amicis fecerunt, cæteris nonnullos ipſe, quos relinqueret, elegit. Inter eos quorum rationem habuit, ut de utroque noſtrûm nihil dicam, præcipui fuerunt, Vir Ampliſſimus Cornelius vander Mylius, Academiæ Curator, quem mirifice amarat ſemper, Clariſſimi viri Dominicus Baudius, Johannes Latius, Grotius ὁ θαυμάσιος, & Johannes Rutgerſius, juventutis noſtræ, ſive ingenium, ſive eruditionem, ſive ſpem quam de ſe quotidie majorem præbet, videas hodie Princeps, Reliqui (exceptis his quos Academiæ legavit) divenditi ſunt, è quibus æs haud ſane modicum confectum eſt, quod œconomo illius, qui fideliter τῷ μακαείτῃ annos plurimos inſerviit, ex voluntate ejus ceſſit. Ipſe, quia verecundum nimis ac modeſtum in eligendo judicabat, quod prætermiſſum à me fuerat, ex ſupellectile argentea ſupplevit, è qua quod clariſſimum habuerat, reliquit. Sed ad mortem redeo. Aliquot diebus ante ſummum ac fatale tempus (vide heroicam ac ſummam circa τὸ θάνατον ſecuritatem) cum ad eum acceſſiſſem, de verſiculis quibuſdam ſuis, cum antea ne mentionem quidem ejus rei ferret (nemo enim magis ſua contemnebat) utrum eos editurus eſſem, perfunctorie quæſivit. Cum facturum me dixiſſem; Scazontem, inquit, quendam qui prætermittendus non erit, primæ Manilii editioni præfixum invenies. Memini me tamen alibi memoria lapſum eſſe. Igitur pro illo

Rex Celtiberæ Tarraconis Alfonſus,
reponendus erit ille,
Caſtellæ amœnæ rex vetuſtus Alfonſus.

Hæc oculis languentibus, ac fractis morbo viribus, vicinus, ut tum quidem videbatur, morti, integerrimis tamen ſenſibus dicebat. Quem, cum domum rediiſſem, percuſſus miraculo, in meo codice, ut juſſus fueram, notavi. Verum admirandi hujus vel tranquillitatis vel ſecuritatis, niſi ἀδιαφορίαν vocare malis, toto morbi tempore plurima quotidie amicis exempla dedit. E quibus unum quod in mentem nobis nunc venit, apud te diſſimulare non poſſum. Solebam, quoties aliquid carmine aut ſermone concepiſſem, minus occupato

cupato id recitare. Quæ res tantæ voluptati illi erat, ut plerumque quæreret, quid novi attuliſſem. Eſt Hagæ Comitis, vir nobiliſſimus, neque minus eruditionis, cum ſit ipſe eruditiſſimus, mire amans, Principi noſtro a Secretis, Johannes Milander Pœderoyæ Dominus, qui cum exquiſitæ formæ atque ætatis floridæ uxorem, ipſe ſenex duxiſſet, nuptiali carmine amicum proſecutus eram. Uno menſe circiter aut paulo amplius ante obitum, cum more ſolito languentem acceſſiſſem, maximo cum gaudio accepit venientem, & cum frigus unice intenſum eſſet, togam promi juſſit: quam cum puer attuliſſet, cruri ſuo periſcelidem diripuit, ac ipſe toga me accinxit, petiitque ut in cœna ſecum eſſem. In qua, quamvis æger, quamvis conclamatus, quamvis ab initio morbi nunquam de fine ejus dubitaſſet, ſed & ſæpius acerrime invectus in amicos eſſet, qui periculum extenuarent, aut ſpem vitæ facerent, quamvis denique omni cibo ipſe abſtineret & ſpectator cœnæ tantum eſſet, maxima hilaritate me excepit. Paulo antequam accubuiſſem menſæ, quia adlubeſcere videbam, carmen illi, quod conſcripſeram, prælegi. Quod cum placuiſſe ſibi, ut ſolebat, plurimis teſtatus eſſet, Brevi, inquit, alterum Epithalamium ſcribendum erit. Cum tacerem, neque aſſequerer quid vellet; iterum, Joſepho, inquit, Scaligero, & Aquæ Intercuti, vide ut alterum, Amice, ſcribas. Ita enim præter expectationem meam in re capitali ſua lepide jocari ſolebat, ut nonnunquam, novum ſe Diogenem diceret, nam ut illum, ita ſe in dolio jam habitare, de ventre autem loquebatur, qui non parum prominere cœperat. Die quodam, cum mœſtiſſimus ad ejus lectulum ſederem, quod paulatim Solem iſtum nobis eripi, nec procul eſſe occaſum ejus ex indiciis quamplurimis colligerem, poſtquam de nonnullis mecum libere egiſſet, aliquandiu me intuitus, Illud affirmare cuivis, inquit, tibi perſuadere potes Joſephum Scaligerum neminem æque amaſſe ac Danielem Heinſium. Et utinam, quod ſæpe dixi, Pater meus Julius te noſſet, quam efflictim te amaſſet! Non ita multò poſt, die alio cum rediiſſem, & de valetudine interrogaſſem, Fili, inquit, Daniel, extrema vides. Vix dolori parſum. Corpus, ex aſſidua hac decumbendi conſuetudine & morbi inclementia, exhauſtum eſt. Manet idem vigor animi. Inimici mei ſi me videant, divinæ iræ hoc aſcribant. Noſti quid de aliis jam divulgarint. Tu de his teſtari potes. Perge ut cœpiſti. Et hoc age, ut memoriam illius qui tantopere te amat, ſancte tuearis. Sed & Deus ſine dubio te amat; Et amabit, quamdiu bona tua illi referes acceptum, quæ quo minus oſtentabis, eo pluris erunt. Arrogantiam & faſtum vita. Ab ambitione, quantum potes cave, & inprimis, ne adverſus animi ſententiam, illius cauſa quicquam agas. Quicquid in te eſt, illius totum eſt. Τέκνον φίλε οἰχόμεθα. Fuit tibi tuus Scaliger. Ego, cum ad voces illas aliquid pararem, ita linqui animo me ſenſi, ut in lacrymas effuſus, quæ diſſimulandæ coram eo erant, voci vix ſuppeditarem. Quare aliquantulum in proximum triclinium ſeceſſi, donec integer & mei compos, denuo me exhiberem. Paucis poſt diebus, cum ob cauſam ſonticam, qui diuturniorem quoque morbum fore ſuſpicaret, Lugduno Hagam, Hagа Delphos profectus eſſem, & octavam circa horam domum rediiſſem, Ecce tibi ſubito & præter omnem expectationem, amiciſſimi Baudii privignum, qui jam in extremis verſari Scaligerum ſignificaret. Protinus venirem ac me illi iſtе-

rem. Addebat, petere hoc ægrum, & nonnulla de me illi, quamvis animam agenti, excidiſſe. Ego, quanquam nihil præter finem vitæ ab hoc morbo expectandum, & vidiſſem ipſe, & amicos ſæpe monuiſſem, tamen vehementer animo commotus, aut, ut loquar verius, ignarus mei, propere accurro. Ibi vero ſenem noſtrum (quod ne jam quidem ſine lachrymis commemorare poſſum) ὀλιγοπελέοντα καὶ μονονυχὶ ἀφορῶντα τὰ λοίσθια ὄντα, ſine ullo ſenſu ægre trahentem animam, invenio, quæ paulatim per momenta ſingula, circa horam vero quartam matutinam, poſt ſupremas preces, penitus, & quidam ita placide defecit, ut ſine ulla vel leviſſima mutatione, non tam expiraverit quam vivere deſierit, cum tamen ſatis valide atque acriter, tanquam integer ætate ac primævus, horas plurimas cum morte colluctatus eſſet. Quod & Cæſari Parenti ejus (ob immenſum credo & heroicum vigorem) eveniſſe, ſæpius ex eo intellexi. Simul expiraſſe vidi, protinus ad lectulum acceſſi, ut defuncti oculos componerem; quos ultimo aſpectu noſtri ſatiare ante obitum deſideraverat. Cæterum cum lachrymæ obſtarent, hoc officium fidiſſimus œconomus prævertit: qui & ipſe ingentem lachrymarum vim cum maximo clamore ac ejulatu, &, ut ille Socratis amicus in Phœdone, ἀναζευχησάμενος καὶ ἀλαλαξάντων, effundebat, qui, quo melior vir & hero fidelior ſemper fuerat, eo magis omnibus commiſerationem ac lachrymas commovit: mihi vero animum excuſſit. Non enim, mi Iſaaci, dubitabis, quid & quantum, ſolus pene, in communi hac calamitate amiſerim, qui non neſcis, quid & quantum ex aſſidua familiaritate tanti hominis, niſi mihi defuiſſem, proficere potuerim, quem ille ex omni juventute, quem tantopere diligeret, inſtrueret, formaret, cui omnia optima præciperet, ante annos aliquot elegerat, cui tot magnorum hominum favorem ac benevolentiam conciliaverat. Inter quos Ampliſſimum Thuanum, Nobiliſſimum Douſam, te præ cæteris, mi Cauſabone, ſemper habui. Nullus unquam huc legatus venit, cui non me ſponte commendarit, apud quem non effuſiſſime, nec pro tenuitate mea, ſed pro ineffabili amore ſuo, de me verba fecerit, cum ſine ullius commendatione, annos natus circiter octodecim, in urbe hac primo illi innotuerim. Inter prima tamen pono, quod ætatem noſtram, adhuc lubricam ac fluctuantem, ſaluberrimis conſiliis ac monitis direxerat: quod judicium de omnibus autoribus antiquis, candidiſſime quotidie communicaret. Inter ambulandum, cœnandum, prandendum, omnia de quibus dubitarem ſolveret ac expediret, quædam & de quibus dubitandum eſſet, callide dictaret ac ſuggereret. Nam plerique hodie ne dubitare quidem ſciunt, quibus omnia contemnere ac neſcire ſatis eſt. Omitto omnia majora quam in homine quæ ſemper vidi, quibus horis ſingulis interfui. Omitto tot acute dicta, tot heroicas omitto voces quas excepi ac notavi. Ut ab eo nunquam niſi ἔνθεος καὶ ὁσιονεὶ θεοφόρητος diſceſſerim: ἀκήκοως μὴ ἀνδρὸς, ὦ σεβάσμιον κάρα, ἔτ' ἀπίστως πως ἔχοντος ὅτι τῷ τέλει, καὶ ἐκ Πλάτωνα, ὄντος ἢ φύσιν μὲν δαιμονίου, ἢ κείσιν δὲ εἰς τὰ ἔργα καὶ ὑφ' ἅπαν δαῦμα ἠκειωμένου. Τῶν μὲν δὴ τότε τῷ ἥρωος, ὃν φίλε καὶ θεῖε Καπωβόνιε, σὺ καθ' ἡμέραν σκέψεων ἐσοδίων καὶ ξυνουσιάζοντος, ἃ μόνον ἐν τῇς κύκλῳ μαθήμασι προκόπτειν καὶ περὶ ὀλίγα πεποιημένα εἰς μέλλον, ἐλπίδος ἕνεκα, πάντῳ ὅτῳ ἐκείνῳ αὐδεὶ σωῶν, ἢ ἐρώτων δὲ, ναὶ μὰ σὲ τὸ πρῶτα πάντων ὄντα, καὶ ἐπιστημῶν ἀπέδου πρεσβύτων μοι ἐδόκουν· ἐκείνος μόνος παρὼν ἦν, πάντα τὰ μαντεῖα καὶ χρησμεῖα

θεία

σῆεια οἴκοι ἔχειν ὑπολαμβάνων. Τὸ δὲ τῶν ἐξῆ, πολλὰ πρὸς ἐμαυτὸν, ὅτε ἀνδρὸς ἐστερημένῳ εἰμὶ, καὶ ἐξ οἵων οἷοις ἐπιστεῦσαι διανοέμωθ', ἀξιωτόν μοι ἅπαντα τὸν λοιπὸν νομίζω βίον. Denique, ut cum politiſſimo autore loquar, cum quo nemo lubentius quam ille loquebatur. *Lacrumo, quæ poſthac futura eſt vita, cum in mentem venit Solitudoque.* Nam quæ aliquod ſolatium adferre nobis poterant & aliis adferre credo, ea maxime nos cruciant, cum non modo manum ejus quem tantopere dilexi, ſingulis diebus, in legatis ejus video & tracto, ſed & nomen meum ea manu ſcriptum invenio. Tanta enim viri illius ingenuitas ac candor fuit, ut locorum emendationes quas ex tempore ſuggeſſi aut cum eo obiter communicavi, nomine appoſito in margine expreſſerit. Quod in Herodoto, Heſychioque factum. Hæc nunc nobis totidem ſunt cruces. Sed hæc hactenus. Quarto die, ſine ulla, ut præceperat, exequiarum pompa, ſolis præeuntibus majorum inſignibus, tanto omnium ordinum, omnium ætatum, tanto utriuſque ſexus concurſu ac ſtudio elatus eſt, ut viæ incedentibus anguſtæ, templum ab effuſa multitudine occupatum eſſet. Ego, quanquam excuſari maluiſſem, tamen exigentibus id à me Academiæ Curatoribus, ante omnia officii & pietatis ratione, qua ſola excuſari quoque potui, oratione publica à funere defunctum proſecutus ſum: cujus concluſio lachrymæ fuerunt, quibus ἐμφαπκώπεσν quam voce cum præirem ipſe, eas auditoribus expreſſi. Sepultus eſt in templo Gallico, vulgo D. Mariæ dicto, juxta locum ac ſubſelliæ è quibus conciones audiebat. Sepulchro ſuo verba hæc inſcribi juſſit:

JOSEPHUS. SCALIGER. JULII. CÆSARIS.
A. BURDEN. FILIUS. RESURRECTIONEM.
HIC. EXPECTAT.

Ex quo modeſtiam divini viri, ex quo pietatem & τὸ ἀπόιπον quod ſemper præ ſe tulit, facile agnoſces. Monumentum illi publicum, aut potius Inſcriptio, à Curatoribus decreta eſt, quam cum Oratione noſtra & Epicediis accipies. Hic fuit exitus illius viri, quo majorem aut qui plura ſciret, vix fuiſſe unquam, ſemper judicaſti. Certe nunquam ætas iſta, nunquam Academia hæc plus amiſit: quia Academiam amiſit, quod de eo olim Nobiliſſimus vir Janus Douſa Academiæ Curator publice teſtatus eſt. Hoc affirmare tibi poſſum, vos amicos ejus, qui ex ſcriptis eruditionem ejus æſtimaſtis, vix viceſimam illius partem ſatis perſpexiſſe. Præter enim omnium ætatum, & locorum, præter omnium temporum ac gentium hiſtoriam, præter omnium linguarum ac diſciplinarum ſcientiam, quod maxime in eo ſemper admirati ſumus, promptitudo fuit & memoria extemporalis: quæ tam bonum illi nomen erat, ut quæcunque legeret, teneret ac reconderet; de iis autem quæ recondidiſſet, quovis loco quovis tempore interrogatus reſponderet, non inter eruditos tantum, ſed & inter eos, qui in Rebus publicis & aulis toti occupantur. Ut non modo res quæ quotidie geruntur, in Gallico præſertim regno, ſed & ſingulorum qui aliquo in eo eſſent loco, inſtituta, mores, ingenium

nium ac conſuetudinem, in numerato haberet. Quæ res Præſidem Janinum, cum hic eſſet, in ſtuporem dedit, qui deceptum ſe fuiſſe ab amicis affirmabat. Expectaſſe enim virum, ex eorum commendatione, eruditum: inveniſſe hominem qui nihil ignoraret. Nihil enim ſtudioſi hominis, nihil ex umbra habebat. Forma eximia fuit: niſi quod collapſa tempora ac cava, ſæpe materiem jocandi illi darent. Statura non tam alta ac procera quam mediocri ac habili: quod non niſi ex aſtantis alicujus qui procerus eſſet comparatione deprehendebatur. Oculis ſagacibus & qui illum animi vigorem præ ſe ferrent. Acutis autem adeo, ut vel minimos quoſque ductus, minima quæque ac moroſiſſima Orientis puncta atque apices, qui, ut noſti optime, aut offendunt vehementer oculos aut fugiunt, ad mortem uſque aſſequeretur. Mundiciarum in cultu ſummam ſemper rationem habuit: ab omni illuvie & ſqualore ad ſupremam uſque ætatem alieniſſimus, ut ne ſordem quidem ullam aut capillum eminentem ferret. Barbam in Batavia ſub ſenectutem tantum aluit: quæ & reliqua non parum commendabat. Nam in Gallia, quod optime amici ejus meminerunt, ſtrictius tondebat, interim & radebatur. Valetudine haud parum firma etiam hic uſus eſt, niſi quod de duritate alvi ac moroſitate ſæpius conquereretur, ut non aliam mortis ſibi cauſam fore apud me non ſemel auguratus ſit. Interdum catarrho, nonnunquam & dolore coli tentabatur. Dentes, cum cætera conſtarent, raros habuit: aliquandiu ante obitum prope nullos. Ut panem ſiligineum, quo ſolo uti cogebatur, ægre conficeret, interdum vix confectum in ſtomachum demitteret. Sobrietatem & abſtinentiam in victu (quo cum amicis exquiſito, ſed frugali, utebatur) ſolus cum eſſet, nimiam plerumque adhibuit. Ut in cœna ſæpiſſime, poſtquam diem integrum in ſtudiis fuiſſet, quod inprimis in conficiendo nobiliſſimo Inſcriptionum Indice, eveniſſe illi ſæpius recordor, nihil præter paucas paſſulas & exiguum diluti guſtaret: plerunque Batavorum aqua tenuiter cum frugibus cocta, ex more hujus populi, contentus, quod non dubito, quin ſtomacho ſenili, hominis præſertim Galli, plurimum nocuerit. Amicitias ut ſancte ſemper coluit, ita paucos amicorum loco habuit. Pauciores admiratus eſt, ſed eos vehementer. Ut occaſione qualibet eorum meminiſſet: ipſe candidiſſimus, & ab omni adulatione averſus, niſi quod non minus improbos odiſſet, quam præclaros homines admiraretur. Et neutrum diſſimulare potuit. Nam ingenio ut vivido & igneo, ita heroico & aperto erat. Ut ſæpe cum adeſſem, de illo Philoctetæ apud Sophoclem (quem æque ambo mirabamur) cogitarem:

Ἔφυν γὰρ ἐγὼ ἐκ τέχνης πεφάνην κακῆς,
Οὔτ' αὐτὸς, ἅδ' (ὡς φησιν) ἔκ φύσας ἐμέ.

Iræ incontinentior, ſed placabilis erat. Injurias non paucas fortiter tulit. Conditionibus ex Gallia honeſtis huc vocatus fuerat: quibus cum diutiſſime reluctatus eſſet, neque tamen contemptum quorundam evaderet, qui non alia de cauſa eum oderant niſi quod tantus eſſet, magno animo contempſit. Et cum aliquando quædam ejus generis quæ mihi eveniſſent, apud eum cum dolore depromerem, adducta fronte, Filii, inquit, Dei ſumus: exules ſumus: libertatem maximam hic conſecuti ſumus, quid ulterius deberi nobis putas?

putas? Tantum vellem, ut vel quidam eum irritaſſent parcius, aut ipſe rarius eorum meminiſſet. Nam contemptu vindicari poterant. Famam enim, eruditionem, mores, ingenium, ut longe ſupra cæteros evexerat, ita longe ab imperitorum contemptu & laudibus in tutum receperat. Quorum male dicta ægre ſi feras, finem ſuum conſequuntur: ſpreta, aut ſi riſu ulciſcaris, exoleſcunt & infamiam autoribus relinquunt. Adde quod reſponſo ſerio & gravi magis irritantur. Sane ex omnibus quos eruditionis cauſa habuit infenſos, nemo fuit, qui, non dicam, paria in maximis cum eo fecerit, ſed qui tria Publii monoſticha, quæ me in ſtuporem ſæpius dederunt (neq; ignoro quid tu judices) aut duo Dionyſii Catonis diſticha, eadem venuſtate hactenus repræſentaverit. Probitate, pietate, caſtitate, vitæ temperantia, contemptu fortunæ, à qua ſemper generoſitate animi ac magnitudine ſe vindicavit parem non habuit. Nobilitatem adverſus quam aliquid licere ſibi voluit improbitas, non ſcriptis tantum, ſed & vita, quotidiana conſuetudine, moribus, geſtibus, verbis ſingulis, præclariſſime tutatus eſt, quæ invicta argumenta ſunt. Majeſtatem enim nemo mutuatur, ſed exhibet. Et ut vixit, ſic deceſſit. Amicorum omnium, inter cæteros & tui, ut ex Raphelengianis viris doctiſſimis probiſſimiſque, quos ſupremam voluntatem ſuam exequi voluit, præcepit, rationem habuit. Cæteris, τὸ κλαίειν καὶ οἰμώζειν reliquit. Pædagogica ingenia ad arrogantiam ac oſtentationem nata, odio fatali proſequi ſolebat, neque unquam inter ſuos habuit, quibuſdam domo & familiaritate ſenſim interdixit. Atheos, & qui de verbo Dei parum reverenter loquerentur aut ſentirent, odio inexpiabili proſequebatur, quos ſeveritate vultus & intuitu averſabatur, ut ne mentionem quidem ferret. Et non unum novi quem ex vultu oderat, qui & poſtea judicium illius confirmarunt. Plurima denunciavit nobis quæ quam plurimis poſt obitum illius annis exitus probavit, quod diebus prope ſingulis in multis experimur. De calamitate Reipublicæ poſtrema ac recentibus his malis, quorum vix initia videmus, plurima prædixit: quæ quo eventura ſint expecto. Verſiculos non paucos, ſenex, admodum invitus ac quorundam importunitate victus, edidit, quos ſenium ſpirare ac languere querebatur. Nos & Græcos vere & Romanos eſſe ſcimus, nam hoc proprium habebat. Jambi enim, quos edidimus, Morales, ſicut ſponte ſcripſit, ita extra aleam ponendi ſunt. In quibus τὸ ἡρωϊκὸν καὶ δεινὸν, ſplendide ἐμπολάξει. Græcos, paucos numero quos ſcripſit, ab antiquitate ſcriptos dicas. Nam quos vellet ex antiquis, ut volebat, exprimebat. Expedite & prompte, ſed indifferenter Latine loquebatur. Quod initio moleſtum illi erat: quia Galli lingua ſua ſæpius utuntur. In Epiſtolis quas concitatior aut tanquam editurus ſcripſit, admirandus ſplendor καὶ αὐτοφυὴς δεινότης, vere ei propria, reſplendet: ut ex magnitudine fortunæ ſuæ & Scaligerorum dignitate loqui videatur. In cæteris quæ ad amicos & ex tempore ſcribebat, ſumma caſtitas ſermonis & ſimplicitas elucet. Nam & raro circumducit, & nominibus plerunque verba ſingula ſubjungit, quod quemadmodum exiguam, ut Rhetores loquuntur, compoſitionis curam arguit, ita nihil minus quam anxietatem teſtatur, & interdum maxime eſt inimitabile. Quanquam de idiotiſmis ejus ſcio quid inepti homines objecerint, noluiſſe tamen edi omnia, quæ ita ſcripſit, cætera evincunt. Autorem nullum Græcum aut Latinum legit, quem non πρὸς ἀθέτησιν & deſignandam culpam, obelo notavit. Sed & locorum

locorum emendationes, & interdum δικπὰς χρήσεις, & μονήρεις λέξεις, & τὰς συμφωνίας, tam quæ res quam voces ſpectant, & τὰς μεταθέσεις, aliaque id genus, ſedulo in margine aut calce libri quem legebat, ſemper deſignabat, quales habeo non paucos. Teſtamentum bis condidit: ſemel ante annos aliquot Latine: ſemel, ac poſtremo, Gallice, non paucis immutatis, quo & diſceſſit. Nam ne veteri diſcederet periculum non erat, quia voluntatem ſuam ut nonnunquam, quod jam dixi, immutabat, ſic mutatam ſemper teſtabatur. Scripta propria & Patris, quæ adhuc imperfecta erant, aut quæ edi alia de cauſa noluit, in publica Bibliotheca, cui præſum, ſervantur. Quæ vero edi iterum voluit, aut emendata reliquit, fidei meæ credidit. Inter reliqua ſunt & πολυθρύλητα illi Julii Scaligeri in libros De Hiſtoria Animalium Ariſtotelis Commentarii, de quibus ipſa verba hic ponam: *Schedia Patris mei in dolio condidi, una cum Commentariis ejus in libros Ariſtotelis De Hiſtoria Animalium, quos maximi feccrim à Daniele Heinſio accurate recenſeri, & Prolegomenis præmuniri, ut ita in publicum emittantur: quod ut faciat, eum etiam atque etiam rogo. Quod ſi quid obſtiterit, quo minus Heinſius illam editionem præſtare poſſit, tunc illi Commentarii intra Bibliothecam publicam contineantur: donec idoneus reperiatur qui editionem illam digne curare poſſit.* Quæ in utroque teſtamento ſic leguntur. Atque in hoc opere non minus diligenter quam ſollicite verſari cœpimus: quantum tamen hactenus colligere potui, plura ſunt, vel tranſpoſita, vel mutila, vel alieno loco poſita, vel nondum abſoluta, quam ut ſit ſperanda editio. Quod non ignoraſſe ὁ μακαρίτης exiſtimo, qui non ſemel hoc nobis confeſſus eſt. Ut vehementer mirer, cur ſperare ab alio voluerit, quod tanto ipſe temporis ſpatio pro deplorato habuit. Non quin edi poſſit, ſed quod in tanti viri opere, non pauca, vel aliena, vel ab ipſo nondum expolita, ideoque exiſtimatione tanti hominis indigna, ſæpius edenda eſſent. Quod non temere ipſi committemus, qui non ignoramus, quantum permiſerint ſibi, quantum maximorum hominum exiſtimationi detraxerint, qui poſthuma eorum ſcripta divulgarunt, quod Cujacio & aliis hoc tempore evenit. Utinam adeſſem tibi! Multum opera, conſilio, eruditione, ac judicio, juvare nos poſſes. In hoc opere præſertim, in quo multa ſunt δαιμόνια & plane tali viro digna, qui nuſquam tam libere, ab Ariſtotele, quem ſolum ſemper coluit præ reliquis, diſſenſit. Habes, vir maxime ac amiciſſime, non modo niſi fallor quod optabas, ſed &, quod fortaſſe nolles, omnia ἀτάκλως, καθαμιλημένως, ut in mentem quæque veniebant. Reſtat, ut uterque noſtrûm firmiora, partim quidem è memoria virtutis tanti viri, partim ex amore ejus, quo, dum viveret, nos proſecutus eſt, ſolatia petamus, ita enim magis nos conjungi puto. Nam ut alterum præ reliquis dum vixit admiratus eſt, ita alterum tenerrime dilexit. Vale, & amare me, ut ſoles, perge, ô maximum ætatis noſtræ decus, & qui omnium judicio, ſublato ex humanis rebus illo Sole, Rex & Princeps rei literariæ relictus es. Lugduni Batavor. XXVIII Martii CIↃIↃC IX. Iterum Vale. Et ut cum Ampliſſimo Thuano, hæc communices, à te peto, qui & quanti fecerit ὁ μακαρίτης & me amet, ſatis noſti.

Meminit hujus Epiſtolæ Jacobus Auguſtus Thuanus libro De Vita ſua 11 his verbis: *Cum eo erat Silvius Joſephi grandior natu frater, ad quem Julius Pater poeticam ſcripſit, homo bonus, neque illiteratus, qui Commentariorum Patris in*

libros

libros Aristotelis De Historia Animalium mentione injecta, rogatus fuit à Thuano, ut eos recenseret, nec diutius publico invideret. Quod & ille in parte fecit, libro decimo publicato, quem Jo. Stephano Durantio Senatus Tolosani primario Præsidi dedicavit. Certe, post Silvii obitum in Josephi manus venerunt, qui eos secum in Batavos asportavit, & Danieli Heinsio alumno suo moriens vulgandos reliquit. Sed ita confusos & incastigatos, sicut ipse postea Heinsius ad Casaubonum scripsit, ut de eorum editione desperetur.

JOSEPHI SCALIGERI
Opera Impressa.

Animadversiones seu Notæ in Senecæ Tragœdias 8°. *Lugd. Bat.* 1611. & 1621.

Com. & Castigationes in Virgilii Appendicem & Vitam, & veterum Poetarum Fragmenta 8°. *Lugd. Bat.* 1595.

Conjectanea in Varronem de re Rusticâ, & Notæ in Librum de Linguâ Latinâ 8°.

Castigationes in Valerium Flaccum.

Castigationes in Sect. Pomp. Fest.

Elenchus Tritheſii Nicol. Serarii.

Ejusdem in Scaliger. Animadvers. Conf.

Notæ & Castigationes in Eusebii Chronicon Fol. Amstelod. 1658.

Elenchus utriusque Orationis Chronologicæ Dan. Parei.

Conjectanea in Nom. Dionysiaca.

De Emendatione Temporum, & Veterum Græcorum Fragmenta. cum Notis Fol.

Commentarii in Ausonii Opera 8°.

Cyclometria Elementa duo cum Appendice.

Opuscula diversa Græca & Latina cum notis in aliquot veteres Scriptores.

Emendationes ad Theocriti, Moschi, & Bionis Idyllia 8°.

Libellus Hippocratis de Ossibus cum Notis.

Epigrammata & Sophoclis Ajax Lorarius 8°.

De Scaliger. Famil. Discurs.

Jambi Gnomici 8°.

Florilegium Epigrammatum Martialis, cum Versione Græcâ.

Comment. in Catullum, Tibullum, & Propertium 8°.

Dissertatio de re Nummaria 8°.

Notitia Galliæ.

Poemata Omnia 8°.

Castigationes & Notæ in Manilii Astronomicon 8°.

Epistolæ Omnes.

Scholia ad Erpenii Proverbia Arab.

Diatriba de Arte Critica.

VITA
HUGONIS GROTII.

FUISSE ante ſecula aliquot plures in agro Delphenſi, vulgò Delphlandia, illuſtrium familiarum arces, ſeu domos gentiles, quæ per injurias bellorum, tam finitimorum, quàm civilium, partim incendiis, partim devaſtationibus periêre, apud eos conſtat, qui illorum temporum res ſcriptis ſuis complexi ſunt. Neque dubium illis eſt, fuiſſe inter eas & arcem Crayenburgiam, cognomini genti propriam, Delphos inter & Hagam ſitam ad orientem illius foſſæ, quæ Corbulonis creditur & Lugdunum Batavorum ducit, eodumque vel non longè ab illo loco, ubi hodie ea conſpicitur domus, quæ Crayeneſta vulgò dicitur, & à viro ampliſſimo Herberto Beaumontio, Proceribus Hollandiæ & Weſtfriſiæ à Secretis, poſſidetur. Ut & hanc domum, Crayenburgicam puta, illam fuiſſe, ex qua originem ſuam traxit, vel potiùs una eademque cum illa fuit ea familia, quæ hodie Grotiana dicitur, ex non obſcuris indiciis colligitur, deſumto Grotii nomine ex Belgico *de Groot*, quod propriè Magnum ſignificat, & jam quadringentis abhinc annis illi familiæ inditum fuit ob eximium aliquod, uti credibile eſt, in patriam meritum; nam fuiſſe eos jampridem, qui ex eo ſtemmate nati ſunt, ut patriæ ſuæ amantiſſimos, ita & juris publici ſtrenuiſſimos, vel cum periculo ſuo aſſertores, ex publicis monumentis ſatis conſtat. Hi, deſtructâ cum pluribus aliis arce Crayenburgiâ, cùm tutiores ſibi ſedes quærerent, in proximam tandem urbem, Delphos dictam, ſe recepere, ibique honorificè excepti, & ad primarias urbis dignitates admiſſi, perceptos honores, ſub eodem Magni cognomento in poſteris ſuis ad ætam uſque noſtram continuavere, retentis ſemper Crayenburgicæ gentis inſignibus, quæ etiamnum familiæ Grotianæ, & quidem ei ſoli propria ſunt, tanquam certiſſimis originis ſuæ documentis. Ex hac progenie ortus Hugo Grotius, apud Belgas, *de Groot*, natus eſt in urbe Delphis Batavorum, quæ inter primas eſt earum civitatum, penes quas eſſe jus ſupremæ in Hollandia poteſtatis, extra controverſiam eſt. Natalis ei fuit dies decimus menſis Aprilis anni milleſimi quingenteſimi octuageſimi tertii, reſurrectioni Dominicæ eo tempore ſacer. Patrem habuit Joannem *de Groot*, ejuſdem urbis Conſulem, & Academiæ Lugduno-Batavæ Curatorem, ad quem exſtant Lipſii Epiſtolæ, illuſtris Viri Jani Douſæ verſus, & non pauca aliorum monumenta ejus nomini inſcripti. Matrem habuit Alitam ab Overſchie, ex primoribus ejuſdem civitatis ortam.

Avus

Avus ei fuit ille Hugo *de Groot*, qui ex illuſtri Cornetziorum gente prognatus, primus Grotianum nomen in familiam ſuam tranſtulit. Quippe cùm circa annum trigeſimum ſeculi decimi quinti in Diderico *de Groot* ejuſdem itidem civitatis Conſule, & non paucis deputationibus ſatis claro, defeciſſet ſtirps maſculina, filia ejus Ermgarda *de Groot*, domûs ſatis opulentæ hæres, viro Nobiliſſimo Cornelio Cornetzio, qui genus ſuum ex ea Cornetziorum proſapia ducebat, qui ſub Ducibus Burgundiæ ex Gallia in Belgium migraverant, nuptura, matrimonium non iniit, niſi factâ conditione, ne, qui ex eo naſcerentur maſculini ſexûs liberi, alio quàm Grotiano nomine nuncuparentur; ita natus Hugo *de Groot*, ejus Hugonis, de quo loquimur, avus, vir ſupra quam ea tempora ferebant, Latinarum, Græcarum & Hebræarum quoque literarum ſciens. Utriuſque familiæ Grotianæ ſcilicet & Cornetzianæ, nomina, inſignia, facultates & honores conjunxit, redintegratiſque in eo priſtinis Grotianæ domus dignitatibus, quæ jam ante tria ſecula in ea familia velut hæreditaria fuerant, & in parentem ejus, extra Hollandiam natum, conferri non potuerant, Senatoria & Conſularia munia magno cum populi applauſu accepit & geſſit. Uxorem duxit Elſelingam Heemskerkiam, ex ea Heemskerkiorum domo ortam, quæ antiquitus inter nobiliſſimas Hollandiæ habita, præter alios eminentes viros & Jacobum Heemskerkium patriæ dedit, qui rem ſtrenue gerendo ad Calpen occubuit. Per liberorum ſuorum matrimonia nobiliſſimis etiam domibus, ut ſunt Almundana, veniens è Toparchis Stridenis in Hollandia, Reneſſia atque Utenengia apud Trajectinos ſe innexit. Sed ut ab avo ad nepotem, id eſt, Hugonem noſtrum redeamus; vix credi poteſt, quàm ingentia à prima infantia ſua liberalis indolis, eminentis ſpiritûs, & indefeſſæ induſtriæ ſpecimina dederit: neque à parente viro literatiſſimo in tanta ſpe neglectus, ſed ante ſeptimum ætatis annum præceptoribus erudiendus datus, tantos apud eos profectus fecit, ut ante nonum vitæ ſuæ annum verſus fundere inceperit, ante duodecimum in Academiam Lugduno-Batavam deductus fuerit, ubi non tantùm Philoſophiæ, Aſtrologiæ & Matheſeos, ſed & Theologiæ, & Juriſprudentiæ tam fidelem navavit operam, ut tribus annis ibidem tranſactis, omnibuſque, quibus ſe applicuerat ſtudiis abſolutis, vix quindecennis in comitatum Illuſtriſſimi viri Joannis Oldenbarneveldii Reipublicæ Hollandiæ Aſſeſſoris, & ad invictiſſimum tunc Principem Henricum Magnum Legati in Galliam proficiſcentis ſe dedit. Ibi gradum in Jure conſecutus, & ab Auguſtiſſimo Rege non torque tantum aureâ, ſed & effigie regiâ, ob incomparabilem in iſta ætate eruditionem donatus, ingentem ſui & profuturam aliquando exiſtimationem reliquit; in patriam reverſus forenſibus ſe rebus admovit. Ante decimum ſeptimum ætatis annum cauſas publicè egit, & ante vigeſimum quartum ad Fiſci advocationem ab Hollandiæ Zelandiæque Ordinibus vocatus eſt. Eo in munere tantâ ſe prudentiâ, curâ atque integritate geſſit, ut non tantùm auctum ei à Proceribus Hollandiæ ſalarium, ſed & ultrò in ſuperiore Judicum conſeſſu locus promiſſus ſit. Sed ad altiora natus, & Majorum uti apparuit exemplo, rebus publicis deſtinatus, vacantem per obitum Eliæ Oldenbarneveldii, qui fratri Joanni Oldenbarneveldio tunc Procerum Hollandiæ Aſſeſſori in hoc munus ſucceſſerat, adſeſſuram Civitatis

Rotterodamenſis à Rectoribus ejuſdem urbis, quæ ſecundum Amſtelodamum plurimum in ærarium publicum confert, oblatam ex amicorum conſilio & aſſentientibus Hollandiæ Proceribus, accepit anno poſt mille ſexcentos decimo tertio, & ætatis ſuæ trigeſimo. Diviſerat jam tunc temporis, non plebis tantùm, ſed & Magiſtratuum, Procerumque animos, orta ante annos aliquot de prædeſtinatione & annexis ei quæſtionibus controverſia, aliis abſolutam ex Joannis Calvini, aliis conditione ſubnixam ex Eraſmi, Caſtalionis, Philippi Melanchthonis & aliorum ſententia amplectentibus. Fovebaturque non Paſtorum tantùm, ſed & aliorum hominum res novas molientium artibus ea diſſenſio, adeò ut non obſcurè pateret, magni aliquid per diſcrepantias illas tentari & non minùs Reipublicæ quàm Eccleſiæ vim intendi: quibus perpenſis & collatis cum iis, quæ in caſu non abſimili Lyceſtrianis temporibus agitata erant, oblati ſibi miniſterii functionem exercere recuſavit vir perſpicaciſſimus, niſi ſub conditione, ne in poteſtate Magiſtratûs Rotterodamenſis foret, eum unquam invitum ab eodem removere. Hac lege initam adſeſſuram tantâ diligentiâ tantâque fidelitate exercuit, ut neque legitimi, id eſt, veteres, neque novi Magiſtratus quidquam in miniſterio ejus invenerint, quod carpere aut accuſare poſſent. Per eam functionem non in conventum tantùm Ordinum Hollandiæ introductus, ſed & pars factus eſt conſeſſûs Curatorum Reipublicæ, qui velut vicariam Ordinum Hollandiæ poteſtatem exercent, eorumque nomine, & Fœderatorum Conventum frequentare ſolent. Cùmque jam ante annos aliquot in gratiam navigationis Indicanæ de jure iſtius commercii libellum ſcripſiſſet, maximæque ſuper ea re contentiones Anglos inter & Batavos mercatores ortæ eſſent, componendis eorum controverſiis, in Britanniam miſſus eſt; ubi & ab ipſo Rege Jacobo ſapientiſſimo ſui ſeculi Principe, & ab eruditis ejus inſulæ viris non exigua benevolentiæ ſigna accepit, propioremque amicitiam contraxit cum viro doctiſſimo Iſaaco Caſaubono, quem hactenus non niſi per literas ſuas coluerat. Gliſcebant interim creſcebantque indies ſuper diverſitate dogmatum diſcrepantiæ. Jam pervenerant factioſæ diſſenſiones à Paſtoribus ad plebem, à plebe ad Magiſtratum, à Magiſtratu ad Ordines Hollandiæ veros & ſummos Reipublicæ Rectores, ab Ordinibus ad Principem Mauritium, (cujus parens Gulhelmus Arauſionenſium Princeps in eadem præfectura conſtitutus, quoties ad eum ſimiles de Religione quæſtiones delatæ erant, ſemper teſtatus erat, earum cognitionem non ad ſe, ſed ad Ordines cujuſque Provinciæ pertinere;) à Mauritio ad Delegatos fœderatorum, quibus nihil juris eſſe in ſingularum nationum ſubditos, jam ſæpe demonſtratum erat, & demonſtratum eſt apertiùs, nemine poſtea contra nitente. Neque deerant inter ipſos Magiſtratus, ipſoſque Reipublicæ Proceres, qui inconteſtabile in res Eccleſiaſticas Ordinum Hollandiæ arbitrium ad eoldem Delegatos deferrent. Illi auctoritate Principis Mauritii nixi, omnia jura in ſe trahere, Proceres Hollandiæ, qui plus quàm dimidiam partem ſubſidiorum in ærarium publicum conferebant, quorumque opibus nonnulli eorum ad commune fœdus perducti erant, ſubditorum inſtar habere, optimum & fidiſſimum quemque è ſede Magiſtratûs depellere, Oldenbarneveldium, Hogerbetium & Grotium hunc noſtrum, illum univerſæ Hollandiæ, horum alterum civitatis Lugdunenſis, alterum Rotterodamenſis Aſſeſſores

1613.

29. Aug. 1618.

ſores in cuſtodias trahere, delegatos illis judices dare, illegitimo modo accuſare, indefenſos damnare; Oldenbarneveldium ſeptuageſimum ſecundum ætatis annum agentem capitali ſupplicio plectere, reliquos duos ad perpetuos carceres mittere, & omnia eorum bona publicare: nitentibus contra & vim auctoritati ſuæ inferri fruſtra clamantibus ipſis Hollandiæ Ordinibus, donec optimis quibuſque à muneribus ſuis dimotis, noviſque in eorum loca contra leges impoſitis, omnia pro libidine eorum agi cœpere qui iſtius novitatis auctores erant. Ita captus Hugo Grotius, vir innocentiſſimus & patriæ ſuæ, libertatiſque publicæ amantiſſimus, poſtquam novem per menſes detentus Hagæ fuiſſet, eorumque ſex elapſi eſſent in conquirendo infenſiſſimos quoſque, quibus judicum munus tutò committerent, treſque reliqui in formandis accuſationum capitibus eſſent conjuncti, interdicto interim uxori, liberis, parentibus, conſanguineis & amicis, ne adire, alloqui, aut ullum operam præſtare captivo, quamvis periculoſè ægrotanti, ne quidem coram ipſis judicibus liceret. Damnatus tandem ad carceres perpetuos, bonaque ejus publicata ſunt. 18. *Maji.* 1619.
Quod cùm oſtenſum judicibus eſſet per leges patriæ non licere, niſi in damnatos Majeſtatis, anno poſt latam ſententiam pronuntiatum ab iis eſt, ſibi, dum ferrent ſententiam, nullam aliam mentem fuiſſe, quàm Grotium, alioſque Majeſtatis fuiſſe reos. Inde Lupeſteynium Hollandicæ ditionis caſtellum in confinio Geldriæ inter flumina Moſam & Vahalim ſitum, finiendæ in pedore carceris vitæ tranſportatur. Ubi poſtquam ultra ſeſquiannum ſuſtentatus bonis uxoris, aſpernantis judicum largitionem, qui vicenos & quatuor in diem aſſes alendo captivo, totique ipſius familiæ aſſignaverant, ſtudiis præcipuè impendiſſet, plurimaſque ab iis, qui cuſtodiæ ejus præerant injurias perpeſſus fuiſſet, tandem Dei Opt. Max. indignam viri ſortem miſerantis beneficio, & uxoris Mariæ Reygersbergiæ, ex primariis Zelandiæ familiis ortæ, Petrique Reygersbergii Veriani Conſulis, qui non inutilem Patriæ & Naſſaviæ domui navaverat operam, eamque ob cauſam Lyceſtrianis temporibus ab inimica factione ejectus oppido exulaverat, filiæ, virilis animi, & ſupra ſexum ſapientis Matronæ, operâ priſtinæ libertati redditus eſt; incluſus quippe ciſtæ quæ tranſportandis libris jam aliquoties inſervierat, & à cuſtodibus ipſis in navem deductus Gornichemum proximum caſtello oppidum vectus, & in domum delatus eſt optimi ibidem civis Davidis Daetzelarii, digniſſimi vel ob hoc unum in perditiſſimis temporibus factum, cujus nomen omnibus bonis innoteſcat. Ibi ſumtis cœmentarii cujuſdam veſtibus, primùm Antuerpiam, inde Lutetiam ſe recepit, ubi per abſentiam Regis ab ipſius Miniſtris, poſtea & à Rege ipſo benigniſſimè exceptus, & annuo donativo honeſtatus, ſedem quieti & ſtudiis ſuis poſuit, ſemper intentus patriæ & popularibus ſuis, ubi quid negotii illis apud aulam eam eſſet, conſilio, operâ, & quâ pollebat apud nonnullos Miniſtros regios gratiâ inſervire ac prodeſſe; quamvis non ignoraret, eos, qui ibi res Fœderatorum curabant, nihil intentatum relinquere, quo Regis animum ipſi infeſtum redderent, ſed fruſtra laborabant apud Principem nihil ignorantem eorum, quæ annis clɔ Iɔc xc i i i & clɔ Iɔc x i x in Hollandia acta erant: quin dixiſſe non ſemel fertur, mirari ſe virtutem hominis, qui tam malè in patria habitus, non deſineret tamen ei, ſubditiſque ejus bene velle, imo quocunque etiam poſſet modo beneſacere. Primum operum, 6. *Jun.* 1619. 22. *Mar.* 1621.

quod

quod post receptam libertatem edidit, fuit Apologeticus sive defensio, non tam sua, qui non potuerat peccare in exsequendis iis, quæ sibi à Superioribus suis mandata erant, quam eorum, qui legitimo modo creati, legitimo jure Reip. Hollandicæ annis decimo octavo & nono præfuerant. Quo comperto Fœderatorum Delegati, neque ignorantes suas in eo libro artes, illatamque Hollandiæ vim detegi, cùm nihil haberent, quo expressam in eo veritatem redarguere aut refutare possent, usitatâ jam diu violentiâ utentes, proscriptionibus eum persecuti sunt: quod brutum fulmen, cùm per Christianissimi Regis tutelam, qui eum in fidem suam receperat, evanuisset, nihil aliud eo actum est, quàm quod Grotio vita securior reddita, typographorum eos libros vendentium duplicatum lucrum, & aucta adeo sit legentium curiositas, ut, defæcatis multorum regentium oculis, eorum auctoritas non tantum publica, sed & in conventu ipsorum Procerum, imo & contra ipsos Fœderatos postea valuerit. Mansit ibi per annos undecim, amatus universim, consultusque sæpe à Prioribus regni super rebus maximi momenti. Donec pertæsus vitæ nimis otiosæ, postquam plus semel ad ministeria publica, non à Serenissimo tantum Daniæ Rege Christiano Quarto, sed & à Gustavo Magno vocatus esset: certus sedes mutare, primùm in patriam redire constituit, ubi mortuo Mauritio Arausionensium Principe, frater ejus Fredericus Henricus ad gubernaculum Reipublicæ admotus, non mitioris tantùm regiminis, sed & pristinæ in administranda Republica libertatis spem dederat, ipsique jam pridem Grotio animi sui affectum per literas testatus erat, credebaturque à non paucis, quæsiturus sibi gloriam ex tanti viri tam injustè damnati in integrum restitutione; sed ut plerumq; apud animos eorum, qui Principum consiliis præsunt, utilia honestis prævalent, neq; deessent qui ipsi ante oculos ponerent, quàm periculosum rebus suis foret, hominem, tam pertinaciter libertatis ac patriæ suæ amantem, iterum ad Rempublicam admittere, potentiæ suæ quàm existimationi consulere maluit, & Proceribus super mansione Grotii, in Hollandiam reversi circa finem anni clɔ Iɔc xxxii deliberationibus, iis accessit, qui interdicendam illi in patria habitationem opinabantur: ita coactus iterum patriâ suâ excedere illustris exul Hamburgum Hanseaticarum urbium præcipuam se contulit mansitque ibi, captus amœnitate loci, & affluentium undique eruditorum virorum allocutionibus, donec, post multas diversorum Germanici Imperii Principum requisitiones honestis modis excusatas, tandem, sed mortuo jam Gustavo Magno, Reginæ regnoque Sueciæ operam suam sub nomine Consilarii Regis, & ad Christianissimum Galliarum Regem Ludovicum decimum tertium Legati obstrinxit. Sic iterum in Galliam reversus est, non tam dignitate legationis, quàm eruditionis & virtutum famâ conspicuus. Invitis quidem & contra nitentibus, quos in patriâ habebat, adversariis, qui omnes vires apud Regem, ejusque Ministros intendebant, ne damnati apud se hominis actiones per admissionem in eam dignitatem justificarentur; sed frustra, ut jam dictum est. Laborabant apud aulam, non ignaram eorum, quæ super hac re contra ipsius Regis consilia, toties per Legatos suos patefacta, apud Batavos acta erant. Neque adeò obscure scriptus erat ipsius Grotii Apologeticus, ut quenquam, vel mediocriter humanarum rerum gnarum, latere posset, quàm iniqua in eum sententia lata esset. Et tunc quidem officii sui crede-

credidit Rotterodamenſis urbis Rectores acceptæ à ſe Legationis certiores reddere, quo ſcilicet liberati ab iis, quas cum eo pepigerant conditionibus, vacanti ab eo demum tempore urbis ſuæ adſeſſuræ providere poſſent: uti fecere, eligendo in ejus locum ampliſſimum ac diſertiſſimum virum Simonem Beaumontium, Herberti Beaumontii, de quo ſupra locuti ſumus, patrem. Manſit itaque ibi, & iis, à quibus, & ad quos miſſus erat pariter gratus, præcipuum tempus ſuum impendebat partim miniſterio Legationis, partim ſtudiis, partim allocutionibus eorum, qui videndi eum & conſilia ſua cum eo ſociandi gratia ab omnibus Europæ partibus confluebant. Omnibus fores, omnibus menſa, omnibus officia ipſius patebant, ne iis quidem exceptis, quorum parentes, poſt multas illatas ipſi injurias, & carceris & exſilii authores fuerant. Ibat in annum undecimum ejus Legatio, cùm Majorenni jam & ad Regni adminiſtrationem vocatæ Chriſtinæ Guſtavi Magni filiæ miniſterii ſui rationem redditurus in Suediam proficiſcens Grotius per Hollandiam iter carpſit, jamque Rotterodamum veterem habitationis ſuæ ſedem pervenerat, magno ibi civium applauſu & favore exceptus, cùm inimici non contenti iis, quibus eum tamdiu perſecuti opprobriis & injuriis erant, obire ſuarum partium domos, quos poterant ad ſe trahere, omnem lapidem movere, ne Ordines Hollandiæ, tunc fortè congregati, per terras & urbes ſuas tranſire Grotium impunè paterentur: ſed mutata erat rerum facies. Plurimi eorum, qui anno cIↃ IↃc xvIII ſtatum Reip. concuſſerant, jam è vivis deceſſerant, nonnulli eorum, qui eodem anno à dignitatibus ſuis dimoti fuerant, moderatione Principis Frederici Henrici revocati ad priſtina miniſteria erant, quique novi ad Remp. acceſſerant, ut factionibus non interfuerant, diſcernendæ veritati magis capaces erant. Ita factum eſt, ut referenti in conventu Procerum Hollandiæ Jacobo Catſio, eorum tunc adſeſſori, quid ſibi ſuper ea re dictitatum eſſet, reſponſum à Proceribus ſit, vano timore liberaret homines, nimium meticuloſos, ipſis curæ fore, ne quid Respublica detrimenti caperet. Amſtelodamum interea pervenerat Grotius, inde Hamburgum petiturus; neque enim affectabat ullis ſe civitatibus videndum præbere, niſi quarum tranſitum evitare non poterat. Conſulatum in ea civitate eo tempore obtinebant viri ſapientes & moderati Petrus Haſſelarius, Andreas Bickerus, Gerbrandus Pancratius, & Guilhelmus Backerus, qui de adventu in urbem ſuam Grotii certiores facti, neque diſſimulare cupientes, quanti facerent virum, tam ſolidè eruditum, tam bene de patria meritum, tamque illuſtri per totum terrarum orbem famâ celebrem, ſine cunctatione eum adiere, optima quæque officia ei obtulere, publico convivio excepere, & navem itineri ipſius aptari curavere: ita rurſum patriâ nunquam ſibi poſtea videndâ exceſſit vir excellentiſſimus. Hamburgum maritimo, terreſtri itinere Lubecam petens, honorificè à Magiſtratibus utriuſque civitatis exceptus fuit. Inde Wiſmariam Pomerani Ducatus oppidum, Suedicis præſidiis occupatum, pervenit. Erat eo tempore non longè ab ejus portu cum ingenti claſſe Wrangelius Comes, Regni Suedici Archithalaſſus, qui de adventu tendentis in Suediam Grotii certior factus, continuò navem bellicam, promovendo ipſius itineri, ad eum miſit, eâ Calmariam Grotius venit, inde Holmiam petiturus; quo comperto Regina, quæ tunc forte Upſaliæ erat, magnoque jam diu videndi Grotii deſiderio tenebatur,

tur, reditum ſuum in eandem urbem, Imperii ſui ſedem, properavit. Poſterâ die ad alloquium Reginæ admiſſus Grotius, poſtquam multa, rebus ac tempori convenientia, diſſeruiſſet, Legationis ſuæ partes expoſuit actionum ſuarum rationem reddidit, pro favore tamdiu percepto gratias egit, dimiſſionemque à miniſterio ſuo petiit. At Chriſtina, ut erat omnium rerum cognitionem ſuam merentium, gnara, literarumque & literatorum amantiſſima, ipſiuſque Grotii, editorumque ab eo operum perſpicaciſſima æſtimatrix, reliquæ orationis ipſius capita benigniter, ad ultimum, ubi de dimiſſione ſua locutus erat, non niſi per ambages reſpondit. Adeò ut non obſcurè pateret circumſtantibus, mentem Reginæ eſſe, Grotium apud ſe detinere, propiuſque conſiliis ſuis admovere: ſenſit hoc & ipſe Grotius, neque dubitavit hoc unum ſufficere ad irritandam invidiam illam, quam à principio adventûs ſui in nonnullis Regni Proceribus animadverterat. Quare, cùm nihil minùs propoſitum ei eſſet, quam in ea terrarum parte habitationis ſuæ ſedem figere ubi non minùs cum ingeniis hominum tam malè ſibi volentium, quàm cum aëris inclementia luctandum quotidie foret, non deſtitit coram Regina, quoties ad eam accederet, dimiſſionem ſuam & veniam ad ſuos revertendi efflagitare. Illa, quæ neque diverſas terrarum regiones, neque diſcrepantes hominum mores ignorabat, eoque minùs dubitare poterat, quàm difficile eſſet, animum non avaritiâ, non ambitione diſtractum, ſed ſolis ſtudiis & virorum eruditorum collocutionibus contentum, ex eo, ſub quo tamdiu reſpiraverat cœlo, in eam mundi plagam trahere, quæ vix ipſi, ibi natæ, ibi educatæ, ibi regnanti, imo ne vix quidem placeret, ſtatuit tandem deſiderio ipſius morem gerere, virumque non malè de ſe meritum, laudibus, muneribus, ſingulariſque affectûs demonſtrationibus cumulatum dimittere: ita, quamvis ægrè conſentiente Reginâ Holmiâ deceſſit Grotius, corpore jam minùs validus, contractâ, uti credebatur, infirmiore valetudine, partim ex tædio tardati tamdiu itineris, partim ex rigore aëris, minùs naturæ ſuæ convenientis: ſed ſperabant, qui ei aderant, tam validam in eo futuram ſpem reviſendæ propediem conjugis & familiæ ſuæ, ut præcipuam partem doloris, quam ex eorum abſentia contraxerat, diſſipare poſſet. Cœlo ſereno, ventiſque ſatis faventibus è portu Dalerenſi ſolvit navis, quæ transvehendum Lubecam Grotium ſuſceperat, ſed brevis fuit illa aeris ſerenitas, ſequenti quippe die vehemens tempeſtas contrahere vela juſſit, ingraveſcenſque magis magiſque circa veſperam majorem malum diſjecit, ejuſque pondere ſubmerſum penè navigium, adeo contrariis undique ventis concuſſit, ut fracto & altero malo tandem ad oram Caſſubiæ lacerum & perfluum litttori impegerit. Octavo, poſtquam è portu ſolverat, die, deſcendit in arenam cum comitatu ſuo Grotius, non longè à vico Lyba dicto, decem & quatuor milliaribus Germanicis à Dantiſco ſito, non minùs animo, quàm corpore æger: cùmque ne unum quidem diem curando ac reficiendo corpori à feſtinante ad ſuos redire animo obtinere poſſet, ruſtico, quod ægrè ibi nactus erat, vectabulo, iter per medios imbres & ventos continuavit per aliud octiduum, donec conſumptis per nimias agitationes & laſſitudinem viribus, tandem Roſtochium pervenit, & lecto non reſurrecturus incubuit. Poſtero die accerſitus ad eum venit Medicinæ Doctor Stockmanus, qui pulſu venæ obſervato ejuſque debilitatem ſoli laſſitudini imputa-

idem ſequenti die rediit, auctamque debilitatem, ſudoremque lethalem, & reliqua deficientis naturæ ſigna agnovit, actum eſſe de ejus vita, jamque in agone mortis verſari pronunciavit, in eo cùm eſſet ſtatu circa nonam veſpertinam vocatus ad eum acceſſit Theologiæ Doctor ac Profeſſor, nec non Verbi Divini ibidem Miniſter Joannes Quiſtorpius, qui poſt habitos aliquos cum eo ſermones ſuper fragilitate humana, multifariis mortalium peccatis, neceſſariâ eorum pœnitentiâ, Deique Opt. Max. in iiſdem condonandis propter merita Chriſti immenſâ clementiâ, quæque his ſimilia morientibus proponi ſolent, ad preces ſe convertit, quarum verba complicatis manibus, ſubmiſſâ voce ſecutus Grotius, paulatim deficere, auditumque primò, mox & viſum perdere incepit, nec multo pòſt ſub ipſo puncto mediæ noctis placidè exſpiravit. Inteſtina ejus æneo vaſi incluſa ibidem in loco honoratiſſimo Eccleſiæ Cathedralis ſepulta ſunt. Corpus ipſum balſamo conditum in urbem patriam Delphos Batavorum transportatum, ibique non ſine ingenti exſequiarum pompâ proavùm ſepulchro, quod in choro ædis novæ à dexteris celeberrimi Arauſionenſium Principum monumenti reperitur impoſitum eſt. Erat formâ corporis vulgarem non multùm excedente, facie ſatis pulchrâ, colore nitido, naſo in aquilinum verſo, oculis ſplendidis, vultu ſereno, membris compactis, & robuſtis adeò, ut in ambulando, currendo, ſaltando, in eâ quâ erat ætate, vix quenquam ſibi parem reperiret. In rebus agendis ſerius, apud amicos hilaris, apud omnes affabilis erat: quâ verò induſtriâ, quo ingenio, quo judicio, quâ pietate in Deum, amore in proximum, charitate in patriam præditus fuerit, apertiùs ex ipſius ſcriptis, quàm ex aliorum teſtimoniis colligetur. Liberos diſcedens reliquit quatuor, filios tres, & filiam unicam, quorum Cornelius ac Didericus, ille natu maximus, hic minimus poſt obitos in militiâ Tribunatus, aliaſque cum laude dignitates ambo jam olim cœlibes obiere. Filia Cornelia, etiamnum ſuperſtes poſt obitum patris nupſit Joanni Barthoni Vicecomiti de Mombas, primariæ apud Pictones nobilitatis & illuſtriſſimis Galliæ familiis inſito. Hic à primâ adoleſcentiâ, more Gallicæ nobilitatis, nomen ſuum militiæ dedit, & poſt varios geſtos in patriâ honores ac dignitates tandem ad Tribunatum equeſtrem evectus, in gratiam uxoris, aerem Gallicum non ferentis, in Hollandiam migravit. Ubi vir ingenio pollens, manu ſtrenuus, rei militaris longâ experientiâ ſubactus, inter primos equitum Magiſtros adſcitus ad majores dignitates aſſurgebat, ſed incertùm, ſuo an ejus, cui ſe per matrimonium innexerat, familiæ fato, captus, damnatus, vix difficili fugâ capitali ſe periculo ſubduxit. Petrus de Groot ejuſdem Hugonis filius ſecundus, patriæ ſuæ luctuoſo funere nuper admodum ereptus apud bonos triſte ſui deſiderium reliquit. Hunc parens à teneris patriæ ſuæ ac togæ dicaverat, idcirco ut gentis ſuæ moribus ac genio imbueretur, eum in Hollandiam anno cIↃ IↃc xxix. miſit; illic ſub Thedoro Schrevelio, Scholæ Lugdunenſis Rectore, ſtudiorum ſuorum fundamenta jecit, deinde adultior in Philoſophia Caſparum Barlæum, in Hiſtoriis & Politica Gerardum Voſſium, & in Juriſprudentia Joannem Corvinum audivit. Poſthæc anno cIↃ IↃc xxxvii. omnigenâ eruditione inſtructus in Galliam ad patrem reverſus eſt; ubi non tam annis, quàm præcoci ingenio ac judicio rebus agendis maturior, non inutilem

28. *Aug.* 1645.

1672.

parenti ſæpe præſtitit operam, tam in viſitandis amicis & expiſcandis aulæ arcanis, quam componendis legationis literis, cum temporis anguſtia aut abſentia patris id exigerent. Anno ſequenti in patriam reverſus, aliquamdiu rebus forenſibus animum admovit, publicis tamen commodis quàm privatis inſervire propenſiorem. Sed nulla ſpes erat, ut ad Reipublicæ clavum tantorum ſtemmatum patritius juvenis admitteretur ab iis, qui parentem virum integerrimum, ad perpetuos carceres damnaverant. Idcirco vitam privatam egit, donec pace Monaſterienſi reſtitutus in Palatinatum ſuum Sereniſſimus & Sapientiſſimus Princeps Carolus Ludovicus, Sacri Romani Imperii Elector hoc noſtro uti voluerit, qui res ſuas apud Præpotentes Fœderati Belgii Proceres adminiſtraret. Cum paulatim in patria verteretur rerum facies, tandem anne cIↃ IↃc LX oblatam ſibi adſeſſuram civitatis Amſtelodamenſis ſeptem annos ſummâ fide ac induſtriâ geſſit. Anno LXVIII à Fœderatis Ordinibus Legatus ad Reges Septentrionales miſſus, primum Haſniam appulit. Poſtquam Ordinum mandata eſſet exſecutus, à Daniæ Rege Frederico Tertio, benigniſſimè exceptus & dimiſſus, Holmiam pervenit. Hic à Carolo XI, & univerſo regni Senatu, magno honore habitus, ultra annum permanſit, cùm mortuo in Galliâ Legato Guilielmo Boreel ad Chriſtianiſſimum Regem ab Ordinibus Delegatus domum evocaretur, ubi Adſeſſuram Civitatis Rotterodamenſis, paternam olim provinciam, à Rectoribus ejus oblatam, ſuſcepit. Legationes omnes, præcipuè Gallicam, ſummo labore, ſummâ induſtriâ, & mirificâ vigilantiâ, non ſine magno Fœderatorum Procerum applauſu obivit, quibus utpote ſpectata erat ejus fides & ſedulitas, hoſtium arcana, & inſidias, vimque, quam in patriam molirentur, indagare ſagax, ac patriæ Rectoribus ſignificare prompta. Tandem in patriam reverſus, & in Conventum Fœderatorum Delegatus, ex eo honorum culmine à fatali illo Bataviæ turbine, quem rabida, & tumultuans plebs conciverat, deturbatus, & cum optimis & ſapientiſſimis patriæ Rectoribus dignitatibus ſuis eſt exutus. Nec ſic ſatiatus eſt furor; nam vix eluctatus manibus ſicariorum, qui pugiones in necem ejus acuerant, amicorum conſilio, & circumſtrepentibus undique periculis, perſuaſus eſt tempori cedere, & aliquamdiu, donec iſtæ conſileſcerent turbæ, patriam relinquere. Primùm Antuerpiam celeberrimam Brabantiæ Civitatem ſe contulit, & non ſine ingenti vitæ diſcrimine vixit ſub præſidio Illuſtriſſimi Comitis Monteræi, Regis Hiſpani Gubernatoris, qui non ſemel ipſum monebat, ne manendo diutius in urbe, Hollandiæ tam vicinâ, irritaret animos eorum, qui in cædem ejus conjuraverant; itaque ne ſe diutiùs adverſariorum telis exponeret, primo Leodium, inde Aquiſgranum, poſtremò Coloniam Agrippinam, urbem non tantum naturâ, ſed & propter Legatos pacis ibi negotia tractantes, tutiſſimam, profectus eſt; ubi partium arcana expiſcando, & perferendo ad Legatos Fœderatorum, non inutilem patriæ ſuæ operam præbuit. Poſt exactum biennium reverſus eſt, cùm non pauci paulatim furore defœcati ac ſedatiores, rectæ rationi ac veritati oculos aperirent. Jam innocentia ejus gaudebat vultum erectum & pectus nullius flagitii conſcium adverſariis offerre; pertæſa etiam more maleficorum diutiùs extorris à patrio ſolo, de quo tam præclarè meruerat, fugitivam vitam trahere. Primo tranquillè, nemine obſtante, in villâ ætatem agebat; ſed cùm ſe Hagam

conferret, à Fiſci procuratore accuſatus, quod cum Abrahamo Vicquefortio, Sereniſſimi Ducis Brunsvicenſis ad Fœderatos Proceres publico miniſtro, literarum commercia habuiſſet, quodque detecta hoſtilium Legatorum ſecreta de pacis negotio ad Legatos Fœderatorum detuliſſet, ſolâ judicum integritate, vitam, famam, facultates, quibus ſimul inhiabant inimici, conſervavit. Sic tandem bona cauſa triumphavit, muſſante plebe. Poſthæc ne adverſarios adſpectu ſuo ureret, migravit cum familiâ in villam, quam non procul Harlemo ſitam habebat; ubi liberos ſuos educando, auctores bonos terendo & amicos excipiendo Scipionis Africani & illuſtrium aliquod virorum exemplo, vitam nemini gravem, ſibique nec injucundam nec indecoram coluit. Cum ſic privatus quietè ac tranquillè ætatem ageret, morbo correptus, annum agens ſeptuageſimum, mortem conſtanti ac hilari vultu excepit, utpote, quæ in tutam ſtationem deduceret à teneris jam plurimis vitæ procellis agitatum. Ubi livor, qui paſcitur in vivis, ſeſe conſumſerit, & partium ſtudia deferbuerint, honoribus intaminatis fulgebit hujus viri decus, ejus virtutes ac geſta, quæ ſummatim attingimus, poſterorum annales loquentur, idcirco pauca quædam de corporis habitu, & mentis dotibus delibare animus eſt. Corpore erat procero & obœſo. Papulæ, quas parens ejus ad Benj. Maurerium de noſtro ſcribens, ait fuiſſe velut abortivum partum effœtæ peſtilitatis, faciem ejus deformaverant, & alterum pedem ita contraxerant, ut totam vitam claudicaret. Ulyſſem ferunt non formoſum, ſed facundum fuiſſe, & in Periclis labris Suadæ Deam ſeſſitaviſſe, quæ verè in noſtrum competebant. Animo autem erat candido & niveis moribus, in proſperis ejus comitas, in adverſis conſtantia, in omnibus vitæ actionibus intemerata fides elucebat. Poſt divinam ſuprema illi lex erat ſalus patriæ. De Republica benemereri, amicos colere, inimicos beneficiis ſibi devincire, illi ſumma voluptas & ſtudium fuit.

De Illuſtriſſimo viro Hugone Grotio, Petro Grotio filio, & reliqua ejus familia hæc ſummatim attigimus; ut autem, quæ de Hugone Grotio, de quo præcipuus hic ſermo, diximus, majorem habeant fidem, adjunximus literas Frederici Henrici Arauſionenſis, Fœderati Belgii Gubernatoris, ac Reginæ Chriſtinæ, quorum ampliſſima teſtimonia effœtæ jam ſenio & fumine veritatis præſtrictæ maledicentiæ prævalebunt.

COPIE

De la lettre escritte le IV d' Aouſt 1622. par F. *Henry Prince* d' *Orange*, au Sr. *Hugo* de *Groot*.

MONSIEUR,

Je vous remercie des bons offices que vous m'avez rendu par delà vers quelques-uns du Conseil du Roy: ce que je vous supplie de continuer tant vers les susdits, que autres que vous jugerez à propos, vous asseurant que je recognoistray cette bonne volenté en toutes occasions, où j'auray le moyen de vous servir. Je vous supplie aussi de faire estat de mon affection: & vous asseurer, que je vous la continueray tousiours, y estant obligè par celle que vous m'avez tesmoignée de tout temps. J'ay prié vostre beaufrere le Sieur Reigersberg de vous escrire particulierement sur quelque sujet, sur lequel je seray fort aise d'entendre vostre advis: vous m'obligerez fort de me l' envoyer, comme vous avez desja faict par le memoire que vous m'avez envoyé, dont je vous remercie bien fort. Je souhaiterois de pouvoir estre utile en vos affaires par deca, & m'y employerois de tout mon cœur, mais vous scavez la constitution des affaires estre telle, que ny moy, ny vos autres amys, ne pouvons vous y servir, comme nous desirerions bien. Je veux esperer que le temps y pourra apporter du changemint, & que je vous pourray revoir en ce pays estimé & honoré comme vos rares qualitez le meritent: dequoy je ne recevray pas moins de contentement que j'ay fait de vostre liberté. Cependant je vous souhaite en vostre éloignement de vostre patrie tout le contentement, heur & prosperité que vous scauriez desirer. Ce que je prie à Dieu de vous donner, & à moy l'occasion de vous faire paroistre par effect que je suis,

MONSIEUR,

De la Haye le XV d' Aouſt 1622.

Vostre tres-affectionné à vous faire service

FR. HENRY DE NASSAV.

DOMINE,

DOMINE,

Ago gratias pro bonis iis officiis, quæ mihi apud quoſdam præſtitiſti, qui Regi ſunt à conſiliis; rogoque ut ſic pergas tam apud eoſdem, quàm alios, quos non inidoneos judicabis, meam dans fidem, me non immemorem futurum hujus benevolentiæ, ſed qualiſcunque ſe occaſio offerat, operam tibi daturum. Oro etiam, ut perſuaſum habeas meum erga te favorem, quo te ſemper proſequar, inductus eo affectu, quem mihi omni tempore feciſti teſtatiſſimum. Rogavi affinem tuum D. Reygersbergium, ut ad te definitè & diſtinctè de rebus quibuſdam ſcriberet, ad quas intelligere ſententiam tuam geſtio, hanc ſi miſeris, magno beneficio me tenebis obligatum, ſicut nuper, cùm memoriale ad me mitteres, pro quo gratias ago maximas. Utinam hic poſſem rebus tuis utilem operam afferre, eam ſane ex animo impenderem; ſed nihil te fallit eum nunc eſſe rerum ſtatum, ut aut ego aut reliqui amici commodis tuis ex voto inſervire nequeamus. Spero tamen, quòd tempus mutationem hiſce inferet, quodque te brevi videbo exiſtimatione & honoribus iis florentem, quos eximiæ dotes tuæ requirant. Unde non minor mihi voluptas ſuborietur, quàm olim ex tua libertate. Interim dum extorris à patria vivis, exopto tibi omnia grata, fauſta, proſpera, ipſi tibi quæ optare poſſis. Precor Deum, hoc ut tibi donet, mihique occaſionem, ut tibi queam reipſa oſtendere, quòd ſim,

Omni affectu tibi inſervire pronus

F. HENRICUS à NASSAV.

Reſponſe de la Reyne Chriſtine à feu Madame Grotius.

MADAME,

J'ay appris de voſtre lettre du 16 Juillet, comme quoy mon Ambaſſadeur à executé les ordres, que je luy avois donné touchant les livres de feu Monſieur Grotius voſtre Mary; & que nonobſtant les offres, que des autres avoyent faictes pour s'en rendre poſſeſſeurs, vous avez eu plus de conſideration pour mes deſirs, que pours les avantages, que l'on vous fai ſoit eſperer de ce coſté la, J'advoüe, que dans le plaiſir, que je prens à la lecture des bons autheurs, je ſuis tellement amoureuſe des eſcritis de Monſieur Grotius, que je ne m'eſtimerois pas contente, ſi je me voyois deſcheuë

deſchene de l'eſperance de les aſſocier à ma Bibliotheque. Mon Ambaſſadeur vous peut avoir dict une partie de la haute eſtime, que je fais de ſon admirable intelligence, & des bons ſervices qu'il m'a rendu: mais il ne ſcauroit vous exprimer parfaictement à quel poinct ſon ſouvenir m' eſt cher, & les effects de ſes travaux conſiderables, Que ſi l'or & l'argent pouvoyent contribuer quelque choſe à rachepter une ſi belle vie, il n'y auroit rien en mon pouvoir, que je n'employaſſe de bon cœur pour ces effect. Jugez de là, quo vous ne ſcauriez mettre ces beaux monumens & reliques entre des mains, dont ils ſoyent mieux receus & traictez, que les miennes: & puiſque la vie de leur autheur m'a eſté ſi utile; ne ſouffrez pas, que ſa mort me prive entierement des fruicts de ſes illuſtres peines. J'entens, qu'avec les liures, que d'autres ont faicts, vous me faſſiez tenir tous ſes memoiers manuſcripts & extraicts, ſuivant la promeſſe, que vous m'en faites dans voſtre lettre. Vous ne me ſcauriez jamais mieux tesmoigner voſtre bonne volonté, qu'en ce rencontre, & j' ay, Dieu mercy, dequoy le recognoiſtre, & vous en recompenſer, ainſi que mon Ambaſſadeur vous donnera à entendre plus particulierement, auquel me remettant, je prie Dieu, qu'il vous maintienne en ſa ſaincte grace.

à Stocholme ce 12 d' Aouſt, 1648.

CHRISTINE.

Reſponſio Reginæ Chriſtinæ ad Mariam Reygersbergiam piæ memoriæ, H. Grotii uxorem.

EX literis tuis decimo ſeptimo Kal. Aug. ad me datis, intellexi quo pacto Legatus meus juſſa mea ſic executus in conciliandis mihi mariti tui Domini Grotii *p. m.* libris, quodque neglectis aliorum, qui eorum poſſeſſores eſſe ambiebant, oblatis, majorem habueris rationem, meis deſideriis ut morem gereres, quàm propriis commodis, quorum ſpes ab altera parte affulgebat. Equidem inter voluptates iſtas, quas ex bonorum authorum lectione capio D. Grotii ſcripta ita depereo, ut ſi ſpe mea fruſtrata nequeam iſta Bibliothecæ meæ adjungere, nunquam me voti compotem arbitratura ſim. Legatus meus fortaſſe tibi retulit partem ſummæ illius exiſtimationis, qua vigent apud me ejus admirabile ingenium, & egregia, quæ mihi præſtitit, officia; ſed perfectè non potuit exprimere, ejus memoria mihi quàm ſit cara, & ſcriptorum

torum monumenta quàm ſuſpicienda. Sane ſi in auro & argento aliquid eſſet momenti ad redimendam vitam tam claram, quidquid eſſet in manu mea animo lubenti in hunc finem conferrem. Ex hiſce colligas, quòd egregia hæc monumenta & reliquias non poſſis committere manibus, à quibus meliùs excipiantur, & habeantur, quàm meis. Cùm horum author vivus mihi fuerit adeo utilis, ne patiare, ut ejus morte illuſtrium ejus laborum fructu planiſſimè priver. Sic intelligo, ut unà cum aliorum libris mihi omnium memorialium manuſcriptorum & breviariorum facias copiam, ſecundùm promiſſa per literas tuas mihi facta. Nunquam mihi poſſes teſtatiorem facere tuam benevolentiam, quàm hac occaſione; nec deeſt mihi, gratia Deo, unde hanc gratiam rependere teque remunerari queam, quorum Legatus meus te certiorem faciet, cui acquieſcens Deum rogo, ut te ſanctiſſimâ ſuâ gratiâ protegat.

CHRISTINA.

Holmiæ prid. Idus Auguſti 1648.

Hugonis Grotii Opera Impreſſa.

Annotationes ad vetus, & Novum Teſtamentum.
De veritate Religionis Chriſtianæ.
Pietas Ordinum Hollandiæ.
Ordinum Decretum cum notis.
De ſatisfactione Chriſti contra Socinum.
Diſquiſitio an dogmata ſint Pelagiana.
De Fato.
De Cœna celebrandâ ubi Paſtores non ſunt.
Notæ ad Caſſandrum.
Animadverſiones in Animadverſiones Riveti.
Votum Pacis.
Diſcuſſio Apologetici Rivetiani de Pace.
Notæ ad Decalogum
De fide & Operibus.
De Antichriſto.
Appendix adverſus Borvoritum.
Tractatus de jure belli ac pacis.
Apologeticus Rectorum Hollandiæ.
De imperio ſummarum Poteſtatum circa Sacra.
Oratio ſuper hâc materiâ, Amſtelodami habita.
Introductio ad Juriſprudentiam Batavicam.
Horum ſparſio ad jus Juſtinianeum.
De Mari libero.
Annales & Hiſtoria belli Belgici.
De Antiquitate Reipubl. Batavicæ.
Obſidio Grollæ.

Notæ

Notæ ad Procopium.
Disquisitio de Origine Americanæ.
Notæ ad Martianum Capellam.
Notæ ad Arati Phænomena.
Notæ ad Lucanum.
Notæ ad Senecam tragicum.
Notæ ad Tacitum.

Anthologiæ Græcorum Epigrammatum.
Excerpta è Stobæo.
Excerpta è Tragœdiis & Comœdiis Græcis.
Tragœdiæ, Phæniſſa,
Electra, & ſupplices.
Poemata & Epiſtolæ.

PETRI

PETRI PITHOEI I. C. VITA.

PITHOEORUM origo è Viromenſi pago, qui ſitus ad mare, in ea parte Neuſtriæ, quam inferiorem Normaniam vulgo vocant, indicio eſt in antiquis monumentis recenſio nobilium qui anno Salutis M.CXLXXX in Hieroſolymitanam militiam ultro iere; inquibus Guilelmus Pithoeus ſecundus Viromenſium adſcriptus, addito ejus digmate, quod idem in Pithœorum Trecenſium ſcutis etiamnum manet. Poſt quem longo intervallo Æmilius Pithœus patria & paternis opibus majori natu fratri relictis, venit in Campaniam, ubi filium Andream genuit, è quo natus Petrus, qui & alterum Petrum reliquit, patrem noſtri Pithœi, ad quem feſtinans, de patre pauca dicam. Natus is in Campaniæ vico, cui nomen Heruicum, non longe à Trecenſi oppido, in quod migravit Petrus, ſimul ab armis ad literas, quibus tum pretium atque honos regnante Franciſco primo. In iis excelluit hic Petrus, doctiſſimus totius provinciæ, nec juris tantum municipalis ac forenſis peritiſſimus, de quo reſpondere ille quotidie & urbi & provinciæ, adſcituſque in conſilium primorum, ſed civilis etiam juris conſultiſſimus, & veriorum ejus diſceptationum, atque omnis antiquitatis quæſitor accuratiſſimus, quod & filiorum relatione, & teſtimonio maximi Cujacii ſcimus eſſe verum. Uxores duas duxit, è prima geminos tulit Joannem & Nicolaum, qui annum agentes ſeptuageſimum tertium etiamnum vivunt, inſignes tam longæva ætate, (quod rarum in geminis, & habitum miraculo, præcipue ſeptimo menſe natis:) ſed inſigniores ſumma pietate, & maxima inter geminos concordia. Ex altera plures liberos tulit, ſed illuſtres maxime Petrum ac Franciſcum, utrumque natum bono literarum & poſterorum miraculo, ſed de Franciſco tantum eſt, vivit adhuc & precor vivat. De Petro, quem fata nuper ad feliciorem vitam traduxere, dicendum latius. Is natus Kal. Novembris, anno M. D. XXXVIIII. ingenio à prima ætate acuto ſemper & prompto, at corpore diu infirmiore, donec adoleſcente ætate & procerior ſperato evaſit, & robuſtior. Primas literas in urbe Tricaſſium didicit à ſolennibus gymnaſii Trecenſis doctoribus. Miſſus inde Lutetiam, ubi florentes tum literas coluit diligentiſſime, miratus unice doctiſſimum illum Turnebum, cui pares paucos

ſequens ætas tulit, illa neminem. Demum revocatus à patre, & ſtatim Avaricum Biturigum miſſus, ut Jus civile adiſceret, cum mandatis prudentiſſimi ſenis, ne gloſſas aut commentarios doctorum moraretur, ſed ipſa Juriſconſultorum atque Imperatorum verba diligentiſſime expenderet, equibus accuraperpenſis vera lux juri Civili, ſicuti ex imperitiſſimorum doctorum dubiis interpretationibus ac vacillantibus reſponſis, meræ tenebræ. Quæ mandata ſecutus filius ſumma fide, felicior patre quod in ætatem doctiorem incidit. Nam pater Haloandri editione utebatur, quæ tum optima, eamque ad manuſcriptos pleroſque contulerat labore ſummo. Ætas filii Pandectarum Florentinorum emendatiſſimi codicis editionem nacta eſt, & poſt felicem multorum eruditorum operam, anteceſſorem audivit maximum Cujacium, cui haud ſcio an pares fuerint antiqui illi I. C. quorum veſtibula frequentavit Romanorum clientium turba, aut quorum oracula Imperatorum authoritate munita, poſt tanta intervalla temporum etiamnum venerantur externi populi. Certe neque illi acriori judicio jus tractavere, neque poſt eorum ætatem quiſquam ad hujus viri doctrinam, acumen, judicium acceſſit. Tantum doctorem nactus Pithœus adhæſit uni, quem & ſecutus Avarico Valentiam, & diligentiſſimo ſtudio adſecutus, ut Cujacius in arctiorem amicitiam ac familiaritatem juvenem adſciſceret, & diſcere doctor à diſcipulo, ac quæ didiciſſet publicis monumentis profiteri non dedignaretur. Audivit eum Pithœus uſque ad annum M. D. L. X. ſumma induſtria jus civile ſimul tractans & in omnem antiquitatem enquirens. Quod illi ſtudium duravit uſque ad exitum vitæ, vetuſtiſſimos optimorum ſcriptorum codices, undequaque quovis pretio comparans, dein anxio ac fideli labore conferens, non oſtentationi aut inani ac curioſæ adfectationi, quod pleriſque uſu venit, ſed literarum ac rei publicæ amore maximo, cognitoque non legi, non intelligi ſine hac diligentia optimos quoſque ſcriptorum veterum: Neque ut in iis, emendandis conquieſceret, quod ſibi opus hodie adſumunt nimium vani homines, ſed ut ex emendatis, rerum ipſarum cognitionem penitiſſimam hauriret, quam potiorem habuit ſemper verborum ſcientia, ſicut utramque in omni vita parvi a ſe factam indicavit, niſi ad ſcientiam accederet pietas morum, integritas vitæ, & in excolendis publicis privatis officiis inculpata induſtria. His artibus munitus à ſtudio ad forum & rempublicam venit, delecta Pariſiorum urbe quo ſedem fortunarum conferret, & ampliſſima Curia quam aſſidue ſectaretur, non inſano lucri cupidine, qui fere aliorum finis, neque ut ſolenni tempore decurſo gradum ſibi facerent ad emendum magiſtratum, quod ille deteſtatus ſemper: ſed ut juris noſtri uſum in ampliſſima ſchola perdiſceret, quo cognito & adeſſe amicis, & prodeſſe omnibus conſilium expetentibus poſſet, ac præcipue Reipublicæ, ſi quando uſus eveniret. Itaque delatam ad ſe amici cauſam egit in ſanctiſſimi ordinis conſiſtorio, atque obtinuit, ſed unicam. Vidit enim & ex prima cauſa pervidit vir acutiſſimus, alia omnia ſequenda eſſe ſibi ſi forum tenere vellet, fingendos alios mores, alium ſermonem, non verum ſemper conſtanti judicio tuendum, ſed aut probabile verſatili ingenio quærendum, aut falſum ſolerti colore prætexendum, dicendum ſæpe contra quam ſentiret, & in juſtiſſima cauſa tuenda, tamen niſi ad imperitiſſimorum ſæpius litigantium arbitrium, & ad forenſis turbæ guſtum orationem componeret, denique niſi omnia oſtentui potius quam vero pararet, ſruſtra ſe futurum,

ac pro

ac pro laude merita reportaturum indignos imperiti vulgi ſibilos. Itaq[ue] ſtituit deinceps à dicendis cauſis, aſſiduus tamen foro, notandiſque q[uo]t[idie] ſtriora decreta diligentiſſimus, ſimul rogantibus defenſiones ſcribens, & conſulentibus de ſcripto reſpondens, ſed nunquam niſi accuratiſſime perpen[ſa] quæ ſcriberet. Quod idem in iis quæ publice edidit non pauca ſervavit anxi[e], ut pauciſſima de ſuo eaque certiſſima ſcriberet, neque unquam niſi adſcriptis veterum auctoritatibus. Atque hoc ſcribendi ſtudium nunquam ſejunxit à forenſi, certus prodeſſe ſaltem hac parte Reipublicæ. Itaque plura veterum auctorum, ſive Theologorum, ſive Juriſconſultorum, ſive Hiſtoricorum, ſive Poëtarum etiam ac Philologorum ex ejus bibliotheca videre lucem, quam ex ulla hujus ſæculi, eaque ſelecta omnia, & ſummi ejus judicii atque ingenii, præcipue vero ſummi atque infucati candoris indicia certiſſima, quæ recenſere ſingulatim non eſt inſtituti mei. Sed præcipue illuſtris opera ejus in hiſtoria poſteriorum ſæculorum à Juſtiniani & paulo antiquiore ævo ad patrum noſtrorum memoriam, quæ tenebroſiſſima, & pæne ſepulta incuria ſcriptorum, quum literæ omnes apud monachos imperitos rei publicæ, & huic fini hiſtoricos, ut natales ac nuptias Regum narrarent. Eorum temporum hiſtoriam, qua ad regnorum ac provinciarum ſtatum, qua ad Eccleſiæ adminiſtrationem, ex optimis quibuſque & fideliſſimis antiquitatis monumentis ſedulo ſibi comparaverat, quorum partem maximam communicavit etiam omnibus, datis in lucem quæ ſelectiſſima de duabus gentibus Regum noſtrorum, item Caroli magni ac ſucceſſorum legibus, quæque de Comitum Campanorum ſerie, ſed præcipue reſtitutis veterum Theologorum ſcriptis, quæ innumera vel primus vel meliora dedit in vulgus; daturus etiam doctiſſimum atque utiliſſimum opus, diligentiſſimam Synodorum omnium editionem, quam ſummo ſtudio, impenſa, labore collegerat, ni præveniſſent acerba fata. Quæ ego una ſerie præcerpere volui, ut ſemel dictis quæ ad ſtudia & literas pertinent, de ceteris ejus actionibus dicam liberius. Vixit ergo ab anno M. D. LX. Lutetiæ uſque ad civilium bellorum primas faces, quorum importunitatem fugiens, ſeceſſit ad literarum otium, graviſſimis interea periculis obnoxius, ut ſæpe inter metum imminentis mortis, ſolamen tamen è libris peteret, & in maximis diſcriminibus ſcriberet optima quæque & doctiſſima. Quibus tandem poſt longos furores ſedatis, rediit ad forum poſt annum M. D. LXXII. & monentibus amicis cogitandum de ſobole, duxit ex honeſtiſſima familia Catharinam Paludellam conjugem, cum qua deinceps vixit inoffenſa concordia: manſitque inde in foro, adſcitus in conſilium à maximis quibuſque & ſapientiſſimis, delectuſque à multis etiam ignotis controverſiarum ſuarum arbiter. Quo in utroque vir magnus excelluit, ut ſcires natum diſcernendo verum à falſo, & agnoſceres in privata toga perpetuum magiſtratum. Nec privatis ſolum controverſiis electus arbiter, ſed etiam publicis, adſcitus in conſilium toto vitæ tempore de rebus majoribus, quia vera virtute tantum autoritatis quæſiverat apud maximos quoſque & probiſſimos tam in Senatu quam in aula, ut nec de republica ante ſententiam ſuam dicerent, quam Pithœum ejus auctorem habuiſſent. Itaque vicit luce ſua tenebras infeliciſſimi ſæculi, quo nullus honos niſi emptus pecunia; vocatuſque ultro & coactus etiam ad ſuſcipiendos honores: primo adſcitus inter ſubſtitutos Regiorum cognitorum, quo in honore ita placuit & magiſtratibus & privatis omnibus, ut

invitus retineretur ultro in eo munere, etiam poſtquam id ut cetera addictum pretio: & paulo poſt quærenti Regi Henrico III. qui cognitoris ſui vicem delegatæ in Aquitaniam Cameræ adeſſet, commendatus ab omnibus bonis Pithœus, lectuſque ſtatim, habuerit ubi ſummæ doctrinæ, ingenii, prudentiæ, probitatis, fidei, documentum in oculis omnium daret. Indicavit virum ſapientiſſimum magiſtratus ampliſſimus & Aquitaniæ provinciæ, & univerſæ Galliæ, quo depoſito, repetiit adſueta fori ac literarum munia, donec fatale miſerrimæ Franciæ malum, conjuratio ſacrum nomen mentita, faces ſubdidit nondum reſtituto ex priſtinis ruinis regno, prodiditque oculis noſtris omnium quotquot unquam legimus, audivimus facinorum, exempla triſtiſſima. Ludibrio habita numinis divini majeſtas, ſacramentorum ſanctitudo, Principum jurata fœdera: ſumma illa & ſanctiſſime culta Regia auctoritas lacerata plebis infimæ ſordidis contumeliis, Eccleſiaſticorum veſanis decretis, nobilium inſanis armis, magiſtratuum ipſorum furioſis edictis ac ſententiis, ſævitum paſſim in omnis ordinis ſexus, dignitatis homines, & tandem ſummiſſimum atrox, ferrum in ipſum Principem. Deprehenderunt hi fluctus Pithœum intra Pariſiorum muros, quorum ille furorem immaniſſimum deteſtatus, manſit tamen in urbe cum uxore ac liberis, & (quæ poſt cariſſima pignora proximum locum adfectus tenuit,) bibliotheca; non ut probaret præſentia ſua nefandam furentis populi rebellionem profuſam in ſcelera omnia, ſed ut magiſtratuum eſſe judicabat abire ab urbe, quam retinere in officio non poſſent, nec auctores fieri ſcelerum quæ aut inhibere aut punire debebant, ita ratus licere privatis manere apud patrios focos, maxime quibus ætas grandior, familia infirmior: ſed præcipue ſibi, quem ſentiebat nulla vi cogendum ad ſcelus, & cum ſpe fore ut ope conſilio ſuo adjuvaret in tempore labentem miſeram civitatem, quum præſentium malorum tædium, metus ex imminentibus, & ſummus conſultor tempus ſanctis monitis locum daret. Manſit ergo in urbe, tum demum longi illius temporis fructum maximum capiens, quo in privata toga carus omnibus & ab omnibus ſuſpectus viverat. Vidit enim pleroſque magiſtratuum aut furori ſceleratæ plebis obnoxios, ſi in officio eſſe vellent, aut coactos ad ſcelus metu præſentis mali, ſecurus ipſe interea, qui nullum locum tenebat in Republica, & conſcientia vitæ ac ſanctitudinis inter furentes tutus, ſolatia vera è libris ſumens, quos maximo in otio diligentius tum conquiſivit, perlegit, exſcripſit: & interea majori illi curæ ſemper intentus, ut omnes miſerrimæ plebis motus ſtudioſe obſervaret, quam facilem mutari norat, & ad officium pœnitentia reduci unice expetebat. Itaque poſt dirum illud ac funeſtum miſeræ civitatis quinquennium, urgentibus jam fatis, & conſpirante bonorum omnium conſilio, maxima vero Pithœi opera pervicere partes meliores, vocatuſque in urbem Princeps & ignovit præteritis, & pauciſſimorum capitum fortuito exitio, quorundam ſceleratiorum voluntario exilio firmata quiete, reſtituit omnia jura pœnitenti civitati. Aberant tum ab urbe Senatus Parienſis potiſſimi, & qui reſtiterant novo auctoramento confirmari debebant: quod nec abſentibus Regiis cognitoribus fieri poterat, & cauſa erat cur abſtinerent tum ab ea cura, qui paulo ante functi hoc magiſtratu. Potius viſum ut deligerentur tantiſper huic muneri, ex iis qui in urbe manſerant præcipui fide in principem, integritate vitæ ac rerum uſu & peritia. Itaque itum ad Pithœum veteremque ejus

amicum

amicum & ſtudiorum omnium communione conjunctiſſimum Antonium Olſelum, quorum hæc utriuſque laus, quod tam facile tantæ turbæ conſiluerunt: ſed hæc Pithœi propria, quod conſtantiſſimo judicio pervidit quam periculoſum eſſet nominibus multis, in abſentium ſenatorum reditum differri reſtitutionem ſenatus, & juris dicendi ſolennia. Qui ubi rediere, rediit ad priſtinam vitam privatus, ſi infulas quæreres; revera ſemper de ſalute publica anxius. Itaque originem & cauſam malorum tantorum quærens, & ex religionis diſcidio veriſſime eam ac ſummo judicio arceſſens, collegit ſedulo quæ huic malo remedia ex antiquis & authenticis monumentis, eaque publicavit, quæ utinam advertiſſent quis tum cura fluctuantis noſtræ ratis. Secuta ſunt tempora bonis omnibus triſtiſſima, Pithœe vero inter ceteros vel maxime, quem publicis luctibus adflictum tempori talere fata, ſi ipſum ſpectes, cujus oculis ſubſtracta tot malorum dira ſpectacula. Nam ille graſſante in urbe Pariensi letali morbo, quamvis conſtituiſſet non abire, victus tamen precibus ſuorum, ſeceſſit in Campaniam: ibique Trecenſem urbem antiquam patriam primo, mox adfines, & prædia ſua viſitavit. Urgebant ad mortem fata, quamvis & corpore robuſtum, & ſatis firma valetudine, ut accedere ad annum quinquageſimum ſeptimum ætatis vix crederes. Præſenſit ante, ſolituſque in tota illa peregrinatione edicere amicis, veniſſe ut in patria finiret vitam, itaque evenit: nam attentatus tertiana in prædio ſuo, ut valetudini conſuleret, deportari voluit in oppidum Novigentium, ubi ingraveſcente morbo, idem ille divinus neſcio quis inſtinctus, quo monente, vitæ finem inſtare antequam decumberet præſenſerat, tum vero diem ipſum mortis ægroto ſuggeſſit, Kalendarum ſcilicet Novembrium diem, quem & natalem ei fuiſſe antea diximus: quod commune illi cum maximis veterum Platone, Attalo, Mario, Pompeio, Gregorio magno notavit amicorum curioſa ſedulitas. Teſtamentum ſcribere adortus, viribus deficientibus perſcribere non potuit, monuitque aliud ante ſcriptum ſibi, cui ſtari vellet. Altera cura bibliothecæ fuit, quam ne diſſiparetur, quia filias tantum relinquebat, alienari vetuit, niſi integram. Poſtrema humanarum curarum de Republica fuit, deſiit enim in queſtus lacerati miſere regni, & peſſime habiti a miniſtris indignis optimo Principe. Diſſipata obitus fama, luxit urbs Tricaſſina, publici funeris honoribus optimi civis memoriam proſecuta; luxit Provincia univerſa, luxere Pariſiis ordines omnes, & quicquid ubique Doctorum. Denique nullus non luxit, cui vel facie notus fuerat vivus vel nomine. Implevit annum quinquageſimum ſeptimum, quem nec pater exceſſerat. Ex uxore filios quatuor habuit, acerbo fato raptos omnes, quorum caſus moderatius tulit quam credi promptum, præcipue qui & ſuos, & cognatos & amicos omnes tanto adfectu diligeret. Filias reliquit ſuperſtites duas, Ludovicam & Mariam: & quod in parte maxima felicitatis poſuit, optimam conjugem. Res privata domi ſatis ampla partim à parte relicta, partim prudentia maxima conſervata, potius quam avarè aucta. Et in hoc felix, quod in ea conſtituenda corruptiſſimi ſæculi morem deteſtatus, partem pecuniarum in uſuris collocantis, fortunas omnes in prædiis urbanis ac ruſticis habuit, è quibus reditus ſiminor, at certe innocentior, &, quod ſero compertum, longe certior. De vita atque actionibus viri maximi dixiſſe hæc ſufficiet. Laudes ejus texandas qui inſtituet, virtutes omnes ſingillatim recenſeat; ſed ea omnia melius habebit ex ipſius ſcrip-

us ſcripto poſtuma ætas, quod ante annos octo quam moreretur ſcripſerat candidiſſime ac veriſſime: notus optime ipſe ſibi ipſi, & noſci aliis non timens. Quod ille verum de ſe teſtimonium teſtamenti vicem reliquit ſuis, manſurum poſteris exemplar vitæ integerrimæ, ſanctiſſimæ, prudentiſſimæ, quam ſequantur quibus cura honeſti & recti, pauci adſequantur.

Joſias Mercerus ſcripſit
M. D. LXXXXVII.

In nomine Domini, AMEN.

MOribus valde corruptis ac pravis, ſeculo infeliciſſimo, quantum in me fuit, ſi em ſervavi.

Amicos ex animo amavi & colui. Inimicos benefactis vincere, aut contemnere, quam ulciſci malui.

Conjugem ut meipſum habui. Liberis parum indulſi. Famulis ut hominibus uſus ſum.

Vitia ſic odi, etiam in meis, ut virtutes in externis vel hoſtibus veneratus ſim.

Privatæ rei ſervandæ potius quam augendæ operam dedi.

Quod mihi fieri nolui, alteri vix unquam feci aut fieri paſſus ſum.

Injuſtam aut difficilem gratiam ut venalem ſprevi.

Sordes & avaritiam in omnibus, præcipue vero in Religionis ac Juſtitiæ ſacerdotibus & miniſtris exſecratus ſum.

Puer, juvenis, vir, ſenectuti multum detuli.

Patriam unice dilexi.

Opus potius quam honores, aut magiſtratum amavi: ac prodeſſe quam præeſſe malui.

Privatus ultro publico ſtudui: Ei nihil prætuli, atque in commune conſulere, potius tutiuſque ſemper exiſtimavi.

Statum publicum laborantem prudenter ſanari, emendarique optavi: Perverti, immutari, novari, aut perturbari penitus nunquam cupivi.

Pacem vel injuſtam, quod bona omnium bonorum venia dixerim, civilibus diſcordiis belloque potiorem putavi.

Pietatis & religionis ſacroſanctа nomina, ambitioni atque avaritiæ, ſceleribuſque prætexi & obtendi gravius tuli.

Melioris Antiquitatis non indiligens quæſitor, admirator & cultor, novitates facile inſuperhabui.

Quæſtiones vanas diſputationeſque ſubtiliores de iis quæ ad Deum pertinent, ut noxias odi ac fugi.

Simplicitatem prudentia aliqua conditam & ſeptam, aſtutia & calliditate tutiorem felicioremque ſæpius expertus ſum. Recte

Recte de rebus judicandi ſtudium eloquentiæ artibus prætuli.

Procul ambitu atque avaritia, invidiaque, inter amicos plures ac bonos potenteſque, fortuna non plane infima, ſollicitius aliquanto vixi, quam privatum fortaſſis decuit: de publicis tamen & amicorum rebus magis quam de propriis cogitans.

Nullum duxi gratiorem diem, quàm quo publico, aut amicis adeſſe aut prodeſſe datum eſt.

Mala præſentia quam metum impendentium fortius tuli: Extremaque facilius quam dubia.

Recta, ſincera, æquabili atque conſtanti inter omnes Juſtitiæ adminiſtratione, etiam ſceleratiſſimis atque audaciſſimis os occludi, manus obligari, vidi, expertus ſum.

De patrimonio ac bonis meis, quantulacunque illa poſt mortem meam erunt, legibus potius quam mihi judicium permiſi, permittoque.

Unum opto & ſpero, ut quem in me animum cariſſimæ ac probiſſimæ conjugis integrum vivus expertus ſum, eundem in communibus liberis educandis, tuendis, curandiſque gerat.

Sit hæc apud poſteros teſtatio mentis meæ, quam ab illis ſic candide accipi velim, ut ſimpliciter & ingenue ex animi mei ſententia me prolata eſt.

Veni Domine, & miſerere.

Petrus Pithœus ſcripſit Kal. Novembris, *Natali quondam meo die, Lutetiæ Pariſ. anno Chriſti.*
D. N. cIↃ. IↃ. LXXXVII.

Pro titulo, Tumulo inſcribi cupio.

PETRI. PITHOEI. PF. IC. BENE DE. SUA. BENE. DE POSTERA ÆTATE. MERITI. CORPUS. MAJORUM. SEPULCRO. CONDITUM. RESURRECTIONEM. ET IMMORTALITATEM HIC EXPECTAT.
R. I. P.

DEPOSITUM EST.

KATHARINA. PALLUDELLA. CONJUX AMANTISS. CONJUGI. AMANTISS. ET. LODOICA. AC. MARIA. FILIÆ. KARISS. PATRI OBSERVANDISS.

Pithœus hic jaceo, mecum & kariſſima conjux,
Sic compar vita, compare morte fruo.
Improbe quid rides? caſti ſacra neſcis amoris:
Nil non, vel cineres, hac comite, eſſe juvat.

Ex

Ex alia parte.

Sint inſcripta licet titulo duo nomina, duplex
Utque oculis teneat corpora ſarcophagus:
Unum & idem, ac totum tamen eſt: nam mutua præſtant,
Dimidiumque alii, dimidiumque ſibi

PETRO. PITHOEO. P.F. TRICASS. SAVODIÆ. DOMINO. NOBILITATE. ACTIBUSQUE. AD. EXEMPLUM PRÆCIPUO. ADVOCATO. JURISC. UNDECUMQ. DOCTISS. EA. ÆQUITATE. ARBITRO. UT. INTER. OMNES. QUI. AD. EUM. ANIMO. LITIGANTIS. INTRASSENT. PARENTEM. SE. MAGIS. HIS. QUAM. JUDICEM. PRÆBUERIT. PETITU BONORUM TESTIMONIO. SENATUS JUDICIO. REGUM. PER. PROVINCIAM AQUITANIC. ET. ITERUM LUTETIÆ. PARISIOR. DIFFICILLIMIS. TEMPORIBUS. PERFUNCTO PROCURATORIS. GENERALIS OFFICIO. LICET. EGREGIA. EJUS. IN REM. PUBLICAM. MERITA. ET. IPSIUS. SCRIPTA VETERUMVE. AUCTORUM. MONUMENTA. AB. ILLO IN. LUCEM. PRIMUM. DATA. AUT RESTITUTA ATQUE DOCTORUM OMNIUM. PERVULGATA. DE. EODEM. TESTIMONIA. AD MEMORIAM SEMPITERNAM. SUFFICIANT. ATTAMEN. FIDELISSIMÆ. DEVOTIONIS GRATIA. ET. PRO. SINGULARI. CIRCA EUM. AMORE.

FRATRI. PIISSIMO. ATQUE
INCOMPARABILI. FRANCISCUS. PITHOEUS. BONA
PIAQ. MENTE.
M. P.
VIXIT. ANNOS. LVII. OBIIT.
NATALI. SUO. MAGNORUM. VIRORUM. FATO.
KAL. NOVEMB. CIↃ IↃ XCVI.
R. P. I.

MEMORIÆ
SACRA
ILLUSTRISS. POTENTISS. PRINCIPIS
HENRICI
Walliæ Principis, Ducis Cornubiæ, &c.

Laudatio Funebris.

FR. NETHERSOLE *Oratoris Academiæ* Cantabrig. Trin. Coll. *Socij.*

Ad Lectorem.

Principis occasum verborum flumine nullo
Deflenti, vitæ laudibus imparibus
Si non ignoſces, Lector, miſerebere credo,
Lumina ſi mihi ſint qualia, corq; ſcias.

Reverende, Ampliſſime PROCANCELLARIE; *Nobiliſſimi, Dignissimi, Venerabiles viri.*

CUm vos univerſos ingenti attonitos malo tacere videam, ſubit mihi cogitare quam iniqui in me ſitis, quem non minus ſtupentem, tamen hodie dicere jubetis, luctumq; cui linguæ tot veſtræ, tamq; expromptæ non ſufficiunt, una hæſitanti, & impedita exprimere. Oris quidem fateor, beneficio veſtro locum in materno Capite obtineo; imperate ergo mihi quæ ſunt oris in mœrore officia, ſingultus, gemitus, ſuſpiria, lamenta etiam, & ejulatus; pleno de pectore hæc verba omnia non cyatho, aut urna, ſed tota amphora exhauriam. Deloris cur in aut mei aut veſtri, aut Reip. verba, quæ eli. decent conari, nec poſſum, nec vos à me id æquum eſt poſtulare. Ad rationis enim con-

ceptus pariendos, mentisq; sensa enarranda, attributa humano generi à naturâ oratio est: Lætitiæ verò, & tristitiæ, reliquorumq; affectuum, qui nobis communes sunt cum bestijs, interpretes etiam optimi sunt voces illæ, quas ipsa bruta non minus quàm homines edunt. Aut si fortè perturbationes aliquæ intelligendo interdum magis, quàm sentiendo in nobis excitatæ, orationem etiam juvent, parvas tamen esse oportet, si quibus verba circumspicere, eligere, collocare vacet. Magni autem affectus, gravesq; curæ splendoris omnis, & elegantiæ in verbis non minus, & sententijs, quàm in vestibus, cultuq; negligentes sunt. Nec potest, ut velit maximè, animus mœrore squallens. & stupore hebes ornatè quidquam dicere, aut acutè concludere. Nec lingua satis suum in orando officium facit, dum inter crebra suspiria veri verborum soni pereunt, cursusq; orationis medij singultus interrumpunt. Quin & ipsæ manus voci quæ subservire gestu accommodato debent, plangere cum didicerunt, agere nescivunt. Quapropter nostra hodiè si allucinetur dictio, veniam nec præfatur, nec perorabit Orator vester, qui perturbato dicendi genere, ijsque omnibus, quæ dixi, vitijs doloris magnitudinem ostentare exoptat potius, quam accurate composita oratione impiam indolentiam fateri. Eloquens videri, Academici, hodie non studeo, siquid forte audiatis vestris haud indignum auribus, id non meæ, quæ nulla est, facundiæ, sed eximijs, de quo dicturus sum, Principis virtutibus imputate. Quem pro meritis quidem laudare, Oratori optimo unum esset vel impossibile, vel difficillimum: sine omni commendatione id facere, pessimo quoque ominum non est facile. Cujus enim aut ingenium tam humile est, quod illius summæ virtutes attollere non valeant? aut tam jejuna oratio, quæ tam uberi materia ali non queat? aut quis tam inops orator, qui in ejus laudibus copiosus esse non possit? Ego vero, qui meæ probe conscius sum tenuitatis, accrescere aliunde vires sentio; nec vereor, ne de Principe defuncto bona multa commemorare nequeam, de quo adhuc vivente mali quidquam dicentem nemo unquam quenquam audivit. Nam cum sit Principum fere virorum iniqua fors recte quidem facere, male tamen audire, sive quod tantæ animorum & voluntatum diversitati placere ne ipse quidem possit Jupiter: sive quod ministrorum improborum injuriæ in dominos plerumque redeant: sive adeo ex malignitate humani ingenij, eorum semper famæ libenter detrahentis, quorum fortunis invidet; quicquid in causa sit, ea semper fuit hujus Principis prope peculiaris felicitas, boni nominis famam apud omnes non mereri solum, sed etiam obtinere. Principem nobis talem alij invidebant, gratulabantur alij; beatos utrique & felices prædicabant. Varijs quidem linguis, uno tamen ore, Principes illum externi, populique omnes laudabant. Domestici quoque non minus cujuscunque ordinis, Religionis, nobilitas, plebs, boni, mali, cæteris in rebus omnibus dissentientes, in ejus laudibus semper consentiebant. Benedicebant qui amabant, qui non amabant benedicebant. Quam quidem prærogativam quod præter communem Principum fortunam fortitus sit, id timori aliorum nemo tribuendum putet. Nam quis esse major potuit huic, quam alijs Principibus maledicendi metus? aut quis usquam tyrannus subditis timendus maxime, in linguas hominum ullum imperium habuit? aut quem unquam post hunc Principem maledicentiæ pœnas luisse accepimus? Virtuti ipsius eximiæ felicitas hæc quantacunque sit, & constanti vitiorum fugæ tota accepta referenda est. Est enim illud

illud profecto excellentibus virtutibus datum, ut non ſolum bonorum laudes, & amorem promereantur, ſed impuro quoque obtrectatorum ori ſilentium imponant. Quemadmodum & qui a vitijs procul, fortiterque receſſit, extra contumeliæ regionem longe poſitus eſt. Quid enim refert ei nec recte dicere de quo opprobria credi non poſſint, & qui non agnita ipſe rideat? aut quid hoc eſt aliud quam aut Lunam latrare, aut Solem obſcurum calumniari? His artibus inſtructus Princeps Optimus, gloriæ ſuæ confeſſionem malevolis extorſit: his armis munitus ſe ab omni, non verò ſolum probro, ſed opprobrio quoque falſo pudicum ſervavit. Nam quod unquam, Deus bone, non dico vitium, ſed vitij umbra candidiſſimum illud pectus infuſcavit? manus illas puriſſimas cujus unquam culpæ labecula inquinavit? quæ deniquæ libido mala ex illo aut ore ſanctiſſimo prodijt? aut caſtiſſimis oculis proſpexit? Permittite mihi quæſo illud etiam adijcere, quod ex animo dicam. Si fas ſit hominem ſine vitiorum ſemente naſci, ita ſatus, & ortus eras (Princeps Henrice:) Sin id mortalibus negetur, hoc ſaltem confidenter affirmaverim, turpem illum Vulcanum, qui ſemel conceptus aqua non extinguitur, in nullo unquam pectore aut incendium minus feciſſe, aut flammam magis innoxiam, fumumve rariorem emiſiſſe. Quid ego nunc adjiciam quanta ſit hæc in juvene, & quam rara laus? ipſi intelligitis, nec mihi eſt animus in ejus ætatis contumeliam quidquam dicere, ex qua nondum exceſſi. Fatendum tamen eſt illud malum eam antiquam, quæ tam altas in nobis radices egit (ut eſt malorum natura præcox nimis) in ætatis vere proferre fructus uberrimos ſolere. Sumus enim profecto, invenes, quod pudet dicere, luxurioſa, petulans, mobilis, arrogans, iracunda, ſuperba, verbo dicam, ſtulta turba. Quibus tamen non contenti, quaſi vitiorum inopes eſſemus, quædam pueritiæ propria retinemus, alia ante tempus à ſenectute mutuamur, & non amplius pueri, adhuc pueriles; nec dum ſenes, jam κακοήθεις ſumus. Ille autem contra, quæ deſunt ætati noſtræ bona, innocentiam, & prudentiam à vicinis petijt: quæ adſunt, magnanimitatem, verecundiam, facilitatem, rerum agendarum ſtudium, & ardorem avidiſſime tota manu arripuit, ita tamen ut à contactu vitiorum ſemper abhorreret. O unum perpetua dignum juventa cujus adoleſcentiæ flori ſpinæ agnaſcebantur nullæ! Nunc, quod aliquis cogitet, laudem eſſe hanc cuſtodis magis, quam ſuam, id longe aliter ſe habet: niſi enim in virtutem flecti cereus quis à natura ſit, irritamen vitiorum fit ſeverior diſciplina. Nam & equi contumaces adductis arctius habenis ferociunt magis: & Neroni magiſter morum optimus hoc tantum profuit, ut immanis illa beſtia retenta diu, ruptis dein vinculis ſævior exiret. Noſter autem ſubducto jam cortice non minus nabat, ſed remoto quoque cuſtode vitam famamque ipſe incolumem tuebatur. Quod ſi alij quoque in privata fortuna faciant, eſt quidem laude, ſed minore dignum. Nos etenim, cum magiſtri non poſſunt, magiſtratus cohibent: & ſi verum fateri volumus, boni in tantum ſumus, in quantum mali eſſe non audemus. Criminibus, quæ tuto admittuntur, etſi parum honeſte, abſtinet nemo: ſi jus nullum contra ſit, injuſtiſſimus eſſe quis dubitat? Quod ſi ita animatus fuiſſet Princeps innocentiſſimus, quas ille turbas dare? quæ flagitia committere impune potuiſſet? Luce clara diripuiſſet poſſeſſori bona. Quis repeteret? virgini vim intuliſſet. Quis citaret? eadem non unius modo, ſed vel mille hominum patraſſet. Quis in judicium vocaret?

Ab his tamen ille, cæteriſque omnibus, ijs etiam, quibus in adoleſcente ſolet eſſe venia, non metu pœnæ, ſed turpitudinis odio temperavit. O dignum vita longiore Principem, in quo boni mores plus valebant, quam in nobis bonæ leges! Sed quid his tamdiu immoror? Agrum ſterilem nemo unquam laudavit, quod tribulis, carduiſque non horreret; ſed ſiqua bonæ frugis ferax terra, herbas nocentes, & inutiles non pariat, ea demum laudari digna eſt. Videamus ergo iſta Principis innocentia quibus porro virtutibus cumuletur, nam & fungi & ſtipites vitijs carent. Qua quidem in parte illud metuo, ne poſt Xenophontem, Cyrum aliquem iterum deſcribere videar, non qualis erat, ſed eſſe debuerat. Deum ergo inprimis Opt. Max. ſancte juro, me laudes Principi non ſuas afficturum nullas, & ſi ob inauditam ejus in hoc ævo, & hac ætate perfectionem orationi meæ deſit fides, veritatem non defuturam. Id unum deprecor, ne quæ à me hodie audietis, aut omnia quæ dici poſſint, aut optima putetis. Cogit enim me iniqua hora, ac ſi in hortum floſculis omnigenis conſitum venerim exiturus, raptim ſine delectu proximos quoſque colligere, ex quibus olim, ſi erit otium, ſinentque fata, Principi Illuſtriſſ. corollam nectere in animo habeo. Et ſtatim quidem ungues non teneo, quin te, pietas, decerpant, vitiorum omnium expultrix, virtutum mater, quibus tantum ſuperemines quantum homini Deus. Omnibus quidem neceſſaria, Principibus adeo, ut ſi religioni non ſint, ſuperſtitioni ſaltem eſſe deditos è Rep. putandum ſit. Si enim volumus ex omnis ævi hiſtoria, exempla domeſtica, peregrina, omnium gentium, nationumque conferre, inveniemus ſub Mezentijs ſemper & Hoſtilijs, aut diſſipatas bello Reſp. aut afflictas: ſub Numis placida compoſitas pace floruiſſe. Non inde adeo, ſiquid ego judicare poſſim, quod, ſicut amatores Dominarum abſentium picturis delectantur, ſic fictæ quoque religionis imagini faveret Deus; ſed quod falſa omnia veris immixta ſint, ipſaque ſuperſtitio tantum de vera religione trahat, quantum ad Remp. continendam ſatis ſit. Solent enim populi, quamvis feroces, regi ſuperſtitioſo ſubditi, ad ejus exemplum Deorum metuentes eſſe: qui autem ſic ſunt, eos non tam facile aut inter ſe ſeditionem aliquam, aut in Principem moturos recte apud Xenophontem reputavit Cyrus. Nec illi neſcierunt improbiores Principum, ſed aſtuti doctores, qui vanitatem hanc (ſic enim vocant) in plebe fovendam, & augendam putant, ipſumque ideo Principem quem eſſe religioſum nolunt, videri volunt. Quanto melius Sereniſſimus, & pijſſimus Rex, ex vano mendacium Deorum metu, æſtimans veri quid valeat reverentia, uſuque doctus ſuo ſtabiliſſimum regni fulcrum cælo infigi, filium chariſſimum in ætate fallendi neſcia, non ſimulare pium, ſed vivere inſuevit, quem nondum prima verba ſatis exprimentem orare docuit: nec dum religionis capita recte intelligentem memoriæ mandare juſſit. Quod ſicui obſcurum eſſet, quam ſimus natura tenaces eorum, quæ primis annis imbibimus, hinc eſſet perſpicuum, quod illa duo pietatis officia, quibus à puero imbutus fuit Princeps optimus, non alius adoleſcens reſipuit magis. Quis enim eorum qui in hæc tantum vivunt, aut libentius Deum alieno ore loquentem audivit? aut ſuo ſæpius alloquutus eſt? Quis in hoc opere ſubmiſſius? in illo attentius verſari ſolitus? O Princeps ſanctiſſime, ſanctiſſime Princeps, etiam nunc mihi ſcripti ſunt illi in animo, quos vidi poſtremos vultus tui. Habuit tum conſcionem Præſul Ampliſſ. is qui poteſt optime, forte aderam, ambitio me tenebat magna (fatebor enim) à Principe coram

coram præſente etſi indignum aſpici, aliqua tamen ſpectari. ſiſtebam me ex adverſo. expectabam quam mox me cum turba intueretur. ille uni dicenti intentus, ex oculis Epiſcopi oculos nuſquam dimovit ſuos. mirabar. aſtantes rogo quid eſſet. reſpondent morem. gaudebam. ſperabam claudente ſaltem concione fore ut circumſpiceret. ibi vero ille prono in terram genu, ſublatis manibus, oculos in cœlum fixit: quales! Deus bone, quales! nequeo dicere. hoc tantum: ex illis migrantem in cœlos animam manifeſte cernebam. Hæc ſiquis vera an ſint ambigat, teſtes mihi eſſe poſſunt è vobis ſexcenti, qui aut illic, aut alibi tantum viderint. Parva ſiquis dicat. fatebor. veruntamen, ſiquid ego in aliena Rep. intelligo, animi religioſi ſunt argumenta maxima. Is autem in tanta rerum omnium abundantia, & tam excelſa fortuna non minus raro occurrit, quam fortuna ipſa. Falſus eſt enim in eo Ariſtoteles potentes, & fortunatos eſſe ſolere erga Deum affectos optime. Πιστεύοντες διὰ τὰ γινόμενα ἀγαθὰ ὑπὸ τῆς τύχης, credentes, inquit, Deos eſſe ob bona quæ illis à fortuna proveniunt. Præceptoris enim verba factis deſtruit diſcipulus Alexander, qui proſpero bellorum ſucceſſu inflatus, ſe Deum potius credi voluit, quam alios credere. Sed ignoſcamus divino illi in rebus humanis ingenio, in divinis humanum quid patienti: & quo duce in terra ſua utimur, ei ignota in regione erranti viam comiter monſtremus. Sciat ergo magnus Philoſophus, naturæ miraculum, quod nos ex altiore ſcientia hauſimus, pietati nihil æque adverſari ac ſecundas res: quæ cum ex ſententia ſponte fluunt, ſegnes ad Dei cultum omnes ſumus. Neptuno undis jactati vota certatim faciunt plurimi. ijdem ſervati in litore non omnes ſolvunt; tranquillo autem æquore, ſereno cœlo, ferente vento precibus fatigare maris Deum pijſſimo Principi cum patre, ſed paucis alijs commune fuit. Magnum aliquod præſtare videntur potentes ſi ignavum hominem unum aut alterum alunt, qui pro ſe oret, ipſis aut otium aut animus non eſt. Ille qui ſciret vota Britannorum omnium pro ſalute ſua excubare, rei tamen tantæ ſupinus indormire noluit, ſed illa genua à ſupplicibus adorari nata, terram aſſidue exoſculando obterebat. Precibus rarius aberat, quam adſint alij, toto certe vix ſemel menſe. Solus præterea ſecum (nihil quidquam mentior) ter fere quotidie Deo ſupplicabat. Fauſtum & felicem diem nemo illi prius quam ipſe petebat: bonam noctem, & tranquillam quietem poſt aliorum vota ſemper precabatur. Nec in beneficijs petendis frequentior, quam in gratijs agendis prolixior erat. Id uno, de multis, exemplo diſcite, quod in memoriam fatalis ejus diei, quem pæne non effugimus, ſuam ut erga Deum gratitudinem teſtatam faceret, nullis unquam negotijs impediri potuit, quo minus die quoque Martis, patris exemplo concionem audiret. Quod ſi nos item frigida tanti beneficij quotannis commemoratione defuncti non fuiſſemus, fortaſſe dies omnium nefaſtiſſimus Nonis Novembribus proximus non legeretur:

Trojaque nunc ſtares, Priamique arx alta maneres.

Sed quo feror? video me ſuavitate illectum, hanc quaſi virtutum ejus roſam pandiſſe pluribus, jamque eam, ut in faſciculum, patere ſatis, illa tamen adhuc queritur nimis ſe connivere. Explicabo ergo ſolium & illud; Principes, præſertim noſtros, qui in DEFENSORUM FIDEI titulum aſſurgunt, religionem non colere tantum, ſed propugnare etiam debere. Quod fecit Sereniſſimus doctiſſimuſque rex libro illo eximio, cui dum dentes quærunt illidere Romani mures,

offendunt

offendunt ſolido. Atque cum filij plerique omnes gaudeant in eo potiſſimum laudis genere excellere, in quo majores claruerunt, tum hoc Principe nemo unquam aut patrem imitatione digniorem habuit, aut majore cum ſtudio imitatus eſt. Nec tamen recipio, voluiſſe eum poſt patrem in hanc verborum arenam deſcendere, ubi videret obſcurum quemvis de fæce Romana Scioppium non pudere ſe cum Rege omnium Sereniſſ. componere, cujus Majeſtati ipſa quoque Sanctitatis ſuæ purpura conferri erubeſceret. Verum niſi me animus fallit Romanam beſtiam, à patre jampridem calamo confoſſam, virus tamen adhuc evomentem, alio longe telo adortus eſſet, & DEFENSOR FIDEI prius etiam quam jure poſſet gladio vocari meruiſſet. Eſt enim illa calumnia mera ab impijs quibuſdam excitata, frangi nimio religionis ſtudio quicquid eſt in animo generoſius, aciemque fortitudinis pietate retundi. Ego contra contendo, Dei timorem animo virili maximum robur addere. Quid enim poteſt illis timendum in bello videri, quos lethi metus non urget?

——— *inde ruendi*
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis ———

Aut ſi ex victoriæ fiducia creſcat pugnandi audacia, unde firmior oriri poteſt quam ex opis divinæ, auxilijque cœleſtis certa perſuaſione? Lachrymas quidem omnium facillimi emittunt pij viri, ſed & ſanguinem: non ſunt temere ex levi cauſa pugnaces; ne ſint quidem. læſam autem ſæpius patientiam in iras violentas ardeſcere, & cum fortitudine pietatem optime conſpirare, ſi vitam Principi Opt. longiorem indulſiſſent fata, documentum orbi ingens dediſſet, & in hac quoque tam brevi amplum dedit. Ut enim ab ipſo ovo ordiar, in cunis ſtatim ex animo tenebrarum, & terriculorum omnium contemptore ſcires à Sereniſſimo, & heu nimio nimis confidente interritoque Rege ſatum, ab invicta, & bellicoſiſſima Danaorum Regum proſapia oriundum. In prima vero pueritia inanes terrores, τὴ παιναὶ τὸ πολέμε, ad quæ trepidare ſolent tyrones, adeo non metuebat, ut nihil majore cum voluptate audiret, quam fractos tubarum, & tympanorum ſonos: offenſus quoque inter ludendum, grandiores ſe multo ad pugnam provocabat. Fortis animi, magnique ſpiritus indicia non minora. Mores etenim cujuſque nullibi ſimplicius ſe detegunt quam in ludendo pueri dum ſumus, & ex ipſo in ætate illa oblectationum genere. Sic ferus ille contingendis, quas in delicijs habebat, coturnicum oculis, crudelitatem innatam ſtatim prodidit: ſic qui in gallinaceorum conflictibus diſſidebant fratres, diſcordiam in imperio eandem retinebant: ſic & in noſtro, ex ejus quam dixi muſices amore, & ſtomacho injurias concoquere neſcio, bellicus ille animus clare elucebat. Fatebuntur hoſtes (intelligo quid dico) qui vix dum Aſtyanacta ingreſſum, Hectora futurum expavebant. Nec eos fallebat metus, Hector enim erat adultus jam, aut Achilles, aut aliquis antiquorum heroum denique. Quos ego, poſtquam regna Saturnia redijſſe videam, aut renatos jam, aut renaſcituros ex Pythagoræ diſciplina libens credo. Niſi forte anus natura, ut ſe nondum annis effœta tam probaret, unum hunc terris oſtendiſſe tantum ſatis habet, in quem ſi non Achillis anima, at certe animus migravit. Nam ut ille olim parmam, haſtamque fæminis

ncis

neis mercibus immissas elegit: itidem & noster posthabitis muliebribus oblectamentis omnibus, quibus enervamur hodierni adolescentes, ijs quæ virum deceant, faciantque solis se exercuit. Pila, inquam & majori illa cui nomen, quod sciam, non est Latinum, & minori qua ubique luditur: quarum altera glandium in prælijs jactationem secure pati; altera ad tormentorum quoque globulos non exhorrescere doceri voluit. Saltabat etiam non more, ut nunc fit, Ionico, tenere molliterque, sed motu corporis virili, modoque prope Laconico; quem ad militarem quoque disciplinam plurimum facere, non dubitant credo qui sciunt Phrynicum, quod in fabula Pyrrhicham apte saltasset, Imperatorem ab Atheniensibus delectum fuisse. Sed præter cætera corporis exercitia, in quibus multus erat Princeps fortissimus, feroci equo gaudebat maxime. Quæ, non meo solum, qui sum unus è multis, sed sapientissimi quoque Apollinis judicio, generosæ indolis, animique Imperatorij certissima est exploratio. Quis enim vestrum nescit oraculum illud Philippo Macedoniæ Regi de successore consulenti Delphis datum? eum demum Macedoniæ imperio, omnique mundo potiturum, quemcunque Bucephalus sessorem pateretur. Quod in Alexandro evenit, qui se orbi subigendo parem fore, equo prius domito specimen dedit. Quid ergo noster? annos natus vix decem, qua ætate alijs arundini inequitare pulchrum est, equo acriori imponi poscebat. refugientibus qui aderant munus periculi plenum, arduo colliculi adjutus ipse conscendit, subditisque calcibus equum ad cursum admisit, exclamantibus frustra adstantibus, donec tandem satiatus leviter flexis habenis reduxit, descendensque *Nam quousque*, inquit, *opinione vestra puer futurus sum?* Quum primum autem adolevit, quæ ejus lætitia erat? qui amor? quod desiderium? nisi equo spumanti, & animoso vectum spectari, cui nunc erecto, nunc prono, nunc resultanti, omnia denique agenti adeo arcte insidebat, adeo decore, ut ego cum aliquoties viderem cœperim rudi illi sæculo ignoscere, quod errore deceptum Hippocentauros procreavit. Postquam autem firmatis tandem viribus cataphractarium egit, ex illo tempore, quæ à Poetis narrantur militum errantium gesta, non amplius mihi fabulæ videntur. Vidi, vidi ipse, Academici, equo tam incitato alacriter procurrentem, brachio tam valido lanceam tenentem, manu tam docta in occurrentis caput dirigentem, impetu tam vasto eundem impellentem, ut nihil supra vel legatur, vel cogitari possit. Quod siquando hasta confracta gladium stringebat, nulla aut mora, aut requies erat; quæ ibi fulgura oculos feriebant? quæ tonitrua aures verberabant? primus me docuit quid esset *fulmen belli*. Nec mihi nunc dicat quispiam, facilem esse audaciam, ubi non sit periculum, fuisse autem hæc pugnæ simulacra tantum; neque enim ego alio versum produxi. Verum ut cum taurum vidcamus arboris obnixum trunco in cornua nuper nata irasci discentem, aut ventos tantum ictibus lacessentem, intelligimus eum aliam pugnam meditari; ita & hæc bellorum ludicra, quibus à puero tantopere deditus erat Princeps fortissimus, verorum præludia putanda sunt. Quid enim putatis, Academici? qui ex rei militaris usu longo peritis, castra muniendi, exercitus disponendi, ordines ducendi, impetum faciendi, militiæ terrestris, navalis artem universam accuratissime didicerat; qui bellica tormenta quamplurima fundi curaverat; qui navem ingentem, præ qua Argo cymba fuit, jam exstruxerat; qui, delectos ex omni Britanniæ nobilitate, juvenes fortissimos, in aulam collexerat; qui cum heroibus utriusque Germaniæ,

niæ, totiuſque adeo Europæ, amicitiam contraxerat; quid inquam putatis? nihil eum aggreſſurum? moliturum nihil? ſenſum horum omnium fuiſſe nullum? Ego vero non dubito, Academici, quin expeditionem in Colchos alteram cogitabat, & Herculeo plane Principe, *Palatino* comite aſſumpto, Romanæ arietis vellus aureum reportaſſet. Id pro comperto habeo, ejus jamdiu cogitationes omnes, omnes ſermones, cuncta inſomnia de bello ſuſcipiendo, & gerendo fuiſſe;

Et cum frigida mors anima ſeduceret artus,

tum quoque linguam, mentis impulſum retinentem, arma tantum, & prælia loquutam eſſe; & in mortui quoque vultu minas relictas apparuiſſe. O fallacem hominum ſpem, fragilemque fortunam, & inanes noſtros conatus, qui in ipſo ſæpe limine franguntur, & corruunt! In tribus, quot fere implevit, ætatis gradibus, præclarum aliquod facinus ſemper minabatur; qui autem primus annus rebus gerendis aptus videbatur, is noſtram expectationem omnem, ejuſque vitæ conſilia morte pervertit. O triſte fatum, acerbam miſeriam, tantæ virtutis ſpem, tam recte & primo conceptam, & indies per tot annos creſcentem, cum ipſa partitudo appeteret, tum extingui! Gaude Regum tyranne Romane Pontifex, gaude, aures adulationibus patentes præbe, ſine te ὑπεράνθρωπόν τινα ἄνδρα, Dominumque ſuum, ac Deum paratiti vocent; exceſſit miles qui te & mortalem eſſe, & nequam hominem ferro docuiſſet.

Gaudete proditionum fabri Jeſuitæ, lupæ Romanæ genuini catuli, gaudete, inſulam hanc noſtram, quæ hoc genus beſtijs ſemper caruit, infeſtate; eſt nobis, Deo gratias, & ſit precor, qui vos odio toto perſequitur venator Rex ipſe, ſunt canes, fuit etiam, qui aſylum Romuleum, ſylvam in quam refugere ſoletis excidiſſet, fabricas veſtras à fundamentis omnes dejeciſſet, & pietatis hæderam fortitudinis lauro maritaſſet. Atque hic quidem locus poſtulare mihi videtur, pauca etiam de caſtimonia ejus adjici. Solent enim eſſe bellicoſi viri, (quod in militiæ opprobrium dictum nolim) amatores mulierum plerumque maximi, ideo, opinor, quod robuſta, & valentia corpora utrique militiæ apta ſint. Viderunt hoc Poetæ Comici, qui militis perſonam ſine meretrice nunquam inducunt. Viderunt ante eos fabularum auctores, qui non fruſtra unum Deorum Martem Veneri illigarunt. Nec tamen paſſus eſt Princeps fortiſſimus virtutis ſuæ gloriam hujus turpitudinis contagio lædi. Sic enim ſecum putabat, multorum bonorum gratiam unius vitij interventu deformari; hoc autem eſſe tale, quod inhoneſtatis nomen κατ' ἐξοχὴν meruerit; proinde ab omnibus, quibus honos curæ, præter cætera evitandum; Principibus maxime, qui (quod eſt in hoc genere ignominiæ ultimum) niſi indigna flamma ardere nequeant; qua nullam eſſe breviorem ad contemptum viam; nec alio ex fonte Regnorum plurium mutationes fluxiſſe. His adjunxit & illud, minimam libidinem in ſe fœdiſſimam viſuram paternæ pudicitiæ comparatione, quo nullus mortalium verius Dianam exercet. Hæc cogitans, ſimulque veriſſime æſtimans, quam pronum eſſet in illo ætatis lubrico, turpiter ex improviſo labi ſicut ſapiens paterfamilias, materiam hujus ignis rapacem, è domo removeri juſſit. Dein fugatis etiam otio luxuriaque, corpus Laconum more aſſidue, ah & immodice, exercens, famem tamen magnam labore multo obſoletam, victu parabili modicoque ſatians, Cupidinis nervum laxavit, ſagittas fregit. Et Achilles quidem erat, ſed abſque Briſeide; veruſque Laco, præterquam quod caſtior. Sed nec corpus deperibat ſuum, quod

faciunt

faciunt multi, qui alienis abſtinent, Narciſſi; quibus ſi ad pulchritudinem opes contingant in ſe ornandis fere vltamque, remque inſumunt; & cum pavones multum ſplendore vincant, ſuperbia tamen exuperant magis. Quo magis admirabilis videri debet Principis in his rebus eximia modeſtia; cui cum forma eſſet virilis plane, ἡδεῖα μὲν ἰδεῖν μετὰ φοβερότητος, grata quidem aſpici, terribilis tamen, noluit feminea cura dotem hanc naturæ tantam corrumpere; ſed inaffectatam quandam in cultu corporis negligentiam affectavit, & in veſtibus Attalicis, & Alexadrinis animum minus elatum retinuit, quam nos ſub palliolo Diogenis ſordido poſſidemus. Atque, quod eſt rariſſimum exemplum, ſic & in geſtu gravitatem cum facilitate, & in habitu magnificentiam cum tenuitate temperavit, ut ſummæ fortunæ magnitudinem ſine faſtu, inferioris humanitatem ſine contemptu retineret. Uſus ad hæc miſcenda veterum Romanorum arte, quibus veſtiri in foro honeſte mos erat, domi quod ſatis eſſet; ſic ergo & ille, diebus ſolemnioribus proceſſurus in publicum, aut legatos accepturus, ad tuendam imperij Majeſtatem cum veſtimentis ſplendidis inceſſum quoque magnificum, vultumque Majeſtate plenum ſumebat; reverſus autem ad ſuos tanta comitate cum ijs verſabatur, ut Principis ſupercilium omne exueret, tantillo etiam ſumptu interdum ornatus, ut Dominum ſervumque vix diſcerneres. Narrabo etiam vobis ad hanc rem dictum ejus quoddam: cur enim aliorum Principum jocularia libenter in hiſtorijs legimus, noſtrorum ſeria cum ipſis interire patimur? Fuit cum panno villoſo, cui à Wallia nomen inditum, multos dies amictus incederet, nec defuere luxurioſa ingenia qui dictitarent, Celſitudinem ſuam non decere veſtimentum adeo vile, ſed nec pretioſiſſimum tamdiu ferre; quibus ille, *Me vero Patrii panni non pudet, qui utinam immortalis eſſet.* Reſponſum ſempiterna dignum memoria, quo illos, in minore multo fortuna. Antoninos notare voluit οἵτινες πολλοῦ πᾶσαν ἐσθῆτα μυσάττονται εἰς φάσκοντες εἱρμαδιώσεγμαTος εὐτελῆς, quibus niſi exoticum placere poteſt nihil, quicquid ex lana fit vile putant; & cum agros ſæpe totos in tergo ferant, quod tamen in Nerone etiam notabile fuit, eadem veſte bis indui erubeſcunt, pæne dixeram eadem forma. Uſque adeo verum ſemper erit ambiguum illud οἱ Βρέττανοὶ ἐσθῆτος χρῆσιν οὐκ ἴσασι. Britanni uſum veſtium neſciunt, quas non induimus corpus ut celent, ſed illas ut oſtentemus; & poſt tranſmutata in mille formas corpora, non minus deformes nunc ſumus ornati, quam olim nudi. Quem Reip. noſtræ morbum, non ſolum animadvertiſſe Principem Prudentiſſimum, (id enim faciunt & ſtulti) ſed, quæ ſunt prudentum propria, periculum quoque olim ex eo ſecuturum longe prævidiſſe, viamque medendi optimam tenuiſſe, hinc intelligitis. Jam Te non amplius laudo, admiror potius, juventutis Britanniæ non magis nobilitate, quam virtute Principem. Quis enim noſtrum juvenis, vitæ ſuæ modum habere novit? ille etiam aliorum habuit, quis noſtrum orbi proprio corrigendo ſufficit? ille de orbe terrarum emendando cogitabat. quis noſtrum peccaturus quenquam veretur? ille jam peccaturis verendus erat. Credite enim, Academici, quod non dicam dolo, Principis hujus reverentiam multos à vitijs abſtraxiſſe, quos dei timor deterrere non potuit; hujus enim iram lentam fore credebant, illius in diem differri non ſperabant. Igitur cum juvenum circa ſe numerum permagnum ſemper haberet, nullibi tamen criminum rarior naſcebatur ſeges, quam in aula Principis, quæ

non vitiorum ludus, ſed pietatis, virtutis, doctrinæ ſchola, veterumque gymnaſiorum veriſſima imago erat; ubi inter diſcum, & Philoſophum, corporis, animique exercitationes otium ſuum dividebat Princeps temporis parciſſimus; nec habeo dicere illis ne, an his ſtudebat magis; & illas certe optime, & has callebat. Quid enim nos jactamus, Academici, quibus ſtudere vita eſt, ſi literis abditi, Muſæiſque concluſi, cum Philoſophis, hiſtoricis ſolis verſantes, Poetis, Oratoribus colloquentes, paulo aut doctiores, aut eloquentiores, evadamus. Ille cui mille quotidie occupationes erant, quæ ejus animum à ſtudijs avocarent, ante primam lanuginem linguam utramque doctam probe intelligebat; Italo autem ore, & Gallico, non minis rotunde loquebatur, quam ſuo. Artes præterea omnes, & ſcientias, totamque adeo Philoſophiam, ſi non quantum ſcholæ ſupereſt, at vitæ uſuique quod ſatis eſſet, de patris abundantia hauſcat. In cujus fidem, teſtis ſicui locuples parum videar, argumento ſit ejus ſingularis in doctrinæ candidatos amor. Laus in Principe prope major quam doctrina ipſa; quem, ſi de duobus adeo conjunctis alterum tantum eligendum eſſet, Mæcenatem eſſe multo, quam Maronem mavelim. Quis ergo veſtrum neſcit, Principem utriuſque Minervæ amantiſſimum armatos, & togatos dubio ſemper favore amplexum eſſe? Quis neſcit eum eruditos in aula ſua habuiſſe plurimos, quibus & Bibliothecam omni monumentorum genere refertiſſimam inſtruxerat? Quis ejus in matrem noſtram benevolentiam, in ſororem etiam benemerita non audivit? Qua quidem in re prudentiam ejus eximiam, & in ipſa quoque inæqualitate æquabilitatem ſummam, ſatis admirari non poſſum. Nam cum videret Regem Sereniſſimum Academiam noſtram vicinia ſua frequenter beare, ne illa altera felicitatem hanc nobis tantam invideret, ſeque deſpicatam aut neglectam quereretur, aulam ei ſuam admovit Princeps æquiſſimus, ut quam nos ipſi Iovi prope ſumus, illi Iovis filio tam propinqui eſſent. Hinc vere nobis jam oriri potuit metus, ne poſt etiam quam ſidus noſtrum occideret, benigniore illos aſpectu, quam nos, intueri pergeret Quam ſuſpicionem in nobis vix dum ſurgentem, aureo ſtatim Apophthegmate prudentiſſime oppreſſit. Nam cum olim, Cancellarij vacante munere, rogaretur Oxonienſes in tutelam recipere, quæ ejus tum fuit oratio? *Se utriuſque Academiæ Cancellarium fore:* O mirum Principis, & dulce ingenium! Mitto verborum elegantiam, annos in quibus hoc protulit. rem putemus. Potuitne aut petentibus mollius denegare? aut non petentibus facilius promittere? aut utriſque æquiorem ſe præbere? Dignare Princeps Magne Academiæ Oxonienſi Cancellarius inſcribi. Ignoſce Lyceum celebre, tuus non ero privatim, ſed tuus ero. Non auſa eſt Cantabrigia ad tanti voti confeſſionem aſpirare. Fide Muſarum alma mater, verecundia tibi non obſtabit tua, pro altera rogatus ſum, tui etiam patrocinium ſuſcipio, *utriuſque Academiæ Cancellarius ero.* Intelligebat nimirum divino Princeps ingenio, æmulatione maxime accendi doctrinæ ſtudia, eam autem inter pares, dubia adhuc victoria gliſcere ſolere: palma vero ſemel decreta, & ſublata certaminis ulterioris poteſtate, victorem plerumque jam ſecurum diligentiam remittere, victumque voluntatem contendendi cum ſpe ſuperandi ſimul abijcere. Igitur & nunc quoque, ſi Tyrum fortaſſe ob palatij affinitatem, Troja propriorem aliquantulum ducebat, ut genu tibia, Troas tamen Tyrioſque in aula, atque à ſacris nullo diſcrimine habebat. Utriſque ſumme favebat,

utriſque

utrisque pariter, factisque ostendit verissimum esse illud prudentissimi historici, *Laudatorum Principum usum ex æquo esse quamvis procul agentibus.* Nec enim voluit loca hominibus obstare, sed pro meritis cujusque & dignitate, non pro urbe, aut patria gratiam semper & præmium deferebat. Quid ego nunc his apponam, propensam ejus in omnes, quacunque in arte excellentes beneficentiam? Nullus erit finis omnia si persequar, jamque me vox deficit, non oratio. Tacere tamen non possum unum etiam in eo rarissimum, quod regnorum Britanniæ hæreditatis suæ, reditus undique provenirent; vim, & in quibus staret; portuum numerum, & quot navium capaces essent, quot caperent; castellorum magnitudinem, situm, firmitatem, in singulis tormenta quot essent, quot milites, qui duces; imperij denique nostri arcana omnia cognitissima habebat. In re autem familiari, nescio an multi nobiles æque sint aut versati, aut providi. Reditum omnem distribuerat in partes tres, quarum unam familiæ alendæ, aliam servorum stipendijs suisque ornatibus, assignaverat; tertiam ad improvisa sumptuum muneraque reservabat. Multa, ut par est Principi, multis donabat, nulli tamen quidquam cujus pretium ante non intelligeret, ne beneficij magnitudinem vel qui rogaret celare, vel qui acceperat, dissimulare possit: quorum alterum quidem petitores impudentes, alterum debitores ingratos facit. Et cum sciret maximam esse famulis ad fraudandum illecebram, domini in rationibus exigendis negligentiam, nisi gravior aliqua cura vetaret, accepti expensique tabulas præstituto semper die cum servis putabat. Hæc cum mihi olim dicerentur, Deum ex intimo corde Omnipotentem venerabar, ut nobis, viri Academici, virisque militaribus, Britanniæ, Germaniæ, Ecclesiæ, Reip. Regi, bonis omnibus hoc decus, hoc præsidium, hoc columen servarent. Jam tum verebar ne vitalis non esset præmaturus juvenis; prudentia enim tanta, & tanta sanctitas, senectutem si aliquando præveniant, at mortem nunquam diu præcurrunt. Nec aut nos tali diutius digni eramus Principe, aut ille, in tam corruptis sæculi moribus, vitæ longioris cupidus videbatur. Ergo annos nondum viginti natus diem suum obijt. O infelicem rerum humanarum conditionem, iniquam enim religio est dicere. Fatuos à morte defendit ipsa insulsitas; sicui plus cæteris aliquantulum salis insit, (quod miremini) statim putescit. Tyranni inter odia populi, & execrationes semper canescunt; bonis sæpe Principibus suorum desideria, precesque barbam impetrare non possunt. Marcellus in herba vere novo succisus, spem Romanorum & vota elusit; Tiberius metum Augusti non fefellit, sed messem mali ad maturitatem perduxit. Et quid externa queror? domesticis exemplis, heu miseri abundamus. Nescio, Academici, quod nos fatum premat, aut quod flagitium luamus, aliquid certe subesse oportet, quod annis non multo plus quadringentis, filij Regum nostrorum primogeniti non minus octo immature perierunt. Non est injustum, Summe Deus, ut primo genitos, tibi qui debentur, nobis auferas, tu qui pro nobis dedisti tuum, non est injustum; tot amisisse, tam brevi est misere miserum. Longum esset omnes nominare, atque apud vos, uti opinor non necessarium

——— *quis nigri Memnonis arma?*

quis decantatum illum *Arthurum?* quis in parvo magnum *Edvardum?* quis

reliquos non audivit? Eorum omnium memoriam, longa annorum ſucceſſione, & diuturna Principis inopia prope deletam *Magni Henrici* virtutes renovabant. In eo iterum ſpirabat demortua jamdudum *Edvardi* pietas: in eo *Arthuri* gravis comitas, faciliſque Majeſtas aulam reviſebant: in eo *Nigri Principis* clara in bello gloria revictura videbatur: in eo quicquid olim, nunc quoque amiſimus. Atque utinam quidem noſtræ hic eſſet miſeriæ modus, & aliqua ſaltem ab eo ante mortem ſuſcepta proles fuiſſet! Nunc autem non illi ſolum Principes, quos è ſepulchris reſuſcitabat, cum eo ſimul in terram reverterunt, ſed alij etiam, quos geniturus erat, nondum nati, extincti ſunt: nec illa modo vulnera jam olim obducta, hujus letho recruduerunt, ſed alia etiam, quæ necdum ſentimus, & majora nobis inflicta ſunt. Ah ne hoc funus mille producat funera, nec ſit dies ille cum intempeſtivum hujus Principis fatum, acerbiore luctu, quam hodierno deflebimus, cæciſque in malis deprenſi *Principem Henricum* magna voce, *Principem Henricum* nequicquam clamabimus. Inanis forte eſt hic metus Academici, & ſi meæ cum veſtris quid valeant preces, inanis erat; utinam etiam & ſtultus eſſet. Vivit quidem Priamus, & diu vivat & diu precor: firma ſtat ejus domus, nec unquam nutet; poſt fatum tamen Hectoris, ejuſque ſupremum diem cui decem annos ſpes noſtræ innixæ ſunt, Trojæ timere, cum nolim, reluctante licet animo invitus cogor. Qui ſemper, etiam nunc Pergama tuere fortis dextra æterne Deus. Hectoris tamen in funus omnes undas convocet Britannia. Hectora jam ſenior Priamus immenſum fleat; Hectora fæcunda Hecuba, ſed felicior plangat; Hectora ſuperſtes ſolus Polydorus defleat; Hectora Choræbus juvenis, & Caſſandra lugeant. Hectora univerſus populus inſolabiliter ploret. Hectoris in funere doleat hujus regni caput. Hectoris in funere ruant ex oculis flumina, utriſque ex oculis, ex noſtro non inferius. Alijs in rebus, Academici, ceſſiſſe intra fines juris noſtri ne pudeat, in certamine vero obſervantiæ erga Principem, doloris pro defuncto, nec victi unquam fuimus, nec vinci nos patiamur. Suſpirijs contentus non ſum, non gemitibus, quemcunque ſiccis genis aſtare videro, quemcunque intemperanter non illachrymantem aut Ulyſſis militem, aut Myrmidonem putabo. Nec mœrendi tempus die, aut menſe, aut anno finiamus; quid enim? ejus mortem unum tantum annum lugebimus, quem per omne ævum Britannia deſiderabit? Adjuro vos, Academici, ne poſt hunc diem alia quam pulla veſte in perpetuum utamini, donec *Illuſtriſſimo Principi Carolo* Magnæ ſpei alteræ Britanniæ puer ipſi ſimilis naſcetur. Solitum flendi morem, ſolitum ſpatium vincite, Hectora flemus. Hectori virtute parem, infelicitate etiam ſuperiorem. Illi ante mortem uxor digniſſima contigit, illi dulcis natus in collo pendebat; noſtro nec Andromache, nec Aſtyanax fuit. Ille poſt defenſam patriam, afflictos hoſtes, partam in bello gloriam, Achillis manu impulſus theatro exivit; noſter ſcenam idoneam non reperit ubi ſe explicaret, ſepulta profundo otio virtute ſua ἀνδρῶδες ὑπὸ ἐπιδημιαίνος, triſtiore lethi genere, quam ipſo letho occubuit. O fruſtra Britannorum omnium fortiſſime Hector, tene etiam ignava morte, te morbo occumbere? quid ergo prodeſt pietas? quid temperantia? quid corporis exercitatio? In fauſtum pilæ ludum, & periculi plenum execremur; demoliamus ſphæriſteria quot ubique ſunt omnia, in ijs valetudinem quæſivit Princeps Optimus, invenit morbum, morbum ex quo obijt. O ſortem duram! Vivimus telluris pondera,

&

& ex morbis ſæpe gravibus convaleſcimus; *Principem Illuſtriſſimum* orbis terrarum expectationem prima, quæ afflixit, valetudo confecit. Febre populari multa è plebe millia hoc anno ardebant, vix unus, aut alter abſumptus eſt; unus de tot millibus *Princeps* non effugit.

Τῷ δὲ μάλις' ἄῤ' ἔλω ἐναλίγκιον ὥστὶ ἅπαπα
Ἴλιος ὀφρυόεσσα πνεὶ σμύχοιτο καὶ ἄκρης.

Huic igni, præter eum quo regnum arſurum erat, alia, nulla flamma comparanda eſt. O pijſſime, idem & fortiſſime *Princeps Henrice*, Pontificiorum terror, Proteſtantium partis ubique poſt patrem, maximum propugnaculum! perijſſemus utinam quotquot hic ſumus omnes, ſalvus ut eſſes, vel etiam periremus. Quiſquamne veſtrum recuſaret Hectoris vice mori? Ego quidem, Academici, ſi vilis hujus animæ morte dieculam ei unicam tantum impetrare poſſem, vitam hic libentiſſime cum oratione finirem. Et nunc quoque unam amplius horam vivere non ſuſtinerem, niſi illud in his malis ſolamen eſſet, quod poſtquam ſacer hic ramus à Proſerpina raptus ſit, alter aureus non deficiat. Concedat Deus Omnipotens ut virga ſimili etiam adhuc metallo frondeſcat: ſin id nimis impudenter petimus, conſervet ſaltem Regem totum Neſtora, conſervet Principes; quorum ſi vel alterutrum nobis pro meritis denegetur, beatus poſt hunc primus qui moritur diem.

Dixi.

EPITAPHIUM.

INſcribant alij monumentis ordine longo
Virtutes, titulos, nomina, facta, genus.
Hic jacet Henricus, *de quo memoranda recuſant*
Arctari lapidis finibus exiguis.
Dicere nec tumulum ſolo plus nomine refert,
Cætera quæ ſemper fama loquetur erit.

Fr. Netherſole.

In fatum ſummi, & Beatiſſimi Principis Henrici.

QUo fugis? ah vita quondam, dum vita manebat,
Terris chare magis, nec tam cito debitus aſtris.
Nondum annoſa dies, nec adhuc tibi frigida membris
Sævit hyems, tumulumque tuis aptaverat umbris.
Siſte fugam ſuperis: quid tam cito divus haberi
Incipis, infelix, & feliciſſime Princeps?
Quid caput auratis properant tibi cingere ſtellis

Dij nimium cupidi? quin hic tibi ſceptra, tuiſque
Seri debentur regnis, Henrice, nepotes.
Ah tibi regnandi ne ſit tam dira cupido,
Ut miſeros mens ſola tuos exoſa Britannos,
Aetherijs inſueta vijs, jam tecta deorum,
Et feſtinatos cœli depoſcat honores:
Hic prius in terris pacato numine regnet,
Et tandem ſceptris cedat ſatiata duobus.
Quanquam (ſi liceat noſtros optaſſe dolores)
O fortunatos, vel poſt tua fata, Britannos,
Si patriæ, Princeps, non omni parte periſſes!
Nam ſiquis tantum noſtris Henriculus oris
Luderet aureolus (nobis ſolatia luctus
Exigua ingentis) qui te tantum ore referret:
Cujus ab aſpectu poteras exire ſepulchro,
Atque iterum blandis pueri ſpirare labellis;
Nec penitus nos Te, nec tu nos funere tanto
Perdideras, nobis ſed qui poſt fata redire
Heu nunquam poteras, poteras poſt fata redire.
Sed quid vos, dulces cineres, quid vos fugientes
In ſuperas ſequimur revocanti carmine ſedes?
Te nigri Soles (quis Solem dicere falſum
Audeat) & flentes lachrymis cœleſtibus Auræ,
Undanteſque ſuis flerunt in vallibus Amnes:
Te Muſæ totis luxerunt fontibus; ipſi
Murmura ducentes imo de pectore Venti
Cum gemitu ſpirant, ſpirantibus adgemit Echo.
Ah miſer! ah miſeri non debita præda ſepulchri.
Ecce dies quoties, quotieſque renatus Apollo
(Te poſtquam noſtro non amplius invenit orbe)
Atra nube cadens, heu toto ſidere noctem
Excepit, medioque diem deperdit olympo.
I decus, I noſtrum, cœleſtibus utere fatis.
Et placide (quando ſuperis adnare neceſſe eſt
Littoribus) roſeas Zephyri ſublatus in alas,
Dive, triumphales cœlorum illabere currus.
Non ibi fatorum, properato funere, juſſa
Aurea manſuris abrumpunt otia regnis;
Sed tibi ſceptra manent nullo peritura ſepulchro.
Et, quod gaudebis, medici bene neſcia vita.
Nos tamen interea tumulum, tibi floribus iſtis,
Heu male qui terris, nunc te moriente, ſuperſunt,
Spargimus, ecce, tuum nec te moriente ſuperſint.
Quin ipſi lapides, noſtri pia vulnera paſſi
Mœroris, gelidæ perfuſi fletibus auræ,
Hos tibi de duro cantabunt marmore fletus,
Aeternumque dabunt hominum tibi corda ſepulchrum.

Car-

Carmen Sepulchrale.

Miraris quî Saxa loqui didicere, Viator?
Cœli depoſitum conditur hoc tumulo:
Cùjus ſi famam, tacuiſſent ſaxa, putares
Hoc tibi mirandum, non didiciſſe loqui.
Si ſapis, attonitus ſacro decede ſepulchro,
Nec cineri quæ ſint nomina quære novo.
Prudens celavit ſculpto; nam quiſque reſcivit,
Protinus in lachrymas ſolvitur, & moritur.

G. F. T.C.

Oratio

Oratio Funebris

Habita in

SCHOLA THEOLOGICA

Ab Oratore Publico, in Obitu Clariſſimi Equitis

THOMÆ BODLEII.

AD LECTOREM.

DIdici ex Bodleio *Orationis meæ fatum, & facile fero poſt tantam cladem, leve verborum damnum, & jacturam. Habe igitur (Lector) hanc Scripturam devotiſſimam ſepulchro, quæ ideo vixit ſatis diu, quod mori potuit cum* Bodleio. *Tu autem, quod in vero funere fieri debet, dolore tuo utere pro judicio. Si quid in illa forſan ſpiſſum videbitur, & nubiloſum, illud omne argumento imputa, quod cum ſolidum foret, & grave, proferre non debuit Orationem diaphanam. Exemplum in illa, aut Apophthegma non invenies aliud, quam ab Ipſo (ita ſolus vicit Mecænates omnes, & Hiſtoriam ;) & veritatem pro ſtylo concinno leges, quæ arte omni, & Rhetorica felicius perorat. Sed brevis eſt ; ſi bona, fiet perlegendo longa ; ſin mala, laudare debes propter brevitatem. Vale. Tu vero (Lector Academice, & Auditor) tacito fave, ne voluptatem illam quam bene audiendo prius ceperas, male legendo præpoſtere amittas.*

UTinam, Auditores, utinam pari virtute, & progenie, qua homines nati ſumus, naſceremur Oratores! Utinam ſuadere poſſet vetus Philoſophia, rationem à ſemine, ſpiritumque à corpore proficiſci! Ita enim communi elemento terræ vel plurimum gratulari poſſem, quod eloquentiam mihi, quam ingenium, natura, uſus, data quaſi opera impie negaſſent, illam pulvis, & funus, fatum, & miraculum benigne largirentur. Quod ab eodem principio terræ humanitatis meæ, & orationis exordium peterem; quod argumento potius quam arte doctus eſſem, lutoque viliſſimo pluſquam igni meo, aut animæ deberem. Tali ſcilicet voto & procœmio dicturo mihi opus eſt (Auditores,) ſive theatrum meæ Cauſæ, ſive patronum me, & defenſorem intuear. Cœlum enim vobis ex hac Terra invitis Mathematicis, monſtrare oportet, & Immortalem

lem Mortalem in hoc Cadavere, major Paracelſus, conſervare debeo. Si tamen vitam ipſe, & ſpiritum, gratiam & venuſtatem ab hoc ipſo Mortuo, quod raro contigit, non peterem forte & mutuarer, non video quo minus de homine ſimul, & Oratore actum eſſet, itaque Sepulchri hodierni gloriam ignava mea, & infami lingua minuerem prorſus, & deturparem. Neque ideo quis veſtrum exiſtimet, quod picta aliqua loquendi methodo aut quadrato Mercurio uſurus ſim, — *Ad populum phaleras:* deliciarum enim ſtudium omne, & elenchos aurium ultro depoſui; non leni aura, & Zephyro, ſed turbine, ſed procella rapior, & in hiſce nænijs, luctuque non magis harmoniæ ſtudeo, quam Solœciſmo. Poſtquam enim Venus ægra Libitina eſſe cœpit, & iratis Parcis frui pro Cupidine; poſtquam diſſidia nuper inter ſe, bellumque læthale aluerunt terrarum Domini, Natura, & Henricus, Orbemque totum ſuæ cladis nuncium, & hæredem reliquerunt, perverſus ubique rerum ordo, inverſa vocabula, eadem ſapientis, & inſani vox, mens eadem, unum omnibus palatum, nulli ſuum; nec oculo, nec auri convivium datur, ſed ſolis lachrymis ſumus Epicuri. Abſit igitur (Auditores) ut benevolentiam veſtram implorem, quam demereri impium eſt, aut attentionem illam precibus extorqueam, quam prudens, ſciens, ſanuſque deprecor. Primam enim mihi gratiam, & benevolentiam reponitis, quod inviti huc omnes, quod reluctantes acceditis, & vel tum maxime eſſe vos attentos credam, ubi animos veſtros alto dolore captos, & ſepultos, nullo latere, aut clamore meo excitandos ſenſerim. Quid ſtatis? Abite jam ſi placet, neglecti, vel ſi mavultis, irati, & procœmij mei contumaciam faſtu veſtro, & abſentia vindicate; Manes mihi modo *Bodleianos*, nomenque ejus fœcundiſſimum concedite, parturient (credo) Auditores, invenient Forum, & Populum, & Senatum, aureſque hominum ignotas & remotiſſimas quas vita olim, famæque ſuæ ambitu latiſſimo conciliaverat, eas morte ſua univerſa & invicta memoria abſentes ferient, & inficient. Quouſque mihi, Marce Tull. portenta tua, auritos lapides, & parietes *medius fidius* exultantes obtrudes arte tua magna, & Rhetorica, glorioſe, ſi ego hodie majora adhuc monſtra, & prodigia recenſeam, idque ſine mendacio, & hyperbole? Lapidum enim, & tectorum conjugium verum, conſanguineas arces, genitamque Bibliothecam prædico, qua nec Orpheus quidquam vidit magis animatum. Vitam mortuorum narro, & genium ſepulchri, ut intelligatis tandem pœnituiſſe Naturam hujus funeris, diemque ſe Natalem, & nova incunabula vel Fato *Bodleiano* conceſſiſſe. Si tamen Fatum hoc dicendum ſit, vel potius victoria, quod famam ejus animamque precario liberavit, vitamque brevem mutavit pro hiſtoria. Ad quam texendam, tradendamque tempori, tanquam fabulam recitanti mihi verecundia, & modeſtia ſingulari opus eſt. Obruit enim ſenſum humanum, tollitque credendi libertatem *Bodleius* verus; & ſuſpecta veritate laborat virtus, cum exempla omnia humanitatis, ſtudij, benefacti, & pietatis ſuperaverit. Quare mitiori orationi, laudibuſque magis temperatis indulgendum eſt, ne cum de illo ſingula, præſtantiſſima, excelliſſima, laudatiſſima dicerem, Annales ejus non tam præconio, quam invidia onerarem. Quod ut honeſtius à me, & liberalius fieri poſſit, pueritiam ejus, crudamque ætatem revocandam ſentio, ut fidem veſtram quaſi gradibus quibuſdam, & elementis dirigam, & inſtruam, neve ſaltu & impetu feſtinarem ad miracula. Quodque (augurio bono) primo in loco Illi in honorem

cedat ; Parentes ejus magis Boni, quam Magni, nec ad proverbium divites, nec de fortuna queruli, tales autem qui liberalis familiæ titulos, & insignia vitæ suæ, morumque nobilitatem magnifice auxerunt. Qui cum in illa tyrannide, & hujus Insulæ calvitie vixerant, in qua fax erat pro religione, & vera flamma pro ardore spiritus (probitate sua freti & conscientia :) legitimo furto, & pientissima conspiratione facta, sese à laniena publica, & perenni foco, non improvidi eripuerunt. Hoc Comite ; Hoc consilio ; His auspicijs. Quasi prædicerent Filio in fuga sua transmarina, puerum Insularem futurum olim Virum universum. Sic tu (*Bodleie*) protectus es ætate minor, ut redire posses virtute maximus ; Patriamque tuam, qua tali exilio honestius carere velles, eo animo deseruisti, quo multo potius haberi malles Christi peregrinus quam indigena Idolorum ; Pergis, oberras, latitas :

—— *Sic tu sub Principe dura,*
Temporibusque malis ausus es esse bonus.

Qui cum annum ageres duodecimum, & Genevenses jam primo salutasses, literisque dedisses operam, Græcæ linguæ non tam auditor, quam speculator habitus es, ut qui explorares potius artis angiportus, & insidias, quam qui rudimenta prima, & præcepta disceres. Cumque postea libertati simul, & religioni Augustissimæ *Elizabethæ* auspicijs vacaret Anglia, redditus est nobis exul juvenis ; cujus tantum in conditione & fortuna fuga aliquando honesta dici potest, & liberalis. Neque satis ad *Devoniam* suam rediisse, & Penates, nisi limina Deorum pulset, & Academias ; adeo facilis cuiquam unius literulæ Metamorphosis videbitur, *Exonij*, & *Oxonij*, qui ingenium maluit colere quam agrum, & sapientiæ imperium libentius patitur, quam pecuniæ. Neque præclaro instituto, quod multi perperam arbitrantur, sufficit *Oxonium*, nisi præceptorem etiam idoneum, & appositum subministret : quod Tyroni huic adeo feliciter successit, ut conspirasse viderentur inter se Fatum & Consilium, lutoque huic Artificem, & ætati ejus Monitorem destinasse. Cujus ingenij spatio, & torrenti obvius occurrit, Doctissimus, Probatissimus, Reverendissimus *Humphredus* ; (credo) ut experirentur aliquando probitas & cultura, utrum viginti annorum rectius senecta, an juventus diceretur. Ita solus fecit, solvitque ænigmata egregia ille Oedipus. Postquam vero de mora longiori consilium ceperat, in Societatem Mertonensem eruditissimam se recepit, in qua sic vixit suaviter, & secure, ut omnem illius severitatis famam facile contemneret, suisque legibus viveret, non Collegij. Atque ideo jure optimo (viri Mertonenses) vobis ipsis indulgere & favere debetis, quod cum Filios plurimos ultra attributum, & Epitheton doctos, *Ockamum*, *Burleium*, *Scotum*, aliosque quos Mater Vestra fœcundissima olim pepererit, Natalibus adhuc vestris, justæque gloriæ servati fuerint *Bodleius* & *Savilius* : Hic cum anteactis temporibus, & ingenioso illo seculo facile conferendus, Ille posteritate omni major, & maximi cujusque exempli & historiæ exemplum adhuc majus & historia. Quod si quid ad laudes ejus, titulosque faciat, potuisse invidiam sustinere, & laborem, (ne quid deesset Famæ aut oneri) munus primo Procuratorium, mox Oratorium suscepit. Sed (væ mihi !) quod tanta cum constantia, facundia, & doctrina moribus hominum

ex

& Rhetoricæ imperaverit. Nam quæ ego cum alijs collatus ſperabam ſaltem me feciſſe mediocriter, cum Illum reſpiciam, vertuntur mihi omnia in contumeliam. Itaque quæ ſine Illo peſſime à me geſta ſunt, non male, cum Illo quæ optime, vix boni conſuluntur. Vultis Auditores jam tandem ex umbra Hominem proferre in apricum; vultis à Philoſopho civem, & Academiam transferre in Rempublicam? En balnea, & lacrymas ſuæ Matris, quæ comitantur exiturum, & potuiſſent forſan (ſi non utile foret, & divinum conſilium) aut tardaſſe, aut evertiſſe. Et jam ſecundo pius transfuga videri poſſet, niſi quod *Elizabetha* transfugam nullum fecerit, multos invenerit.

——— *I bone quo virtus tua te vocat*

Perpende Galliam, excute Italiam, utramque Germaniam percurre, conducet multum ſplendori domeſtico ornatus exterus, & ſupellex tranſmarina. Quam ſi quis unquam ſuæ patriæ gratus attulit, obtulit certe *Bodleius* gratiſſimam. Qui in rerum potius ruina, quam ſtatu poſitus, cum annum jam Octogeſimum Octavum crocitarent Mathematici, regnumque Angliæ Fato, & figuris vendidiſſent, Illuſtres Provinciarum Ordines, unus omnium, ſic ordinavit, ut Centonem illum Politicum, & fœderatum, texturam brevi unam, & integram reddiderit. Quo quinquennio quaſi bellum jam primo ſilentio indiceret, & Pythagoræ, ita omni occaſioni literis, colloquijs, nuncijs, excubijs occurrit, ut prudentia Illi eſſet pro injuria, & quinquennalis difficultatis exitus novæ expeditionis dies, & initium. Et veluti Paraſito illi Plautino mandatum eſt,

——— *I, curre, propera, redi, hac, illac, utrinq;*

ita eodem pene veſtigio, & intuitu *Fridericum Daniæ Regem*, *Ducem Brunſwicenſem*, *Lantgravium* ſalutat, ſuadet, redit; fecitque inermis *Bodleius* ſine commentario, quod armatus *Cæſar* multo cum verborum, & militiæ volumine; Venit, Videt, Vincit: multumque ſe debere credit Fortuna *Bodleio* non ambienti, ſi ſuſcipiat illam, & authoritatem alias ſuperbam, aut avaram temperantia ſua & humanitate moderetur. Hac fide ad Tertium *Henricum Galliæ* Regem miſſus, ad Quartum deſtinatus, ad Provincias, & Hiſpaniam deſignatus, ut innoteſceret, hominem compoſitum ad gratiam, & amicitiam poſſe in ipſos Reges, & Imperia imperium exercere.

Ardua res hæc eſt opibus non tradere mores.

Scilicet, ambitioſis, ineptis, timidis difficile, *Bodleio* forti, ſano, æquali, non ſolum facile, ſed genuinum. Atria enim Regum, domoſque ſuperbas, & Imagines paulatim declinat, concurſus hominum exuit, & frequentias; ſeipſum denique & virtutem quærit in ſolitudine, quaſi ſolus aliquando eſſe potuit *Bodleius*, qui humani generis pars magna fuit, & per ſe ſemper nomen multitudinis. Sed quantum patiebantur Fama, & neceſſitas, ſingularis eſſe incipit, neque amplius negotijs excubat publicis, ſed benefactis. Nam licet actio illius nulla, ne dum cogitatio laude ſua debita, & beneficio carerent, egerent tamen diuturnitate

nitate & monumento; præmium ferebant ſplendidum, & opportunum, verum mortale illud, & vel memoria hominum, vel tempore extinguendum. Altiora Ille, & nullo cum mortalitatis intervallo, & negotio permiſcenda cogitat. Cum jam conſilium novum fœduſque icere Academia Oxonienſis Geniuſque *Bodleianus*. Thecam illi ſubminiſtrat Oxonium, Biblion dictavit Deus. O ingenium æternitatis parens, cerebrumque *Liberperum*, cui vel invideat Jupiter Minervam beatiorem! Ad quam dicendam, (Dicendam autem? tacendam, cogitandam, admirandam!) Libro potius, quam Oratione, & digito magis, quam lingua opus eſt. Ædificia enim ejuſmodi, harumque ſtructurarum molem tenuis papyrus, multoque tenuius ingenium non ſuſtinent; marmor marmori objiciendum eſt, novæque extruendæ ædes in gratiam, & memoriam extructarum. Sed quo Ærario? quo Authore? nempe Mortuo *Bodleio*: ut exprobraret alijs vitam, & avaritiam, dum mortem ſuam eſſe artificem, & ingenioſam curaverit. Cujus rei curam, votique noviſſimi rationem cum Clariſſimi Equitis *Johannis Beneti* arduæ virtuti, & labori demandari vellet, factum potius quam propoſitum, & ædificium quam inſtitutum credamus, Virumque egregium tali oneri, ſuiſque laudibus maturum, & opportunum ſtudio omni, & benevolentia proſequamur. Quod ſupereſt Academici (quanquam quid non ſupereſt ſuperſtite Academia? quid non ſemper dicenti ſupereſſet pro *Bodleio*?) Lugeamus fortiter, non Illius fatum, ſed noſtrum, miſereamur Academiæ, ſolemur Matrem, & Hecubam noſtram, quæ uno prælio tot Hectores amiſerit. Nec vita potuit *Bodleius*, nec morte indigere, nec Cœlo, nec Sepulchro.

Ampliat ætatis ſpacium ſibi vir bonus, hoc eſt
Vivere bis, vita poſſe priore frui.

Oratio

Oratio Funebris,

Habita in Collegio Mertonenſi à

JOHANNE HALESIO;

Mro. in Artibus, & ejuſdem Collegij Socio, Anno 1613 Martij 29.

Quo die Clariſſimo Equiti *D. THOMÆ BODLEIO* funus ducebatur.

Ornatiſſime PROCANCELLARIE, *Clariſſimi, Doctiſſimi, Venerabiles Viri.*

FAcietis mihi, uti ſpero, inauſpicatæ orationis veniam, ſi quod intus apud me diu ſum commentatus, & tacito tantum præſagio divinabam, illud coràm apud vos hodierno die prædicem: videri mihi & artium & cæterarum rerum ſemper legem eſſe, idemque, quod reliquis omnibus, Muſis etiam literiſque ſenium & interitum imminere. Non refricabo alicujus antiquioris ſeculi infortunia: ipſum hoc, quod agimus, incuſabo ævum, reliquis impendio infelicius. Nam quam tandem ætatem majora literatorum diſpendia afflixerunt? Aut quod unquam ſeculum tot tamque continua doctiſſimorum virorum buſta funeſtarunt? Illam auream ubertatem, illam ſylvam hominum in omni artium genere præſtantiſſimorum, quam, non dico majorum ætas, ſed pueritia noſtra vidit florentiſſimam, eam pene omnem juventus noſtra vidit extinctam. *Whitakerum, Bezam, Zanchium, Rainoldum, Junium*, addo etiam alterius licet Muſæ, *Scaligeros, Lipſiumque* cum nondum per ætatem æſtimare potuimus, (proh dolor!) amiſimus. Scilicet in autumnum quendam incidimus multo infeliciſſimum, in quo neceſſe fuit tantam literarum & eruditionis ſegetem infringi, demeti, exareſcere. Sed nondum penitus animis fracti concideramus: in medijs buſtis, funeribus, & exequijs ſpem tamen aluimus impudentem. Nimirum ſubijt animum, nos homunculos, ubi ſalillum, quod habemus, animæ expiraverit, totos perire: literas vero immortale fas habere, nullius ævi ſenio intermori, nulla invidia carpi, nulla oblivione ſepeliri. Qpippe ſupererant præſtantiſſimi viri, & in rebus agendis nil niſi immortale cogitare ſoliti, qui in eo negotium, in eo otium, in eo vigilias, in eo etiam ſomnum reponerent ſuum, ut mortalitatem, quam literatis depellere non poſſent, ab ipſis tamen literis pulcherrimis conſiliis & operibus propulſarent. Sed dum nobis faciles adblandiremur, & infelicium literarum miſeram ſolitudinem cogitationibus iſtis ſolaremur: neſcio quæ ſolatijs noſtris inſidiata invidia, ut nihil amplius, non ſpei, non ſpeculæ, fieret reliquum, ſubito nobis ſubduxit hunc magnum Muſarum patronum, & Academiæ nihil præter chariſſimi capitis triſte

triſte deſiderium reliquit. Ergo omnes illi benigniſſimæ naturæ flores, illi perennes inexhauſtæ munificentiæ fontes exaruerunt? Ergo excellentis animi ornamenta, & vigorem immortalem, tot diviniſſimarum cogitationum fœcundam, tot annorum virtutes dies una, hora, momentum abſtulit? Certe. Potuit infirmitas & conditio mortalitatis noſtræ, potuit incerta fortuna, certiſſima natura: auſim immutare verba mea, & ſic melius errare: potuit incerta natura, certiſſima fortuna, quæ nullo cum judicio in rebus verſatur, nullo ordine & examine miſcet fata, confundit merita; potuit, inquam, aliorum ignobile & inutile ſenium improba vivacitate uſque & uſque fatigare: huic vero brevem exigui ſpiritus auræque communis uſum invidere, qui ſi annis *Neſtorem* æquaſſet, nobis tamen fuiſſet in immaturis. Iis enim qui æternitatem cogitant, & ſeſe ampliſſimis operibus poſteritati tranſmittunt, quæ poteſt eſſe non immatura mors? Nam arcti & compreſſi pectoris mortales, queis una cura brevem vitam caducis laboribus fatigare, ut vivendi cauſas quotidie finiunt, ita ſingulis diebus efferuntur: at vegeta & experrecta indoles, cui is labor, ea quies, meditari ampliſſima, & magnifice cogitata ſplendidiſſimis factis honeſtare; nulla illi mors non repentina eſt, ut quæ fundantem arces & caſtella molientem opprimat, & inceptas turres, & imperfecta mœnia, & ſemper inchoatum aliquid interrumpat. Erat hoc *Bodleii* noſtri fatum iniquiſſimum: quem præclariſſimorum operum, aliorum quidem compotem, aliorum vero candidatum, oppreſſit ultima neceſſitas, coegitque tot labores in ſulco quaſi & ſemine deſtituere. Nos vero quid aliud Divinam Majeſtatem votis votiſque popoſcimus, quam ut ipſius longa pietate munus nutriret ſuum; quam ut ſub ipſius, tanquam ſaluberrimi ſideris aſpectu læta beneficij ſeges in ariſtam quaſi & fructum matureſceret? Sed ita averſo numine vota nuncupavimus, ut non modo nihil annorum apponeretur, ſed nec, quæ poſtrema ſolet eſſe defunctorum felicitas, accederet in funere laudator diſertus. Nolebam equidem, Viri Graviſſimi, & certe iniquiſſimum eſſe ducebam, illam ex omni bonarum artium ingenio collectam perfectionem, illam munificentiam, quam non modo moribus noſtris non expreſſam, ſed vix libris deſcriptam habemus, illas reliquas virtutes plane divinas, quas integras oportuit magnis & decoris ingenijs reſervari, in unius ingenioli alea periclitari. Sed quoniam qui in hac triſtiſſima rerum facie mœroris partes habent primas, ſilentij legem, quam luctui ſuo graviſſimo indixerunt, meo non concedunt: ſolabor me obſequij neceſſitate, & quum vobis rem ipſam non potero, propenſam tamen emetiar voluntatem.

Mihi vero Summi Viri laudum immenſum pelagus ingreſſuro, mirari ſubijt eos, qui quum in præclariſſimorum virorum laudibus verſentur, atque omnes undique bonæ famæ auras ambitioſius colligant, nullis tamen libentius vela implent, quam quas aut fortunæ, aut patriæ, aut natalium ſplendor emittit. Equidem ego illum ſterilem veræ ſolidæque laudis ſemper habui, ad cujus gloriæ cumulum augendum, aut patriæ celebritatem, aut familiæ nobilitatem oportebat accedere. Neque enim præſtantiſſimos viros minus honorifica cogitatione proſequi æquum eſt, quia Romæ non naſcantur, aut Athenis, aut quia familiæ parenteſque in honore famæ & monumentis non legantur: ut nec ſolem & ſidera minoris ducimus, quia puros illos cœleſteſque orbes, qui illa nobis exhibent, oculorum acie non conſequamur. Nam ut corpora ſana & integri ſanguinis ex

ijſdem

ijſdem ſpeciem accipiunt, ex quibus vires: ita verus ille virtutum profectus non adſcititio pigmento, ſed illo ipſo, quo alitur, ſucco nitet. Si quæ tamen ſint apud eruditos locorum privilegia, is profecto locus reliquis longe prælucet omnibus, qui votis Academiæ feliciſſimo illuſtrium ingeniorum proventu reſponderit. Atque hæc *Bodleii* noſtri patria fuit. Is enim terrarum angulus, cujus feliciſſima ubertas celeberrimos literarum triumviros, *Juellum*, *Rainoldum*, *Hookerum*, eduxit, *Bodleium* etiam nobis dedit; providentia quadam ſic diſpenſante, ut quæ patria tantos daret Marones, hunc etiam daret *Mæcenatem*. Laudabunt ergo, alias terras amœna pratorum, læta ſegetum, denſa ſylvarum: hanc vero reliquis omnibus literata fertilitas æternum reddet beatiorem. In familiæ *Bodleianæ* præconijs non tam gentilitiam dignitatem numerarim, (quanquam fuit illa perilluſtris) quam quod fuerit pietatis laude florentiſſima. Nam quum agerentur illa funeſtiſſima tempora, quum humanitatem, propriam illam religioſorum Deam, nuſquam magis quam apud religioſos deſideraremus; cum aut ſubeundæ eſſent aut adorandæ cruces, & pietati nuſquam eſſet niſi in fuga perfugium: linquenda cenſuit pientiſſimus vir, hujus Noſtri pater, & domum & terras & placentia pignora, maluitque incertam exterorum humanitatem experiri, quam ſe certiſſimæ domeſticorum crudelitati committere. Fugientium parentum lateri hæſit individuus comes *Iulus* hic; parvus *Iulus*, cui jam tum in literis regnum quoddam fata deſtinabant. Jam cujus eſt miraculi, religionis, cujus vix per ætatem ſenſum habuit, pœnam ſubire? Cui demum animo, non dico molli & tenello, ſed robuſto plane & exercitato, calamitates illæ frangendo non fuiſſent? Ille tamen frui miſerijs & exinde animos vireſque recipere, & omni illo triſtiſſimi exilij tædio ad præclariſſima incepta abuti. Frequentare nobiliſſima gymnaſia, ambire illuſtrium hominum familiaritates, audire celeberrimos artium linguarumque profeſſores, *Beroaldum* in Græcis, *Chevalerium* in Hebræis, etiam in ſanctiore illa & auguſtiore theologia *Calvinum* & *Bezam*, quorum auditoria jam duodecim annorum auditor implebat. Neque vero quiſquam fingi à me *Cyrum* aliquem, potius quam tradi putet, & ad *Bodlei* virtutes exequendas, votum magis quam hiſtoriam commodari. Nam quid poſt natam injuriam factum eſt iniquius, quam ad ſuam imbecillitatem aliorum vires exigere? Sunt enim magnorum fluminum fontes navigabiles, & generoſioris arboris ſtatim planta cum fructu eſt. Recolligite potius animis omnia illa apud antiquos præmaturæ induſtriæ miracula: *Auguſtum* jam annorum duodecim aviam pro roſtris laudantem: *Tarpam*, *Pliniumque* jam annorum quatuordecim tragœdias ſcriptitantes: nam aut me fallit divini ingenij admiratio, aut nihil habent hæc, unicæ illi tot linguas percipiendi induſtriæ comparandum. Nam cujus eſt laboris ſermoni illi, quem jam naſcentes hauriebant, aut rhetoricum cultum, aut poeticum nitorem dare? Imo omnis illa artium exercitatio, quid habet tot linguarum tædio par? *Athenis* una cum loquela artes ipſas arripiebant: *Romæ* cum Latinis Græca conjunxiſſe ſumma votorum erat. Nos, quibus patrij ſermonis paupertas nihil præſtat artium, niſi *Latinis*, *Græcis*, *Hebræis*, *Gallica*, *Italica*, *Hiſpanica* addamus in ſuper, nihil egimus. Adeo nobis major exantlandus labor in aperiendis fontibus, quam illis in tranandis fluminibus: illis expeditius, univerſum artium iter abſolvere, quam nobis primas ſemitas adituſque recludere.

Devonia.

Qua-

Quamobrem *Anglorum* licet res ſæpe fuerint multumque turbatæ, *Bodleii* tamen gloriæ & emolumento nunquam magis compoſitæ quietæque iverunt. Sed quum domi tempeſtates & procellæ detonuiſſent, & Sereniſſimæ Principis divino beneficio, reſtinctis animorum incendijs, foro fax, templis ſanctitas, juri integritas, omnibus ſalus eſſet reſtituta: protinus collecta eſt quæ toto fuerat orbe ſparſa ruina, cujus magna pars *Bodleius* noſter. Reverſus itaque Muſarum
Horat. alumnus & *Centum puer artium*, nihil habuit antiquius, quam beneficum aliquod ſidus experiri, cujus influentiæ maturantis illapſu, commiſſa ſolo ſemina in ſegetem & ſolidam frugem adoleſcerent. Sinceram itaque & integram adoleſcentiam ſuſcepit formandam magnus Theologorum Dux, *Humfredus*: illum intueri eruditus tyro, illum mirari, ſub illo toto pectore artes honeſtas arripere: ut vel hinc ſatis eſſet conjecturæ quanta mox cum gloria eſſet in Muſarum caſtris verſaturus, qui ſub tantis Imperatoribus prima faceret ſtipendia, ad tanta exempla tenerum tyrocinium exigeret. Quid infinitum laborem, & quotidianam meditationem, & in omni artium genere exercitationes loquar? Etſi enim quod olim *Seneca* de *Nilo*, *Nilus per ſeptena oſtia in mare emittitur, quodcunque ex his eligeris, mare eſt*: illud ego de ſeptemplici artium Nilo dixerim, *ſeptenis canalibus tanquam oſtiis in diſciplinarum mare emittitur, quodcunque ex his elegeris mare eſt*, & ſolum omnibus tum temporis tum diligentiæ momentis occupandis ſufficit: ille tamen amplius quid divino molimine meditari. Non eſt viſum ſatis uno artium rivulo tingi, ſed univerſo literarum Oceano imbui: non unam ſelegit artem, quam ſibi tanqam ſponſam jungeret, ſed commune diſciplinarum flumen tentavit, omnium artium pulcherrimo comitatu pectus implevit, & ut in aciem omnibus armis inſtructus, ita in Scholas omnibus artibus armatus exijt. Hæ magnificæ cogitationes *Bodleio* authores fuerunt, unicis *Mertoni* ædibus reliqua Muſarum templa poſtponendi. Nam quum videret in reliquis ampliſſimum illud per ſingula ſpaciandi deſiderium, auguſto unius profeſſionis gyro infringi, hic vero licere tanquam in latiſſimo æquore implere vela, & toto ingenio vehi: viſum eſt hunc *Mertoni* campum aliorum ſemitis & convallibus, amputatæ illi diſciplinæ & abſciſſæ, latam hanc & magnificam & excelſam anteponere. Fertur enim magni animi torrens, non ut fontes anguſtis fiſſulis, ſed ut latiſſimi amnes totis convallibus; Saxa devolvit, pontem indignatur, ripaſque, niſi quas ipſe ſibi facit, agnoſcit, nullas. Iſtis itaque ædibus inſeri & ambivit & obtinuit, quarum caſtigatiſſimæ diſciplinæ debentur totius Europæ ingenia celeberrima. Nequeo temperare mihi quo minus matri meæ feliciſſimam ubertatem gratuler. Cui enim debent literæ, illa in omni diſciplinarum genere clariſſima lumina? in Theologia, *Wiclefum*, *Scotum*, *Occhamum*? in Opticis *Cantuarienſem*? in Phyſicis *Burlæum* & *Suiſſetum*? illum tum in humanis tum divinis ætatis ſuæ facile principem *Bradwardinum*? Excipietis me forſan aliquo aurium convitio, dicam tamen plane quod ſentio. Politiſſima hæc, quæ fertur, ætas non tam veram literaturæ faciem præſtat, quam illa quæ inculti*or* audit & inornati*or*. Illam multarum linguarum ſcientiam, quod noſtri ſeculi eſt palmarium, adjunctam licet habeat laudem præclariſſimam, ab ipſis tamen doctrinarum aris atque adytis arcendam cenſeo, nec ultra pronaum admittendam. Quid anim? rerum ſcientia eſt, non vocularum. Illi fortibus, nos fulgentibus armis præliamur. Apud illos cultiſſimum fundum, uberes oleas

video,

video, & verum robur: apud nos lilia & violas, hortorum amœnitates, quincuncem, ſterilem platanum, tonſaſque myrtos. Immo hæc ipſa ætas, quæ doctiſſima audire ambit, ſi quando veritatem remotis inanibus notis rerumque pompa inveſtigandum habet, illos tanquam *Democriti* puteum conſulit, apud illos omnem ubertatem & quaſi ſylvam ſentiendi ſapiendique libens agnoſcit. Ij enim in ſelectiſſimis tum theologis tum philoſophis arcem tenent, non qui è philologiæ ſpatijs ſed qui è Scholarum officinis inſtructiſſimi prodierunt. Sed non eſt idem ſemper diſciplinarum vultus. Nam ut reliqua omnia, ita & literæ ſua habent momenta, ſuas periodos, nec eædem omnium ſeculorum palato ſapiunt. Agreſtem illum & quaſi impexum prioris ævi horrorem, politioris ætatis lima reformavit. Secutum eſt doctrinarum varietatem Athenæum noſtrum, & huic etiam literarum elegantiæ ornandæ eduxit decora ingenia. Nam ut omittam eos, qui ſuperſunt adhuc, & exornant ſeculi noſtri gloriam, quorum laudibus libera poſteritas plenum teſtimonium prolixe cumulateque reddet: ut omittam eos, quorum ingenijs ſi dignum theatrum, ſi ſcena acceſſiſſet, in primis locum habuiſſent; ut omittam etiam eos, qui magna cum gloria literario pulveri civiles ſudores miſcuerunt: vel unicus hic, quem lugemus defunctum, ſolus ædium noſtrarum nomen famæ inſereret, ſi in hunc uſque diem laudis & honoris luce caruiſſet. Quam enim ille artium regionem non magnis itineribus peragravit? Quo non penetravit illa ignea vis? Aut quis ita affectavit ſingula, ut is implevit univerſa? ſubtilia Matheſeos, obſcura Phyſices, ſublimia Metaphyſices non illi deguſtata leviter, ſed penitus digeſta. O incredibilem induſtriam, quæ ita ſingulis inſervire potuit, per univerſa diſtricta, & univerſa ſuſcipere in ſingulis occupata! Nec vero ille paſſus eſt divinum ingenium quendam quaſi in opaco ſitum ducere. Nam vix exceperant ædes noſtræ parturientem roſam, & illa ſtatim in calathum fundi, & tota rubentium foliorum ambitione pandi. Sic enim oportuit conſummatiſſimum juvenem famam ingredi: non differre tyrocinium in ſenectutem, ſed fructum ſtudiorum viridem & adhuc dulcem promere, & prima illa quaſi gemmantis indolis ingenijque germina famæ populoque oſtendere. Quamobrem in ipſa quaſi ſtudiorum incude poſitus, & primarum tantum artium laurea conſpicuus, αὐτοχειροτονητὸς effuſiſſimo totius ædis concurſu, Græcarum literarum profeſſorem ſeſe renunciavit. Non enim is eſt inani ſcientiæ opinione ſubnixus, ut hodie nonnemo, qui ſi tria verba ſapiat è Lexico, ſtatim ſibi *Suidas* videtur aut *Heſychius*: omnem dialectorum varietatem, illam incredibilem verborum & compoſitionum fœcunditatem penitus memoria comprehenderat imbiberatque. Statim itaque exploratæ utilitatis res adolevit in exemplum, quod ne in poſterum interiret, prudentiſſimi viri præmijs & ſtipendijs caverunt. Sed enim induſtriæ *Bodleianæ* admiratio ita me totum occupavit, ut mihi prope morum & probitatis oblivionem induxerit. Videri ſolet multis, ſcio, inter hæc tanta induſtriæ & ingenij præconia probitatis laus habere frigus quoddam. Mihi vero, etſi in omni vitæ noſtræ ſumma, primum in moribus ponendum calculum exiſtimem, tamen neſcio quo modo honeſtas, in illa ſublimi & plena ſpiritus natura, lumen quoddam habere videtur & nitorem, qui in illis inferioris ſubſellij ingenijs non lucet. Probitas enim ſæpe ſimplicitate quadam naturæ conſtat, improbitas ingenio. In illis enim quibus aut conditionis iniquitas occaſiones ſubduxit, aut tenuis & anguſta ingenij

vena facultatem non miniſtrat, exilis laus eſt eſſe moderatos, eſſe modeſtos: ij vero, queis ingenium, facultas, ætas, occaſio lenocinantur, ſi intactos ſeculi contagio, ſi illibatos mores præſtiterint, quos plauſus merentur? quæ præconia? Atque hæc laus *Bodleio* noſtro fere peculiaris eſt. Nam ſic profecto eſt: poſtquam omnia ſummorum virorum exempla evolverimus, vix milleſimus quiſque evaſit adoleſcentiæ ſenectæque juxta integræ. Illi ipſi, quos non ſine ſtupore legimus, *Themiſtocles* & *Scipiones*, ætatis ſuæ integritatem non niſi præcerptam vitijs præfloratamque, maximis rebus gerendis tranſmiſerunt. Hic vero ætatis ſuæ lubricum, quum nondum mores in tuto eſſent, adoleſcentiam, quæ nulla unquam placuit ſine venia, ad maxima obeunda munia illæſam & ſacroſanctam conſervavit. Quod ſi quid habeant cœleſtes cum mortalibus contubernij, ſi non prorſus veri vana magnorum effata authorum ferantur, caſta illa & nullis contacta vitijs pectora Deos ipſos maxime habere familiares: quem præſidentes ſtudijs Divæ propius audirent? Cui magis artes ſuas aperiret familiare numen *Minerva?* Nunc tandem mirari deſino ita pleno numine Muſas ipſi affuiſſe. Itaque non modo *Athenas*, ſed & totum illi Orientem indulſerunt. Omnia enim illa ſeu ſacra *Hebræorum*, ſeu ſecreta *Chaldæorum*, ſeu quicquid habet *Syria* reconditi, omnia illi quæſita, meditata, evigilataque erant. Quanti vero ſtudia iſta etiam in alijs æſtimarit, quamque fuerit eorum, qui hiſce literis induſtriam ſuam conſecrarint, ſinus, portus, præmium, exemplum: ut alijs claris teſtimonijs ſæpe, ita inſigni illo palam fecit, quo eruditum *Druſium* de his ſtudijs notum, & accivit, & familiariter habuit, cujus & fovit ſtudia, & neceſſitatibus ſubvenit, quem etiam diſcedentem amiciſſime viatico eſt proſecutus. Rem non eminentem quidem dicturus ſum, ſed tamen ſolida veraque cognitione maximam. Erat in Archivis noſtris Hebræis conſcripta literis ſyngrapha, negotij olim cum Judæis habiti teſtimonium. Erant literulæ vacillantes illæ & perverſæ Rabbinorum. & characteris morоſitati acceſſerat etiam temporis injuria, quæ incertos tantum apices reliquerat, & ἐξήλπιδε literarum capita. Diu itaque neglecta jacuit, ut Sibyllæ folium, cui arbitri & interpretis lumen deeſſet. Ubi vero hic Noſter ingenij quadam face illuxiſſet, ſtatim patere clauſa, lucere tenebroſa, & redire quaſi evaneſcens ſcriptura, ut quæ vix oculis olim, nunc prope manibus tenerentur. Eſt hoc fortaſſis minoris, ſed tamen numeri. Quædam enim minima quidem ſunt, ſed tamen non poſſunt niſi à maximis proficiſci. Non enim illa ſolum pulcherrima, & omnibus expreſſa coloribus tabula, ſed & minima linea Apellem loquitur: Neque hæc tantum maxima rerum compages, ſed nec culices, nec formicæ, nec vermiculi ab alio potuerunt, quam ab infinita illa Majeſtate proficiſci. Ego vobis, Auditores, in illa præclariſſima vitæ *Bodleianæ* ſumma non talenta tantum, aut minas, ſed, ſi liceret, ſingulos etiam ſeſtertios numerarem. Equidem nihil dicam temere, ea tantum loquar, quæ viri maximi æternis literarum monumentis conſignarunt. *In hominibus præclariſſimis, non ſolum, quæ ſpecioſiſſima ſunt, & omnium oculos convertunt, tenere nos debebant, ſed & illa quotidianæ neceſſitatis munia, τί ἔφαγον, καὶ πότε ἔφαγον, πότε ἐκάθισαν, καὶ πῶς ἐκάθισαν;* Nam ut in omnibus intenta nervis cythara, ita in magnorum hominum actionibus ſumma infimis incredibili quodam conſenſu concentuque reſpondent: & altæ mentis, quæ in maximis ſplendet, radius quidam & velut ἀπαύγασμα in minimis elucet.

Chryſoſt. in præm. in Ep. ad Philemonem.

Sed

Sed quid ego pluvias, ut inquit *Pindarus*, aquas colligo, ſeſe undique vivo gurgite offerente? Illa *Bodleij* induſtria pluſquam humana, illa tot linguarum artiumque infinita comprehenſio, doctos tantum egit in ſtuporem: at illa incredibilis morum ſuavitas, ille in congreſſibus geſtuque toto lepos & veluti Atticiſmus quidam, doctos indoctoſque juxta cepit. Sunt quibus lucubrationum intemperies & pertinacia quicquid eſt in moribus lætum carpit, & omnes amœnos ingenij ſuccos ebibit. Triſtes evadunt & difficiles, & dum ſe ſtudijs humanitatis applicant, ipſi prope fiunt inhumani. Noſter vero continuata ſtudia, quorum perdius & pernox ſatagebat, infinita venuſtate quadam & *quaſi quintæ parte nectaris* imbuere; & cum ſe totum Muſis conſecraſſet, luci tamen & amicis & congreſſibus dare nihilo ſecius. Unde & illa ſupervacua literarum & amœna artium diverticula diſcere, non habuit inſuper: inſpicere eos, quorum ars in manuum vultuſque indicijs dijudicandis verſatur, ſcire quicquid oneirocritici ſomniant de inſomnijs, iſtis demum in conventibus, tanquam honeſta quadam, & feſtiva, & erudita alea luſitare. Hanc autem utramque quam induerat perſonam, ita ſummo egit cum judicio, ut nihil ſeveritati ejus hilaritate, nihil gravitati humanitate detraheretur: In illis vero quaſi ſupremi cœli diſciplinis, quantus fuerit, quam anquiſite ſolliciteque prudentium conſulta, *Hippocratis* oracula, divina Theologorum ſcrutatus fuerit, reverentius erit integrum illibatumque ſecretis veſtris cogitationibus reſervari, quam carptim breviterque perſtringi. Illud vero intactum præterire non poſſum, quo & altioris eruditionis gloriam, & amœni ingenij laudem reportavit. Nam quum in exteris Academijs ingenij cultum caperet: & inceſſeret deſiderium, hominum de ſe voluntates & judicia explorandi, quantumque ipſe poſſet in Juris ſcientia experiundi: placuit publice ſui ſpecimen exhibere, & in celeberrimo prudentium conventu aliquid controverſi Juridicorum more diſcutere. Quam rem ita omnibus abſolvit numeris; eo judicio Authorum expendit opiniones, eo acumine in intimos receſſus penetravit, ea denique autoritate ſententiam tulit, ut qui Scævolæ & Ulpiani audiebant, *Bodleium* purpura & ſupremis illius ſcientiæ titulis & inſignibus, propenſiſſimis animis & ſuffragijs cuperent irentque ornatum. Sed non ego illa publici juris faciam, quæ ipſi viſum eſt ſui tantum pectoris ſacrario committere: Honores illos attingam potius, in quibus libera tum Academiæ tum reip. judicia eſt expertus. Nam judicij in rebus moderandis ſatis amplum teſtimonium dedit Univerſitas, cum cum incredibili omnium ordinum conſenſu Procuratoriæ dignitatis ornamentis honeſtaret: Literarum vero elegantiæ multo ampliſſimum, cum illum Publici Oratoris munere ornaret, quo ille ſic eſt perfunctus, ut ſibi ad illam divinam omnium artium παυοπλίαν non defuiſſe oſtenderet rhetorum vineas & pluteos, & reliquam eruditam vim & oppugnandarum aurium apparatum. Hæc autem ſumma licet apud nos ſint munera, quorum illa ætas capax, erant tamen pulcherrimis illis cogitationibus inferiora. Nam quum videret, quanta dignitas, quanta majeſtas, quantum denique numen eſſet civilis prudentiæ, noluit ulterius in iſtis officiorum ludicris & umbra velitari, illoſque ad veram pugnam natos lacertos, levitate jaculi aut jactu diſci vaneſcere. Protinus ergo *Germaniam*, *Galliam*, *Italiam* peragrare, pulcherrimis exemplis imbui, inde prudentiæ hauſtus bibere, inde civilium rerum uſum ſumere, quem mox in negotijs & conſilijs præſtaret. Neque vero illum divinæ ſpes & cogitationes

fefellerunt. Vix enim reverſus eſt, & ſtatim nobiliſſimas obire legationes, ad *Fredericum* ſereniſſimum *Daniæ* Regem, *Julium* Ducem *Brunſvicenſem*, *Guilelmum Haſſiæ* Lantgravium, *Henricum* Chriſtianiſſimum Galliarum Regem, funeſtiſſima illa Gallicanæ Reip. tempeſtate, qua *Guiſianorum* ſcelere & furijs acta Regia Civitas clementiſſimum & immeritiſſimum Regem expulit, & pudendo exemplo ultima impulit rerum vitæque ſuæ diſcrimina experiri. Huc accedat celeberrimum illud apud Fœderatarum Provinciarum Ordines actum quinquennium, quo turbatis pacem, diſperſis ordinem dedit, quicquid flammarum incenſi animi conceperant, extinxit, & ſi quas tempeſtates concitatæ ſuſpicionibus mentes portendebant, ſerenavit. Hoc illud tempus eſt, quo honoratiſſimo Viro per Sereniſſimam Principem & reliquam Procerum manum, quæ ipſi affidebat ad gubernacula, ampliſſimum fidei prudentiæque teſtimonium factum eſt. Nam quum illa Legatorum pene lex ſit, ex præſcripto tantum agere, & velut præformatas infantibus literas perſequi, & ut Græci dicere ſolent, *quem mater amictum dedit, ſollicite cuſtodire:* Ille ſolus nihil fere monitorum accipere, ſuis tantum niti radicibus, & dominus rerum temporumque, trahere conſilijs omnia, non ſequi. Hæccine vobis levia aut ludicra videntur, induere regum perſonas, indutaſque agere? Voluntates Principum, quas intelligere, immo ſubodorari ſæpe notas eſt, divinare & feliciter antecedere? At non eſt viſum ſic *Honoratiſſimo Seni*, qui tum temporum Principis totiuſque Reip. gratia eſt ſubnixus. Ille unicum mirari *Bodleium*, ſummis apud Principem laudibus ornare, digniſſimum ferre, qui conſilijs & ſecretis interſit, immo illud in animo moliri, ut *Bodleium* ſibi in officio collegam renunciaret. Sed quum Illuſtriſſimus Vir, qui in ea ſcena rerum in Principis populique favore partes agebat multo maximas, *Bodleium* importunis ubique oneraret laudibus, quas non ceſſabant nimium ingenioſe malevoli magis in aliorum præjudicium, quam in ipſius honorem conceptas interpretari: accendit ea res potentiſſimos æmulos, quibus obſtinatum in poſterum *Bodleii* honores infringere, &, ſi quid ipſi decerneretur honorifici, intercedere. Ego vero te, *Bodleie*, non illum magis auſpicatum puto egiſſe diem, quo *Galliam, Daniam, Germaniam* nobiliſſimis legationibus peragrares, quam quo libero de dignitate tua hominum maximorum judicio fruerere. Tum enim omnes legationum & honorum titulos ſupergreſſus es. Ambire enim & gerere honores ſummos, peſſimi & poſſunt, & ſæpe ſolent. At frui opinione optimorum, haberi omnibus titulis & honoribus par, is ſolus poteſt, quem vera virtus internis hominum conſcientijs fecit commendatiſſimum. Quamobrem cum eo jam cardine prudentiſſimus vir res ſuas verti comperiſſet, linquendas cenſuit incertas artes, & non ſemper ſinceras magnatum amicitias, removendum ſe à ſollicitudinibus & curis, & neceſſitate quotidie aliquid contra animum faciendi: ſtatuitque in loca pura atque innocentia, & in aliquod pulcherrimum quietis *Linternum* concedere. Quod divinum *Bodleii* conſilium poſtquam innotuiſſet, quam ægre? qua contentione? quo niſu obtinuit? quàm ei pene patria manum injecit? Iterum offerre ſeſe celeberrimæ legationes, iterum *Gallia* vocare, iterum *Germania*, nobiliſſima *Bodleianæ* virtutis arena, iterum tituli & honores. Sed obduruerat contemptor ambitionis & infinitæ cupiditatis frænator animus, malluitque ſecretus & conſecratus, liber ab invidia, procul à contentionibus, famam in tuto collocare, verumque honorem in hominum judicijs, quam titulorum ſplendore

D. Guilelmo Cecilio.

ſplendore reponere. Quantam vobis hæc divinæ mentis admirationem excitant? Nam poſt damnum temporis & ſpes deceptas impetu quodam & inſtinctu quærere ſecretum, & hominum famam contemnere, cum te prius fama hominesque contempſerint, facile eſt. Sed cum ambit & quaſi procatur honor & ſecundus Magnatum favor, deliberare & cauſas expendere, utque ſuaſerit ratio, honoris aut ſecreti conſilium capere vel ponere, ingentis animi eſt. Quamobrem te, *Bodleie*, ut actionis flore, ita & ſeceſſionis tuæ opportunitate, divino conſilio uſum arbitror. Eſt enim illud ſapientis viri & in omni optimi civis officio verſati, finem quoque dignum optimo viro & opere ſanctiſſimo facere, & ſcire quando deſinendum. Merito ſua riſerunt ſecula *Domitium Afrum*, qui cum olim fori princeps fuiſſet, tandem vero ſenectute fractus quotidie aliquid autoritatis perderet, & verſari tamen in orationibus & roſtris vellet, opportuni ſcommatis occaſionem fecit, *malle eum deficere, quam deſinere*. Noſtro ergo curæ fuit, priuſquam in has ætatis veniret inſidias, receptui canere, & in portum integra nave pervenire, & deſinere cum deſideraretur. Atqui inſita illa cœleſtis vis nullo potuit ſecreto, nullo ſeceſſu infringi: ſed ut nobiliora animalia, ſi caveis includas, effervescunt magis; ita ignea mens eo magis incaluit, quo anguſtiore gyro coerceretur. Non enim ociosa res eſt aut quieta magnificus animus, nec quæ importuna quadam modeſtia, & veluti probitate gaudeat. Inquies eſt, effrænata, contumax, mutat induſtriam, non intermittit; paſcitur operibus, reficitur curis, & quod alijs labor, illi natura eſt. Rem itaque aggreditur *Bodleius* nec dicendam nec ſilendam ſine cura. Nam cum memoria recoleret Academiam gentemque togatam, curas olim ſuas & amores; videretque vetuſtatem, non privatam aliquam partem, ſed ipſa inſignia atque infulas Academiæ invaſiſſe: & locum illum, quem Muſæ tam manifeſtæ ac præſentes, quam *Parnaſſum* ac *Helicona* inſident, non modo blattas & tineas, ſed prope vepres & cautes & avia occupaſſe: cogitavit non modo de hominibus, ſed de tectis ipſis bene mereri, ſiſtere ruinas, pellere ſolitudines, & ingentia opera, eodem quo extructa ſunt animo, ab interitu vindicare, Muſiſque quas priorum temporum immanitas expulerat, quaſi ſpiritum & ſanguinem & patriam refundere. Jam vero quam hoc magni animi, quam auguſti, non unum aliquem liberalitate demereri, ſed totius literati orbis ambitu munificentiam terminare? Deum ipſum imitari, & beneficia non hominibus, ſed humano generi præſtare? ſimul omnia perfundere, utque ſol & dies, non parte aliqua, ſed ſtatim totum, nec uni aut alteri, ſed omnibus in commune proferri? Quinetiam ut Regij tantum muneris erat viam hanc primo diſciplinis aperuiſſe, libroſque publice legendos exhibuiſſe: (ſic enim literatis *Piſiſtratus*, *Xerxes*, *Seleucus*, *Ptolemæus* omnium primi conſuluerunt) ita quoſcunque accendit imitationis ardor tanta implere veſtigia, regiæ plane munificentiæ erant & divinæ. Patimini, obſecro, Academici doctiſſimi, me *Mertonenſibus* meis iterum celeberrima famæ gloriæque noſtræ lumina gratulari. Propemodum enim noſtra eſt & peculiaris felicitas Bibliothecas ſumptibus excitare, & ingenijs implere. Nobis enim debetis *Kempium* illum magnum Archipræſulem, cujus gratiſſimam memoriam ad omnes aras & pulvinaria ſolenni pietate & officijs proſequimini. Ille vobis in excelſa illa pyramidum & elegantiſſimi operis mole extruenda immenſos ſumptus exhauſit; nec in extruenda modo celeberrimam poſuit operam, ſed & quingentis inſuper inſtruxit voluminibus,

&

& intus argumenti ſcripturæque precio nobiliſſimis, & extra argento auroque operoſe fulgidis. Quæ omnia cum in triumphum barbariæ & inſcitiæ ceſſiſſent, hinc tanquam è *Kempij* cinere exortus *Bodleius*, ita omnia multo præſtantioribus reponi curavit, ut ideo cecidiſſe videantur, ut hic egregius vindex & reſtitutor accederet. Cogitati operis gloriam celeritatis lenocinium comendavit. Nec enim is erat, apud quem longis & accuratis precibus erat utendum, aut qui promiſſa gravate præſtaret, & imputanti ſimilis. Illum, demerendis hominibus natum, quiſquam ut hortetur? quiſquam ut admoneat? ut inſtiget? eadem opera auras ut vigeant, ignes ut caleant, maria ut effluant, ſuperfluus inſtigator admoneret. Ille enim ſtatim communicare Academicis conſilia, accerſere peritos, & ne videretur beneficio pondus quærere, ſtatim aggredi. Memini, ſemperque meminero illius dici, cum revertentium à conſilio publico majorum meorum ſermonibus puer intereſſem. Quis tum erat omnium ardor? qui ſermo? Veniſſe in conſeſſum honoratiſſimum virum; orationem habuiſſe, qualem, Deus bone! quam magnificam? operam Academiæ cumulatiſſime promiſiſſe, & immenſos, quos undique infinitis ſumptibus comparaverat, librorum theſauros coram Academiæ donaſſe. Quæ fuit illius diei lætitia? quis totius civitatis concurſus? quæ vota pene inſerentium cœlo manus? Sic enim affecti fuimus, quaſi tum demum veram Academiæ faciem intueremur, & nunquam antea. Nihil dicam ambitioſius augendæ rei cauſa, utinamque non ſim minuendæ. Rei literariæ rationibus nemo unquam melius, nemo opportunius ivit conſultum. Nam qui in hæc poſtrema incidimus tempora atque peſſima, ut in rebus civilibus nihil vidimus uſitatius quam inuſitata flagitia, ita in diſciplinis infandam ſenſimus tentari crudelitatem, & deterrimis nunquam auditam ſeculis. Parum ſcilicet in pœnas notæ crudelitatis fuit: non eſt ſatis damnatas eſſe ferro manus & pedes, terga flagris, cervices laqueo & ſecuribus: in ea quæ ab omni patientia rerum natura ſubduxit, in hominum ingenia, in diſciplinarum monumenta ſævire, noſtræ ætatis ſpecimen eſt. Nam qui pietati & ſanctioribus literis abolendis ſacramento dixerunt, poſtquam nihil fraudis artiumque infamium reliquerint intentatum, ſentiunt tamen ſeſe nihiloſecius ita duriſſimis confligere conditionibus atque ultimis, ut rebus non poſſint ſuccurrere deſperatis, niſi in omnia antiquitatis teſtimonia involent, & præclariſſimorum virorum monumentis infandam vim & manus inferant: priſtina ingenia alia extinxerunt penitus, alia mutilarunt, alia fæce & ſcoria infecerunt, omnia immundo contactu polluerunt. *Dij talem terris avertite peſtem.* Sedenim labes illa & funeſta diſciplinarum peſtis, quæ ubique præla occupaverat, inrepſerat in Bibliothecas, nec jam ſecretis molitionibus, ſed palam multitudine & authoritate munita volitabat, nullis potuit, ne Vulcanijs quidem armis penitius confodi, quam eſt per *Bodleium*, confecta atque trucidata, quum tutiſſimum illud Scriptoribus aſylum conſecraret. Quamobrem graſſentur qua volunt *Poſſevinus* & *Gretſerus*, qui in corrumpendis libris dominantur: cudant, recudant, inhibeant, corrigant, corrumpant, corrodant, *Bodleii* tamen immortalis munificentiæ divinum munus inviolata antiquorum monumenta omni poſteritati dabit. Sed dum vobis impenſius faveo, quæ ego & quanta prætermitto? Perpetuos illos & opimos reditus, quibus operis ſui æternitati proſpexit: leges illas & ſaluberrima inſtituta, quibus, quantum erat humanæ opis, hominum & temporum injurijs ivit obviam:

am: reliqua illa, quæ ſingula etiam diſpenſata juſti voluminis inſtar exigunt? Facile enim ſentio orationis meæ tædium, & longæ attentionis veſtræ martyrium. Sed quid faciam? aut quem ega ſtatuam orationi meæ finem, quum hic beneficijs ſtatuat nullum? Inſtat & onerat priora ſequentibus, nec ſatis actum putat, niſi ſuis immenſis ſumptibus futurorum liberalitatem invitet. Nam quum ampliſſimum prioris ſeculi opus poſterorum munificentia feliciter anguſtum feciſſet, regijs plane impenſis ampliſſimo auxit frontiſpicio; cui cum ultimam manum impoſuiſſet, Divina Majeſtas eum cœlo vindicavit, ne poſt illud immortale factum, mortale aliquid faceret. Enimvero, *Bodleie*, fuerit hæc maximo operi tuo debita veneratio, ut noviſſimum eſſet: fuerit etiam fortaſſis felicitatis tuæ pulcherrimo operi immori: At quid Reip. reſpondebimus, quam tractaſti? quid Academiæ, quam inſtauraſti, quæ in medijs tuis Mauſolæis & monumentis & bibliothecis te cogitat, te deſiderat: quæ te ut inſigne quoddam naturæ monumentum ſuſpexit, te omni artium ſupellectile inſtructiſſimum, ut vivam & ſpirantem bibliothecam ſemper habuit. Cui jam noſtrum ſudabit ingenium? Cui literulæ noſtræ placere gestient? quicquid dixerimus, quicquid meditabimur, quia ille non audit, mutum videtur. Monumenta illa quidem atque beneficia manent, æternumque manebunt, nec ulla unquam labaſſent innumerabili annorum ſerie & fuga temporum. Sed admirabiles illos & ſpirantes amores, quibus Academiam prolixiſſime eſt amplexus, fidelibus icti deſiderijs quærimus. Nam qui diſſimulare poſſumus, quas ille curas in cauſis negocijſque Academicis ſuſceperit? Quam illa ultima deficientis ſpiritus momenta circa ſolam Academiam habuerit? Nam cum certus obeundi media jam morte teneretur, & de illa, quam Scholis Publicis imponere ſtatuerat, coronide ſermo incidiſſet: *Ego*, inquit, *ſi vixero, ipſe præſtabo, ſin mihi aliquid accidat humanitus, teſtamento cavebo.* Atque hic cum aliquis ex intimis novas vires & longam ſalutem voto magis quam ſpe ominaretur: *Immo vero, ego*, inquit, *morior. Nam quandiu mihi cor vegetum manſit & erectum, vitæ ſpem fovi: ac nunc mihi ipſum cor labaſcit, & mors certiſſima imminet.* Tibi cor ut labaſcat, *Bodleie*, aut unquam illud pulcherrimorum conſiliorum domicilium frigus & torpor ut occupet? Tuumne ô præſidium noſtrum & dulce decus, frigidum & exangue corpus tenemus, videmus, & chariſſimam nobis ſanctiſſimamque memoriam poſtremis officijs hodierno die proſequimur? Tene, quem deum quendam & parentem ſtatuimus fortunæ, nominiſque noſtri, intuemur hodie ſine nomine cadaver, truncum, cineres, nihil? Atque ille quidem, obijt, plenus annorum μεμεγηπὼν ἀμεμφήπτως, plenus honorum, etiam illorum quos recuſavit: Candidatus æternitatis & exempli, quod imitabitur nemo, etſi omnes fateantur imitandum. Vos vero, ſanctæ reliquiæ & quicquid reſtat *Bodleii*, eruditi cineres, quos hodie poſtremum videmus, heu poſtremum videmus, ſalutamus, ſalvete æternum, æternumque valete.

Naz. in funere Fratris.

Laudatio

Laudatio Funebris,

MEMORIÆ AC HONORI
SERENISSIMI PRINCIPIS

ULDERICI
POTENTISS. DAN. REGIS F.

Hæredis Norvagiæ, Summi Copiarum Equestrium Saxonicarum Præfecti, Duarum Legionum Ducis,

DICATA

A MARTINO OPITIO.

INter hæc bella Germaniæ & calamitates inauditas spectaculum atrox nobis exhibitum est nuper, cædes indignissima, qua Princeps Juventutis Uldericus, Potentissimi Daniæ Regis Filius nihil hostile & cogitans & metuens ex tempore periit, quo imminentes quibuscunque ex caussis inducias securitatem castris, quietem omnibus promittere videbantur. Scilicet hoc unum restabat deploratissimis rebus nostris, ut ad summa genitus &, perfidiæ artes ac dolum si excipias, cætera invictus heros, in viridi ætate sua, qua oculos jam omnium & expectationem in se converterat, per fallaciam ac fraudes, è medio ingentium factorum cursu, & opera quidem ultimi mancipij, arriperetur. Quid dicam, fides supremi Numinis! aut quid non dicam? atrocitatemne facti accusem & morte ipsa mortis genus longe acerbius? At quamvis tantum in me esset eloquentiæ quantum mœroris est verissimi, justamque hominis ac qualem adolescens innocentissimus merebatur ætatem huic soli meditationi impenderem; parricidium tamen hoc publicum, hanc necem tristissimam, capitale hoc facinus nullis verborum coloribus, nullo conatu satis unquam expresserim. An vero momenta vitæ deplorem ac incerta mortalium, quorum spes omnis & quicquid uspiam illis charum est, unius horæ fortuna perit multoties ac evanescit? Et parcius equidem reliqui de fragilitate nostra quererem ur, si, quoties tam rarus decor, tam insigne virtutis ac ingenij specimen cœlo delabitur, eousque illi rebus humanis interesse contingeret, donec & felicitate tanta ad satietatem, si

qua

qua esse hic debet, frui, & exemplo ejus allecti optima quæque sectari possemus ac discere. Verum cum non ea solum conditio nostra sit, ut voluptatem ex ijs fere quibus maxime oblectamur rebus percipiamus brevissimam; sed & divinas mentes memoriam beneficiorum suorum & laudem magis quam inanem planctum, à quo sibi hostes ipsos etiam post patratum hoc facinus (magnitudine credo ejus sera licet æstimatione perspecta) non temperasse novimus, requirere à nobis credibile sit: relictis hic querimonijs, aut saltem dilatis, naturæ potius animique dotes eaque juvenis consummatissimi ornamenta contemplemur, quibus ut vitam redimere non potuit, ita fragili vita potiorem famam æternam & seculorum omnium præconia jure meritus est optimo. Utinam vero veteris instituti illius, Romanorum imprimis, quo defunctos laudare aut magistratuum ferme aut propinquorum erat, nunc quoque jam ratio haberetur: certe argumento rei, quod splendorem omnem orationis ac copiam intervallo excedit longissimo, ab auctoritate saltem laudatorum atque majestate gravitas accederet illustrior: nunc ego, & nullo neque conditionis neque literarum pretio clarus, & hoc quidem tempore ab instrumentis doctrinæ omnibus ac patria, inter curas ob ruinam illius justissimas, divulsus, & minor tandem longe quam ut dictorum invidiam, grassante tanta inter homines perverse interpretandi quicquid loquimur uspiam aut scribimus licentia, declinare valeam aut elidere; ego, inquam, quid in medium adferam quod aut meritis beatissimæ illius animæ respondeat, aut expectationi de proposito hoc meo satisfaciat? Cum tamen non vivus modo Princeps Optimus tanta me clementia foverit, tanto amore nullo merito meo prosecutus fuerit, ut verborum officium, quod solum hinc sublatis præstari potest, devotio gratitudinis meæ prorsus à me postulet; verum etiam memoriam mihi suam absenti moriens commendari jusserit, obsequio ipso & professione pietatis si non laudari, tamen, ut spero, excusari apud benignos æstimatores merebor. A patria igitur præglorioſissimi Principis, id quod Rhetores jubent, exordium sumere non possumus, nisi simul & sumamus à regno. Cæteri mortales ortum suum uni loco debent aut urbi: Regum ac Principum ea sors est, ut nasci per tot spatia terrarum videantur, per quot vel parentes imperant, vel imperaturi sunt ipsi. Gaudium hoc non privatum est, nec unius cubiculi ambitu concluditur: Soles ejusmodi simul oriuntur, simul omnia late radijs sui splendoris ac serenitate collustrant. Daniam vero ita uti decebat commendare velle, hoc esset idem pelagus volæ manus includere, quod illam perpetua custodia tuetur ac ambit. Quid Zelandia ejusque capite Hafnia opulentius? quid fœcundius Scania? quid Fionia pulchrius? quid armentorum ac apium copia utilius Chersoneso Cimbrica? Reliquas enim Regiones & Provincias quæ legibus imperij hujus tenentur adducere simul si cuperem, eundem hic limitem invenirem quem antiqui posuerunt magnæ huic quæ nos alit matri. Hæc profecto sinus Codani commoditas, hoc littorum vectigal, hic oppositus incursui externo Oceanus cui terrarum parti concedat? Ipsum gelu ac bruma, quam gentes aliæ fugiunt, cum hostes sæpe ab incolis arcet, tum hos contra illorum lenius robur munit, animat, indurat. Ex his oris progressa toties olim est natio illa, quæ suas omnes expeditiones victorijs, orbem universum metu implevit ac terrore: cujus virtutem verbis extulerunt quos domuit: de qua triumphum aliquando Romani egerunt, sed ipsi pæne victi. Vetustatem vero regum ab

inundatione mundi, aut originem, quod ſpecioſe magis poſſemus quam vere, ultra Iſtrum arceſſere quid opus eſt? Equidem glorioſius duxerim, dare regem, quam accipere. Sed nec cætera illa virtutum potius quam hominum nomina Hiarnos, Frothones, Canutos, alioſque, longo ordine recenſeam. Quippe ſua qui familia clarus eſt, cur adoptari in alienam velit cauſam non habet. Et principis quidem noſtri ſtemma tot domeſticis imaginibus, tot belli ac togæ ornamentis enitet, ut qui facta tantorum regum ac monarcharum complecti velit, totidem ſibi optare ſecula debeat, quot illi regnaverunt. Si proximos ſaltem aſpicimus, quid decennio Friderici I. ſanctius? qua modeſtia, quo ſubditorum amore, tutela tranquillitatis firmiſſima, regnum ſibi munivit? qua devotione, abolitis cultus parum divini delirijs, munimentum ſuæ majeſtatis ab illa ſuprema impetravit? Pietatem vero an prudentiam Chriſtiani II. magis commendes, haud facile diſpicias: his tamen ob domitas ruſticorum tumultuantium cohortes, ac provincias recepta per obſidium acerrimum Hafnia pacatas, aliaſque magnanimitatis palmas, addenda maxime eſt & fortitudo. Friderici autem II. res terra marique geſtæ, ſubacti Ditmarſi, vicinia hoſtilis armorum vi ad conditiones vocata, clemens domi ac militiæ ſeveritas, diſciplina caſtrorum, & ingens laudum rariſſimarum examen inſtar omnium eſſe poſſent, niſi Filium regno dediſſet, hujus non magis quam virtutum quarumvis hæredem digniſſimum: Chriſtianum Quartum dico, magnum Filij ad ſuprema nati Ulderici parentem, & ſorte naſcendi, & ingentis animi meritis Regem, quem ob fines imperij aut defenſos fortiter aut juſte dilatatos, ob propagatam navigandi ſolertiam, exornatas templis, porticibus, propugnaculis urbes, ſuſcepta benigne conculcata alias ac everſa doctrinæ ſtudia, cives clementer habitos, liberalitatem ac munificentiam ſingularem, aliaque quibus chariorem ſe ſuis reddit indies beneficia, Patrem Patriæ vocarem, niſi & fœderatorum ſuorum, belli auxilijs ac Pacis (quantum libertas publica & religio permittit) ſtudio, Pater, tutor, aſſertor dici jure debeat juſtiſſimo. Ad genus tandem maternum Principis Nobiliſſimi ſi tranſeamus, ſunt qui magno illud annalium conſenſu à Columnijs Romanis, horum vero proſapiam à veterrimo uſque Camillorum ſanguine repetunt. Stirps profecto Brandenburgica tot Principum frequens, tot heroum fœcundum eſt, ut à multis ſeculorum voluminibus ſplendidiorem aliam Germania vix viderit. De ſeptemviratu ſolum creandis Imperatoribus ſi quærimus, decimus nunc vivit, vivatque diu, ille tranquillitatis publicæ defenſor acerrimus, conſtantiſſimus optimuſque Princeps Georgius Guilielmus, ad quem hæreditaria illa dignitas curſu perpetuo devoluta eſt. Ex tanta ac tam inſigni domo matrem cum habuerit noſter, Annam Catharinam, ingentis animi prorſuſque heroicam Principem, quis inficias ibit, vel ſorte naſcendi & à parentibus eum regiam indolem illam, illos vigoris divini igniculos, quos cum ſtupore & admiratione ſumma ſuſpeximus, traxiſſe: Eſt quippe, eſt magna ſanguinis potentia, & magiſter non ex occulto Deus bonorum plerumque parentum ſeminibus inſevit id quod in liberis bonam naturam mortales vocamus. Itaque rapax adeo & ex ſe fertile ingenium noſter nactus, res honeſtas omnes quibus puerilis ætas impertiri debet toto ſtatim pectore arripuit. De amore ſaltem ſtudiorum & charitate quid dicam, quam natura illi in ipſis ſtatim vitæ principijs inoleverat? Optimo ingenio optime uſus adeo diligens literarum fuit, ut ſatis oſtenderit,

oſtenderit, ſciviſſe ſe, hominem generis quantumlibet ac fortunæ bonis cumulatiſſimum, ſi doctrinam averſetur, pecudem auream eſſe, cujus pretium cutem non excedat. Equidem mirari ſatis non poſſum, adeo ſtolidos quoſdam ac vecordes animi eſſe, ut ad evehendam imaginum ſuarum auctoritatem, & reſpuendos originis modicos, diverſa duo mortalium genera conſtituere audeant, nobiles & eruditos, ſive, ut nepotes iſti vocant, ſcholaſticos. Quaſi aut nobilis ſit, qui, virtutem ſi excipias, quidvis poſſidet, aut non nobilis, qui vel generis ornamenta quæ habet ſtudijs amplificat, vel quæ non habet ijſdem facit primus atque extendit. Conſpiraverat porro cum ingenio Principis noſtri ſufficiens ſupra uſum etiam memoria, cujus tanta felicitas erat, ut Themiſtocli hac etiam parte haud inferior, res quaſcunque non tam legere quam ipſe ex ſe parere videretur, ac nemo quiſquam alius citius aut quæ velit diſcat, aut quæ didicit retineat. Recitantem ipſum audivi integra variorum auctorum loca, paginas integras, imperturbato prorſus ac facili ordine, quique oſtenderet ipſum non verba minus aliorum in promptu habere quam ſuum ingenium. Accedebat auguſta quædam oris commendatio ac in dicendo erecta alacritas, cujus beneficio id efficiebat, ut oculis verba recitantis non auribus ſolum dixiſſes irrepere, quas leniſſimo dicendi flumine perfundebat. Perſij ſatyras imprimis, poema tam obſcurum, ut vel doctiſſimo cuique negotium exhibeat, quàm inoffenſa lingua ex promptuario illo rerum optimarum memoria divina proferebat? qua loquendi venuſtate, modeſto cum riſu, id quod hoc ſcripti genus requirit, conjuncta, ſententiam auctoris & verba reddebat pariter ac commendabat? Nemo hominum ſuam mentem adeo diſerte explicat, ac ille alienam. Hac conſuetudine Poetas legendi & colores ſermonis artemque non mediocriter imbiberat, & ſeſe ad ſtudium hoc poſitione ipſa ſiderum, quæ naſcenti illuxiſſent, aſtriſque duci autumabat, ac vates divini aliquid ex alto trahere, neque tam fieri quam naſci, vel ex ſuo ingenio credi libenter volebat. Tantum vero abfuit, ut quicquid hujus eſt dedecori ſibi eſſe crederet, ut etiam Cæſarum, Regum & Principum plurimorum exemplo, Neronis ipſius ac Domitiani (adeo virtus & eruditio vel tyrannis pretij ſui teſtimonia exprimunt) commendari ob ejuſmodi elegantias laudi ſibi duceret non poſtremæ. Libellum quoque juris publici fecit, cui Strigili Vitiorum nomen indidit, numeris quidem ſolutum, cætera argumento Satyræ proximum, in quo animadvertere eſt, neque ingenium ei ad diſciplinam hanc pulcherrimam, neque ſcientiam vel exactiſſimam defuiſſe. Verſus autem Germanicos, ad quos conſcribendos animum nunc impetu majori quam ſucceſſu plerique applicant, ſine cura ulla faciebat nulloque negotio, & tanquam dictantibus Muſis excipiebat. Linguam enim hanc ita uſu ſuam fecerat, ut puritate orationis ac nitore illos ſæpe in ruborem daret, qui populares non modo hic ſunt, verum etiam ornate dicendi facultatem unice affectant. Idem de Gallico ſermone, quem domeſtica inſtitutione ac occaſione peregrinationis addidicerat (Italicum enim ſuo Marte ita apprehenderat, ut & quicquid legebat intelligeret, & quantum opus erat loqueretur) affirmare poſſum, de cujus munditia controverſiam illi movere nemo facile auſus fuiſſet. Et horum etiam Poetarum præſtantiorum (nam muſteos illos nuperque adeo natos cum tumore ſuo ampulliſque verborum non morabatur) inſigniora loca & quaſi gemmas ſcriptorum cum tenebat optime, tum feliciter imitabatur. Accedebat

rarus ingenioſitatis, rarior juventæ comes, judicium excellens, acre, maturum, cujus norma quid de quoque auctore ſentiendum, accurate ſane atque ex ipſis literatorum legibus perſpiciebat. Librorum ut amabat optimos, ita conſervare malebat etiam plures malos, ne noceret bonis paucioribus; neque in ſententia eorum manebat, qui furere in opera ingeniorum & inſtrumenta doctrinæ factum illuſtre ac victoriam putant. Nunquam medius fidius, nunquam poſteritati excuſabimus hanc barbariem noſtram, hos mores iniquiſſimos, hoc petulantiſſimum pervicaciæ genus, quo in tot priſcæ Eccleſiæ monumenta, tam eruditas animas, tot annales majorum, & quicquid divitijs nullis, nulla induſtria reſtaurari poteſt, tam inclementer ſævimus. Quid enim Gothos veteres accuſamus aut Hunnos, qui rudes artium ac ſolius gloriæ militaris appetentes aut non æſtimarunt ſcripta quorum deſiderio adhuc tenemur, aut non intellexerunt? quid Patribus Byzantinis imputamus, quorum perverſa pietate Græca pariter ac Romana eruditio immane quondam naufragium fecit? Noſtra hæc virtus, noſtra nunc gloria eſt; & quoniam deſijmus facere laudanda, literas delemus, ut nec pudenda deſcribi poſſint. Nequicquam tamen, ô boni! ſudatis: ſemper ſuus profeſſioni doctrinæ honos ſtabit, & vos alter expectat ut dicamini olim: Libertatis publicæ ac humanitatis hoſtes. Alia mente, alio animo præditus erat Princeps noſter Indulgentiſſimus, Hercules ille Muſarum, ille æmulus Ptolemæi Philadelphi, qui, ut fama eſt, & bibliothecas ſtupenda liberalitate coemit, auxit, conſervavit, & ſtudia doctrinæ eo amore proſecutus eſt, ut uno tempore ac eodem clariſſimos Græciæ Poetas, qui Pleiadum nomen à numero nacti ſunt, aleret comiter ac ſuſtentaret. Eadem aut ſimilia excelſus Ulderici animus ſubinde meditabatur, ac ſi quando ſibi olim curarumque majorum vacuus vixiſſet, allecta virorum toto orbe celebrium turba haud dubie effeciſſet. Placet quippe in alio ſua unicuique natura, & doctrinæ fulgor, pulchritudinis inſtar, in quovis corpore collocatus, amorem ubique ſibi vel reperit, vel conciliat. Hæc vero literarum aviditas inveterata ſtudendi conſuetudine adeo Principi optimo in naturam verterat, ut feria quævis ac remiſſiora pariter lectione pertinaci mutaret ac interſtingueret. Nocte multa, in itinere, in caſtris, (at quam rarum nunc doctrina ſub paludamento!) inter occupationes & officia, inter fremitus militares ac clangorem tubarum contentione ſumma, ſtudio incredibili legebat, lecta adnotabat, memoriam atque ingenium exercebat, & tanquam lege aliqua ac imperio adactus omne illud tempus literis tribuebat, quod alij crapulæ, luſui, comeſſationibus, & quicquid bonam mentem vocant qui menti bonæ nunquam litaverunt. Cæterum non me latet, in virtutibus magnorum virorum ſcienter eos fidibus cantaſſe, minime commemorari, muſicenque noſtris moribus à perſona fere Principis abeſſe: ſed ſi quies aliqua negotijs danda, ſi ſtrenua liberalique inertia animus remittendus eſt, quid reſtat quo nihil abjectum, nihil humile ac ſordidum cogitans ingenium oblectare ſe magis cum venia poſſit, quam ea arte, qua & laborum onus tranſmittitur proclivius, & ardores affectuum humanorum facilius componuntur, & Achilles ac fortiſſimus ille Græciæ imperator Epaminondas, virique alij maximi doctiſſime eruditi fuerunt, quam denique ad virtutem ipſam pertinere cauſſis non vanis autumavit divina mens Ariſtotelis? Quid quod veteres Theologi Deorum etiam manibus inſtrumenta muſica affinxerunt, credentes quippe, nihil cœlo magis affine, magis proprium

eſſe,

eſſe, quam concordiam hanc nervorum diſparem & ſuaviſſimam harmoniæ conſonantiam? Ne quis igitur exiſtimet, juvenem conſummatiſſimum, quod artis hujus apprime ſciens erat, fidib. elegantius canere doctum, quam & Regis tanti filio, & regia quæque molienti neceſſe fuerit. Cœleſtiſſimus n. ille animus aſtris ſuis propius ſe beneficio muſicæ accedere putabat, quod muſica concinnos ſiderum motus & harmoniam, ſi Philoſophorum quorundam ſententia ſtandum eſt, exquiſitiſſimam unice æmulatur. Ne pictoriam quidem & geminas huic artes liberales, tali unde nomen ſortitæ ſunt ingenio dignas, ſibi indecere exiſtimavit, adeoque in illam ſeſe penetraverat, ut cum eleganter ſimilitudines quas volebat ac ex vero effingeret, tum de aliorum operibus perfecte judicaret. Inſignis equidem artifex, ac quidam veluti Parrhaſius Germaniæ, imaginem quandam ſuam, notæ cætera minime protritæ, non abſque ratione ab æſtimatore hoc talium optimo reprehenſam fuiſſe libenter fatebatur. Eundem quoque, cum auguſtam illam ac ſerenam faciem ſuam depingi juſſiſſet, quid emendare, quid exprimere, quo corporis ſtatu, qua lateris obverſione facere ſingula deberet, prævio penicillo ſcite admodum atque ex legibus artis admonebat. Commendabant illa mores cultiſſimi & exacta in hoc lubrico juventæ virtutum omnium convenientia. Pietas imprimis, quam qui removendam à Principibus autumant, ab hominum conſortio removendi ſunt. Summum n. illud & æternum, ille omnia providens & animadvertens Deus, res ſecundas imperijs eorum largiri non poteſt, quicunque negligunt ſuum. Hunc votis Princeps pientiſſimus ac ſupplicijs toto animo ſemperque venerabatur, hunc ſolum timebat, huic momenta negotiorum commendabat ac ſucceſſus. Adde illam quæ Deo tantopere placet, aulis fere inviſa eſt, caſtitatem, cujus rationem adeo habere noſter ſolebat, ut nec querendi de ſe locum alijs relinqueret, & libertate ſua optime diſpenſata, in maxima fortuna minimam licentiam eſſe vel exemplo ſuo ſatis oſtenderet. Pura mens, purus animus, verecundia, probitas hilaris, modeſtia ſemper cum illo verſari, introductiones muliercularum & ludibria neſcire, pudicitiæ ſuæ nec prodigus eſſe, nec inſidiator alienæ; cæterum voluptatem nati pabulo pecoris, non hominum, nedum Principis bonum putare, vino citra ſaturitatem & parciſſime uti, alijs ad cibum ebrijs venientibus, ipſe ſobrius ab eodem recedere, naturam parvo dimittere, neque hirudines illas crumenarum præfectos militares alios ſectari, qui in luſtris ac ganeis ſtationes ſuas locant ac vigilias, qui merum, ſcorta, aleam, cui lucrandi perdendive temeritate indulgent immaniſſima, inter belli inſtrumenta habent, denique id quod per ſcelus adepti ſunt, per luxuriam effundunt. Cæterum oculi pudici, ſermones ingenioſi, elegantes, urbani magis quam laſcivi: nam probra verborum ita averſabatur, ut alijs prandium petulantia linguæ ac jocis obſcœniſſimis, quæ nunc ferculorum condimenta ſunt, extendentibus, fronte hæc adducta, vultu demiſſo, neque tanquam auſcultans tranſmitteret. Veſtes illi atque corporis cultus qualis & Principem & militem decebat; mundus magis quam de capſula totus ac qui digito prætereuntium notaretur. Neque enim enerves illos ac pumicatos imitabatur, qui mollitie corporis ac obtuitu impudico cum puellis ſæpius quam virtute cum hoſtibus certant, qui aut ſuas comas frangunt aut ſuperbiunt alienis, qui de barba cum ſpeculo deliberant, nunquam denique viri ſunt niſi cum ad fœminas ventum eſt. Morum ceremonias & anxios ſalutatiorum

onum honores gravabatur, facillimus longe atque humanitſimus. Gloriæ ut avidus, ita pecuniæ adeo liberalis erat, ut omnes circa ſe largiſſime proſequeretur. Ut enim lucri ergo (id quod magno ſeculi dedecore apud hoſtes ſimul ac fœderatos paſſim faciunt ij, quibus juſtiſſima prædationis cauſſa eſt præda ipſa) ut, inquam, privatim ac publice quidvis diriperetur, ut delubra vaſtarentur ac templa, ut ſepulchra, etiam Principum, & exuviæ disjicerentur, nulloque adeo diſcrimine fierent quæ miſerrima videre indies cogimur ac pati, mandato ejus aut ſaltem indulgentia nunquam accidit. Ex paterna porro fortuna nihil magis quam clementiam uſurpabat, factus ad eam à natura, aſſuefactus à ſtudijs literarum, quæ ingenia etiam ferociſſima in gyrum rationis ducunt. Culpam quidem benignitatis, honeſtam tamen illam ac excuſandam, ob ſuos paullo indulgentius interdum habitos, effugere apud nonnullos vix potuit. Præter tot tantaſque dotes naturam, quam amicam in largiendis animi virtutibus habuerat, non minus fautricem nactus eſt in corpore. Vultus dignitatis index, in quo tamen aperta clementiæ pignora & humanitatis, oculi magni, nobiles, ſereni, capillus, niger ille ac denſus, eleganter horridus & Gallicæ venuſtatis imitatione demiſſus, corpus habile ac procerum, magna pedum, magna manuum agilitas, robur non ducis modo ſed & militis, valetudo integra, niſi quod ſupremis vitæ menſibus, ſive pulmonum vitio, ut viſceribus per medicos poſt exceſſum ejus inſpectis cognitum fuit, ſive ob acres, ut ipſe fatebatur, inter hunc belli rancorem curas, maciem pluſculum contraxerat; cætera ita, ut longe lateque Principem oſtenderent. Sed ea tandem nos vocant, ſine quibus nec regum auctoritas, nec quies gentium, nec ſacri quippiam aut profani uſquam tutum eſt: uſus, inquam, armorum & quæ ſcire illum oportet in cujus conſilio virtus militum poſita aliquando erit. Exercitijs iſtis bellique præludijs eam ſibi artem, iſta arte eum paraverat decorem, ut adoleſcens admodum inter æquales, ſi æquales hoc naſcendi faſtigium habet, ſuperior ſemper diſcederet. Conventicula ſectentur alij & cauponas, pilam ac fritillum inter artes imperandi numerent, venentur ex ſuo ingenio, ſapiant ex alieno, abutantur otio eouſque, ut vigilentne an dormiant alteri credant: Principem noſtrum ipſe labor, qui alios frangit, nutriebat ac ſolabatur. A ſtudijs in equum, in palæſtram à navalibus, ex arena in campum ſeſe transferre, rudimenta caſtrorum domi experiri, frigus laceſſere ac æſtum, conferre docentibus, provocare diſcentes, ſudore perfundi, ſæpe & ſanguine, velitationes luſorias moliri, ſed veris proximas, irruptiones fingere ac obſidia, jacere haſtilia, ſaltu pedes exercere aut curſu, nihilque adeo facere quod diſcendum erat jacenti, oblectamenta illius non fuerunt minus quam exercitatio. Itaque juvenis admodum præeſſe copijs equeſtribus, cum cepiſſet, quem non virtutis ſtatim guſtum ac audaciæ hoſtibus dedit, idem tiro ſimul & imperator? Vocent hoc temeritatem feroces in caſtris, in acie pavidi mortales, quos ad verba ubi ventum eſt pluſquam viros cenſeas, ad aciem minus quam fœminas: ille & militem ducere quam ſequi, & quærere hoſtem quam præſtolari malebat, vel Trajani exemplo, quem bonitate, vel magni, heu! nuper Regis, quem animo exprimebat ac fortitudine. Ut vero conſilium etiam atque rationem, quæ bona ſenibus fere in locum virium ſuccedunt, illi non defuiſſe ſciamus, & hoſtem ſine aliquo ejus damno vix unquam aggreſſus eſt, & alas ſuas ac legiones abſque cæde ac ignominia ſemper reduxit.

reduxit. Cæterum ſpeculatum ipſe egredi, metari caſtra, princeps aciem invadere, ultimus exire, gloriam ſtrenuis, imbellibus allevamentum, cunctis ſeſe ipſum prudentia ducem oſtendere, æquali labore commilitonem, teſtis virtuti ſociorum ac exemplum eſſe, hoſtes denique fundere, aut trepidantes in fugam convertere, ſæpe manu, multoties & nomine ſolo ac adventu. Inde timor cohortibus ejus nullus; Ulderico ſequebantur: nulla pugnæ detrectatio; ſequebantur & patrem. Talis enim ut haberetur, urbanitate, benevolentia, amore prolixo effecerat. O fallaces autem & irritas mortalium cogitationes! O fata ſpes noſtras ex adverſo ſemper turbantia! Quid de tam ſenili juventa, de ætate hac quæ nihil cum adoleſcente commune habebat, de tantis haud conatibus, ſed factis, polliceri nobis non poteramus? Princeps divino ingenio, virtute admiranda, fortitudine incomparabili præditus, de cujus ſola magnitudine inimici querebantur, ſcelerato, crudeli, inaudito parricidio trucidatur ac interimitur. At quo tandem tempore? Dum ex caſtris utrinque convenitur, dum conditiones induciarum aut ſcribuntur, aut ventilantur, dum pacem omnia ſpectant vel pacis imaginem. Inter ferias armorum ſcilicet, ne nihil ageretur, Principem Optimum, proh dolor! interfici oportuit. Romani cujuſdam verba ſunt, infelici monumento ejus inſcripta, uti juſſerat: Turba ſe medicorum periiſſe. Hic inducijs inductus perit, quarum ſe mentione ſatis tutum arbitratur. Effundit itaque cum paucis ſe in agrum, equo inſidens pridie, ut ajunt, à quodam partis alterius donato, nullo, quod maximum in periculis præſidium eſt, nocendi animo, neque autumans ſe pro hoſte fore, cum hoſtem id temporis exuiſſet. Securitati ſuæ equidem conſuluiſſet melius, ſi tentorio ſe ſuo aut laribus continuiſſet. At acer & invictus laboris, neque otij ullius patiens Juvenis, morem animo ſuo gerere cur minus deberet, non videbat. Aves quæ in ſpem gulæ noſtræ ſaginantur, anguſtijs cavearum includuntur ac tenebris: ita ſegnitie torpentes morticinam carnem vivi, mentem brutam fovemus ratione præditi. Et quis ſolitis nos artib. tentari cogitaſſet? Ubique fraus, ubique dolus: niſi quod tutius domi quam ſub dio, magis impune verbis quam armis fallimur. Cæterum quærere, factumne ſit facinus hoc nefarium gratuito ſcelere an præmijs propoſitis, levitate ſcurrili an architecto aliquo ac machinatore, qui auctori cædis, homini poſt homines natos viliſſimo, veſanam hanc mentem injecerit, haud eſt meum. Sed & libenter fatebor, non modo me tunc abſentem, ſed ne illos quidem qui cadenti adfuerunt, exacte omnia prorſus noviſſe. Solis vero auditionibus, ac diſſeminato diſperſoque ſermoni, temere auctoritatem non tribuerim. Illud vix quiſquam dubitat. Principem innocentiſſimum, cujus fronti nemo impune occurrit, non adverſo corpore, ſed dum unius comitis monitu reſpicere ſeque verſare cepit, globo plumbeo, qui & in corpore manſit, hominis hiſtrionis manu, qua feras transfigere ſolitus erat, ex inſidijs trajectum eſſe. Perhibent etiam, tanto vulnere afflictum arma quidem arripuiſſe, quæ tamen corporis non amplius potenti excidérint, adeoque ad hoſtem, præda quantumlibet exilis, pervenerint. Inimici quidem, quos ſurgentes tanto fulgore ſpes ſine exemplo magni Principis haud dubie urebant, rationem comminiſci facile poſſunt, cur nullam reddant: nam alienationem mentis infami percuſſori quod affingunt, quis hoc perſuaſerit illis, qui propudium hominis, quidvis audere quaſi per dementiam ſoliti, ſatis noverunt? Conſcijs certe, ſi qui ſunt, ſceleris, quamvis

non arma noſtra, tortor tamen ingens malus animus & flagitia ſua in ſupplicium vertent. Dabunt nimirum, dabunt pœnas ultori Deo qui meruerunt: at perfidiam quod ſanguine Principis etiam cumulaverunt, quod poſtremus flagitioſorum omnium neque luce dignus ornamentum ſeculi, columen libertatis luce privavit, quod victima tam nobilis induciarum initium fuit, illud corrigere humana arte nulla, nullis vocibus ac lamentis deplorare ſatis unquam poſſumus. Ad Majeſtatem tuam imprimis, Rex ſereniſſime, hic dolor pertinet. Tu amiſſo filio chariſſimo, qui te & ut Regem devote ſemper veneratus eſt, & ut Parentem ſanctiſſime coluit, vulnus accepiſti graviſſimum, neque cogitatione ulla ſatis æſtimandum. Lugente Germania, Cimbria ſpem ſuam ac decus voce lamentabili deplorante, mœrentibus bonis, neque malis factum probantibus, ad te tamen tanto magis hic caſus pertinet, quanto gravius eſt filium amiſiſſe quam amicum. Quam ille nunc procul à deſtinatione tua cecidit! quam non dolenda ſolum, verum ulciſcenda etiam morte ſublatus eſt! quam longe aliter neque ſic ad regios lares tuos reverſurum putaſti! Novimus equidem, novimus, qua illum mente, Rex idem & Pater indulgentiſſimus, in militiam abire paſſus ſis: non ut ſtipendia militaret ulla, aut præiret pugnantibus; ſed ut oculis potius ac animo perciperet, quæ manu aliquando ac virtute perficienda eſſent, momentaque belli ac rationes addiſceret, quo & facta tua imitari olim, & populis tuis præſidio, & ſolatio afflictis eſſe ac oppreſſis poſſet. At ignoſce, Rex Clementiſſime, non illi, qui te, qui ſacroſanctam poteſtatem tuam cultu ad ſupremum uſque halitum proſecutus eſt devotiſſimo; ſed invictæ, ſublimi, auguſtæ naturæ tuæ, quam exuere niſi cum vita non potuit. Filius tuus erat, hoc eſt, ejus, qui viridi adhuc juventa terrore hoſtes, regnum quiete, gloria orbem adimplevit univerſum: ejus, qui pugnam nullam molitus eſt, niſi & imperator eſſet ipſe & miles: ejus, qui ventis nunquam ſe credit ac mari, quin gliſcenti procella, hiemantibus identidem aquis, ipſe malum conſcendat, tempeſtates exploret, vela contrahat aut laxet, eadem denique alacritate in alto gubernaculis navigij aſſideat, qua regni in regno. Ignoraſſene Filium putas quod omnes ſcimus, quibus nempe verbis adoleſcens adhuc, cum in erranti diſſitis littoribus nimbi ac turbines periculum minitarentur ac mortem, nautam officia ſua ſpe omni abjecta deſerentem, in cujus locum ipſe ſuccedebas, Cæſaris animo, verbiſque æmulus, allocutus ſis: Me vehis & meam fortunam: atque hæc quidem nunquam concedet, ut Rex animam fluctibus debeam? Tuus itaque Filius, Princeps Auguſtiſſime, tanti patris ſoboles & imago, tot heroum ac regum invictiſſimorum ſanguis, ſic natus, ſic educatus, ſic inſtitutus, bellum demiſſis manibus videre quivit ac ſectari? Catulum leonis ſi ſpectare jubeas, alijs in arena fortiter facientibus, dentes expediet, laxabit ungues, fremet, erumpet. Aquilam hanc ipſe genueras: impar eſſe tui non potuit, nec diſſimilis ſibi. Si audaciæ virtutem illi obijcimus; obijciamus & indolem. Alexandrum hunc Macedonia, vaſtum quantumvis ac nobile regnum, plane non capiebat. Sufflaminandus equidem ſi erat, cohibendus etiam ignis eſt, ne flammas ſuas & lucem ſuſum ſpargat. Mite præterea & clemens illud pectus, quoties dirutum jus ſacrorum, everſum Sileſiæ ſtatum, fulcra libertatis Principes conſanguineos, & perturbatas immane quantum res noſtras perpendebat, licet diſceſſum ſæpe meditaretur, facere tamen non poterat, quin & illud ſibi proponeret ſubinde, eos injuriam

ipſos

ipſos inferre, qui non avertunt cum poſſunt. Itaque non animoſitas illi ſua mortem properavit, cujus in tali quo occidit tempore minus egere videbatur: non adoleſcentia & ætas, cui non modo invidetur alias, verum etiam favetur, ſed ſive caſus, quorum tam multi rebus mortalium de improviſo incidunt; ſive metus hoſtium, dum novus in illo libertatis aſſertor, vindex bonorum, reſtitutor exulum timebatur. Tantam ſpem tuam, Rex Potentiſſime, tot populorum gaudia, deliciæ ſeculi, caput deſideratiſſimum, cheu! ſecum abſtulit. At tu Fortunæ Reduci votum haud dubie faciebas, quæ illum, proh dolor! aliter quam optabas remittit. Non narrabit Majeſtati Tuæ quæ vidit, quæ audivit, quæ fecit: non commendabit tibi ſuſpiria oppreſſorum, direptiones provinciarum & incendia, timorem publicæ ſervitutis, ſecuram denique Germaniæ quietem aut pace doloſa bellum tranquillius. Merebantur fortia ejus facta virtuſque militaris vel ingentem triumphum: nunc funus pro illo ducendum, tanto triſtius, quanto majus calamitati huic pondus adjecit novitas mortis & atrocitas. Potuiſſes utinam illum audiſſe valedicentem, quam ſolicite de Majeſtate tua cogitaverit! quanta portio ex illo quem traxerat ſpiritu in ſuum redierit auctorem! Percepiſſes puto illa Filij optimi verba: Hoc ſolum, Rex & Pater Clementiſſime, excuſo: inſidijs pereo, non virtute ferri. Ut morem tibi gererem, ſemper ſtudui: ut fato morem non gererem, ſtudere non potui. Ita viſum eſt Deo Immortali, cui animam hanc ſeria converſione, precibus ſerijs commendo. Ipſe Majeſtati tuæ eos vitæ annos largietur, qui meæ negati ſunt. Ipſi tecum fratres mei, chariſſimi ac deſideratiſſimi, regnumque tuum curæ erunt. Ipſe te conſervet: nam de me, qui Liberatori meo ac Conſervatori generis humani ſpiritum hunc ex animo trado, ſecurus ſum. Exceſſum timere, meum & Chriſtiani hominis, & tanti Regis Filij non fuit. Sed neque ita inter arma verſabar, ut neſcirem mortem mihi in procinctu habendam. Repetat vitam, excipiat animam hanc qui dedit; Auctor ſalutis meæ, ac indignæ hujus necis indubitatus ultor. Cæterum, lingua cum viribus deficiente, id ſolum te rogo; ut amantiſſimis Manibus meis hoſtium Libertati ſanguine lites potius quam lacrymis. Qua quidem allocutione, Rex tam conſtans, tam fortis & ſapiens, dolori tuo non parum medeberis: quem dolorem ſi ſperare potuiſti cum ad arma filium dimitteres, debes etiam perferre poſtquam illi accidit quod accidere humanum eſt. Hac lege bella conſtant, ut mortes mortibus ſuccedant quotidie ac cumulentur. Et neſcio quo fato infelix hæc & funeſta Germaniæ inflammatio tot Reges, tot Principes abripuerit hactenus, ut ſimile quid ætas nulla, nullæ hiſtoriæ loquantur. Sed compares mœroris habere aliorum ſolatia ſunt: tua Majeſtas cum perpendet quid Patri conveniat, cogitabit etiam quid Regi. Non minus & Filiorum Tibi adhuc ſuperſtitum virtute ac vigore te criges: quorum alterum Te ad cœleſte illud regnum (ſera ſit dies illa!) ſublato Tui hæredem, alterum ad regia quæque non minus natum, amores tuos, ſpem populorum, Caſſores ævi noſtri & lucida ſidera, cum videas, tantum levationis accipere potes de relictis, quantum triſtitiæ de illo qui vixit. Non in minorem autem & vos, Principes ſereniſſimi, luctus partem vocati eſtis, quorum, præter acerbitatem hujuſmodi Fratris erepti, qui vos pluſquam fraterno affectu dilexit, amavit, unice charos habuit, mœſtitiam augere credibile eſt maxime, quod non excipere halitum illius extremum, non manus veſtras ad ultimum operiendorum

oculorum officium advocare, non reliquias ejus & transfixa miserè viscera lacrymis & opobalsamo uda sarcophago tradere, non satiari novissimis sermonibus contigit. Nunc amoris ille sui vobis & virtutum maximarum memoriam reliquit, ut quoties lugebitis vos fratrem amisisse, consolatione simul illa sustentemini, talem vos fratrem habuisse. At te, magni Parentis magne imposterum successor, Fratremque tuum, de cujus dotibus ac naturæ excellentia tanta, tamque præclara narrantur, Deus protegat immortalis, lectum genialem tuum, cui Conjux ex familia Germaniæ serenissima incomparabilis destinatur, lætitia omni ambiat ac rebus florentibus, vota denique pro te, pro salute tua, bonorum omnium in felicem exitum provehat. Cæterum tuum hoc damnum non minus, Germania, tuus hic luctus est: vix unum excipiam aut alterum; nemo Principum extrancorum tranquillitatem tuam dilexit verius, nemo fortius defendit. Vester est hic dolor, septemviri legendo Imperatori, Duumviri tuendæ Libertati, Johannes Georgi, Georgi Guilielme, Potentissimi Optimique Principes: alterius vestrum signa duxit, utrique militavit. Si laptis rebus, quod tacitis, subvenietis, si fines vestros ac sociorum tuebimini, si arma hostium & armis nocentiorem fallaciam ab aris arcebitis ac focis, cineribus ejus innocentissimis gratiam, si non quantam meritus est, certe quantam potestis abunde referetis. Vester est hic dolor, Celsissimi Principes Fratres, Johannes Christiane, Georgi Rudolphe. Vestram ille Bregam, vestrum Lignicium, illos oculos Silesiæ, vestras urbes ac ditiones, desolatas eas & publicis injurijs expolitas, nunquam accedebat, quin macerarctur & ex animo doleret, vos tantorum Regum a tot seculis nepotes, tot Principum, inter quos & ipse erat, consanguineos & affines, tam flagrantia boni publici amore pectora, restitui ope sua ac virtute in statum ac quietem illam non posse, quam fide erga Rempubliçam meruistis. Vester est hic dolor, Principes Germaniæ ac Proceres Illustrissimi, quotquot eodem animo causse communi patrocinamini. Amisistis in hoc uno capite, amisistis sanguine cognatum, socium armis, fortitudine perfectissimum exemplar. Vester est, milites, erepto oculis castrorum, simile quid forte non visuris, eo duce, quem maximam semper vobiscum partem periculi sustinentem vidistis, qui operum magnitudine sæpe hostem, clementia & beneficijs animos vestros expugnavit sæpius ac affectum, quemque non tam excubiæ ac pcila, quam amoris vestri præsidium tutabatur. Nunc quid agendum, commilitones? Honorarioſne illi tumulos & memorias excitabitis? aut divisis aciebus ad simulachrum pugnæ decurretis? Hoc facere illi etiam possunt, quos minor quam pro re mœror incessit: à vobis, à virtute vestra sanguis hostium potius exigitur, quam vestræ lacrymæ. Decessit, abijt, ô Dani, pro cujus salute hactenus Deum multa venerati estis, qui in patria, aut si forte pro patria, mori, sed olim, debuisset. Hoc etiam calamitatibus tuis alijs adde, Suidnicium; in oculis tuis, in campo suburbano, non animositate inimicorum, sed perfidia cum cecidisse, qui difficillimo tempore tuo, cum exercitus hostium immensus, excidium tibi ac cladem extremam minatus, quaquaversum agros insederat, & mortarijs fulminalibus atque tormentis mirae virtutis ignem tectis tuis ferrumque ponderis stupendi immitteret, ipse legionum equestrium ductor inter cæteras copias tempestive advolavit, atque oblidium, nobilissimi præfecti prudentia, constantia militum, ope divina imprimis, strenue aliquandiu toleratum, ut solveretur causa

fuit

fuit non poſtrema. Quæ vero adverſa rerum, quam afflictæ fortunæ faciem tu non videras hactenus, ô Sileſia? Quanto impetu, quo ſævitiæ ingenio, quibus artibus leges credendi ea, quæ exactores legum ipſi non ſatis credunt, oppidis impoſitæ ſunt plurimis ac urbibus? Et ut ſciat orbis quibus magiſtris præfecerimus; militibus id negotij datum eſt, qui expilationibus ædium, injurijs, verberibus animos cogere, verbis luſtra ac ructus olentibus & execrationibus Deorum infandis rudiores cultum cœleſtem docere conati ſunt. Noctu etiam alicubi bona adhuc fide dormientes adoriebantur: ut noctem profundam mentibus ac tenebras ſuperfundi facile animadverteres. His accenſe abrogatas leges ac privilegia, imminutam auctoritatem Procerum, procurationem Reipublicæ Ordinibus ademptam, bona plurimorum aut data, aut non voto magis tacito quam publica deſtinatione novis hominibus dicta, vectigal adeo inſolitum, ut neceſſe fuerit etiam ceſſare conſuetum. Aerem excipiam ac umbram; cætera nullam genus rerum, cui non tributi aliquid imponeretur. Adde & bellatum per tot annos, & ne nunc quidem exitum ullum ſpectans lacrymabile bellum, ſtativa caſtra, conſcriptiones militum, hyberna non ad uſum, ſed ad luxuriem ſumpta, ſuppetiarum aut ſegnitiem aut fugam (tam enim remedij laboramus quam morbis) cohortes ſpe immunitatis, maxima peccandi illecebra, licenter vagas, lixarum ac ſcortorum exercitus, diſſentiones præfectorum æque ac concordiam Provinciæ noxiam, villas expugnatas, pecoris & armentorum prædas certatim actas, conculcatum petulanter equorum ungulis commeatum dum commeatus petitur, in pacato, in hoſtico eandem rapiendi libidinem, extincta ſolis ruinis incendia, vaſtitatem poſtremo, cædes, ſtupra, & faciendi quicquid non licet liberrimam licentiam. Paganorum vetus formula eſt: Secus qui fecerit, mitem Iſidem iratam ſentiat, & ſuorum oſſa eruta atque diſperſa videat. Nos etiam ob culpam noſtram hoc ſupplicij genus & vindictam ſupremi Numinis vere & acriter ſenſimus, ſepulchris adeo violatis, templis adeo expilatis ac irreverenter habitis, ut à fœderatis quoque talia fieri (duces ac præpoſitos, quos ſtipendiorum imprimis penuria perpeti multa cogit, libenter & ex animo excuſamus) erubeſcendum ſit. Poſt agros frugum, pagos longe lateque colonorum vacuos, poſt egeſtatem ac probra, poſt peſtilentiam nunc eam, ut plurima paſſim per oppida (te cogito imprimis, ô flos urbium & mater elegantiæ Uratislavia, ſtudiorum meorum deſideratiſſima quies, multa funerum millia in rationem Libitinæ tempore exiguo relata ſint, poſt omnia quæcunque dici aut fieri queunt mala, innocentiſſimæ Principis Optimi ſanguis tuam, ô Provincia infeliciſſima, humum inficit. quæſi votis ejus ac menti reliqua etiam rerum momenta reſpondiſſent, jam diu ex totius belli ore ac faucibus erepta eſſes. Ubi nunc nobis ille vindex tuus, ô Libertas! quæ funeſto hoc funere efferri ipſa videris ac ſepeliri, quæ rebus omnibus venalibus quaſi non minus publicata gemis, & inter ſpem metumque ſuſpenſa exitum turbinis ac fluctuum Reipublicæ præſtolaris. Nemo dolorem noſtrum gaudet niſi qui te odit; lugent ipſi, aut mœrorem oſtentant, qui inſidijs clades noſtras duplicant & inſtaurant qui te, quod capiti illorum ſit, extirpare funditus conantur ac evertere. Ego vero (nam ut mei facere mentionem audeam, Ipſe manſuetudine adverſus me ſua effecit & indulgentia) quantas complorationis cauſſas habeam, quantum ſpei amiſerim ac præſidij, cogitatione aſſequi nulla poſſum; ac ſi aſſequerer, verbis

exprimere absque culpa jactantiæ non possem. Testes sint literæ, Latinæ illæ ac sine cura elegantes, postremæ hujus generis, ut puto, quas sua manu, clementi illa ac erudita, ex castris perscripsit, unoque ante fatalem ejus ac infelicissimum nobis diem ad me allatæ. Illas enim ut adducam, non exemplo solum Græcorum ac Romanorum invitor; verum etiam ad prodendam humanitatem Principis Sacratissimi ac ingenij elegantiam interest. Sic enim loquitur:

Omnes de adventu tuo hic in castris certiores feci, doctissime Opiti. Gaudebant hoc plurimi, plurimi exoptabant. Cognitis summa exinde nascebatur lætitiæ, incognitis vero talem visendi virum, cujus fama impleverat aures, spes dabatur maxima. Cum autem plerique se tali fruitratos spe arbitrabantur, me convenire, rogare, unde diutina hæc mora proficisceretur mirari ceperunt. Quapropter promissum tuum in memoriam tibi revocare volens, paucula hæc exaravi, simul & amoris in te mei testandi causa calamum admovi, rogans ne diutius tua nos privari præsentia sinas, quin potius prima ad nos occasione adveles. Vale, & ut hæc curentur effice.

T. Addictissimus

Uldericus.

Non percurram verba tua, Princeps Pijssime, quibus magnitudinem clementissimi affectus erga me tui explicas. Principem de me, loricatum de toga, inter tubas de literis cogitare, sola divini Genij tui ac dexteritatis insolita res erat. Ego non parere me tibi, non frui sereniſſimo vultu tuo, non adesse supremis sermonibus tuis potuisse, cum angor impatienter ac doleo; tum laudibus, quod solum superest, virtutum tuarum indefessis, quantum mihi restabit annorum, quos orbitate, luctu, ærumna, solitudine acerbiores mors tua mihi reddidit, exigam ac sustentabo. Nunc terris omnibus altiorem tumulum tuum quod aggestu hoc humili, hac gleba vilissima, cursim neque cum cura veneratus sum, bona beatissimorum Manium tuorum venia factum puto. Te enim ac operum tuorum & naturæ merita satis commendare velle, ut nemo audeat nisi spei de ingenio suo immodicus, virtutum vero tuarum ignarus: ita si tantum doctrinæ ostentare possem ac eloquentiæ, quantum mœstitiæ mihi ac ægritudinis obsedisse animum sentio, vel devotioni meæ studioque aliquatenus satisfacerem. At tu, anima sanctissima, laudum humanarum non indiga, divinas meditans, abunde gloriæ dum nobiscum eras, nunc cœlum adepta es, quod gloriam mortalem respuit. finem æternæ non habet. Vicisti, Princeps, vicisti, non hostem, ut solebas, & agmina instantium ac paullo post fugientium inimicorum; sed fortibus plerunque formidabilem, molestam fortunatis, cui tamen tu paratus semper fuisti, mortem. Nunc, relicto nobis grandi desiderio per memoriam virtutis tuæ, ipse triumphum nactus es trophæis omnibus ac victorijs nobiliorem. Non urbs male æterna, domina gentium, ancilla libidinum Roma, sed cœlum te conspicit, miratur, felicitati tuæ favet, ac applaudit. Quid reges captos, vinctos ante currum duces, opima provinciarum & instrumentum humanæ luxuriæ aurum requiras? imbecillitatem mortalium, miseriam, vanitatem, inania rerum, errores ac fraudem, & quicquid corpuscula hæc mentesque vel oblectat vel lancinat, beate moriendo evertisti, fregisti, profligasti. Tunicam

pictam

pictam indumento innocentiæ ſplendidiſſimo mutaſti, lauream corona juſtitiæ æternum viridi quam non Jupiter aliquis, pretium armorum hoſtilium & dicatarum manubiarum, ſed capiti tuo Deus Deorum impoſuit, munus quod ipſe ſolus dare poteſt, tu accipere integritate vitæ ac pietate illi gratiſſima meruiſti: Evectus es ad Capitolium immortalitatis, nec ſtipatus tribunis & militum agminibus: incolæ cœli ſpiritus & aſſcriptæ numero illorum animæ gaudentes te excipiunt, ambiunt, comitantur. Si commercijs ſodalitij ſancta poſt hanc vitam pectora fruuntur, ſi ſublatos extra mortalitatem mortalium cura tangit, credibile eſt narrare magno te Regi, patria olim vicino, virtute pari, qui tot orbes ac provincias in libertatem vindicavit dum vixit, qui hoſtem cecidit dum mortuus eſt, cujus quoque jam fatum retracta tunc ab interitu Germania ſentit ac deplorat, quam lentis ſeditioſi atque diſcordioſi ſub maxillis edamus, quamque verum ſit illud:

Rege incolumi mens omnibus una;

& quæ ſequuntur. Avete, animæ innocentiſſimæ: nos, mœſti non veſtram vicem, quas vera libertas & pax æterna complectitur, ad ultimum dimicationis & ſortem aſperrimam redacti ſumus. Sed reſpiciet nos tandem miſericors ac clemens rerum humanarum Arbiter, & ſupplicijs bonorum fatigatus concordiam nobis, fidem ac animos eos largietur, qui miſſis ſciomachijs ac vanis ſuſpicionum, quæ à callidis clam foventur, privatas cauſſas ſuas rationeſque ſecuritati publicæ fruſtra poſtea recuperandæ poſthabeant, inflammationem, cruciatus, ignominiam, cædes, proſcriptiones à ſocijs & patria communi propulſent, ſacra ab exilio ſubtrahant, & honeſtamenta pacis ac præmia belli toto animo quærant, totis viribus meditentur. Cæterum immaturum exceſſum tuum, Princeps ſanctiſſime, deplorent qui debent, debent autem omnes boni, extenuent qui volunt, non doleant mortuum quem vivum timuerunt, de virtutibus tuis ſileant qui de ſuis gloriari non poſſunt: nos, qui felicitatis noſtræ partem tecum ac ſpem amiſimus maximam, te ſublato, exilia, contemptum, calamitates & quodcunque miſeriarum onus irruet, conſtanter feremus; memoriam vero tui ſummarumque virtutum tuarum juſto quidem deſiderio, magis tamen honore omni ac cultu & grata ad Poſteritatem commendatione proſequemur.

Com-

COMMENTARIUS
DE
Rebus Pace Belloque Gestis
Domini FABIANI Senioris,
Burggravij à DHONA.

Apud Lacedæmonios, quemadmodum à veteribus & gravissimis scriptoribus accepimus, lege cautum fuit, ut antequam ad manus veniretur, sacra fierent Musis. Cujus rei caussam rogatus Imperator ejusce gentis Eudamidas: eo id fieri respondit, ne res bene gestæ debitis laudibus fraudarentur. Nimirum optimo cuique innata est cupido virtutem factis extendendi, ac nomen acquirendi immortale. Sed perpetui nominis gloriam sine cujusquam scriptoris monumentis consequi licet nemini. Eoque Alexander ille, cui gestorum magnitudo Magni cognomen fecit, cum ad Achillis sepulchrum consisteret, beatum eum prædicavit, quod virtutum suarum præconem Homerum nactus foret. Nempe nisi Ilias extitisset, ut verissime à Tullio dictum fuit, ille idem tumulus, qui corpus contexerat, nomen quoque obruisset. Neque defuncti unius gratia honor ille decernitur: sed partim etiam propter ipsum Deum immortalem, partim propter humanum genus. Siquidem Dei ipsius munera sunt, quæcunque à nobis recte fiunt, eoque coronari illa præconijs nostris convenit. Superstites autem in eodem stadio certantes cupiditate gloriæ inflammari, plurimum profecto interest. Equos sane, quorum generosior est indoles, magistri suavis poppysmus incitat, aut adstitum clamor reddit in cursu alacriores. Plerisque etiam alijs animantibus, si proximi vel insonent voce, vel complodant manibus, animus additur, ut, quo feruntur, alacrius contendant. Quanto igitur magis eos, in quibus ratio dominatur, ad virtutem stimulari posse arbitremur, si alienam virtutem ac gloriam intelligant! Qui qui non moveantur, eos dixerim sensu humano carere propemodum; nec marcere minus, quam qui in taberna fragrantissimis aromatis referta odore nullo recreentur. Quamobrem ita censeo nullum omnino officium esse cum justitia propius conjunctum, nullum quod homines ad virtutem accendat magis, quam si eos, qui virtute anteverterint cæteros, sermone ac scriptis nostris celebremus, ut hac quasi tuba ex mortuis exciti, vitæ postliminio restituti, atque iterum inter homines degere videantur; suoque exemplo, præcepta salubria, aut miseriæ nobis solatia instillent. Ecquis igitur ingenij sit adeo horridi, aut tam malignus atque excors, ut sanctam hanc, atque utilem operam nostram, quam laudibus Illustris Burggravij

Plutarch. in Apophth. Lacon.

Cassiodor. lib. 1. Epist.

gravij Fabiani Dhonani impensum imus, Theonino dente arrodere ausit? Quanquam ingenue id agnoscam, quodammodo injuriam fieri optimo Heroi, non eo quidem, quod observantiam illi nostram deferamus, quæ adversus bene meritos permitti omnibus, etiam imi subsellij hominibus debet: sed quod ex majorum gentium, doctorumque corona nemo surgat, qui hoc sacrum exequiale peragat. Si enim Achilleis factis non nisi Homerica vox est accommodanda: si dignus est Dhonanus, quod ultro largimur,

——— *Quem nemo præter Apellem* Horat.
Pingeret, aut ne alius Lysippo duceret æra:

equidem, quid plerique pronunciaturi sint de audaci hoc facto meo, non obscure prospicio. Verum videmus etiam in convivio cætera splendido, amœnoque, non optimos semper audiri citharœdos; sed ab ijs secundos, tertios, quartos, sæpe etiam infra hos doctos, cum præstantium ac fortasse etiam mediocrium hominum, non ita magna sit copia: Itidem nec mihi vitio verti debet, quod ego, qui supra eruditorum vulgus, nec ingenium, nec doctrinam, nec dicendi usum, mihi ausim vindicare, decrerim nihilominus eum virum oratione mea celebrare, in quo laudando Eloquentia ipsa vires suas periclitari possit. Nimirum, pietati litamus, quæ si careat ornatu, fraudi tamen esse nemini debet. Eâdem ijs quoque obsequium præstamus, à quibus hæ partes nobis, neque id invitis, injunctæ sunt: cuivis nihilominus haut gravatim permissuri, ut conetur

Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet. Pers.

Agite ergo, ne in nos etiam quadret vetus verbum, portam itineri longissimam esse; missis cæteris, non minori lubentia, quam fiducia, stadium illud ingrediamur, quod animo præsignavimus: & eorum, quæ de Dhonana omni vita comperta ac quasi in numerato sunt nobis, memoria quæque dignissima exponamus, quo ita novo huic cœliti honos suus constet: nos vero taniquam in illustri monumento, quæ sequi fas sit, proposita nobis habeamus.

Ut igitur à primis Fabiani incunabulis ordiamur, natale ei solum Prussia obtigit, tellus fundo admodum fertili, dædalis mercibus, qua importandis inari, qua exportandis, aptissima clarissimaque: atque ubi, ut poeta Sulmonensis cecinit,

——— *Fluant lacrymæ, stillataque sole rigescant* Ovid. 2. Metam.
De ramis electra novis, quæ lucidus amnis
Excipiens, nuribus mittat gestanda Latinis.

Quæ etsi non levia sint: majus tamen illud, quod præclara semper dedit ingenia, quæ cum aliarum omnium capacissima artium fuerint; tum sub utraque Pallade, armata, togata, egregia fecerint stipendia. Est in ea, quæ Regalis appellatur, Stuma oppidum, haut infelici naturæ genio excultum, vicina arce exornatum: in qua Fabianus scenam hujus mundi, qua personam suam decenter sustineret, cum lacrymis, forte omnibus communi, ingressus est. Mensis erat totius anni formosissimus, quem Majum dicimus: quasi ipsa universi Natura, ubique sapi-

ens,

ens, ac justa, alumno elegantis ingenij, eleganti quoque tempestate obstetricari vellet. Dies affulgebat sexta & vicesima, altera à festo nobilissimo, quo Spiritus Sancti memoriam celebramus. Fortasse ut indicio nobis foret, non cum Junone Nixia, non Jove Sospitatore, neque ullo cœcarum nationum numine, aut tutela indigere: ut qui auspicijs Sancti Spiritus auram hujus vitæ hauriret. Numerabatur tum à Christo nato annus seculi sextidecimi quinquagesimus: quo ipso in patria Dhonani Prussia ardebat bellum ab Osiandro conflatum: qui αὐτοδίδακτος ac propterea, ut fieri solet, ἰδιογνώμων & αὐθέκτης, hominem coram Deo justum fieri contendebat justitia Dei, ut vocant, essentiali; quæ profecto non alius, ac ipse Deus, esse potest. Sed hujusmodi, quæ ad natalem, vel locum, vel diem pertinent, decoris quidem aliquid afferre videntur: attamen fere communia sunt deterrimis cum optimis, infimis juxta ac summis. Quare in tanta laudum Dhonani copia, ea potius consectemur, quæ magis propria Fabiano fuerunt: Quale est illud, quod ei præclara adeo stirpe contigerit nasci. Parens enim fuit illustrissimus Petrus Dhonanus, qui ut pietatis, ita prudentiæ & fortitudinis omnes explevit numeros, perque Laboris templum progressus, trophæa perennaturæ gloriæ in Honoris fano feliciter ad Memoriæ aram suspendit. Postquam enim ab ultima prope pueritia Laborem, patrem Gloriæ, ut Æschylus eum vocabat, animo suo, propositum fuerat: non jam ille purpura ulterius capi, non sectari molle Gynecæum, non delectari servulorum comitatu; sed ipse magnati se affectam præbere haut inglorium arbitrabatur. Ita est profecto, nemo imperat felicius, quam qui parendo illud didicerit prius. Dabat vero se Petrus in familiam viri eo tempore perillustris, Hiobi Dobeneckeri, Episcopi Risenburgi: apud quem paullatim animum confirmabat præceptis optimis ad omnes civilis vitæ partes, ac disciplinam militarem præ cæteris. Ergo, cum per ætatem posset, castra secutus est, non, ut quondam Eretrienses, quos salie
Plutarch. aiebat Themistocles, similes esse piscium, qui gladioli vocantur: quippe uti ensem hi habent, sed corde destituuntur: ita & illos fuisse quidem armatos, sed animatos non item. At Dhonanus, ut versiculum Mœonij vatis in Latiale eloquium transfundam, erat

Hosti non tergo, sed forti pectore notus.

Nec idem militiæ nomen apud alios dare voluit, quam eos, qui tum suo & optimi cujusque judicio optimam foverent causam (ne forte pro bello latrocinium sectaretur) tum etiam, qui rei totius militaris supra alios esse intelligentes perhiberentur. Erant illi Mariani Equites, quos ante tricenos trecentosque
Lib. Ord. Prus. annos, nomine ordinis Teutonici, in Borussia institutos novimus, ut (quod magna cum laude ab ijs factitatum) subigendo paganos, idolorum simul cultum abolerent, Christianæque religionis pomœria longius proferrent. Sub horum auspicijs ac signis ita meruit stipendia Petrus, ut non modo victrici manu varias reportaret coronas: sed dignitate etiam Equestri ab illustrissimo Ordine, magno omnium studio, & applausu, fuerit ornatus. Cumque Ducatus Prussiæ, abolito Teutonicorum militum ordine, constitueretur: Albertum, Marchionem Brandeburgicum, primum Borussiæ Ducem, in militia sectatus fuit; pulchramque & utilissimam eidem operam præbuit in expugnanda Braunsberga: cujus & post-

postmodo præfecturam per sexennium insigni fide, nec minori auctoritate gessit. Quod si pulchrum ducitur, paternas imitari virtutes; unde Amasim apud Ægyptios legem sanxisse accepimus, ut patris artem faceret filius, ac statum conditionemque vitæ ejus sequeretur: nec ab ea laude excludi illustrem hunc virum oportebit. Siquidem egregia Stanislai, fortissimi parentis sui, facinora secutus, imo assecutus fuit. Venerat Stanislaus (ut quemlibet ducit Deus, cujus est terra & plenitudo ejus) ex Crachensi domo, quæ apud Silesios celebri est loco. Sed generis hanc celebritatem virtute plurimum in Borussia adauxit, ubi Teutonicis equitibus, nisi Christi eos milites dicere malimus, strenuam navans operam, non modo gloriam obtinuit excellentissimi Ducis; sed viri quoque continentissimi immortale adeptus nomen fuit. Veniam mihi dari postulo, si paullum huic rei institero, ut documento illustri planum fiat, licet sit

Rara avis in terris nigroque simillima cygno, *Juvenal.*

Miles pauco contentus: non tamen ita male agi cum rebus humanis, ut non in eo quoque vitæ genere habeat Deus, qui plurimos cujusvis ordinis longissime numinis reverentia post se relinquant. Quippe incubuerat regioni omni tempestas fatalis, qua sociorum plurimi, timore, an perfidia, pudendis modis à Magistro suo divortium faciebant. Non ita Stanislaus, cui idem animus,

Horat. 4. Carm. 9.

Rerumque prudens, & secundis
Temporibus, dubijsque rectus.

Quare non ille à domino, cui sacramentum dederat, deficere. Nec enim illi

Facile & pronum superos contemnere testes. *Juvenal. Sat. 13.*

non sanè,

——*Phalaris licet imperet, ut sit*
Falsus, & admoto dictet perjuria tauro. *Hor. Sat. 8.*

Nempe scitum illud Socraticum animo inscripserat penitissimo, ut statua semper insistit basi; similiter virum bonum instituto niti honesto, nec inde vel periculis, vel voluptatibus dimoveri unquam. Quocirca in eo collegium erat universum, ut Stanislao, ejusque posteris, ne indonata virtus fidesque videretur, hæreditario titulo ac jure conferretur præfectura Morungana, & loci indole nobilis, & reditibus sane quam locuples. Non aspernatus eam fuisset Dhonanus, si quanta facilitate ab Equitibus offerebatur, tanta conscientiæ sanctimonia possessarum se suosque vir integerrimus in animum inducere potuisset. Nunc illud identidem occursabat menti ejus (quod religionis opinio in populo ita edocto mire exaggerabat) fore, ut virginem Deiparam, cujus honori destinatus esset quasi honorarius tutor, iratam haberet, si luculentum adeo donarium transferret domum suam; aut si ad posteros transmitteret, quod sanctis usibus majores consecrassent. Casta profecto, si quæ unquam, in sectante ejusmodi vitam, abstinentia, à qua fere milites nostri quam longis distant spatijs! quippe ijs si Pegasi darentur

tur, in cœlum adſcenſuros dixeris, & prædam acturos uncatis manibus ante thronum Dei in Mariæ, Sanctorumque omnium conſpectu: utpote quibus

Lucan. —— *Ibi fas, ubi maxima merces.*

Eſt vero Morunga inter Lutiores Boruſſiæ præfecturas non poſtrema. Oppidum binis arcibus, ſitu loci, lacubus circumſtagnantibus, munitum. Pagi adjacent plus minus triginta. Eos & prædia commendant, & piſcationes, & molendinæ, & venationes, & aucupia, & ſaltus, urſis olim, alijſque noxijs animantibus nunc armentis completi. Repudiato igitur nimis ſplendido, ut quidem cauſſabatur, dono, viliori, quod ultro offerebatur, contentus Staniſlaus fuit: quamquam profecto vile nihil exiſtimari conveniat, modo rationi, ſecundum quam *Vivitur parvo bene*, ſuffecerit. Obtinuit vero citra fraudem Ordinis, & rei ſacræ, Teutopagum: in quo annos poſtea exegit multos, idque cum optima ac laudatiſſima Urſula Greutingia conjuge; quicum etiam ſepultus inibi fuit, compluribus ex ea liberis, fœmellis aliquot, filijs vero tribus relictis. Atque ex his quidem Anſelmus, & Johannes, cum quaſi in herba adhuc latere meſſis crederetur, extremum ætatis diem obierunt. Petrus autem, Fabiani parens, ad grandem pervenit ætatem. Sed priuſquam à Staniſlao & Petro Dhonavijs manum tollam, illud etiam adjungendum videtur, utriuſque, ac majorum etiam ſpectatam adeo fidem fuiſſe ſemper erga ſuperiores, ut ab ea Dhonæi in publicis Boruſſiæ privilegijs commendentur: imo præclarum hoc retulerint elogium, cum prope omnis hæc regio, vel defeciſſet, vel in hoſtium veniſſet manus, inter paucos tum, qui Principis partes ſequerentur, ſtetiſſe Staniſlaum, Burggravium Dhonenſem, & filium ejus pariter cordatum. Paterent jam longe lateque ſpacia producendi porro in hunc famæ campum Dhonaviorum etiam abavum, atavum, tritavum, atque alios, qui longa ſerie innumerato habentur. Verum non tam gentis Dhonanæ hiſtoriam, quam Fabiani laudes polliciti ſumus. Quare nunc temporis quidem ſuperſeſſis iſtis, quæ etſi non minus pulchra ſint præclaraque, properanti tamen lectori faſtidij aliquid parere poſſint, illud unum exponere contentus ero, Dhonanam familiam ab octo retro ſeculis originem ſuæ gentis repetere. Nempe jam ab ijs temporibus, quibus Deus Opt. Max. Imperio Romano, quaſi cœlo demiſſum, dedit Carolum, Francorum regem, à rerum geſtarum gloria Magnum appellatum, non optimum modo Reipubl. Principem, ſed Eccleſiæ etiam vindicem, ſtudiorumque inſtauratorem ac patronum omni laude majorem. Tantus Rex atque Imperator, ut cenſor erat virtutis æquiſſimus, ex ea Galliæ Narbonenſis parte, quæ & Languedocium, & Occitanea dicitur, virum evocavit, & ſummi nominis, & maximæ dignitatis, Aloyſium de Urpach, eique, ut in Germania ſedem ſuam figeret, perſuaſit. Ac quo promtius illud faceret, ſimul ut præmium extaret dignum ejus virtutibus, (abſque quo eſſet, verbis tantum ineſcatus videretur) amœnum ei atque frugiferum locum aſſignavit ad flumen Albis; ubi & oppidum, & caſtrum, quod Dhonæ nomine inſignitur, celebre jam tum erat. Juxta vero poſtulaverat ab Urpachio Cæſar, ut Dreſda ab ſe contra Bohemos, Naumburgo ad Salam, contra Sorabos munitis, ille tum ſua, tum Germaniæ limites, defenſurus, Vandalos idololatras, quorum tetra colluvies ſe hinc inde in imperium infuderat Romanum, ulteriores facere

Anno Dccccvi. *Bartholi. Paprock. in Chronico Bohem. cap. 19.*

Autor Pſal. ad vitam B. Eſai. Editus Cracoviæ M D C X.

Anno Dccccvii.

pro-

progreſſus minime pateretur. Nec ſua ſagaciſſimum Imperatorem ſpes fefellit. Nam ita Urpachius ſuſceptam adminiſtravit provinciam, ut Cæſar Ludovicus cognomento Pius, cujus Pater ipſe Carolus corona imperiali caput inſigniverat, Aloiſij filio Conrado, ejuſque hæredibus, non donarit modo territorium Dhonanum, ſed titulo quoque illud Burggravij, quaſi honeſtamento gentilitio, exornarit. Sunt autem Burggravij Germanis ijdem, qui Italis ac Gallis, Vice-Comites: quo modo & Mediolanenſes prius Vice-Comites dicebantur, qui nunc Duces audire malunt. Et ſane etiam Saxonici ac Brandeburgici Electores, quod inter præcipuos titulos Burggraviorum appellatio compareat, non parum eo decoris accedere ſuo generi arbitrantur. Nimirum ſicuti Comites limitanei, quos Marchiones hodieque dicimus, Cæſarum autoritate & Regum condebantur, ut hinc inde Germaniæ fines contra Hunnorum irruptiones tutarentur: eodem modo per Saxoniam, ac Miſniam conſtituti fuerant, qui à Sclavorum atque Henetorum furijs cavere civibus incoliſque poſſent. Hi Burggravij tum appellati, ſacri vero Imperij Romani præfecturis fungebantur: quæ dignitas, perinde atque Marchionum, etſi initio videbatur ambulatoria, meritis tamen eorum, qui primi cum laude honorem eum geſſerant, hæreditaria poſtea ad poſteros ac gentiles devoluta fuit. Quanquam autem Dhonani etiam Comitum axiomate, atque honore fuerint decorati, quod tum alijs è documentis, iſque plurimis atque evidentiſſimis, tum etiam Sigiſmundi Cæſaris libello diſcimus, qui egregio pari fratrum, Nicolao, & Jariſlao, Dhonenſem Comitatum feudi munere conceſſit: plurimum tamen Burggraviorum titulus ijs magis arriſit. Neque eo minus honoris à poſteritate conſequuntur. Nunquam enim non prædicabitur in ijs ſingulare decus, divinæ gratiæ pignus; quod cum in alijs prope familijs omnibus, certe in Miſnia Leiſnickenſium, Altenburgenſium, Starckenburgenſium, Lorbicenſium, aliorum Burggravia dignitas exſpiraverit, Dhonani eam & maſcula virtute retinuerint, & pari gloria propagarint,

Anno Dccexii. *Dreſſer. Mell. Hiſt. ſex. part. II. Georg. Fabric. in Annal. lib. Miſn. lib.* 1.

Megiſer. in præfat. lib. de Ord. Equeſtr.

Anno Mcccxxiii. *Brixiæ. die infant. innocent.*

Magnanimi heroes, nati melioribus annis.

6. Æneid.

Hæ primitiæ ſunt gentis Dhonaviæ, ſane vel hac prærogativa ampliores, quod ab illa olim quatuor ac decem familiæ nobiles ſolennem feudorum collationem expoſcere tenerentur. Nec eſt, quod arbitremur, priſci hanc dignitatem fuiſſe ævi: hoc tempore autem, quod omnia mutat, vaſtat, abolet, in deſuetudinem penitus abijſſe. Spirantia enim adhuc ante oculos verſantur exempla: ſunt veſtigia in Hexapolitana Luſatia, ubi Grunbergij, Rotenburgij, Zabeltizij, Schlichtingij aliæ Equeſtris Ordinis familiæ, Burggravijs Dhonanis, feudi jure, & ſacramento, hodieque ſunt adſtricti: præ cæteris vero, qui in Dynaſtia Muſcavienſi rerum potiuntur. Illic jam nunc Toparcha illuſtris Carolus Chriſtophorus, quod longa ſerie ad ſe devolutum eſt Regale, quantum in ſe eſt, tuetur; ſicque animum inducit ſuum, non minus religioſe conſervanda eſſe majorum privilegia, jura dignitates, regalia; quam illorum imagines, torques aureos, nummos, aliaque theſauri decora; quod illa virtutis ſint ornamenta propiora, quæ ætatem ferunt: hæc vero, cum fortuna, quæ vitrea eſt ac deſultoria, commercij plurimum habeant. At quantum etiam illud ad gentis Dhonaviæ laudes facit, quod inſigni in ponte illo, quo Imperator Conradus primus, auſpex hujus

Albin. in Chron. Misn. Dresser. Mill. hist. 6. part. 4.

nominis, utramque Albis ripam in littore Misnensi ad urbem Dresdam conjunxit, etiamnum Dhonaviæ gentis insignia bicornia opere antiquo conspicere licet. Atque inde est quod ex juris ac rationis rectæ præscripto, & summi magistratus decreto, constitutum fuerit, ut eidem ac hæredibus illius, ex mercibus eo apportatis vectigalium pars tertia solveretur. Licet vero, (ut prope omnia homini bona, alium atque alium accipere dominum solent) etiam jus hoc olim à Dhonana familia aliò fuerit translatum; tamen jam à multis retro annis illud Abrahamus Dhonanus, qui apud Silesios libera potiebatur Dynastia Wartenbergica, quasi postliminio recuperavit. Atque ut nunquam hoc jus in eandem redijsset familiam, nihil priori hoc laudi derogaret. Glorientur igitur

Plin. lib. XXXVI. cap. XII.

Ægyptij Pyramidibus suis, quarum unam proditum est mundi miraculo à trecentis sexaginta sex hominum millibus fuisse exstructam, atque id erogatis in raphanos, allium, ac cæpas talentis mille octingentis. Ostentent item alij

—— insana mole colossos:

Qualis etiam effingi volebat Nero. Alij ex vetustate divitias suas immani jactent apparatu canalium, thermarum, aquæductuum, theatrorum: in quibus omnibus, quo necessitati vel usui consuleretur, constare paucò poterat; reliqua autem servierunt pompæ, luxui, superbiæ, & hujus pedissequæ vanitati. Burggravij vero Dhonani non paullo magis ad laudem suam esse reputent, quod non alijs, quam majoribus suis, debeatur ejus pontis structura, ex quo tot commoda, ad Principes juxta, ac subditos, redundent. Quid autem pontes loquor? Quid terrena tantum vel commoda, vel ornamenta? Liberalissimi quoque fuere heroes Dhonæi ad constituendum, ut seculum illud ferebat, cultum divinum, sacraque peragenda. Referunt ij, qui res Episcoporum Misnensium monumentis suis ab oblivione vindicarunt, Ottonem Henrici Burggravij Dhonensis filium, haud exigua contulisse donaria in Henricum, virum sacris destinatum, qui ante xc. atque trecentos annos, in Misnia baculi atque tiaræ Episcopalis honore clarus fuit. Nec obscura esse potest, tum pietas, tum munificentia Ottonis Dynastæ, eadem familia nati: qui cum in oppido suo gentilitio, populo ad Dei cultum decisset locus; templum, quod

Dresser. in Mill. 6.

Dresser. Mill. 6. part. 2.

Dhonæ est Beatæ Virgini consecratum, primus extruxit: quod, Friderico II. Romanum moderante imperium, annis ab hinc quadringentis, evenisse accepimus. Nempe uterque Dhonavius, pater cum filio, non provide minus, quam piè, existimabat, ingenti ea à se fœnore locari, quæ ad res sacras ac pios usus, Deo largissimo benefactori commodarentur. Nec ullis obliterandum est seculis, Ghurij (id Silesiorum oppidum est) inde à trecentis annis jura patronatus in templo primario fuisse penes Burggravios Dhonanos. Uti nec caligine ulla involvi debet, quod jam ab annis octingentis familia hæc se longe latèque diffudit. Non equidem inficias ivero, accidisse ei quasi deliquium quoddam, idque haut exile; cum bello eo, quod inter Wenceslaum, Bohemiæ Regem, & Guilielmum Coclitem, Misniæ Marchionem, gestum fuit, arcem Dhonensem, quæ feudum semper fuerat regni Bohemici, Marchio obsedit, expugnavit, evertit. Cujus rei tristissimam memoriam penitus excidere non sinunt rudera illa arcis Dhonensis: quæ hodieque vix altero à Dresda lapide ad Dhonensia mœnia, (prout præsens ejus oppidi fert situs) cernere licet. Ubi & Burggraviatus vestigia conspiciuntur, haut secus ac Noribergæ. Quis verò satis explicet, quantum dolorem casus iste egregijs heroibus attulerit: ubi viderunt, se essentis violentiæ

lentiæ furore, de antiquis ſedibus ac fortunis deturbari iniquiſſimè. Nempe ſilebant leges, inhonora erat juſtitia, ut fieri ſolet,

Cum ſonus armorum ſuperat, gemituſque cadentum. Ovid. 5. Metam.

Verum calamitas hæc illis nova fuit virtutis ſeges, unde Dhonani pullularint hinc inde numero plurimi, autoritate ſpectatiſſimi. Ex eorum gentilibus habitarunt olim eximij viri in Galliæ, ac Daniæ regnis. Nec pauci vivunt in Bohemia, in Sileſia complures: avitum etiam decus in Miſnia, Saxoniaque ſuſtinent. Habent ſuos quoque ex eadem gente Palatinatus & Marchia Brandenburgica. Habent Boruſſia, Livonia, Luſatia. Quid opus multis? Fœcunda adeo ſtirps hæc fuit, ut numerare ex ea ſit ſex ac xx. generationes, ubi ſtemma à patre cujuſque recta per liberos deducatur. Dixerit aliquis, non ſolum numero, ſed virtute etiam, atque adeo hac una imprimis, æſtimari familias oportere. Quis ſanus hoc in dubium vocet? Sed Dhonæi quoque ad claſſem eorum pertinent, qui ut numeroſi, ita virtute dignitateque ſint conſpicui. Quippe recenſere ex ijs poſſumus duos & viginti, qui ſuperiori omnes ſeculo, atque eodem prope tempore, in aulis Cæſarum, Regum, Principum, magna virtutis adorea, pace belloque vixerint, ac provincijs functi ſunt oppidò illuſtribus. Diffiteri equidem haut convenit, migrationes gentium tenebris eſſe non exiguis involutas, quoniam rari omninò ſunt, qui familiarum tabulas conſignent, quod in quavis gente phylarchorum foret. Nihilominus annalibus, quibus Boruſſorum res geſtæ recluduntur, proditum videmus, jam ante trecentos annos Burggraviorum quendam Dhonanum Falckenberga cum Principe aliquo Sileſio veniſſe in Pruſſiam, ac copias auxiliares magno adduxiſſe numero, ad res Equitum Teutonicorum ſtabiliendas. Ac ille quidem, utcumque honorificentiſſima perfiſtendi copia daretur, tamen, rebus ita ferentibus, ad Sileſios ſuos poſtmodo eſt reverſus. Aliter vero Staniſlaus, avus Fabiani paternus, qui in Boruſſiam ſe ſuaque tranſtulit, jam annis ſupra ſeculum ſeptuaginta. Sed enim adverſus tam multa, quæ de priſca Dhonanæ gentis origine, ac tot & tam præclaris Fabiani majoribus diximus, videor nonnullos, præſertim quibus non eadem divinitus felicitas obtigit, jamdudum audire dicentes, è caſa etiam prodiiſſe ſæpe rerum maximarum capaces, & dominos,

Hieron. Megiſſ. in præfat. Ord. Equeſtr.

Caſpar. Schut. in Chron. Pruſſ.

Silveſtrem montana torum queis ſtraverat uxor
Frondibus, & culmo, vicinarumque ferarum
Pellibus:

Juvenal. Sat. vi.

ut eſt virtutis genius omnibus amicus, dum ipſi amicas virtuti manus porrigere velint. Quod Romanorum etiam Imperatorum exempla teſtantur: quippe quæ argumento ſint,

Summos poſſe viros, & magna exempla daturos
Vervecum in patria, craſſoque ſub aere naſci. Id. Sat. x.

Ita traditum eſt, Maximinum in Thraciæ montibus paviſſe oves, Pupienum natum è fabro ferrario, Philippum Arabem fuiſſe latronum ductorem, Aurelianum

num falces manibus ac ligonem versasse, Valentem cum fratre funariam exercuisse, Justinianum subulco editum: quæ si quis nesciat, antiquitatis se totius rudem atque imperitum fateatur, necesse est. Verum enimvero ut hæc singula in confesso sint, tamen illud simul tum ratio arguit, tum omnis ævi memoria, & usus evincit, tum Scripturæ ipsius divinitus inspiratæ firmat autoritas, eximium esse Dei atque naturæ beneficium, si una eademque familia inoffenso dignitatis gradu seculis duret plurimis. Nempe longo tempore observatum, & communi jam præstantissimorum hominum opinione receptum est, familiarum illustrium conversiones incidere solere in abnepotibus, vel trinepotibus: ultra vero quinctam generationem si eatur, [Ottomannicos Imperatores excipio] offerre se plurimum tempora, quibus parentum dignitas & gloria, vel omnis sit immutata, atque eversa, vel saltem præ fortuna priori, tum nomine jejuna atque arida, tum viribus mutila ac manca. Imperium Germanicum quas non Cæsarearum familiarum conversiones ac vicissitudines sensit? In Ludovico IV. trinepote Caroli Magni, exspiravit Cæsarea Carolinæ stirpis Majestas. Transijt inde ad Saxones. Ab his ad Francos: sed exitum sortita est in primi ex illis Imperatoris abnepote, Henrico Claudo. Nec dissimilis fuit fortuna Francorum. Nam in primi ex ijs Conradi Saliqui abnepote Henrico quinto, familia Francica, & cum ea Imperium defijt. Delatum inde est ad Suevos: atque excessu Conradi quarti, qui quinctus ab origine erat, iterum fuit ablatum. In familia Lucenburgica quartus à prima fuit ultimus. Atque intermedijs horum temporibus hanc etiam inconstantiam experta est domus Austriaca. Quamobrem in clara illud luce positum videtur, si qua familia per tot secula vividam vim conservarit, animique virtutem quasi in posteros transmiserit, inter rara illud monumenta divinæ & gratiæ & providentiæ referri oportere. Ad tantum paterni stemmatis decus accessit, quod mater Fabiano cœlitus obtigerit, non qualis Eteocli & Polynici, sed placida, morata, prudens: in qua vestigia matronalis venustatis quasi exempli instar lucerent. Catharina ei nomen, ac vere erat κατ' ἐξοχὴν: pura quippe ob morum pudicitiam, ac si reliquas etiam virtutes spectemus, puras assidue in cœlum manus sustollens: quo nullum sacrificium Deo, aut preciosius esse, aut odoratius potest. Genus illa suum ducebat à Zemiorum gente; quæ vel nominis celebritate, vel virtutis præstantia, haut alteri cesserit. Filia erat natu maxima Achatij, viri generosi ac strenui, Senatoris inclyti in regno Poloniæ, Palatini Mariæburgi: qua ex familia tribus uno eodemque tempore Senatoribus regnum Poloniæ gaudebat. Hæc uxor secunda, vere secunda, Fabiani patri Petro obtigit. Cujus ille amore potissimum exarserat, non oculorum captus aucupio, quibus contemplari licet exterius formæ decus; etsi & illud conspicuum, ac laudatissimum heroinæ foret: neque dote inescatus, quam manibus involare avide adeo gestiunt multi; licet eadem ab hac etiam parte fuerit felicissima: sed prudenti aurium judicio usus; quibus nihil nisi cultum atque eximium de ea cognoscere erat: quippe paucis ex ijs una,

Zalom. Newgebaw. *in præfat. lib. de symb. vir. Illust.*

Auson. ——*De queis mentiri fama veretur.*

Felix Fabianus hac matre; felix ejus pater hac conjuge; quæ magnis quidem, ut dixi, in divitijs erat; verum divitias illi peperit longe potiores; sobolem, inquam,

quam, præſtantiſſimam, eamque potiſſimum maſculam. Quæ res eo optatior fuit, quia, quam ex illuſtri Baronum Eilenburgiorum familia tori ſociam adſciverat prius, ea abſque liberis decceſſiſſet. Nempe Catharina Zemia, quicquid ex priori ſterilitate damni foret, id omne largo fœcunditatis lucro compenſavit. Ita conſuevit Deus, non noſtro prolubio, ſed arbitratu ſuo, ſapientiſſimus juxta & optimus promus, liberos dare; idem certe quicquid adverſum hæc arguentur aut ſcioli, aut importuni, idem, inquam, triplicem clavem, regni cœlorum, pluviæ, matricis prolificæ, uni ſibi reſervavit. Hanc ergo poſtquam reſignavit Catharinæ

Gentis humanæ pater atque cuſtos, *Horat.*

edidit illa octonos partus, fœmellam unam, reliquos mares: quorum Fabianus natu minimus, rebus aliquamdiu etiam interfuit humanis, poſteaquam terris exceſſiſſent cæteri, immortali jam nominis ſui gloria per omnem prope orbem relicta. Primogenito nomen Achatio erat. Qui emortuali ipſo Lutheri anno ſtudijs operam navabat Witebergæ. Poſtea Maximiliani Cæſaris aulam, caſtraque adverſus Turcam ſecutus eſt. Legationem quoque ad Stephanum Bathorium, Poloniæ Regem, feudi Pruſſici gratia, feliciter obijt. Adhæc idem ob prudentiam facundiamque ſingularem, in graviſſimis patriæ cauſſis, nomine Ducis Boruſſiæ, Spiram ad comitia Imperij miſſus fuit. Atque eo tempore jam auctus erat liberis tredecim, de quibus ipſis inferius quædam honoris ergo adferemus. Proximus natu ab Achatio fuit Henricus: qui pietate inſigni, nec ſine gloria, annos aliquammultos in aula vixit Sigiſmundi Auguſti, Poloniæ regis. Sub ejuſdem auſpicijs merens, equites millenos duxit: ac res maximas prudenter feliciterque geſſit. Itaque & virtutis ſummæ ergo, feudo præclaro donatus in Livonia fuit. Tantus vir ductu Erneſti Weyeri ad Pernaviam militans, ut raro magnæ virtuti fortuna ſemper favet, globo in pede trajectus, pulcram per vulnera mortem oppetijt. Fuerunt ex eodem ſatu Fridericus atque Chriſtophorus, viri pace belloque illuſtres: quorum ille quanto ſemper in pretio habitus ſit, indicio erit, quod & præfectus fuit militiæ Galliarum regis, & Mareſchallus Regiæ in Dania aulæ, & in bello contra Suecos, equitum Dux cum ſumma caſtrorum poteſtate. Alter autem, Chriſtophorus Burggravius, literis pariter ac prudentia & armis ſummus erat. Unde non decoris minus Academiæ attulit Witebergenſi, quam illi Academia dedit, quum, Prorectore magno Melanchthone, ſupremus ejus rector foret. Idem cIↃIↃ Lxx Vexillifer erat Rolſhuſij, Haſſiæ Mareſchalli, qui equitum turmas Condæo & Collinio auxiliares duxit. Atque idem Regi Daniæ à conſilijs: inque expeditione Danica contra Suecos, poſt Ranzovij mortem, ſupremus fuit copiarum ductor. Uteriuſque hujus Dhonavij monumenta videre eſt in Daniæ regno: ubi tanta cum laude ſummas geſſerant dignitates, ut vere ijs convenerit, quod veteri verbo dici ſolet, virum poteſtate atque imperio oſtendi. Albertum adhuc impuberem, ſed nihil vulgare ſpirantem, immatura mors ſuſtulit. Ab eo proximus Abrahamus erat, qui memorabili illi prælio interfuit, quod in Gallijs ad Monconturium eſt commiſſum: atque, ut manu erat promtus, ac mente alacris, præclare admodum in eo ſe geſſit: ſed (heu vanæ ſpes mortalium!) paullo poſt maligna lue correptus diem obijt ſupremum, longeque à patria in urbe Tarraconenſi conditorium

Gaſp. En. in Hiſtor. Dan.

tam suam sortitus est. Johannes, quem ad aulicæ vitæ mores, sed cum innocentia conjunctos, ipsius quasi Naturæ digiti formarant, se illustrissimo suo Principi Holsatiæ, in cujus etiam terris extremum exhalavit spiritum, maximopere semper comprobavit, cum pietate eximia, tum prudentia rationeque vitæ mirabili ad laudem, ac prope singulari. Sophia filia, præcipuum matris delicium, nupsit Illustri Jacobo, Sacri Romani Imperij Dapifero hæreditario, & Baroni Walpurgensi, supremo Ducatus Prussiæ magistro: viro dignitate quidem maximo, sed natalium splendore longe majori. Siquidem generis originem ab antiquissimis Sueviæ Ducibus trahit, ac antiqua reservat insignia Conradini ejus, qui relictum à patre Conrado IV. Imp. Siciliæ regnum armis repetens, captus, atque impulsore Clemente IV. fœdè est interemtus. Huic inclyta adeo profapia fato, Sophia in spem generis atque virtutis parentum, liberos peperit complures: qui ex tam præclaro seminio fœcundam omnigenis virtutibus messem pollicentur. Venio nunc ad Fabianum, liberorum natu minimum, qui orbatus caris tot fratribus, superfuit denique solus: ut de eo tum non immerito usurpari potuerit, quod Regina Latij lacrymans Iulo acclamabat:

Virgil. 12. Æn. ——— *In te omnis domus inclinata recumbit.*

Quo magis, tacito quasi naturæ imperio, jubebatur avitæ domus, &

Idem. 4. Georg. ——— *generis lapsi sarcire ruinas.*

Atque ille (ut ab incunabulis ipsis ordiar)

Auson. epist. 3. *Nutricis inter lemmata,*
Lallique somniferos modos,

videbatur jam pro ætatula illa edere futuræ expectationis signa. Verum ô infelicem Fabianum! Si enim potiori loco æstimandum est bene educari, quam bene nasci, quod alterum hominem efficit duntaxat, alterum perficit: quis non generosissimi pueri doleat vicem? qui sesquiannum agens, cum vix didicisset, ut ait ille,

Virgil. Eclog. 4. ——— *risu cognoscere patrem:*

Ob Io Lii. Ob Ic Lvii. parentem amittit, atque ita præclaræ institutionis beneficio misere excidit. Ea grandis adeo jactura aucta est postea, ubi & dulcissima mater in arce Morungia decessit, cum Fabianus jam septennis foret. Nisi forte damnum hoc reparatum putemus succedanea insignium amitarum pietate, Annæ & Barbaræ, quas nemo unquam satis laudaverit: tum fideli etiam tutorum cura, ac cognatorum & propinquorum industria, qui personam patris prope singuli induentes, pupillum, arcte adeo sibi conjunctum, sylvescere neutiquam siverunt. Et magis magisque videbat ipse, quemadmodum in scena pueros ridemus cothurnatos, aliorum exuvijs ornatos, vicini agrum jactantes: ita suum non esse

Juven. Sat. 10. *alienæ incumbere famæ:*

sed

ſed potius ſibi connitendum eſſe, quo virtute propria dives pulcherque, ac majoribus non diſſimilis haberetur: cæteroquin fore,

Ut collapſa ruant ſubductis tecta columnis. *Idem.*

Facillimum ergo ſe præbuit à primis, quod Græci dicunt, unguiculis, in pietatis, virtutis, doctrinæ tyrocinio. Atque omnem de ſe expectationem ſuſtinebat approbe, imo ſubinde nova augebat induſtria, uti antea inter complexus generoſæ matris, ita tum in egregiorum tutorum oculis, ſanctoque ſororum contubernio. Jamque mediam attigerat pueritiam, cum publicam in ſcholam mittitur, quæ erat Torunij, urbe non mercatura tantum florente, ſed ob civium quoque optimorum, quorundam etiam doctrina celebrium, tum humanitatem, tum prudentiam, magnum nomen conſecuta. Illic cum Catecheſi Chriſtiana ad ſolidam pietatem etiam ſtudia imbibebat literarum. Jamque novennis aliquam ſibi Latini ſermonis facultatem comparaverat: Polonici vero ea ætatula gnarus adeo erat, ut natus in illa gente videretur. Eo ex ludo literario, honorifico ornatus teſtimonio, Regiomontum in aulam eſt arceſſitus ab Alberto Brandeburgico, primo Boruſſiæ duce: neque alio id fine, quam ut cum Alberto Friderico filio, & viginti alijs ex nobilitate pueris, inter Muſarum congreſſus adoleſceret, Ephoro morum Jacobo Suerinio Pythopœo, optimo ſtudiorum moderatore. Nec caruit hoc inſtitutum ſucceſſu felici. Tantum enim aberat, ut licentia eum aulica corrumperet (quæ alioqui ejuſmodi in locis inſidiari juventuti ſolet) ut potius ad incrementa doctrinæ adjecerit, cum civilitatis in moribus culturam, tum prudentiam annis majorem. Confirmatus in tantum, cum potuiſſet ſine ulteriori mora, vel ſagum induere, vel ſuſcipere aliquam in aula provinciam, atque in ea ætatem agere; nolebat tamen inter ſe, ſibique deſponſas Muſas, divortium fieri; quoniam, neque temere profecto, ſic in animum induxerat, equo ſe, ſtragulis frenisque aureis exornato, ſine literis ſimilem fore: quod ſcitum Socrates de divite quopiam indocto uſurpaverat. Dhonanus igitur cum Chriſtophoro Noſtitio, Friderico & Alberto Ganſcis, Pauloque Crugerio abit Argentoratum, eamque ſibi deligit nutricem bonæ mentis, Athenæum illuſtre, quodque inde ab incunabulis ſuis, ab annis nempe octoginta, & quod excurrit, à magna juventutis parte, eaque ex præcipua nobilitate variarum nationum, quam plurimis videlicet Baronibus, Comitibus, Ducibus, Principibus, hodieque frequentetur. Vix in urbe pedem poſuerat, cum de familijs totis peſtilenti ſidere afflatis, morboque late indies graſſante, cognoſcit. Ergo recipere ſe cogitur Francofurtum ad Mœnum. Verum ubi lues ea deſævierat non parum, revenit Argentoratum; ac quadriennio toto præceptores audivit doctrinæ præcellentis, nec minoris induſtriæ. Quos inter duxere familiam duo præſtantiſſimi viri, Conradus Daſypodius, Mathematicus eximius, & Joannes Sturmius, communis ea ætate literarum in Germania parens, ac præclare imprimis meritus de ſtudijs eloquentiæ. Luculentam hic eruditionis ſupellectilem ſibi peperit: qua inſtructus Witebergam migravit cum Alberto Friderico, & Wolfgango Werndorffijs. Atque hos reliqua etiam vita habuit conjunctiſſimos, ut præ cæteris durabiles ſunt amicitiæ, quas ſcholæ commilitium ſanxit. Werndorffiorum quoque ſororem unicam Barbaram Fabiani frater Achatius MDLX.

uxorem poſtea duxit. Wolfgangus vero Werndorffius, rara vir pietate & comitate, non modo fidelem, cum occaſio poſceret, patriæ navavit operam; ſed ſupremam etiam Burggraviatus in ea dignitatem cum laude obtinuit. Gliſcentibus hinc certaminibus Theologorum, quæ Jacobus Andreæ Smidlinus infeliciter cuderat, vix ibi annum exegit. Hauſit nihilominus tantum ex ore hominum celeberrimorum, quantum neceſſe haberet ſcire magna olim geſturus, vitæque, non ſcholæ, victurus. Attigerat jam annum ætatis ſecundum ultra vigeſimum; nec ingenium tantum liberaliſſimis expoliverat ſcientijs; ſed judicium quoque ad delectum rerum, ad actiones moderandas, ad tractandos homines, uſu atque experientia firmaverat. Tot invidendæ dotes ne ærugine inficerentur, uti multis evenit adoleſcentibus, quorum fructus expectatus in flore, imo in lacteſcente herba, diſperit: Dhonanus cum ijſdem Werndornjs animum ad peregrinandi ſtudium applicuit. Delecta primo omnium Italia fuit, olim terrarum alumna eadem, & parens. Placuere præ cæteris Patavinæ urbis

Georg. Fabric. in itinere Patavino.

—— triplici circumdata muro
Tecta, & Medoacum flumen, notique penates
Euganei, culti loca nobilitata Lycei.

Loca, ubi

Cæſ. Scal. in urb.

Regna vides Veneto Phrygijs majora ruinis,
Atticaque à Patavo pectore terra ſapit.

Placuit urbs illa tot Comitibus ac Ducibus inclyta, cui

Silius lib. 12.

Sirenum dedit una ſuum & memorabile nomen
Parthenope.

Placuit

Georg. Fabric. in itinere Patavino.

—— altas monſtrans Florentia turres,
Hetruſcis caput in populis, pulcherrima rerum.

Placuit Liguriæ caput, Genua, quæ intra ſeſe palatia nobiliſſima complectitur, atque adeo ad ſe pertraxit

Cæſar Scaliger in urb.

Ditis opes Aſiæ, & claros Orientis honores.

Romam quoque viſit, non amore novæ hujus, ſed reverentia in priſcam illam; cujus veſtigia licet aliquot appareant locis, verè tamen Romam in ipſa Roma quærimus; noſtroque ſeculo, ut dici ſolet,

Qui miſeranda videt veteris veſtigia Romæ,
Ille poteſt merito dicere, Roma fuit.

Ita vero cadebant ſortes Dhonani, quæ cœlitus cuivis obtingunt, ut, ſeſquianno circiter in Italia exacto, redeundum in patriam foret. Ac redijt quidem ille, quemad-

quemadmodum digreſſos ex convivio, ubi blanda Muſicorum modorum titillatio aures aliquamdiu permulſerit, haut facile harmoniæ illius oblivio ſubit: ita grave erat, annis vernantibus, carere ea regione, cujus genius arridere, ſemel viſus eſſet. Denuo igitur iter in Italiam fecit, & quos priori profectione non ceperat fructus, hos altera illa conſecutus eſt tanto uberiores ac præſtantiores. Frequens erat in alloquijs Italorum, non illis è vulgo, ſed quibus finxiſſet

——*de meliore luto præcordia Titan.* *Juvenal.*

Neque ab ijs Germanorum abhorruit, quos tum temporis eadem Italia hoſpitio ſuo accepiſſet. Præcipue autem uſus eſt contubernio vel familiaritate eorum, qui virtutem maximè amplexarentur, quoſque ab hac ipſa ad ſummos poſtea honores evectos vidit. Horum in numero fuit Melchior Rhederius, Baro Sileſius, inclytus poſtmodo tot victorijs, quas de Turcis reportavit. Utebatur etiam fraternum in modum Philippo Mornæo, Pleſſiaci Domino, arte juxta ac Marte celebrato: cujus de religione tot libros aureos immortale decus conſequetur. In delicijs quoque erat Jacobus Monavius, Patricius Uratiſlavienſis; quem totius itineris Italici comitem habuit, vir præclari nominis, ac natus plane ad amicitias frequenti literarum commercio non conſervandas modo, ſed etiam augendas. Utebatur multum in eadem Italia Michaele Sclavata, Barone Bohemo; cujus contubernio & comitatu plurimum capiebatur ob ſuaviſſimam ejus indolem, quæ familiæ huic quaſi propria eſt. Percharum quoque habebat, adibat, ſectabatur, Georgium Ludovicum Huttenium, Equitum Francorum decus & jubar; qui antiquiſſimæ familiæ dignitatem varijs maximiſque virtutibus adæquabat. Nec exiguo apud eum in pretio videre erat Wolfgangum Zundelinum, Principibus Germaniæ carum caput, virum totis tribus luſtris in Italia verſatum; qui rerum graviſſimarum momenta eâ Venere, ijs expromebat Gratijs, ut dubium relinqueret, pluſne ornamenti acceſſeret rebus à dictione ejus lectiſſima, an orationi ponderis foret à rerum gravitate. Hujus quoque contubernio uſum quandoque Dhonanum accepimus: quandoque & Baronum Lichtenſteiniorum; quos partim Moravia nunc habet, partim Auſtria. Amicos inibi colebat Philippum Sidnæum, Angliæ ſidus præfulgidum, & Hubertum Languetum, virum multiplici eruditione, ac præclara rerum cognitione, & experientia præſtantiſſimum. Extant epiſtolæ, amicitiæ hujus documenta & indices, quæ jam prodiere in vulgus, nihil minus quam vulgari elegantia exaratæ. Et mirabimur Dhonavium indies egregia cepiſſe ſapientiæ incrementa, qui ingenio ipſe plurimum polleret, & his talibus tantiſque viris, familiariſſime uteretur? Hippocratiden legimus, cum obviam forte veniret adoleſcentulo, qui propter comitem ſuum erubeſceret, caſtigaſſe cum his verbis, Cum illis ambulandum foret, quibuſcum conſpectus colorem non mutares. Nempe, præterquam quod hominum turpium convictu mores inficiantur, probrum etiam atque ignominiam inde referimus. Contra vero ſapientum bonorumque commercium honori nobis eſſe ſolet: ac familiaritas eorum haut aliter virtutem animis noſtris inſtillat, ac diutius hærentibus in tabernis unguentarijs veſtis exteriùs odore loci imbui ſolet. Nondum exſatiata Dhonano peregrinandi cupiditas erat: neque enim pauxillo potu magna fallitur ſitis. Ergo dum ſtudium

Plutarchus in Apoph. Lac.

hoc, & nobilior sanguis, circa cor fervet, per Taurinorum montes ad Gallos abit, atque Allobroges. Genevam ut venit, urbem vetustissimam juxta, ac rerum omnium uberrimam, unica ei cura fuit proficiendi amplius tum in negotio scissæ adeo misere religionis, tum in justi & æqui sapientia. Alterum percipere licebat ex V. Cl. Theodoro Beza; alterum consequebatur à Francisco Hotomanno, ex antiqua & nobili Ottomannorum familia apud Silesios oriundo, Jurisperito eximio, atque undecunque doctissimo. Poterat jam Fabianus cum quovis sui ordinis, atque ætatis, ijs etiam, qui varia sibi doctrina nomen aliquod parassent, in certamen venire de laurea eruditionis. Atque idem, non præclare modo ac graviter de rebus maximis disserebat: sed etiam animi sui sensa sermone promebat eleganti ac facundo; neque id tantum gentis suæ lingua; sed sive Italice, sive Gallice, sive Latine, verba essent facienda. Ut de Polonica sileam, quam cum vernacula, ut diximus, prima conjunxerat pueritia. Veniebat tum ei in mentem, patriam sibi non modo ortus nostri, sed vitæ universæ partem vindicare: eoque nihil turpius fore, quam si usque adeo dulcesceret peregrinatio, ut patria videretur amarior. Appropinquante itaque ætatis quarto septenario, quem censoria inter tempora accensere solent, commodum ei accidit, ut comitibus Joanne Jacobo Truchesio, Joanne Tettavio, Balthasare Gansio, Ludovico Rautero, Bernhardo Ludolpho Sculenburgio, diversa susciperet itinera, ac tandem in Germaniam rediret, statum imperij Romani paullo penitius cogniturus. Quam ad rem opportuna tum erat occasio, quia eodem tempore Ratisbonæ Maximilianus Cæsar, mitissimi animi Princeps, ultima celebrans comitia, ad cœlestem Dei Sanctorumque societatem, ipso Maximiliani die commigrarat. Interfuit Dhonanus cœtui tam splendido atque augusto; in quo non modo Rudolphum patrijs virtutibus, regnis atque imperijs succedere vidit, ac publicos actus diligenter observavit: sed privatim quoque conversatus est cum viris præstantissimis, qui omnes crescenti Fabiani ingenio famæque surgenti favebant maxime. Conciliabat sibi amicitiam Ludovici, Comitis Witgenstenij, Archipalatini Legati, pij, docti, fortis, sapientis: per quem primus ei aditus ad Palatinam aulam factus fuit. Compellabat frequenter Lazarum Zwendium, Equitem Suevum, consilio, vigilantia, fortitudine, disciplinaque militari, inclytum, Turcarum in Hungaria terrorem. Hieronymum vero Baumgartnerum, patricium Noricum, ardenti adeo amore prosequebatur, ut ægre avelli posset à viro ejus sapientiæ, tantæ auctoritatis atque eruditionis, nec in rebus modo Reip. patriæ, sed in præcipuis quoque Romani Imperij negotijs longe versatissimo. Neque minore ibidem affectu complectebatur insigne par virorum, Georgium Carlevicium, & Andream Pauli; illum in aula Cæsaris, iterque Bohemos summa ut dignitate, ita prudentia: hunc multis legationibus, Germanicis, Polonicis, Italicis, pietate, ingenio, arte, judicio clarissimum, Electori Saxoniæ charissimum. Hubertum, denique Languetum Burgundum dici non potest, quanto loco habuerit: quoniam in eo verissime, teste magno veracique viro, imo ipso seculo teste, cum pietate doctrina, cum conscientia scientia, cum natura ars, cum disciplina denique rerum usus certabat. Ab hoc viro nunquam se Dhonanus abijsse professus est, quin vel doctior, vel melior rediret. Ex his omnibus cum alia didicit Dhonanus, tum inprimis arcana Reip. pace belloque profutura. Noverat autem

Camerar. in vita Melanch. Mornæus in præfat. de verit. Relig. Christ.

jam

jam in ætate illa ſingularem artem, tota deinceps vita ab eo exercitam, qua reconditi ſapientiæ theſauri à viris præclaris, quaſi carmine ac veneficio eliciuntur. Ea cujuſmodi fuerit non defugiam referre: ſed prius veniam mihi dari poſtulo, ſi cui minus placuerit, dum id ago, virum ſummum cum mutis animantibus conferri: quod tamen non facio ſine magnis exemplis. Tarantus animal Scythicum eſt, magnitudine bovis, capite ſimile cervo, ungulis bifidis, villis magnitudine urſi, atque ubi ſui eſt coloris, aſini ſimile, cæterum, ut aiunt, omnium arborum, fruticum, florum locorumque, in quibus latitat, colorem pilis repræſentans: unde capi facile, aut internoſci à venatoribus nequit. Dhonanus tarantum nobis, ſed laudabili inſtituto, imitabatur. Etſi enim tot excellentia ingenij dona facile cum cordatiori cuilibet commendarent: tamen aliunde etiam præſidium quærens, ſumma ſe animi ſolertia accommodabat præſtantiſſimi cujuſque moribus: imo ſuavi quadam comitate & modeſtia, velut virtutis condimento, tanto ſe gratiorem omnibus reddebat; quanto ſinguli eorum, quos coleret, genium illius ſuo ſimiliorem putarent. Hoc nempe eſt philtrum, hoc faſcinum; ſed liberale, ſed honeſtatis plenum: cui etiam graviſſimus quiſque longe melius, quam ad leves amores, aptare poſſit illud Poetæ.

Ariſtot. περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων.

Theophraſtus in fragmento de iis, quæ colorem mutant.

Plin. lib. 8. c. 34.

——*ut ameris amabilis eſto.*

Ovid. lib. 2. de arte amandi.

Ac poſtea quoque Fabianus maximum ex artificio hoc fructum cepit, cum in aula Cæſaris verſaretur. Quippe hanc quoque (ut incredibili tenebatur amore arcana quæque imperiorum penetrandi,) non adeundam modo, ſed pernoſcendam ſibi judicavit. Iter huc ſecundo Danubio inſtituit cum Johanne Brexnerio, Hulderico Ronſpergio, & Joanne Kreckwicio. Viennam cum veniſſet, nihil ſibi prius vel antiquius duxit, quam ut penitus perſpiceret prima Rudolphi Cæſaris auſpicia. Quod ut facilius conſequeretur, diem elabi nullum patiebatur, quin adiret & audiret præſtantiſſimos graviſſimi Cæſaris Conſiliarios ac Palatinos. Ex eorum numero etſi familiaris eſſet præclaro heroi, Wolfgango ab Entzendorff, illuſtri item Rogendorffio, & Puchainijs non unis: facile tamen principem locum tenebat Baro Harrachius: qui, ſupra quam dici poteſt, auctoritate ſapientiaque ijs temporibus florebat. Quod ſi Suada hujus tam fuiſſet efficax, quam laborioſa, ac ſollicita: citra dubium Dhonanus tunc magnificis ornatus donis palatia Otthomannica petijſſet ad inducias cum Turcarum Imperatore recens initas novi Cæſaris Rodolphi Auguſti nomine ſanciendas. Sed quantopere eum accendebat cupiditas gratificandi Cæſari, & nihil pene ignorandi ardor: tantum ex adverſo deterrebat, partim acciſa res domeſtica, & magnitudo ſumtuum in tam longo itinere, atque ea pompa apud populum barbarum, ac tam inſolentis faſtus: partim occultus quidam ingenij ſtimulus, qui ſemper incitabat, ut ne tam externo inter infideles ſolo, quam in patria, atque inter Chriſtianos, egregias animi ſui dotes, tanquam in mercatu ampliſſimo explicaret. Nec multo poſt præclari hujus voti ſui factus eſt compos, libatis quaſi primitijs in Palatinatu: ubi, Langueto imprimis auctore ſuaſoreque, in familiam ſe dedit ſapientiſſimi, & ad religionem pietatemque fortiter tuendam devotiſſimi Principis, Joannis Caſimiri, Comitis Palatini, Bavariæ Ducis. Nec diffitebor, ſtipendium percepiſſe non uſque adeo lautum: attamen ejuſmodi id erat, ut ſufficeret homini æquo, ac præſenti ſorte contento. Habuit hic Fabianus,

ſi

si usquam, amplissimam palæstram exserendi mirandas ingenij vires. Nam hisce temporibus, ita postulante tristissimo Ecclesiæ statu, instituerat Casimirus geminam profectionem; priorem in Belgicam, auxilij gratia, eodem anno, quo ab Archiduce Matthia Batavorum atque aliorum fœderatæ Belgicæ populorum patrocinium est susceptum: posteriorem anno sequenti in Angliam, ad reginam Elizabetham, quo de communi religionis caussa consilium caperetur. Utrobique Dhonanus quantum prudentia valeret, luculente comprobavit. Patrono enim suo, cui assidue latus claudebat, nusquam non felicem allucebat consilij facem, vere

Archipalatini magnus Atlantis Atlas:

Pamil. Melliss. in Epigram.

ut suavissimus olim Melissus de illo cecinit. Atque idem nihilominus cum Musis Martem, cum Pallade Bellonaque Gratias ipsas rara mixtura temperabat. Multa tum observabat novus consiliarius, quæ si recensere voluisset (ita ipse aiebat, qui nihil minus, quam glorioculus sui jactator erat) commentarijs fuisset opus: quippe talia omnino, ut eorum, qui res illorum temporum consignassent, aut prodita, aut cognita essent nemini. Eveniebat tunc, quod fieri aiunt, tum in pyrite gemma, quæ attritu ignem projectat: tum in aromatibus, quæ frictu odoriferum & suavissimum odorem diffundunt. Similiter enim è Dhonano res herois sui tractante, & ignea ingenij vis facile relucebat: & fragrantissimæ virtutis indicia undique se exercebant. Tanta ejus erat, & in suscipiendis negotijs dexteritas, & in tractandis fides, & in perficiendis felicitas. Vitio quidem fatui seculi fit, ut nullum pene magnum ingenium pretio suo æstimetur. Dhonanum tamen maximi semper Casimirus fecit: imo, ne indotata abiret virtus, aulæ eum suæ Marescballum constituit: oratorem præterea legavit ad præcipuos Romani imperij proceres. Ille vero, ut amore facile omnes sibi devinxit, ita dignam quoque se, suoque principe, gloriam est consecutus. Temporibus hisce in vicino Borussiæ, patriæ suæ, solo, bellum obortum est Moscoviticum: cum Stephanus Bathorius, Poloniæ Rex fortissimus, Wielocolucam, urbem amplissimam & emporium celeberrimum, atque omnem circumjacentem ditionem, ademisset Magno Duci, Joanni Basilidi. Exsilimabat tum Dhonanus (ut mentes generosæ intentæ esse solent ad rerum magnarum occasiones) in campo illo Martio sibi etiam relictam esse virtutis suæ segetem, unde non aspernanda gloriæ messis colligi posset. Quare non cessavit, usque dum, occasione captata, ab illustrissimo Principe suo Casimiro, veniam militatum eundi adversus Moscovitas exoraret, vicissim tamen stipulante ab eo Principe, ut simulac locis istis debellatum esset, in Palatinatum reverteretur. Abit igitur cum bono Deo Viali. Stephano operam sane quam strenuam navat in expeditione Polocensi & Pitschuriana, commilitio usus, perinde atque olim contubernio, egregij Baronum paris, Rhederij, & Ketlerij. In obsidione vero Plescoviæ, urbis in Russia amplissimæ, variarum gentium commercijs florentissimæ, ita se suumque pectus dura inter pericula crebro opposuit hosti, jam ictu lapidis percussus, jam inter tela & incursantium arma hostium medius, ut, absque singulari Dei præsidio fuisset, sæpius nulla fuerit ratio, aut via, præsentanea mortis pericula evitandi. Sed ut à veteri Poeta Furio dictum fuit,

Hister. Veiatensteinii Polon. & Mosc.

Anno MDlxxxi.

——*Virescit*

—— Vireſcit vulnere virtus.

Propter hæc gratiam inſignem à Rege auguſtiſſimo reportavit. Nam & magnopere laudatus ab illo, & in potiſſima deinceps nobilitatis parte habitus eſt. Quod ſi poſt ſummi Regis judicium, & aliorum commendatio requiritur: ut nihil dicam de Heidenſteini libro publicitus exſtante, etiam præclare laudari meruit ore viri Illuſtriſſimi, Joannis Semoſcij: quo neſcio ullumne majoris ſapientiæ, eloquentiæ, & fortitudinis, cœlum Sarmaticum dederit. Quare optimo jure ſibi gratulabatur Fabianus, quod tam commoda occaſione, conciliaſſet ſibi amicitiam tanti viri. Tandem pace inter Stephanum & Moſcum ſancita arbitrio Antonij Poſſevini, Legati Pontificij, redit in Palatinatum Dhonanus, lætus etiam hoc nomine, quod priuſquam reverteretur, in caſtris, ſe præſente, mandato Regio religionis libertas toti futura Poloniæ promulgaretur. Redux autem eo ſereniori vultu exceptus eſt à Principe ſuo Caſimiro, quo ille propinquiori tum bello implicaretur. Poſtquam enim Gebhardus Truchſeſius, Archiepiſcopus Colonienſis & Septemvir, uxorem duxiſſet Hagnen Manſfeldiam; ac ſubditis quoque ſuis liberum religionis exercitium permiſiſſet: utrumque hoc viſum eſt & Cæſari, & Pontifici Romano, non Capitolino tantum fulmine, ſed armis quoque vindicandum. Caſimirus igitur Evangelicæ veritatis imperterritus defenſor, Truchſeſium contra milites Papales atque Iberos auxiliari exercitu defendendum ſibi putavit. Quod bellum priuſquam impetuoſius exardeſceret, Burggravius Dhonanus primo quidem legatus abijt ad Cæſarem, Saxonem, Brandeburgicum, Anhaltinos Principes, periclitaturus, an pacifice negotium omne tranſigi poſſet. Qua ſpe fruſtratus, provinciam ſuperioris Mareſchalli eodem bello ſuſcepit, majori etiam accedente laudis ſeſtimatione, depoſuit denique, cum militem exauctoratum, Caſimiri loco in Palatinatum poſt fratris obitum revocati, honorifice demiſiſſet. Quanquam Dhonanus haud ſemel deploravit, quod tota illa cauſſa, neque prudenter per nonnullos acta ſit, neque pie ſatis, paucis adeo exſtantibus ſignis zeli atque timoris divini, unde favor cœleſtis exſpectari potuiſſet. Obſervatum etiam à viro principe, memoriæque proditum eſt, cum imperij proceres Evangelici de juvanda Archiepiſcopi cauſſa conſultaſſent, Saxonem Auguſtum, & Joannem Georgium Brandeburgicum, Septemviros, & una cum ijs procerum alios convenifſe: clabi tum diem unum, alterum; accudi inde alium, iterumque alium, nec effici tantillum. Tandem ex conclavi mœſtum exijſſe venerandum ſenem, Joannem Georgium, genas lacrymis irrigantem. Rogatum, quid tantam animo ægritudinem afferret, cauſſam hanc attuliſſe, quod videret Auguſtum, atque alios, hac una de cauſſa auxilia Gebhardo denegare, quia non Auguſtanam ac Lutheranorum, ſed Reformatorum de controverſis religionis capitibus ſententiam amplecteretur. Sed triſtem illius temporum memoriam refrico pene invitus. Ad Dhonanum redeo: quem deinceps honos undique alius atque alius excipiebat, etſi eum non adfectaret. Nempe is more crocodili non niſi fugientem ſequitur. Tanto autem plus oneris in ſe recipiebat Dhonanus, quanto majori gloria efflorefceret. Veniebat in mentem duorum Impp. Pertinacis & Severi, quorum hic tribuno aſſignarat ſymbolum, *Laboremus*: ille ad imperium adſcitus, *Aliliteremus*

Plutarch.

Ælius Spart. in Severo.

mus dari jusserat. Utrumque Dhonanus conjunxerat, ut dubium fiat, bellone, an pace, plus laboris exantlaverit. Impiger erat ad quævis: ille meditari ea atque exequi. quibus in Palatinatu constitueretur Ecclesiastica disciplina: ille laborare de exigendo fidelitatis juramento à populo: ille dies noctesque cogitare de cæteris, quæ nova Casimiri administratio requirebat: in quibus omnibus ita versabatur, ut salutem Reipubl. supremam sibi legem esse, abunde comprobaret. Nimirum videbat, quemadmodum gubernatori cursus secundus, medico bona valetudo, Imperatori victoria semper proposita est: ita principi cordato ob oculos usque esse debere beatam civium vitam: omniaque ejus consilia eo esse dirigenda, ut Respubl. sit opibus firma, copijs locuples, gloria ampla, & quod familiam ducit, virtute honesta, religioneque sancta. Atque in hæc iccirco potissimum incubuit pius princeps. Cæterum nobile hoc ac sanctum Casimiri studium in medio quasi curriculo sufflaminare multi conabantur. Neque id tam aperta vi, quam maledicentiæ, calumniæque spiculis: quibus subditos clanculum erga optimum Principem concitabant. Ille vero, cum Dei populique amantissimus foret, obtrectatores istos suis permittebat furijs ulciscendos: ut in quos redire solcant verborum aculei, perinde atque telum, ubi in parietem densum ac solidum impegerit. Pergebat ergo in propaganda cœlesti veritate, de qua plane in animo persuasus erat. Ac ne frigidius opus Domini curaretur, multum accendebatur exemplis Moysis & Davidis, & Josaphati, & Ezechiæ, & Joliæ: quibus nihil æque cordi fuit, quam ut Dei Opt. Max. causam bona fide tutarentur, atque idola, & quicquid falsorum Deorum cultui inserviret, radicitus evellerent. Nec fraudari tamen laude sua debent, qui præclarum Principem in tantis negotijs consilio atque opera assidue adjutarent. Qualis erat Petrus Beutrichius Montisbeliardensis, magnanimus militum ductor, jam diu ad sedes beatorum relatus. Abrahamus item Colbingerus, qui adhuc in vivis est; imo victurus est semper pietate, doctrina, beneficijs, quæ totis xxx. annis, & quod excurrit, in Palatinatum contulit. Familiam vero inter consiliarios ducebat Dhonanus: cujus & colloquijs frequenter Casimirus, & subacto judicio recreatus plurimum fuit. Atque hæc sancta Dhonani opera ita nota erat omnibus, ut propterea à Daniele Tossano, præstanti Theologo, & alijs in vinea Domini sedulo operantibus, Ecclesiæ ac totius Reipubl. decus appellaretur. Neque hæc verba viris illis in ore solum natabant: sed eadem, quotics occasio foret, literis consignare non verebantur: uti αὐτόγραφα indicia sunt, quæ in Dhonana supersunt Bibliotheca. Talibus viris in consilijs capiendis Casimirus utebatur. Principem vere beatum, qui licet per se sapiat, suæ tamen non præfidit opinioni; verum cogitat id, quod res est, tantam ingenij vim esse nemini, ut possit cuncta complecti: eoque res tantas, quantas ille jamdiu animo concepisset, magnis adminiculis indigere. Quam tumida enim dixerim, an stulta (utrumque vere dixerim) Xerxis est oratio, qui Græciæ bellum inducturus, adhibitis Asiæ Principibus: *Ne viderer*, inquit, *meo tantummodo usus consilio, vos contraxi: Verum mementote, parendum vobis potius, quam suadendum esse.* Quorsum hæc ejus evasit arrogantia? Nimirum idem ille postmodo amissis prope undecies centenis hominum millibus, solus, omni etiam servorum ministerio carens, cymba piscatoria saluti suæ consulere est coactus. Quanto fuit modestior, addo & felicior, M. Antonius Pius Imperator? qui nihil vel in civilibus

Tacit. lib. 3. c. 12. Annal.

Herod. lib. 7. Valer. lib. 9. cap. 5. Justin. lib. 2.

Idem Justinus & Trebellius Pollio in vita Claudij.

egit,

egit, vel ad rem militarem pertinentibus, de quo non prius cum Scævola, Voluſio, Metiano, Ulpiano, Marcello, alijs ſummis viris contuliſſet? Quam ob cauſam à quopiam opinatore reprehenſus, quod nimio plus tribueret familiarium conſilijs: *Quanto*, inquit, *æquius eſt, me tot ac talium amicorum attendere conſilia, quam ut tot taleſque amici, meam unius ſententiam, voluntatemque ſequantur!* Ne ultra à Dhonano abeam, ille Caſimiro in oculis, in animo, in ore ſemper erat, eo cumprimis tempore, quo in Gallia Mars intonabat undique, ac Guiſianus furor ferrum & ignem adverſus Evangelicos ſpirans, etiam ſacratiſſimo Regis capiti inſidias ſtruere non exhorreſceret. Hæc rerum facies impellebat Henricum Navarræum, ut ope operaque præſtantium aliquot virorum, atque inter eos, Harlæi Monglaſſij, ac Jacobi imprimis Pardiliani, Dynaſtæ Segurini, auxilia poſceret à Friderico, Daniæ Rege; item Chriſtiano Saxone, & Joanne Georgio Brandeburgico, Electoribus: quod in conventu factum Lunæburgenſi. Nec eo contentus, Caſimirum quoque, & Germaniæ Principes alios, ſuis quemque terris ſollicitabat. Neque irritæ hæ Regis Legationes fuere. Quin tanto lætiori cum lubentia auxilia ei decernebantur: quanto in deliberationibus illis magis magiſque perſpicere erat, cauſſam Navarreni regis divino eſſe humanoque jure ſubnixam: communemque Eccleſiæ cauſſam communibus etiam conſilijs, ſtudijs, atque armis, debere vindicari. Colliguntur igitur, abjecta omni cunctatione, octo millia Germanorum equitum: peditum ex ijſdem, & vicinis fœderatis Evangelicis, xx. millia. Jamque omnium cogitationes in unum hoc intentæ erant, quem maximo & fortiſſimo exercitui præfici oporteret. Satis conſtabat, exigi aliquem, qui & arma tractare, & armorum jura didiciſſet; qualem Alphonſus Arrago requirebat: quique non ſolum præſentia intueretur, ſed præterita etiam meminiſſet, futuraque proſpiceret, videlicet à tergo juxta, ac à fronte oculos geſtans: qui denique non deeſſet fortunæ prębenti ſe, ſed oblato caſu ad conſilium eam flecteret. Illuſtres adeo animi dotes clare relucebant in Fabiano Dhonano: quem iccirco Caſimirus, ut princeps optimus, ita judex ingeniorum longe ſagaciſſimus, toti huic exercitui ſummo cum imperio præeſſe juſſit. Provincia hæc erat ſane per ſe ampliſſima, cum tot hominum millia ab unius judicio ſtarent aut caderent: Dhonano vero eo illuſtrior, quod Robertus Boullionij Dux, & Martianus Comes frater, quos ſupremos exercitus ſui Imperatores Navarrenus dixerat, virtutem & fortitudinem Dhonani in rebus bene gerendis ſummo ſibi prætidio eſſe non animo modo agnoſcerent, ſed verbis factiſque teſtarentur. Hic mihi inaudire videor non paucos, qui ut gloriæ Dhonanæ frigidam ſuffundant, hanc ejus expeditionem vituperent, Baronemque legiones reddere jubeant. Nimirum cantharides, vel tritico maxime kęto, vel roſis fragrantiſſimis inſident, non mellificij gratia, quod apiculæ factitant; ſed ut malignum exſugant ſuccum, quo ſe nutriant, alios kędant. Eodem modo homines lividi floreniſſimo loco poſitos maxime petunt:

Metteran. lib. 5.

Thuanus hiſt. lib. 87.

Panegyr. in dict. & fact.

Libellus Gallicus. Plin. lib. 11. c. 35.

Juvenal. lib. 3.

—— ante oculos illum eſſe potentem,
Illum adſpectari, claro qui incedit honore:
Ipſi ſe in tenebris volvi cœnoque queruntur.

Nec propterea inficias iero, haudquaquam eadem proſperitate conſilia in hoc

 bello

bello succeſſiſſe Dhonano, qua ille prudentia omnia ad ſtateram rectæ rationis expenderat: vel quavis etiam fide ac magnanimitate rem gerebat. Verum enimvero nihil illud decerpit de ſumma vel auctoritate ejus, vel fortitudine: ne illud quidem, quod ad Vimorium obſcura nocte pugna utrinque haut incruenta cum Meduanio, Guiſij fratre, congrediens ferro ab eo eſt fauciatus. Neque enim in milite vulnera, aut cicatrices, dum modo parte appareant antica, pro corporis dehoneſtamentis duci debent: ſed potius pro nutis, at illuſtribus ſignis animi generoſi, nullaque vel præſentanea pericula atque adeo nec mortem ipſam pro bono publico extimeſcentis. Quanquam Dhonanum quidem multis nominibus Meduanio fortiorem liceat æſtimare: quoniam noſter ille ne galeatus quidem pugnam capeſſebat; hic capite undique munitus probe: ille ſelopetæ minoris ictum in galeæ ima buccula Meduanio inflixit, ac tantum non cum humi proſtravit; hic ita enſe Dhonanum petivit, ut tantummodo frontis cutem ſtrinxerit. Quod ipſum non abſque magno certiſſimeque omine crediderim contigiſſe. Qua enim nocte, credo etiam, quo temporis puncto, Duces ambo infeſtis armis concurrerunt, effigies Fabiani in arce Morungiana, quæ illi apud Lentuſſos gentilitia erat, operi inteſtino affixa eodem frontis loco dehiſcebat, quo leviter ille vulnerabatur, quaſi vulnus domini tanta loci intercapedine diſſiti manifeſta rima indicatum iret. Equidem haut inter ariolos nomen profiteor meum: neque auſpiciorum vanitatem ex Tagetis diſciplina repetere viſum: attamen probe intelligo ac ſcio, etiam in rebus inanimis Deum exſerere quandoque ſigna ſua, quibus vel de præſentibus homines, vel futuris, modo attendere non refugiant, reddat certiores. Verum erunt fortaſſe nonnulli adeo virulenti pectoris, ut cordatiſſimum virum propterea obſcæna non ceſſent lingua traducere, quod in tumultuaria pugna, hoſtibus haud incruenta, vigilia Beati Martini ad Almetum bis mille homines, lixis ipſis, & calonibus annumeratis, amiſerit. Quaſi, pro minus longe alium hæc eventum ſortirentur, per Dhonanum ſteterit, qui protecto unum ſervare civem, quam mille hoſtes perdere maluiſſet. Cujus vero tantus eſt ſtupor, cujus animus adeo brutus vel hoſpes in rebus humanis, ut neſciat, incertam eſſe Martis aleam, fortunam ancipitem? Aderant Dhonano omnia, quæ virtus ipſa ab duce ſapienti ac ſtrenuo poſtularet: ſumma in eo fides, invictum animi robur. Aliter ſi eſſet, non adeo multi fortitudinem Dhonani in hac ipſa expeditione Gallica prædicarent. Eoſque inter Hottomannus in ſuis ad Catinirum literis, vir omnium eorum, quæ ijs temporibus contigere in Gallijs, ſcientiſſimus. Quare nobis ſatis eſt, quod boni Ducis munia impleverit Dhonanus. Succeſſum vero ubique felicem præſtare, vel etiam polliceri, id vero longiſſime exuperat ſortem mortalium. Nec enim Duces bellici Deum habent ſponſorem vitæ omnium eorum, qui pugnam committent: quemadmodum nec imperium capeſſituri verbis jurant conceptis, fore, ut hoſtes univerſos ad internecionem cædant, de ſuis amittant neminem. Quin contra, ut Spurius Servilius, graviter differit, magna facinora magna comitantur pericula. Quamobrem ſi cœlum terræ, divina humanis miſcere nolumus, illud profecto fateamur neceſſe eſt, quod bella recipiunt in utramque partem momenta repentina viceſque alternas. Quod ideo heri putamus, quoniam hæc omnium maxime à divina quadam & ſuperna neceſſitate pendent. Atque ut à cœleſtibus paulum oculos avertamus, in que ea ſolum intueamur, quæ ſunt ante pedes: ſane ſic quoque

Thuanus lib. 27.

Ibidem.

Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 9.

Agath. lib. 3.

que à Dhonano repellere tela, quæ contra eum intorquent, facillimum eſt. Nam quis eſt tam cœcus, ut non videat, aut quis exigui adeo pudoris, ut negare audeat, fruſtra eſſe omnem Imperatoris operam, nihil ejus conſilium valere, nihil fidem, prudentiamque, ſiquando illi, quos rerum gerendarum ex officio & conſcios penes ſe habet & ſocios, effractis verecundiæ repagulis perfidi hunt, ac hoſti, quæ tacenda erant, ſceleroſa malitia patefaciunt? Talem in ſina ſerpentem toviſſe creditur Dhonanus. Præcipue autem culpari ſolet pararius atque interpres ejus Michael Hugueerius: etſi nec deſint, qui crimine eum liberarint, coſque inter Dux ipſe copiarum Caſtilionæus magni Caſparis Caſtilionæi nlius. Nec Dhonanus de eo inclementer loqui ſolet. Verum longe alia aliorum mens: qui à Carolo Lotharingiæ Duce, corruptum prædicabant: ut auctor eſt illuſtris atque incomparabilis ſeculo noſtro hiſtoricus: qui & Hugueerium hunc olim ſe puero pædagogicam feciſſe ait, hominemque præfractæ vocat impudentiæ. Quæ ſane ſi ita ſunt, ut vulgo magnis auctoribus terebatur, quid abditi adeo atque occulti conſilij capere poterat Dhonanus, quod non hoſti continuo fieret palam? Vitione autem id vertetur innocenti duci, ſi aſinus auro bene onuſtus, quo fortiſſimæ etiam arces occupantur, ita ſtrabones fecerit Imperatoris adſeclas, aut conſiliarios, ut collabefactatis animis, omnis ijs pereat fides? Atqui ille, quem aiebam, Hugueerius inter tales creditur tenuiſſe primas. Quid præterea de Scolario dicam? qui Alnetenſem quandam arcem à Buchagij Comite obtinebat. Hic Dhonano data fide receperat, nihil ſe hoſtile contra Germanos milites facturum. At poſt habitum cum Guiſio colloquium, magna ab eo pecuniæ vi pervictus, liberum per arcem ingreſſum hoſtibus permiſit: atque ita ſubleſta fide latiſſimam aperuit portam, unde ſtrages iſta Martiniana ingenti Ducis dolore edita fuit. Imprimis autem, quod Dhonanus ipſe dictitabat, fons caputque omnium malorum erant diſſentientes animi non paucorum, qui vel ſub imperio Dhonani militarent, vel ſua cum illo arma conjungere debuerant: cum quorum pervicacia conflictandum ei non minus, quam cum hoſte fuit. Quo in loco quoties ſe conſtitutum videt Imperator, utcumque difficile putetur canes ad venandum ducere invitos, longe tamen difficilius eſt ad præliandum immorigeros cogere milites. Sed quid multis opus? cum Dhonani innocentia ſatis cognoſcatur ex ipſa rerum geſtarum ſerie, quam ut copioſe, ita ſapienter, vir ſummus Thuanus expoſuit. Qui & clariſſimis verbis, non Dhonani, ſed aliena tum culpa eſſe peccatum, diſertim affirmat. Atque idem alijs etiam indicijs cognoſcimus. Illo imprimis, quod Henricus Navarræus de Fabiano non fuerit conqueſtus; ſed honorifice ſemper judicium tulerit, ac Alnetenſem cladem, pene cuivis potius, quam Dhonano imputarit. Quin idem ſapientiſſimus rex, poſtea etiam literis & graviſſime & amiciſſime perſcriptis, abunde teſtatus fuit, nihil ſibi Dhonana virtute amabilius, nihil meritis ejus eſſe jucundius acceptiuſque. Cumque idem militi Germano ſtipendia perſolveret, Fabianum, ſupra quam dicere poſſum, honeſte ac liberaliter habuit imo uſque adeo locupletavit, ut facultates ille ſuas Henrico poſſimum acceptas ferens, poculis aliquot argenteis, titulum hunc, *Deo & Regi Gallie*, velut perenne Gratiæ monumentum, inſculpi curavit. Neque Rex tantus haſce amoris ſui faces in occulto tulit. Quin in conſpectu omnium elucere eas voluit, etiam biennio ante, quam parricidiali infandi hominis ſcelere, tanto bonorum omnium dolore, tollere-

Thuan. lib. 87. hiſt.

Thuan. lib. 27.

Thuan. lib. 87. Hiſtor. ſui temp. l. 1.

Anno MDCviii. leretur. Siquidem in Meausia ad mensam stipatus virorum Principum corona, simulatque Christophorum Dhonæum, Fabiani fratris filium, conspicatus fuit; proximioribus recedere jussis, manu eum humanissime apprehendit, continuo patruum illius laudibus evexit, posteaque ad Meduanium in horto sermonem convertens, Hem tibi, ait, nepotem Baronis Dhonani, qui patri tuo frontem obvertere masculam Vimorrina in pugna ausus erat. Nimirum ipse Meduanius, quod inter parentalia extare publicitus voluere ejus posteri, non aliunde perennem se gloriam æque percepturum putavit, quam quod cum Barone Dhonano, supremo militiæ Duce, de vita sibi dimicare contigisset. Quadriennio etiam post expeditionem priorem, cum ex Germanis auxiliaribus Christianus, Anhaltinus Princeps florentissimus, florentissimum exercitum, qui octo millibus equitum, peditum sex millibus constaret, in Galliam contra Hispanos, & factiosos deduceret Gallos, idem tum sibi Dhonanum cataphractorum adscivit ducem: imo honores, quos olim fuerat consecutus, etiam ampliavit. Gravis erat Casimiro hic Fabiani discessus. Una esse amantes volunt. Itaque cum proxime diribitorio, mense Augusto, mutuo sibi valedicerent: alter cum lacrymis verba utcumque faciebat, uberiori alter fletu sermonem findebat. Postquam in Gallias venerat Dhonanus, humanissime ab Henrico Rege ad consilia vocabatur, solus nonnunquam, sæpius cum Principe Anhaltino, Hohenloio, Buchioque. Nec minus crebro cum amice Rex compellabat, quam obvium videret: ex quo facile persensit, & quanti à tanto fieret Rege, & quantopere ab eo amaretur. Quæ & ipsa arguunt, nihil in Alnetensi pugna à Dhonano secius fuisse actum, quam oporteret. Peccatum fuisse quis neget? Sed nihil iniquius, quam ut, quod dici solet, Æmilius peccet, plectatur Rutilius. Omnis enim aliena isthæc culpa erat, quemadmodum ante præeunte Thuano diximus. Sed ipsum potius audiamus: *Mille equites*, ait, *conducebantur à Fabiano Dhonavio Regulo, qui auxiliaris exercitus ante quinquennium adducti Imperator fuerat: neque infra se putabat Tribunus per se emendare, quod summus belli Dux aliena culpa peccaverat.* Sensit tum etiam Dhonanus coram, quam gratus foret magnanimo illi Bironio, quam amicus Duci Bovillionæo, generosissimo heroi. Familiariter quoque utebatur Castilionæo, magni Colignij Admiralij magno filio: qui & ipse olim literis ad Casimirum datis testatus erat, Dhonanum tota expeditione sua fecisse officium prudentissimi fortissimique ducis. Profecto si verum amamus, perpetuus ille tantorum heroum affectus, ac judicium præclarum, clare ostendunt, quid de malevolis quibusdam sit judicandum. Nimirum ita reputo, rem ipsam pro Dhonano loqui, ac evanescere nebulas obtrectatorum, quoties nos ad hunc veritatis solem convertimus. Proclive admodum est reprehendere, ac quasi cornibus incursare in facinora militaria; quæ cum præ aliis omnibus omnem pene in partem trahi possint, facile in argumentum rapiuntur sequioris famæ. Verum enimvero, si res pensetur re, ratio cum ratione decertet, si adfectus ponatur judicij corruptor: non difficulter Veritas, quæ Saturni Temporisque filia perhibetur, in apertum proferri solet. Ut in hujusmodi etiam rebus Poetæ illud habeat locum:

Quis

——*Quis enim celaverit ignem,*
Lumine qui semper proditur ipse suo?

Ovid. Epist. Pandidis ad Hel.

Gallus igitur ille, qui nomen dissimulans, (etsi ne sic quidem ignoretur) existimationi Dhonani palam insidias struit, viri sane egregij nomen poterat obtinere, nisi alienis insultare laudibus maluisset: nunc cum dente Theonino famam tanti viri arrodit, sane ex hoc mustaceo nec ipse, nec ijs moribus quisquam, aliud quam vilem admodum bonisque indignam laurcolam referet. Quæ enim hæc perversa indoles? quis genius malus? cum, quicum coram, atque aperta fronte congredi non ausis, sparsis à tergo probris contaminare velle? Nempe tales animali bonaso similes videntur: quod cum cornibus inutiliter implexis lædere non possit, timum fugiens reddit, cujus contactus insequentes, ut ignis aliquis, comburere solet. *Plin. lib. 8. cap. 15.* Nec impune tulit obtrectator, quem Fabianus emissa in publicum apologia, atque id tum Germanico, tum Latino sermone, abunde confutavit. Simul enim, & ad edendum nomen scriptorem cum provocavit, & famæ suæ decus adversus illum præstitit illæsum. Quare inter elogia Dhonani hoc sane esto, quod, incassum fremente invidia, magni à maximo quoque fiat. Imo si Fabius olim, qui bello Punico II. restituisse rem Romanis creditus est, Maximi cognomen jure optimo retulit: non minori jure Fabianus nosser, quem non una in re Maximo illo majorem res esse docet, vel Maximus, vel Magnus, ob tot inclytas laudes dici meretur. Atque hoc magis parebit, si cæteram etiam historiam ejus persequamur. Nam cœpit tandem Dhonanus vitæ reliquæ rationes ad pacem referre: idque imprimis in Curia, atque Sanctiori Areopago Casimiri: à quo Principe, dum vita mansit, segregari non potuit, heliotropij similis, quod solem suum sequitur. Illo autem fatis jam functo, ne sic quidem Palatinatu, altera quippe patria, discedendum putavit: sed Friderico IV. Electori Serenissimo, operas item suas pari fide, nec dispari dicavit industria. Quanto autem & tum fuerit loco, primum illud argumento erit, quod in supremo Senatu fuerit primus, qui consilium diceret. Tum illud sane magnum, quod quoties Serenissimus Septemvir Heidelberga abesset, Fabianus Legati & Proelectoris munere fungi soleat: quemadmodum & antea, imperante Casimiro, factum erat: præsertim cum ad Christianum, Saxoniæ Electorem, abijsset. At quanta ille tum documenta præclari dedit consiliarij: Sane apertissime ostendit, se non Principis tantum, sed principatus quoque amicum esse. Atque idem in Comitijs Imperij Ratisbonæ ter princeps legationis Archipalatinæ, Electoris locum magna cum auctoritate sustinuit. Præterea ejus nomine, solemni ritu summa cum dignitate feudum Electorale de manu accepit Rudolphi Cæsaris Augusti. Prudentissime etiam consuluit de pecunijs in usum bellicum parandis, deque ratione tota, ac via, qua quam diutissime ac felicissime bellum inferri Turcis posset. *Annal. Lazii.* Obviam præterea ivit pernicioso eorum machinationi, qui cum aliud agere videri vellent, dolose interea tendiculas ponerent Evangelicis. Egregijs hisce Fabiani virtutibus impulsus Fridericus, non modo eum amore prosequebatur incredibili: sed dignum quoque æstimavit, qui filium suum Ludovicum Philippum Christiano ritu ex sacro levaret fonte: quo honore quoque ipsum Casimirus adfecerat, cum in baptismo,

Dorothea

Dorotheæ, filiæ suæ unicæ, sanctæ hujusce initiationis arbitrum ac testem advocaret. Nempe uterque illustrissimus Princeps, cum liberos suos Ecclesiæ Dei inseri vellet, non nisi probæ notæ sponsorem, ac sub Christi vexillo in ijsdem secum castris militantem, adsciscendum sibi putavit. Ad ista accedit, quod vel maxime ab eo nobile illud, ac necessarium consilium promanarit, atque in exsequendo etiam potissime propemodum ejus partes fuerint, quando una cum Christiano Anhaltino, Pro-principe Palatinatus Superioris, & Joanne Nassovio, ac Ottone Solmensi, ratio inita est tuendi adversus hostes Palatinatum universum, decretumque propterea factum fuit, ut subditi omnes ita in pace assuescerent tractare arma, ut ne demum, cum bello omnia arderent, ejus gerendi modum discere cogerentur. Faces hanc ad rem subjiciebat metus non obscurus ab Admiralio Aragoniæ, qui cum Hispanico exercitu, gentilitia dominandi libidine, in vicinam irruisset Westphaliam, nihil non impotens, crudele, dirum, ijs in terris perpetrabat. Brevi vero temporis spatio tantum Dhonanus bellicis hisce exercitijs profecit, ut deinceps, quot in Palatinatu rusticos conspiceres, milites totidem obduci hostibus possent. Et tamen cum hoc negotium primum susciperet, multum aulicorum dicterijs vapulabat: prout fieri amat in rebus novis, præsertim si consilia vel maxime conducibilia, ab homine extero sint profecta, longe etiam magis, si eadem cum incommodo aliquo fuerint conjuncta. Raros enim è vulgo reperias, qui æquo ferant animo, quod vel sumtus, vel labores, pro salute publica sufferre cogantur. Videlicet capitale est Reipubl. malum, Mei Tui, pertinax studium. Neque in laboribus solum talis erat Dhonanus: sed in laxamento etiam duxit, quod amares. Quippe siquando à negotijs publicis remittere animum liceret; non ignobili marcescebat otio, non voluptatum colliquescebat illecebris; sed amicis utebatur partim illustrissimi generis, partim alijs eximijs viris, ac potissimum literatis, quorum in Palatinatu semper, provida Principum cura, quasi miti Zephyro, proventus fuit uberrimus. Magnopere cum in admirationem sui rapiebat Ludovici, Comitis Witgensteinij, illibata pietas, & comis prudentia. Alliciebat ad se Joannis Alberti, Comitis Solmensis, primarij aulæ præfecti, spectata Principi ac Patriæ fides constantiaque cum eximio Dei timore conjuncta. Maximum etiam amorem sui concitarat Ottonis Grunradij in rebus Ecclesiasticis; Joannis Christophori a Grun in Politicis, accurata atque indefessa sedulitas: Cancellarij Enemij perspicax literis usique doctrina: Volradi à Pluffen, ingenio, disciplinis liberalibus, et multijuga rerum scientia, qua pace, qua bello utilium, penitus firmata dexteritas: Hippolyti a Collibus undecumque docta sapientia & facilitas incomparabilis: Marquardi Freheri recondita antiqui juris, morisque scientia: Lingelhemij amœnissima doctrinarum ubertas: Ludovici etiam Camerarij multijuga eruditio, & multis adeo legationibus perpolita in cumetis, quæ ad Remp. spectant, copia & facultas. Grati acceptique Neostadij, & Heidelbergæ erant, Hieronymus Zanchius, Zacharias Ursinus, Franciscus Junius, Daniel Tossanus, David Paræus, Bartholomæus Pitiscus, Joannes Salmutus, Abrahamus Scultetus, Theologi omnes doctrina & vitæ sanctimonia celebres. Conversabatur ibidem cum viris alijs doctrina excellentibus, Dionysio Gothofredo, Joanne Potthio, Julio Pacio, Jano Grutero, Paullo Melisso: ac quos locorum intercapedine disitos coram oculis usurpare non poterat, literis adibat, consulebat, com-

compellabat familiariter: uti Chriſtophorum Herdeſianum Noribergæ, Witebergæ, Lipſiæ: itidem Noribergæ Caſparum Peucerum, & Camerarios patrem, filios, nepotes: Jacobum Grynæum Baſileæ: Dominicum Lanovium in Gallia, uti & Sadeelem, & reliquos ejus terræ Theologos. Quique præterea literis, quocunque cœlo, inclaruiſſent, eos impenſe amabat, honorabat, beneficijs ornabat. Nobile facinus, nobilitatos literis ab homine militari nec æſtimari. Nam quod ille de bonis principibus, ſed meo quidem judicio non ſine veritatis exceſſu, ajebat, id nos de bellatoribus dicere verius poterimus: Omnes eos belli duces uni annulo inſcribi poſſe, qui & bello valeant, & literis addicti literatos ament: pleroſque autem eos eſſe, &, ut de milite Ennius loquitur, horridos: quippe à mitiſſimis Muſis, earumque cultoribus, alienos. At non in Dhonano fulgentiſſimam illam ſapientiam, atque humaniſſimam comitatem, vel ſtudia Martia, vel militum mores, extinguere potuerunt. Viciſſim nec tantus erga eruditos amor ejus, impedire, vel imminuere etiam potuit præclarum, quod ei cum magnatibus, ac veluti majorum gentium dijs, literarum commercium erat. Quale ei aſſiduum pene interceſſit cum Caſimiro Bavaro, Guilielmo Landtgravio Haſſiæ, Chriſtiano Anhaltino Principe, Bovillionæo Duce, cum Colignio Admiralij filio, cum Leſchinio Palatino Bretſenſi in Polonia, viro ut ſtemmate antiquo, ita prudentia ac bellica gloria floreniſſimo: addo etiam cum Friderico Palatino Septemviro, à quo toties ex Boruſſia intima per Electoralis aulæ curſorem literis excitus fuit, quoties arduis in rebus, quod ſæpius eveniebat, tanti viri conſilio atque opera indigeret. Sed quid ſunt res mortalium? Inter tot curas aulæ, bellorum moleſtias, totiuſque adeo variabilis vitæ fluctus decumanos, quemadmodum herbas creſcere non ſentimus, ſed creviſſe: ita illi non intellecta obrepſit ſenectus. Cogitabat ergo aulæ ſe ſubducere; non laboribus, non publico bono. Diogenes cuidam monenti, ut jam ſenex de diligentia nonnihil remitteret: Quid, inquit ſi in ſtadio currerem, utrum oporteret jam metæ vicinum inhibere curſum, an cum magis intenderem? Scita ſane, &, ut cum poetis ita dicam, cedro digna oratio. Sane judicium etiam ſuum ex Philoſophi hujus mente formare viſus eſt Dhonanus, qui Palatinatui quidem valedixit, anno ætatis quarto ſupra quinquageſimum, atque ad Boruſſos in poſſeſſiones avitas ſe contulit: attamen, ut dixi, non mollis otij cauſa, quemadmodum fieri ſolet: verum ut, quemadmodum ſperabat, ſuus magis factus, ſic quoque, ſed via alia, publico & amicis utilis, tranſigeret reliquum vitæ: quod annorum ſeptendecim divina benignitate poſtea ſuperfuit. Ac non paucis quidem in Boruſſia Dhonani adventus erat inſtar benigni ſideris amicum atque exoptatum lumen ſupra terras recens efferentis. Sed erant ex adverſo, qui quemvis potius videre exoptarent, quam heroem illum, de quo nunc omnis ſermo eſt nobis. Amabat nempe eum cordatiſſimus quiſque, ac nemo non, qui ſtuderet

Diog. Laert. lib. 6.

——*Sanctus haberi*
Juſtitiæque tenax factis dictiſque. *Juvenal.*

Atque ex ſpectatiſſimo eorum numero primum facile locum vindicat ſibi Joachimus Fridericus Elector Brandeburgicus Princeps Boruſſiæ. Movebat eum, quod videret eſſe in hoc viro ſumma omnia, quæ in egregium eadere conſiliarium poſſint;

possint; eaque jam corroborata non mediocriter senectute ipsa; quæ non adeo in canitie venerandi capitis, quam in mente sapientissima relucebat. Quamobrem utebatur eo, cum alias, tum domi imprimis in rebus sanctioribus: in quibus ille non cum fortuna Principis tantopere, quam cum Principe ipso loque-

Pontan. Annal. lib. 2.

tur. Hæc cum eum magis & magis commendarent; primum quidem, nihil tale cogitans, præfectus est Insterburgo; inde autem Tapiaviæ: & quasi nulla dignitas foret, quæ non summis ejus virtutibus ac meritis deberetur; supremus non multo post in consilio Borussiæ Burggravius constitutus fuit. Nimirum idem ei obtigit, ac Joanni Medicæo, parenti Cosini, qui patris patriæ cognomen meruit. Quemadmodum enim magnopere illi datum est laudi,

Manut. in vita Cosmi mag. Duc. Hetrur.

quod nullas quidem dignitates appetierit; sed consecutus fuerit maximas: ita longe ab heroïs hujus pectore exulabat ambitiosa munerum sitis: honores tamen sponte oblatos, ne peccaret in Deum vocantem, & Principem eos conferentem, minime repudiabat. In hoc autem supremo patriæ munere, quoties ingrediebatur curiam, ipso in limine exuebat odium in adversarios, gratiam erga amicos, pervicaciam animi, quæ ex amore proprio originem trahit: ac verbo, ut dicam, privatos affectus omnes, vere fascinatores justitiæ, deponebat: avaritiam etiam, bonas artes subvertentem, procul habebat; ad ea vero se, suaque referebat consilia, quæ Dei cultum spectarent, & commoda Reip. imprimis quæ facerent ad impediendos conatus seditiosorum civium. Incidebat enim hæc jam ingravescens Dhonani ætas in tempora Reip. turbulenta: dum homines factiosi, nec æquis oculis statum adspicientes præsentem, noctem offundere rebus cogitant, ut facilius omnia miscerent. Sed consilia eorum disturbavit ipse Regum Rex: qui primum potentissimo Poloniæ Regi, ac deinde Electori Brandeburgico, prudentiam summam & animos maximos inspiravit. Eo factum, ut Dhonanus non mentem modo bene conscium servaret: sed etiam gratiam Principis, & honorum incrementa, pro præmio referret. Nam ab eo tempore magis & magis Dhonanum amplexus est Elector Joachimus Fridericus Brandeburgicus. Nec alia mens fuit filio Joanni Sigismundo. Denique eandem insistere viam nepos Georgius Guilhelmus, qui nunc (atque id multis feliciter duret annis) rerum potitur. Et profecto tribus heroibus illis, quod præ alijs consilia hujusce Nestoris in caussa Borussica secuti sint, non jucundum minus, quam utile postmodo fuit. Imo extant hodieque literæ ejus, qui intimus Serenissimo Poloniæ Regi cubicularius fuit. Iis disertim continetur, præclaris Dhonani consilijs maxime acceptum ferri oportere, quod feudum Ducatus Borussiæ anno cIↃ Ↄcxi. obtigerit Electori Joanni Sigismundo; uti etiam, quod quinquennio ante penes laudatissimæ memoriæ parentem honor fuerit administrandæ ejusce provinciæ. Ut neutiquam sit mirandum, si ea res Dhonano tantum & favoris peperierit, & fructus. Quantum præterea gloriæ attulit eidem, quod cum in domo sua Karwindana, cui ab tanto domino semper decus erit, etiam viri Principes, quasi consulturi oracului, visere dignarentur. Ab novatoribus vero quid ei repositum fuerit, neutiquam est in obscuro. Nimirum haud aliter, ac quando quis ignobilem canem sed mordacem, lapide petere, tutelæ gratia, necesse habet ille projecta involat ac mordet, jacentem adoriri minime ausit: similiter isti, cum adversus Principem recta insurgere haut sustinerent, magno impetu aggrediebantur Dhonanum: cujus virtutem angue

gue pejus odiſſent. Atque ab eo fonte erat, quod aſſiduo conquirerent tela, quæ in eum mitterent. Sed quoniam illa fortiter elidebantur Dhonana virtute, & innocentia, itum eſt ad invidioſum illud convitium, ut religionis corruptæ inſimularetur, qui tota eam vita ab Romanæ Eccleſiæ erroribus puram illibatamque fuerat profeſſus. Nempe ita hominum mos eſt. Semper in ore ijs natat præclarum religionis nomen: navigant quippe (largiatur hoc mihi de ſuo Æſchines) in mari verborum; & hoc lenocinio, partim magna Reipublicæ mala arceſſunt, partim in odium adducunt viros probos, de quibus mutato nomine dicere vetus illud ſolent, *Bonus vir Caius Seius: ſed malus tantum, quod Chriſtianus.* Atque hæc jacula, magna felicitate ab ſe diſpulit Dhonanus. Quid mirum? Stabat aperte pro eo cauſſæ bonitas. Unde & Sereniſſimo Poloniæ Regi graviſſimæ ac juſtiſſimæ cauſæ erant, cur eum benigne adeo tueretur. Tum temporis etiam confeſſionem Fidei ſuæ ſcripto comprehenſam, & in lucem editam, non amicis tantum, ſed magiſtratui quoque, & Regi ipſi, offerendam curavit. Tantum vero abfuit, ut dignitate priſtina ſpoliaretur, ut illi Rex eam decreto publico firmarit: atque adeo manu propria decreti verba aliquot in Dhonani gratiam partim correxerit, partim liquidius expoſuerit. Sed adverſarijs ſic quoque

Æſchin. Orat. cont. Cteſiph.

Apud Tertull. in Apolog. cap. 4.

——— *Ferveſcere ſanguis & ira,*
Scintillare oculi.

Perſius Sat. 3.

Itaque ne tanto quidem patrocinio nixum acculare deſtiterunt. Et quanta ſane eorum fuerit cupiditas & malitia; argumento illud erit, quod poſtea quoque magno clamore eadem contenderent, ac ſeſe à poſtulatis, &, ut vocabant, gravaminibus diſcedere velle penitus reciperent, imo nihil non in Principis ſe gratiam facturos ſponderent; dummodo Dhonanum Burggravij dignitate, ad quam evectus erat, dejiceret. Magna, ac pene incredibilis eſt vehementia, atque inhumanitas æruginoſi rancidique pectoris. Sed quanto illi ferocius inſaniebant, tanto plus laudis merebatur ſapiens ac manſuetus Principis animus. Quaſi æmulus fuiſſet Leſci Albi, Poloniæ Principis, cujus præclarum nomen nulla ſecula conticeſcent. Erat illi Palatinus Sandomirienſis, Gonoricius Ravitus. Ejus & prudentia eximia, & ſumma in Principem fides, prope miraculi loco habebatur. Et tamen pravo quorundam impulſu nobilis ille Poloniæ populus, cum de Republica conſtituenda ſolicitus regnum offerret Leſco, hanc paciſcebatur conditionem, ut Gonoricium prius longe à contubernio ac conſilijs ſuis ablegaret. Tantum vero abfuit, ut impudenti huic poſtulato ſuam aggregaret Leſcus ſententiam, ut regnum, quàm fidum amicum, & conſiliarium, repudiare mallet. Dixerim prope, idem facturum fuiſſe Joachimum Fredericum, ſi perinde principatus aliquis electione oblatus foret, non ipſe jure ſucceſſionis in Ducatu Pruſſiæ legitimus Princeps fuiſſet. Quid enim ille Dhonanum deſtitueret, qui ſciret conſiliarios, quorum integritas cognita perſpectaque foret, eſſe ad inſtar fidorum ac vigilum canum, qui præſidio ovibus contra luporum inſidias præſto eſſent: his vero per imprudentiam ſubmotis, in incerto Principes vagari, quod uſque adeo multorum fraudibus & impoſturis vita ipſorum, ſalus, majeſtas, atque una etiam Reipublicæ dignitas, expoſita ſit. Dum

ardent hæ faces livoris atque odij, Dhonanus, generoſæ feræ ſimilis, latratibus catulorum contemtis, in ornanda, quam nactus erat, Sparta nulli parcebat curæ aut labori; plane ſecurus calumniarum, quas ne ulciſci quidem cogitaret: unde quotidie eum videre erat comiter & benigne verſantem cum omnibus etiam peſſime erga ſe affectis. Cogitabat nimirum, puſilli eſſe hominis ac miſelli, ut optime Romanus ſapiens monet, repetere mordentem, veluti mures & formicæ ſolent; ad cujuſmodi animalcula ſi manum admoveris, ora convertunt imbecilla, ſe lædi credentia, digito ſi attigeris. Noſter vero, ut dixi, ita hæc inſuper habuit, ut nihil de priſtina remitteret induſtria; ſed conſilio, quantum poſſet, labore pene magis quam poſſet, excubaret ac vigilaret pro Reipub. commodis. Magnam hæc voluptatem afferebant auguſtæ ac felicis memoriæ Principi Joanni Sigiſmundo: neque eum fugiebat, quouſque

Claudian.

——*Egregios invitent præmia mores.*

Itaque crebro collaudabat fidem atque dexteritatem Dhonani: atque ut munificus admodum erat, dona etiam obtulit haud contemnenda: quæ ille, ut præclarus viri animus erat, quam modeſtiſſime reſpuit. Diſplicebat Principi, quod non liceret ſibi grato eſſe, atque benefico, in hominem meritis florentem: monebat, reſpiciendos eſſe fratris filios, quos complures haberet: eorum rebus non lautiſſimis conſulendum eſſe. Aſſenſit tandem Dhonanus, quanquam invitus: nec, opinor, obſecutus fuiſſet, niſi cum animo cogitaſſet ſuo, probro à principibus duci, & in argumentum rapi contemtus ſui, ſi præmia à ſeſe ultro oblata clientes civeſque ſui aſpernentur.

Dum in hoc ſtadio Fabianus impigre decurrit, totumque adeo conſumit decennium, ad eam ætatem paulatim devenit, qua dicuntur olim

Ovid. de Faſt.

——*Ut juvenes ferrent ſuffragia ſoli,*
Pontibus infirmos præcipitaſſe, ſenes.

Et tamen viribus animi tum quoque valebat uſque adeo, ut ſi par ei vitæ ſpatium divinitus contigiſſet, ac Georgio Pontano, Venetorum Duci; paria cum illo, & ingenij alacritate, & acumine judicij, uti fecerat hactenus, porro etiam fuerit facturus. Erat autem Pontanus xcvi. annorum, prudentia adeo per ætatem non collapſa, ut legatos ſemper ipſemet audiret, ipſe reſponderet, nec mentis acies unquam, niſi ſemeſtri ante obitum, ſit viſa hebeſcere. Sed erant longe graviſſima, quæ Dhonano ſuaderent, ut potius, jam quartum & ſexageſimum ætatis annum ſupergreſſus, patria tranquillata, negotio inveſtituræ Boruſſiæ prope confecto, miſſionem à munere publico, & aulæ peteret contubernio, quam ipſam à Principe, ſed prope invito, impetravit. Aiebat autem Dhonanus, ſuas eſſe homini ſtationes, vitæque periodos: nec ſatis convenire, ut, qui annum vitæ lx. exceſſiſſet, diutius vel aulæ compedibus contineretur, vel Principum concluderetur ergaſtulis: potius pauxillum ei temporis concedi oportere, quo ſarcinas colligere tandem, atque migrationem in alterum ſeculum parare poſſit. Inſuper monebat, dandum eſſe alijs locum, quo negotia ij quoque tractent,

Scherb. Comm. in Polit.

——*Quibus*

——— *Quibus integer ævi*
Sanguis ineſt, ſolidæque ſuoſtant robore vires. *Virgil. 2. Æn.*

Quales perinde conducit ſenum inter ſubſellia ad prudentiam informari, quemadmodum juxta annoſas arbores inſerere novas expedit plantas, quæ in locum intereuntium ſuccedere aliquando valeant. Rudiarius ita factus eſt Dhonanus: verum ſic quoque in otio illo negotioſus, quoad potuit, in ſalutem Patriæ ſemper fuit, conſulenti cuilibet promtus ac facilis, Principi ſuo maxime, tum autem Electori Palatino, erga quem animum fidelem ad extremum uſque ſpiritum geſſit. In hac quaſi ſolitudine frequenter Dhonano in mentem veniebat vitæ totius actæ, cumprimis tot legationum: quas quatuor & triginta maxima cum laude obierat. Nempe quatuor quidem ad Imperatores & conſilia Imperij; tres ad reges Daniæ, atque Poloniæ; reliquas autem ad Electores, Principeſque, ac magnates orbis Chriſtiani. Conſignatum illud literis habemus ad æternum Julij Cæſaris decus, collatis eum ſignis quinquagies cum hoſtibus conflixiſſe. Magnum & memorabile, fateor. Attamen non minus honoris ſibi facundia vindicat: ſi vere olim Tullius, *Plutarch. in vita.*

Cic. in offic.

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Sed Tullij verſiculum hunc accipiat quiſque, ut volet: dummodo fateatur, cauſſam ſatis gravem afferri nullam poſſe, cur non ex tot legationibus Dhonani etiam nomini gloria accedat immortalis. Siquidem cariſſime ſtetit generi humano honos iſte Cæſaris: ut à quo undecies centena & nonaginta duo millia prælijs conſtet interemta. At Fabianus incruenta Suada ingens ſibi decus paravit. Pyrrhus profecto plus Cyneæ linguæ tribuebat, quam ſago proprio, plureſque illum urbes oratione ſua, quam ſe armis ſubegiſſe prædicabat. Monlucius etiam, neque immerito, tantopere prædicatur à rerum Gallicarum ſcriptoribus, quod decies quinquies legatus regia expedierit negotia: atque unus maxime idoneus viſus ſit, qui in Henrici Valeſij electione apud Polonos ſtudium atque operam omnem poneret. Quanti igitur pretij Dhonanum deputare oportebit, qui legationum numero Monlucium tanto poſt ſe reliquit intervallo? Miretur fortaſſe aliquis, & tacitus cum animo ſuo cogitet, quæ fuerint Dhonano tam raræ virtutes, quibus toties legatus multorum adeo Principum animos in ſuam pertraxerit ſententiam. Dicam equidem, quod res eſt. Et à corpore, & ab animo, ei has ad res fuere dotes admirandæ. Ac primum obverſetur menti, quam ſpectabilis fuerit colore faciei ex albo purpuraſcenti & amœno, vultu quam maxime hilari benigno ſerenoque, at in quo tamen gravitas ac majeſtas relucerent, fronte decore aſſurgenti, exporrecta, & ſupra modum liberali, carne non flaccida, & undique diffluenti, ſed toroſa, & ſolida; procera quoque totius corporis, erecta, nec peccante uſpiam ſtatura. Omnia videlicet membra, apta compage, cum lepore quodam quaſi conſpirabant. Quod ſi quis præclarum adeo corporis habitum, nihil magnopere ad flexanimam illam Suadam, conferre arbitretur: næ ille parum intelligit hominum mores. Quanto ſane aliter judicabat olim M. Cato; cujus tanta fuit auctoritas, ut quæ ab eo pro-

profecta essent, pene oraculi instar haberentur. Vir tantus, cum Romani ad discordiam inter Prusiam patrem & Nicomedem filium componendam, tres in Bithyniam legatos mitterent, quorum unus caput haberet multis cicatricibus deforme, alter pedibus laboraret, quique reliquus erat, ingenio & pectoris bonis destitueretur: haud insulse in eos cavillatus, legationem istam capite, pedibus, & corde carere, aiebat. Usque adeo aliorum contemtum & ludibria incurrunt proceres, quoties oratores mittunt alios, quam ut animi dotibus. ita corporis dignitate commendabiles. Quis enim hominem fœda, distortaque forma contemplans, non metuere incipiat, ne & in eo locum habeat poetæ illud,

Plutarch. in vita Catonis.

Scholiast. in Epigram. Græc.

——— ἀληθὰς
Εἰκόνα τ' ἐντὸς σὴ φύσις ἔκτοθ' ἔχει.
——— *Vere interioris*
Extera membra animi sunt simulacra tui.

Ad hanc corporis dignitatem, potiora etiam subsidia accessere Dhonano, imprimis à moribus & facundia singulari. Præterquam enim, quod ea erat ingenij sagacitate, ut tempora captare, & arte quadam tractare animos Principum sciret: aderat eidem grata morum lenitas, aderat incredibilis in convictu sermoneque humanitas, aderant etiam in convivando non cum paribus modo, sed magnatibus quoque, ingenui sales, ac joci liberales. Quis vero nescit, crebro usu venire, ut festivo atque arguto dicto facile à viris principibus impetres, quod oratione sollicita atque anxia vix, aut nunquam, consequaris? At quanti nunc fieri debet illa

Rabirius.

Viri excellentis mente clemente edita
Submissa placide blandiloquens oratio!

Sic enim Principis sui causas tractabat, ut in oratione undique reluceret verborum splendor, & sententiarum gravitas atque ubertas: nuspiam autem migraret dignitatis vel etiam elegantiæ leges: nec quicquam sese, nedum Principe suo, indignum diceret, aut faceret: gnarus videlicet ex legatorum moribus Principes plurimum æstimari. Quantum etiam præsidij inde nactum putabimus, quod octo linguis, quibus utitur Europa, pure terseque loqueretur! Inde enim illud consequebatur, ut sua ubique, non collegæ lingua, orator foret. Cæteroquin fieri videmus, ut senibus, inter cætera ætatis onera, hoc quoque ægre sit, quod externum ad sermonem, quem forte olim didicerint juvenes, sensim reddantur inepti: sive id ætatis morbo fiat, quandoquidem,

Seneca in Oedip.

——— *Prima languescit senum*
Memoria, longo lassa sublabens situ:

sive id contingat vitio linguæ, ob ætatem fatiscentem minus jam volubilis, ac fuerat quondam. Non ita comparatum cum Dhonano erat: qui exterorum sermone, quæcunque res incidisset, de ea ut venuste, ita expedite, quamdiu vita mansit, differere poterat ac solebat. Idem in hoc secessu, nunc hujus, nunc istius

gentis

gentis oratione capiebatur: eaque etiam epistolas exarabat ad amicos alio atq; alio cœlo dispersos: quod ipsum ad homines eruditos Latine faciebat elegantissime. Sæpe enim per literas colloquebatur cum ijs, ut ita affectum melius recoleret, ac singularem amoris constantiam, etiam ingravescente hac ætate, testaretur. Nam nunquam ei placuere, qui multas instituunt amicitias; sed mox saturati alias quærunt, virgunculis illis similes, quæ in pratis alium post alium florem decerpunt, semperque arridentibus novis, negligunt priores. Multum etiam Dhonanus cum amicis mortuis versabatur: quippe se in bibliothecam abdebat, quam Karwindæ domi suæ instruxerat non contemnendam. Ibi Latinus, Græcus, Gallus, Italus, Hispanus, Anglus, Polonus, Germanus, suas etiam alij delicias reperissent. Hic, quæ olim cum molestia in juventute didicerat, lætus cum fructu ruminabat; suoque exemplo fidem faciebat dicto Democriti, qui adolescentem conspicatus gnaviter libris deditum, *Euge*, inquiebat, *fili, optimum condis obsonium senectuti.* Et quid profecto dulcius, quam veterum studiorum, atque adeo laboris omnis cum virtute transacti, animo tranquillo recordari? Sed utcumque Fabianum meminisse horum omnium juvaret: major tamen alia ei erat, & quasi palmaria voluptas. Quam ille universa quidem vita jam à puero magnam perceperat; maximam vero ætate jam exacta capiebat; partim compellando Deum, partim loquentem Deum audiendo: illud precibus consequebatur, hoc sacra volumina versando. Nihil enim aliud est oratio nostra, ut præclare Hipponensis ille antistes aiebat, nisi locutio ad Deum. Eoque ut, legentibus nobis sacras literas, Deus loquitur nobiscum: ita orantes Deum, eundem alloquimur. Præclara hæc cogitatio ei obversabatur assidue: tantoque religiosius in oratorium suum se recipiebat, non illud modo, quod parietum latebris concluditur; sed longe augustius pectoris sacellum, in quo Spiritus Sanctus hoc ipsum divini cultus peragere opus solet. Quod ingressus, ut facilius precibus, ceu clavi, Dei thesauros aperiret, carnis propriæ fores occludebat. Atque ut olim sacerdotes procul esse jubebant profanum vulgus: ita ille segregabat à se oscitantiam, languorem, dubitationem. Attendebat sedulo, quid Deo præsente loqueretur: nec sua modo ei, sed etiam salutem, & laborantis patriæ, & ubique terrarum militantis Ecclesiæ, commendabat. Interea cœlestis gratia in corde penitissimo varios excitabat motus: præcipue dolorem, ob delicta; amorem Dei, ob tot beneficia; contemtum mundi, in tanta ejus vanitate: patientiam quoque in adversis, animum gratum in secundis, cœlestis denique patriæ desiderium, ac consequendæ ejus fiduciam. Precationes hasce etiam literis commisit. Vocabat ipse Suspiria, inque morbo, atque adeo extremis ipsis, etiam prælegi jussit, ut ad ultimum usque spiritum eas meditaretur. Cumque supplicibus hisce postulatis sociabat quoque gratiarum actiones; quas & ipsas animo maxime devoto promebat, ita uti eas manu sua consignatas reliquit. Gratias quippe agebat miseratori Deo, quod ejusmodi, ut familiæ, ita pietatis parentibus nasci dedisset: quod corpus tribuisset salubre ac firmum: quod animum esset largitus divinarum humanarumque rerum capacem. Singula sui membra, si singulæ essent linguæ, non satis fore aiebat, ad percensenda erga se divinæ gratiæ munera. Agnoscebat etiam eximium esse Dei beneficium, quod ijs esset versatus locis, quibus sanam de Deo doctrinam, verumque ejus cultum didicisset. In felicitatis etiam parte ponebat, quod animum

Maxima sem. 32.

Virg. 1. Æn.

Augustin. in Psalm. lxxxv.

Chrysostom. lib. 1. de prov. Deo.

mum suum liberalibus studijs excoli contigisset: quod etiam notitia sibi ac familiaritas intercessisset cum tot præclaris viris Italiæ, Galliæ, Belgicæ, Angliæ, Helvetiæ, Daniæ, Poloniæ, ac partis Moscoviæ: quorum alij armis, alij doctrina, magnum sibi nominis decus parassent. Laudi etiam summæ, ac ornamento sibi ducebat, quod in notitiam veniisset Cæsarum duorum, Maximiliani & Rudolphi, quodque innotuisset tot regibus, Henrico Borbonio Galliæ, Friderico secundo Daniæ, Elisabethæ reginæ Angliæ, tribus Poloniæ regibus Sigismundo Augusto, Stephano Bathorio, Sigismundo tertio hodieque superstiti: ac denique Jacobo, magno magnæ Britanniæ monarchæ, qui & per literas cum illo colloqui non gravabatur: uti nec Sigismundus Rex Poloniæ: quorum autographa in bibliotheca Morungana sedulò adservantur. Prædicabat adhæc beneficia erga se tot maximorum Principum, item amicitias plurimorum genere atque dignitate æqualium. Referebat inter argumenta summæ prosperitatis suæ, quod adversarios suos, præcipue Gallicanæ expeditionis, atque aliarum laudum obtrectatores, veritate vindice, innocentia teste, applausu maximorum hominum superasset. Neque hæc in ore fuere nata, sed ex corde imo profecta: uti etiam suspiria faciebant fidem. Præterea, quo devotum Deo animum vehementius excitaret, ad harmoniam illam, qua Claudius Gaudimelus odas Davidis concinnavit, nunc Gallicam Maroti Bezæque paraphrasin, nunc Teutonicam Lobwasseri, modulari gaudebat: quod antea quoque, etiam inter medios armorum strepitus, facere consuerat. Hæc illa est solidæ pietatis indoles, quæ suum ubique agit sabbathum, nulloque non loco pectus pro Ecclesia sollicitum habet. Sancto huic exercitio Fabianus præmittebat subinde velut promulsidem, semperque quasi opiparum condimentum subjungebat, lectionem S. Scripturæ: cujus sensum, divina inspiratione adjutus, conferendo loca similia accurate rimabatur. Adhibebat una sanioris mentis interpretes: alios etiam præstantium Theologorum libellos assidue volvebat. Quo studio usque adeo locupletaverat capacissimum illud ingenium suum, ut non modo prudentissime differeret de omnibus ijs, quæ vel ad capita fidei, vel ad vitam ac mores pertinerent: sed arduas quasque religionis controversias enodare dilucide sapienterque posset. Quanquam hoc solitariæ vitæ, & senectutis studio non tam disputationibus vacabat, quam ijs legendis, & meditandis, quæ incentivum aliquod adderent ad virtutes Christiano homine dignas. Atque hoc nomine in pretio illi erat, quem de beata morte libellum Germanico sermone in lucem protulit Tossanus. Cui sociabat scripta Melanchthonis ac Calvini; aliorum item lucubrationes, uti Joannis Arnisæi: quibus impense delectabatur, propterea quod feliciter viam ducerent ad veram pietatem & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Abrahami etiam Sculteti labores, & quæ publica sibi, & nepotibus, nuncupatione dicata forent, quæque alia probæ ejusmodi monetæ haberet, ea & in manus sumebat sæpe, & occasione oblata magnopere extollebat; nec laus ea magis ex amore, quam judicio proficiscebatur: quippe qui illis signata paulatim in succum & sanguinem convertisset. Quemadmodum vero in tempestate gubernator dignoscitur; in acie probatur miles; in foro aut suggestu palam fit, quid in umbra inter privatos quisque parietes didicerit: ita Dhonanus ostendebat, quousque progressus esset exercitijs pietatis, cum fors sæva grassaretur, aut quoties periclitaretur valetudo. Quam sæpe in senectute adversam habuit,

Danielis Tossani Vade mecum.

habuit, cum alijs, tum podagræ & calculi doloribus, oppido quam acribus ac gravibus: quod morbi genus militiam ſecutis pene ſollenne ac proprium eſſe comperimus. Ita videlicet Deo viſum erat præparare eum ſenſim ad ultimum illum vitæ actum. Quem priuſquam exponam, aliquid dicendum de eo, in quo uno, vel pro videntia Dhonani, vel felicitas, requiri poſſe videatur. Neque enim prolem in ſpem generis propagavit: ac nec perſuaderi unquam potuit, ut ullam in matrimonium duceret. Ego vero, quod fortaſſe vitio alius verteret, laudi potius dandum puto. Profecto enim cœlo ille à nobis adſcribi meretur, cui beato adeo eſſe licet, ut edomitis libidinum furijs triumphum agat cœlibatus. Imo inter omnia Chriſtianorum certamina, quanto duriora ſunt prælia caſtitatis, in quibus continua eſſe pugna ſolet, tanto pulchrior lætiorque victoria duci debet. Atque id cum in omni vitæ genere: tum præcipue in vita tamaulica, quam militari, veriſſimum eſt: quippe quarum utraque tot undique illecebris abundet, ut difficile admodum ſit, ſatis vel oculis cautum, vel caſtum ſeſe animo præſtare. Quantopere igitur prædicare convenit Dhonanum: qui talem ſe utrobique geſſit, quales honeſtas eſſe matronas oportere, ajebat Livia. Clariſſima hæc Auguſti conjux, cum forte ei obviam fierent nonnulli, qui nudato omni corpore ad ſupplicium raperentur; tale ſpectaculum aiebat perinde eſſe pudicæ feminæ, ac ſi ſtatuas conſpiceret. Nimirum ita judicabat, ubi pudor ac verecundia regnant, ibi animum hominis rerum impudicarum conſpectu nequaquam ad pravas cogitationes abripi. Similiter animatus erat Dhonanus. Qui cum vivendum ſibi cerneret in fece populi, unde occurrerent quandoque proritamenta inverecundiæ; ille vel ex Democriti conſilio, tempeſtive claudebat oculos, feneſtras corporis, per quas mortem ipſam aſcendere Propheta monuit: vel ſi non liceret vultum habere averſum, mentem tamen ita obfirmarat, ut illecebræ iſtæ minime animum labefactarent ac dejicerent de ſtatu honeſtatis. Mihi vero in hunc ejus cœlibatum propius intuenti cauſas habuiſſe graves videtur, ob quas à vita hac ſocia, quam cæteroquin in nullo damnare mortalium, imo maximopere commendare ſolebat, ipſe foret alienior. Siquidem uni quaſi glebæ affixis conducibile eſt conjugium, quales neceſſariam domi familiæ operam dare poſſunt. At diſpar eorum ratio eſt, qui more corporum cœleſtium, crebro mutant ſtationem: quoniam hi propria negligere, uxoris etiam amplexui, qui quodammodo eſt anima & vita conjugij, ſubducere ſe neceſſe habent. Atqui Fabiano optima vitæ pars, ac ſoboli procreandæ aptiſſima, partim peregrinationibus, legationibus partim, ijſque & multis & diuturnis, effluxerat. Plurimum etiam ſibi vindicarant aſſidua Principum negotia. Adhæc inter arma nunc menſes, nunc annos totos conſumſerat: certamque interea vix uſpiam ſortitus erat ſedem. Senio vero jam proximus, vitæque paullo tranquilliori deditus, matrimonio abſtinebat, quod non modo ætas illa aliquanto ſit tardior, & iniquior proli procreandæ; ſed utcumque etiam liberis augeatur, tamen diu ſupereſſe nequeat educationi; in qua plus momenti, quam generatione ipſa, ſitum eſt. Hunc vero naturæ qualemcumque defectum, beneficio legis ſupplere voluit, adoptando filios ſeptem, quos Achatius, frater primogenitus, jam grandiores reliquerat. Nec poteſt ſane teneriori amore pater complecti ex ſe natos, quam patruus hic ſuos amabat adoptivos: ſive bene vivendi adminiculis, ſive monitis, alijſve officijs paterni affectus, hoc totum metiamur.

Auguſt. in ſem. ſup. citato.

Dion lib. 58.

Atque

Atque vicissim hi tanto affectu dignos se præstabant. Nam ad nutum ac voluntatem ejus totos se componebant, curis eum levabant præsentes; magna etiam solatia atque oblectamenta absentes adferebant. Quid etiam recreare eum magis ac reficere potuisset, quam ubi tantum Dei favorem erga fratris, imo suos jam filios, quotidie videret? Ingenium nulli non eorum obtigerat acutum atque elegans, & rerum omnium capax: judicium illis acre ac circumspectum: memoria firma. Ad ista cœli dona accesserat, quod universi non segni otio, sed pace belloque pariter, gerundæ nati forent Reipublicæ; imo eam ad rem subsidia omnia comparassent: quippe qui diu multumque egissent in regionibus exteris; qui exoticarum sibi linguarum complurium notitiam peperissent exactam; quique in nullo non liberalis doctrinæ genere animum penitus imbuissent. Hisce dotibus magnum ornamentum ac decus additum est à summa corporis dignitate. Utpote quibus valetudo esset firma, color vividus, membra concinna, nec uspiam mendosa. Verum enimvero cuncta hæc albis, ut dici solet, quadrigis prævertit, quod ijdem aureo sociassent vinculo, tum pietatem, sanioremque de Deo doctrinam, tum vitæ gravitatem, & mores supra quam dici potest amabiles. Quantæ hæc omnia voluptati fuisse patruo credemus! Præsertim postquam singulos eorum pro meritis præclaris ad summa dignitatum fastigia vidit evectos? Nobilis ille Thebanorum Imperator Epaminondas gratulabatur sibi præ cunctis, quæ in vita dulcia contigissent, quod parentes gloriæ suæ spectatores habuisset. Gratulabatur & sibi Fabianus, quod fratris filios non spectatores solum nactus esset, verum imitatores quoque virtutis suæ; nec virtutis tantum æmulos, sed honorum etiam atque auctoritatis, quæ Virtutis filia merito perhibetur. Ac tanto magis ei circa cor gliscebat voluptas, quanto magis animo atque oculis singulos ex hoc numero percurreret. Primum in Frederico, natu omnium maximo, non pauca se offerebant virtutis eximia argumenta. Ut qui legatus fuisset sæpius ad Poloniæ Regem: qui summum in patria magistratum (vocant Curiæ Provincialis & Senatus Principem) cum laude maxima gessisset: qui pari quoque felicitate, difficillimum investituræ Poloniæ negotium confecisset. Cum enim anno MDCXI. Joanni Sigismundo, Brandeburgico Electori, à Rege Poloniæ Sigismundo feudum Ducatus Prussiæ, (misso tum ad negotium illud conficiendum Abrahamo Dhenano, Friderici fratre) collatum fuisset: Fredericus hic postea anno MDCXXII. pro Joannis Sigismundi filio Georgio Wilhelmo, eandem investituram in Comitijs regni Poloniæ magno quidem labore, at nec minori gloria obtinuit. Proximus natu erat Henricus: sed voluptas ex eo percepta, diuturna non fuit. Nam cum Italiam ac Germaniam maximo cum fructu peragrasset, ac spei jam multum in eo quoque poneretur, insigni suorum dolore decessit Heidelbergæ, anno ætatis duodetrigesimo. Sed ut obitus ejus dolori diu patruo fuit: ita solatio ac voluptati ei semper erat, quod qui Henricum sequebatur cognominis sibi Fabianus experientia rei militaris tantopere inclaruisset: ut qui in Hungaricis castris contra Turcas cohortem lectissimam duxisset, inque expugnatione Albæ Regalis inter primos superasset murum: qui etiam in Belgica adversus Hispanos, sub Principe Mauritio Auriaco, equitum ductor, in capienda urbe Gravia, præclaram fortitudinis laudem retulisset: præterea pacis artibus insignis in suprema patriæ curia Principem inter Senatores locum obtineret: quique Brandeburgi-

Plutarch. in vit.

Acta Comit. Regni.

deburgi, quæ præfecturarum in Pruſſia omnium eſt præcipua, ſummus audiret præfectus: denique qui legationibus præclare etiam functus foret ad Regem atque Rempublicam Poloniæ, ac poſtmodo Sueciæ, atque opera ſemper ſtrenue navata tantopere ſibi amore junxiſſet Electores Brandeburgicos. Summa etiam lætitia perfundebatur Fabianus, quoties oculos convertiſſet in Abrahamum, valde acceptum caput Mauritio Auriaco, Principi fortiſſimo; uti & Guilhelmo Naſſovio, Friſiæ gubernatori, alijſque heroibus. Et ſane multa erant, quæ eum magnopere ijs commendarent. Vir erat ſcientia rei militaris, univerſæ Matheſeos, cum primis Architectonicæ peritia, Hiſtoriarum quoque, & Politicæ cognitione, nemini, cujuſcumque ordinis, ſecundus. Atque idem in electionibus Cæſarum, in comitijs Imperij, alijſque negotijs ad Reges Principeſque Legatus, nec non militum, tum ad Juliacum, tum in Sileſia tribunus, gloriam longe maximam reportarat. Juvabat quoque Fabianum mirum in modum, cum utrumque latus clauderent præſentes; vel, abſentibus etiam, medium ſe animo conciperet, inter perilluſtre fratrum par Achatium & Chriſtophorum, utrumque Friderici Palatini, & in ditione ejus patria, & in regno Bohemiæ, ab interioribus conſilijs. Nam ſi ex his Achatium reſpiceret, ſumma delectatione afficiebatur, quoties animo obverſaretur, quanta cum laude quondam tum præfectus fuiſſet Waleſaſſenſis, tum auguſtiſſimi Friderici ſtudiorum & morum Ephorus, & Conſiliarius intimus. Exoſculabatur ingenium candidum ac mite: amabat orationem prudentem ac diſertam: mirabatur illam in rebus expediendis ſeu dextram gravitatem, ſeu gravem dexteritatem: quorum omnium egregia edidit documenta in legationibus ad Matthiam Bohemiæ Regem, ad Regem Angliæ, Daniæque, item ad Principes alios. Nec graves minus cauſæ erant, cur Chriſtophorum in oculis geſtaret. Eodem quippe hic apud Fridericum, ac Achatius, loco erat. Philoſophiæ erat callentiſſimus, nec minus ſcientiæ militaris. Galliam Belgicam utramque acceſſerat non ſemel, quater Britanniam, Galliam octies, ad Reges Principeſque, qua Germanos, qua externos, fuerat Legatus. Apud Maximilianum Archiducem, patri cognominem, Cæſaris filium, Cæſaris fratrem, inque Romano Imperio alios, ſic Germanice perorarat, ut majore eloquentia, vel gravitate, vel ſtudio, potuerit nemo: nec minori ingenij flumine, vel dicendi vi, idem Gallice fecerat apud Henricum IV. & Ludovicum XIII. Galliæ Reges: parique orationis facultate idem Italice præſtiterat apud Venetorum Ducem: denique apud Reges Principeſque Magnæ Britanniæ, Hungariæ, alios, Latino ſermone diſertiſſimus & fuerat, & habitus erat. In voluptate tanta, quam ex præclaris adeo fratris liberis caperet Fabianus, illud ei extrema ſenectute haud exiguum vulnus inflixit, quod ex ijs ſeptimum, ſeptem ante obitum menſibus, lugere cogebatur. Theodericus is fuit, qui prope Renoviccium in Bohemia pulchre functus officio fortiſſimi Ducis, in ipſa pugna trajectus ſclopeto, anno ætatis ſuæ quadrageſimo, vivendi finem fecit, atque omnibus pertriſte ſui deſiderium reliquit. In cujus ſi geſta diffundere me vellem, ſpirantia maſculæ virtutis documenta longa ſerie referrem. Sed vitam ejus delibare, faſtigiaque rerum attingere, nunc contentus ero. Puer literas didicit, quantum ſufficeret viro, non ſcholis, ſed Reipub. victuro, & ipſi adeo, ut ſic dixerim, Bellonæ ſe ſuaque conſeraturo: ut eſt in diverſo hominum genere

Magiſter. in delit. ord. Equeſt.

Horat. *Hic ſatus ad pacem, hic caſtrenſibus utilis armis.*

Eurip. Οὐ γὰρ ὡὐπὸς' παντ' ὀπίσαδ' βροτῶν
Πέφυκεν, ἄλλῳ ἄλλο πρόσκειται γέρας.

Ut cuncta norit, nemini mortalium
Datum eſt: at alia dote plus alius valet.

Utinam vero ad illuſtri genere editos nunquam poteſtas, ac jus imperij deferretur; niſi militiæ jura, ac rationem arma tractandi, prius didiciſſent. Nunc quaſi præclare naſci ſufficeret, plurimum illos, qui hoc ſolo Dei munere gaudent, ſummi etiam manent honores. Atqui eos, à quibus cæterorum vita & incolumitas dependet, non pacis tantum tempore, ſed etiam cum belli inſonuit tempeſtas, pernoſſe conveniebat modum tuendæ publicæ ſalutis. Quem quomodo ſciant, qui inter muliercularum amplexus, nutricum ſuavia, in ipſo quaſi gremio Veneris educantur? Quippe à pueris delicijs aſſueti, ac poſtea turpi tantum voluptate capti, malunt, ut

Ovid. epiſt. Hel. — *Bella gerant alij:*

ipſi Phrygiæ, non Phryges: non viri Principes, ſed fœminæ barbatæ: imò minus quam fœminæ pleræque: quia non ita male agitur cum rebus humanis, ut non omni ætate ex ſequiori ſexu, obducere talibus aliquam poſſis, quæ iſtis, quos ſane Venereos heroas nuncupemus, non fortitudine antiſtet. Ut adverſus ejuſmodi occentare liceat illud veteris Poetæ:

Enn. apud Cic. in Offic. *Vos etenim juvenes animos geritis muliebres,*
Illa virago viri.

Ab horum moribus per omnem vitam mirifice abhorruit Theodericus. Itaque ad modum veteris Germanorum diſciplinæ, militiæ ſe dedit, omniaque ſtipendia complens, per omnes gradus pari animi præſentia, ac ſolertia, ad ſumma eſt faſtigia enixus. Ac primo quidem, quaſi ad prævium fortitudinis exercitium, in aulam miſſus Principum Anhaltinorum, Bernhardum Principem in Hungariam contra Turcarum caſtra comitabatur. Quo tempore arx Wacia intra
clɔ Iɔ xcvi. Novigradum copijs Cæſarianis eſt occupata; Agria vero, propugnaculum ſuperioris Hungariæ fortiſſimum, epiſcopali ſede nobile, Mahumeti deditum fuit. Ac Princeps quidem magnanimus hac ipſa in expeditione fatis conceſſit. Theodericus vero etiam ſequenti anno obſidionem Budenſem vidit: imo tyrocinium in eadem, etſi peradoleſcens, haud pudendum depoſuit. Nec longe poſt ad Belgas militatum abijt; obſidioni Retzij, Cliviæ oppidi, interfuit; ea tempeſtate, qua Franciſcus Mendoza, Aragoniæ Admiralius, gentilitio concitus fatu, ne Romano quidem imperio parcens, Weſtphaliam vexabat crudeliter, inque hibernis apud Clivienſes, magno eorum, nec facile obliterando malo, exercitum ſuum collocabat. Sed enim Theoderico perjucundum poſtea ſpectaculum fuit,

fuit, eum, qui insolenter adeo se jactarat, fugatum, castris exutum, atque adeo captivum sibi Mauritio Nassovio, Principi Arausionensium fortissimo. Quo sub heroe Dhonanus in juventute decennium integrum, & quod excurrebat, meruit: longe profecto felicissimus, cui Imperator obtigisset, in quo, miraculi instar, virtus militaris signis adeo illustribus se extulisset. Nimirum exoptare quidem erat prudentis; sed fortunati fuit, eum consequi ducem, ad cujus normam fingere omnes actiones suas imitando posset. Sub hujus etiam ductu prælio ad Mulheimium interfuit: idque magnis animis, ut vel hoc argumento erit, quod significri munus obiens, ne tum quidem deseruerit stationem, cum se jam desertum à fortuna videret: quippe in facie sclopeti ictu sauciatus, equo etiam, qui veheret, vulnerato. Strenue item signum in hostem intulit prope Santenium, plenus ejus cogitationis, ut, quantum in se foret, Adolphi Nassovij, herois imperterriti, ulciscereturmortem. Hinc quietiora aliquanto tempora eum sibi vindicarunt: nec illa tamen admodum diuturna. Triennio enim post in obsidione Juliacensi sub Electore Brandeburgico turmam equitum duxit. Quod bellum Theoderico omnino visum est memorabile, non modo copiarum splendore, & miro actorum cuniculorum artificio; sed etiam quod toto illo tempore, non cœli injuria, non morborum contages, non penuria annonæ, afflixerit obsidentes. Quibus & hoc accessit, quod, utcumque diversæ gentes, Galli, Angli, Scoti, Belgæ, Germani, atque alij, sub uno Imperatore conveniissent: nulla tamen in milite tam vario coorta unquam sint dissidia, nullæ abalienationes aut contentiones inter diversarum gentium Duces. Theodericus vero jam multis exercitatus casibus, magis magisque non umbratili, sed solidæ litabat gloriæ, qua absens etiam per ora hominum volitabat; futurumque erat, ut mortuus etiam in præstantissimi cujusque animo viveret. Itaque, quo tempore Condæus, Galliæ Princeps, difficili sane bello implicaretur, atque alij etjam procerum assererent patriæ libertatem: Bernardus, Witgenstenij Comes, Legato usus Theoderico, equites auxiliares ex Germanis ducebat. Sed cum in morbum Comes incidisset, qui & lecto plane affixit, pro eo Dhonanus quadringentos equites per universam Galliam, perque media hostium agmina, & duxit salvos, & incolumes reduxit. Nec salutem solum suis, sed exitium etiam hostibus attulit. Imprimis prælio, quod cum Marchione Renellio commisit. Nam Gallorum legionem obviam factam, ac copijs Witgenstenij dira minitantem, non modo fortiter vicit, sed etiam delevit; eaque victoria militibus in Galliam patefecit viam. Hac pugna, cui non interfuit modo, sed etiam præfuit Dhonanus, quasi nova virtutis face accensa, penitius in Honoris templum penetravit, ac trophæum Gloriæ luculentius fixit, quàm ante. Itaque, postquam Witgenstenius oppetijsset mortem, præ cæteris à Condæo Principe, magno cum favore atque applausu exercitus, in locum defuncti est surrogatus. Dhonanus vero Legatum sibi atque optionem allegit Lippæ Comitem, juvenem sanguinis, an animi generosioris, haud facile dixerim. In hoc supremo munere ita se gessit Theodericus, ut si Roma florente vixisset, triumphali corona & statua fuerit ornandus. Quod si exitum vitæ imprimis spectare oporteat, quantum veræ gloriæ Theodericus meruit, non eo solum, quod fortiter pugnarit, usque dum vultum hostis sui petens, pene in conspectu Imperatoris, intimo gutture tenus læsus, occubuit: sed etiam, quod antea fese, ut Christianum militem de-

MDCV.

Gerh. in Chronol.

MDCxiv.

cebat, adeo pie ad mortem præpararit. Qui à cane rabido morsi sunt, non modo rabidi fiunt ipsi, verum alios etiam in furorem rapiunt. Perinde cum animorum contagio comparatum est; in militia maxime, ubi non multa tantum

Ovid. —— *Corporibus transitione nocent:*

sed ad penitissima quoque mentis, serpit pestilens morum malorum spiritus. At non corruptela hæc penetravit ad Theodericum: vere beatum, ex Phophetæ regij præscripto. Nec enim illum

Psal. 1. v. 2.

—— de tramite recto
Impia sacrilegæ flexit contagio turbæ:
Sed vitæ rimatus iter melioris, & alta
Mente Dei leges noctesque diesque revolvit.

Nempe exteriori quidem vita cum severitate vultus miscuerat comitatem sermonis, (quæ & relucebat in sermone exotico, Latino, Hispanico, Polonico, Gallico) verum interiore animo inter medios armorum strepitus clamoresque, pietatem & religionem verbis, gestibus, operibus, præclare tuebatur. Morte vero terribilium omnium, ut aiunt, maxime terribili Theodericum haut exterritum fuisse, apertissimis indicijs constat. Imo inde etiam erat, quod inter milites rubro, candido, aliove lætiori colore gaudentes, ille atra usurpare soleat ornamenta, etiam vexilla ac balteum. In ipso bello Bohemico, ubi fortiter pugnans occubuit, nigro utebatur signo, in quo laureæ pictæ hæ voces binæ lingua forent Celtica adscriptæ: *O Meurto.* Innuebat autem, aut laureæ coronam sibi acquirendam, aut morte occumbendum. Nec spes cum sua frustrata fuit: quæ utrumque implevit. Nam & hosti intrepide occurrens lauream laudis adeptus est, & mortem glorioſam, quam appetijt, etjam oppetijt. Singularis quoque pietas ejus, & quam propterea carus fuerit Deo, argumento hoc memorabili eluxit. Binis ante obitum mensibus, corpore plane animoque sospes, mortem non cogitabat tantum, sed etiam prædicebat. Crebris enim sermonibus, quos cum Christophoro fratre, atque alijs habuit, aperte illud ac minime hæsitabundus dictitabat, magni aliquid impendere, quod eventum suum pridie Kal. Novembris sortiretur. Sibi vero deliberatum constitutumque esse, ad illud tempus militiæ pessimis moribus imbutæ valedicere. Valedixit vir animi heroici eadem mensis die, qua liquido expresserat, manifesto numinis instinctu, ut solent piæ mentes: quæ ad præsagiendum tanto sunt aptiores, quanto sunt propiores metæ. Nempe decurso quasi vitæ spacio animus, quem cœlitus accepimus, terrenas sordes exosus, atque ad originem sui anhelans, perfundi incipit nova luce cœlesti, cujus claritudine tenebræ, quæ obsidere nos solent, magis & magis dispelluntur. Ac Theodericus quidem superatis humanæ vitæ miserijs nunc triumphum agit in cœlis. Nos quoque ab eo, quasi à diverticulo, revertamur tandem ad patruum hujus Fabianum: cui maximam voluptatem attulisse diximus, primum quidem quod fatris sui filij calcarent strenue virtutis viam, quam ipse hortando atque exemplo commonstrasset: deinde autem, quod nemo non eorum, cum seni numero forent, pro meritis summis, honoribus

quoque

quoque ſummis floreret. Antiquis illud annalibus proditum eſt, cum pater aliquando filios duos ludis Olympicis coronari cerneret; populoque flores conjiciente, ipſe inter victores procederet medius; adeo honorifico hoc ſpectaculo permotum fuiſſe optimum ſenem, ut in ipſo liberorum amplexu, præ diffuſa lætitia expirarit. Hoc illi inter binos duntaxat contigit, atque in ejuſmodi victoriæ genere, ubi non tam animi virtus, quàm corporis athlética conſtitutio, atque agilitas palmam obtineret. At quanto juſtius Fabiani gaudium fuit, qui ſex hoſce, doctrina, ſapientia, auctoritate, quæ longe omne corporis robur exſuperant, tot lemniſcatis ornatos palmis conſpexit: neque id in breve tempus, quandoquidem, quod miraculi inſtar eſt, è tam multis degeneravit nemo: imò univerſi conjunctis ſtudijs, quaſi mutua fatorum & virtutum conſpiratione, nomina ſua æternis meritorum tabulis ad Memoriæ aram ſuſpenderunt. Quod ſi quis inficiari auſit, raro hoc in vita humana evenire: illum ego vel gnaviter impudentem dixerim, vel certe in ijs, quæ vitam hanc ſpectant, hoſpitem, planeque peregrinum. Quis enim non quotidie experitur, quam inſolens ſit, ut fratres terni, imo duo, atque adeo vel filius unicus, eximiæ virtutis parentibus ſatus, Honeſtatis & ipſe graſſetur via? non divertat ad laxam Voluptatis ſemitam? non ad Suburram, locaque Vacunæ, & Murciæ dicata? Veterum monumenta Romanorum ac Græcorum ſi replicare viſum ſit; ac penſiculatius paullo examinare, quam pauci ex una eademque familia ſupra cæteros mortales, vel eruditione clari, vel virtute conſpicui prodierint: unum comperiemus Publicolam, unum & Camillum, & Fabritium, & Papyrium, & Marium, & Lucullum, & Cæſarem. Unus quoque occurrit Lycurgus, unus Solon, Themiſtocles, Ariſtides, Epaminondas, Thraſybulus, Ageſilaus, Phocion unus: itidem unus Virgilius, Horatiuſque: unus Varro, Cicero, Salluſtius, Livius, Tacitus unus. Poſtquam vero duos Catones, Decios duos, tres Metellos, Fabios, Scipiones, tres quoque Curios contiua ſerie oratores ſeculum olim dedit, ad prodigioſum magis, quàm conſuetum naturæ morem, referri hoc cœpit. Quid igitur exiſtimaſſent ejuſce tempeſtatis homines, ſi ſex fratrum parem virtutem & gloriam comperiſſent? Exurgam altius, meque ipſum, & Rempublicam, in hoc ſolatium erigam, ut augurer, ipſos quoque Dhonanos fratres eximiam de ſe prolem, quæque præclare in patrias, & patrui avique virtutes eat, daturos eſſe. Fridericus ſane, & Fabianus, & Abrahamus, jamdudum terris oſtendunt lætiſſima connubij ac tantæ ſpei pignora, eaque prognata heroinis, quibus par familiæ decor, par pro ſexu ſuo eſſet virtus. Nec fruſtratus eſt Chriſtopherus hanc de ſe expectationem. Qui fœcundo ſibi thalamo junxit magnum ſui ſexus ornamentum, Urſulam, heroinam undecumque ornatiſſimam, vivum exemplar patris generoſiſſimi Joannis Alberti, Solmenſis Comitis, in quo ſanctiſſima pietas, cum vitæ integritate atque prudentia inter ſe certant. Ex præclara adeo radice quid niſi eximios nobis polliceamur fructus? Quippe Solmenſis familia antiquitatis laude ad nubes uſque caput extulit: ut quæ jam ante annos cccc. in Henrico, celebri cordatoque heroe, amœniſſime floruerit; ex cujus ſatu, ſed longa propagine, noſtra tempeſtate xxx. annorum ſpatio, Georgius Ebertus, duo Philippi, Ebertus, Wilhelmus, Otto, Fridericus, Albertus Otto, Reinhardus, Henricus Wilhelmus, Joannes Georgius, Joannes Albertus, alij ſub Cæſaribus, Regibus, Principibus, ſumma militiæ imperia, pari fortitu-

dine

dine ac felicitate gesserint. Imo hodieque eadem familia propinquitate attingit Principes, Electores, Reges. Scientiam enim neminis fugit, quinque heroinas Solmenses temporibus nostris, paucorum annorum decursu, nupsisse totidem illustrissimis Romani Imperij Principibus: quod decus equidem nescio, an seculo hoc alteri Comitum familiæ obtigerit. Agnes quippe in matrimonio collocata est Mauritio, Hassiæ Landgravio: Dorothea Guilhelmo, Principi Palatino, ex prosapia Birckfeldensi: Sophia Joachimo Ernesto Onolbacensi, Marchioni Brandeburgico: Sibylla Augusto, Principi Anhaltino: omnes plurium liberorum matres adhuc superstites, Agnete excepta, matre Guilhelmi, Lantgravij Hassiæ. Sabinæ vero his nunc connubium accessit, cum Frederico, Marchione Badensi, ex prosapia Durlacensi. Quod si extra Germaniam imus, quantum etiam attulisse putemus ad splendorem ejusce domus lætum Ameliæ, heroinæ cordatissimæ, connubium cum illustrissimo Arausionensium Principe Frederico Henrico Nassovio? qui post fata magni parentis sui Guilhelmi, nec minoris fratris Mauritij, prudentissime & fortissime fœderatam tuetur Belgicam: ac cujus (ita auguror) liberis, & posteris, multa per secula libertatem eadem ac salutem suam debitura est. Sed ab inclyta Solmensi familia, in quam incideramus occasione conjugis Christophori Dhonani, iterum nostra se oratio ad Fabianum convertat. Cujus ad laudem æque, ac felicitatem, referimus, quod, quos carissimus frater ejus filios reliquisset, invidia etiam teste, magni & nunc sint, & posteris sint futuri. Ut quos fere omnes ex patrijs penatibus ipse eduxerit ad urbes, moresque exteros videndos: quorum etiam generosis ingenijs faces prætulerit, tum in Apollinis & Musarum, tum Martis ac Bellonæ studijs atque artibus: cujus denique salutaribus monitis ac consilijs honores, quos sustinent, sint consecuti: quorum singula ingenue ipsi confitentur, ac prædicare etiam non cessant. Nihil vero minus cogitandum, quam cœco erga eos amore ductum fuisse. Cum enim manum pene omnibus porrigeret auxiliarem: suos tamen, licet offerretur occasio, neque ad dignitates ipse evehebat, neque eo fine alijs commendatum ibat; nisi virtute ac meritis, honore sese dignissimos præstitissent. Nempe quid faciendum sibi foret, non suo unius, sed constanti bonorum omnium judicio metiebatur. Bonorum autem amorem hi facile sibi conciliabant præclaris animi dotibus. Quas ipsas ornabat dulcissima rerum concordia, & mirus amor fraternus. Siquidem, quod de Tuberonibus narrat Plutarchus, eos una in domo, eodem sub tecto, magno cum animorum consensu vixisse; id Dhonanis non minus convenit. Vixerunt enim quinque propemodum lustris unis in ædibus: quamvis domos complures in bonis communibus & indivisis possiderent. Ac quemadmodum Tuberones custodiebant aureum illud poculum, quod ex dono Paulli Æmilij unicum habebant: sic concordiam fraternam, velut omni auro potiorem thesaurum, in familia sua conservandam fratres Dhonani arbitrabantur. Neque dubitandum, quin, cum tantam in his animorum conjunctionem Fabianus quotidie videret; eo hilarius lubentiusque fortunatissimus senex, pertulerit labescentis ætatis fastidia, seque ad calcandum mortis iter accinxerit. Ad quam vitæ ejus catastrophen, & morbos pariter, quibus Deus ad meditationem mortis præparare homines solet, extremus jam noster sermo decurrit. Vixerat Dhonanus totos L. annos, valetudine commoda satis atque integra. Primum, quod ægritudine cum periculo

aliquo

aliquo conjuncta affectus fuit, in Italia contigit, partim Florentiæ, partim Patavij: ubi Hieronymi Capivaccij, celeberrimi ac præstantissimi medici opera, pristinæ est sanitati restitutus. Præterea in Gallica eum expeditione lues invasit pestilens. Cum enim alienis malis vix aliter commoveretur, ac suis; præsertim eorum, quibus familiarius usus esset: impetrare ab animo non potuit, quo minus suos in morbo cubantes inviseret, nobiles, ignobiles, viliores etiam servulos & aurigas. Ut minime mirandum sit, si ex contagione ipse quoque virulentos halitus intra viscera attraxerit. Quæ res fecit, ut asperrima hyeme, cum ultro citroque commeandum esset, curru pone vexillum vehi cogeretur. Reliquum autem vitæ tempus produxit vita frugali & temperantia insigni. Aiebat enim, non temere Diogenem stomachari in eos solere, qui, cum luxuriose vitam degerent, nihilominus pro valetudine bona, sacra Dijs facerent. Quippe singulos quodammodo in se habere facultatem, abstinentia & sobrietate conservandi corporis valetudinem. Sed nullius tanta est ingenij vis, nulli illud corporis robur, ut evitare omnia valeat mala, quæ naturæ imbecillitas ac fragilitas secum trahit. Postquam igitur Fabiano quoque

——*Felicior ætas*
Terga dedit, tremuloque gradu venit ægra senectus:

jam infesti, tetri, atque caliginosi vapores petebant officinam cordis; utque crebra affligeretur palpitatione nobilissimum viscus efficiebant: jam in articulos pedum manuumque defluebat tenue serum; ex quo tristis podagræ sensus concitabatur: jam in renibus collectum sabulum lapidescebat; unde atroces calculi dolores cooriebantur. Atque isti ubi radices semel egerant, ex imo erui fundamento minime potuerunt. Postremo autem quadrimestri ferociores etiam reddebantur. Neque tamen existimandum, Dhonanum de morte demum cogitasse, postquam molesta esse cœpisset

——*Tarda senectus,* *Virgil. Æneid. 9.*
Debilitans vires animi, mutansque vigorem:

aut ubi morbi præcipites atque impetuosi irruere cœpissent,

——*velut agmine facto.* *1. Æneid.*

Quin vero tota ejus vita, quod Philosophiæ proprium esse aiebat Plato, nihil aliud, quam mortis meditatio fuit. Quæ propterea mortis contemtum animo ejus induxerat. Mature itaque in lubrica adhuc vitæ statione constitutus, ad Prophetæ monitum, de domo sua disposuit, ac priusquam morbus ingravesceret, testamentum condidit. Eo hæredes ex asse nominavit fratris liberos: uti non modo dictabat amor; sed natura etiam, rectaque ratio flagitabat. Quamquam autem parili omnes affectu complecteretur: pridie tamen quam vita excederet, Christophoro, è fratris filijs natu minimo, quod clade Pragensi anni ↀ IↃCXX. majorem pene, quam ferendo foret, jacturam fecisset, liberalius aliquanto, ac cæteris, consulendum sibi codicillis putavit. Cumque prospiceret *Esai. 38.*

hunc

hunc in modum sanguine proximis : alterum tamen, quo præscripto religionis tenemur omnes, minime neglexit. Ex reliquis enim bonorum, quibus carere hæredes suos posse animadverterat, ita derivabat beneficentiam suam, ut inde partem haurirent famuli & affeclæ, ne minimo quidem ex domesticis atque familiaribus indonato abeunte : partem caperent invalidi senes, hominesque miserabiles in Nosocomijs, Xenodochijs, aut domi suæ paupertatem inutili pudore tegentes : partem denique cari auferrent consanguinei, propinqui, amici.

Ambros. lib. 3. de Offic. In qua dispensatione ei, ex mente B. Ambrosij, quasi norma quædam & velut amussis erat, fides sincera, & providentia perspicax : dabatque operam sedulo,

Gregor. par. 3. Past. admonit. 21. ut, quod B. Gregorius requirebat, charitas cum prudentia, prudentia cum charitate jungeretur. Quippe nisi in legando hac fuisset cautione usus, potuisset, opinor, idem ei objici, quod Diogenes cuidam sine judicio quidvis cuivis largienti : *Male sit tibi, qui Gratias, quæ virgines sunt, fecisti meretrices.* Vere enim prostituimus beneficia, non conferimus, nisi accipiant ij, qui vel egeant, vel opibus honeste uti sciant. Atque ut hic prudentia, ita in morbo fortitudo ejus eluxit : etiam cum pertinaces illi ex calculo dolores ac cruciatus indies invalescerent ; imò vim omnem spirituum ac corporis magis & magis resolverent ac labefactarent. Hic opinor, mollicellus aliquis, ac suo quondam judicio beatulus, nunc deserturus quicquid carum habuerat, vix lacrymas tenuisset. Dhonani vero

Sill. Ital. lib. 6.

——— *patientia cunctos*
Hos superat casus.

Nempe in illis acerbissimis doloribus innitebatur divini numinis providentia, & paterna ejus misericordia. Animo quoque abversabatur dictum illud aureum,

Epictet. ex Stoa profectum : Dolor omnis levis est, si ferre possum ; brevis est, si ferre non possum. Nec tum demum hæc discere coactus est : sed de cœlesti migratione, Deoque, æterno Spiritui, spiritum suum reddendo, à multis retro annis cogitationem crebro suscipere solitus erat. Atque hoc animo etiam olim in Gallijs balsamum ad pollincturam, & cadaveri involvendo linteum, pretio sibi compararat. Ergo ut recuperandæ valetudinis spes supererat exigua, vel potius nulla : vocavit ad se Danielem Spiellium, consulem Morungensem : cujus opera in re domestica, tum ipse usus fuerat diu, tum etiam fratres, ac horum liberi. Indicavit ei, ut recondita essent in cista balsamum, quod dixi, ac sindon : simul, quid ijs fieri velit, edocuit. Nam post obitum inungi jussit exanime corpus, ac linteo velari : at ne à pollinctoribus secaretur, interdixit. Atque hæc ille promere animo ita firmo, sermone adeo constante, ut prope dixerim mortem potius in timorem conjecturus videretur, quam ut eam ipse exhorresceret. Etiam addebat, gaudere se plurimum, quod brevi mors factura esset dolorum omnium finem. Ad cogitationem, vel mentionem mortis, nec tantillum moveri visus est. Nimirum hilari etiam vultu fatalem illum ictum excipere solent, qui ad eum se composuere jamdiu. Quanto autem magis videret, haut ita longam spem vitæ superesse, tanto ardentius ab rerum mundanarum cura cogitationes omnes ad Deum convertebat. Imò nihil jam vel adeo volupe erat, vel tanti ponderis, ut ultra adlubesceret, imò fastidio potius rerum caducarum ducebatur. Ut qui tantummodo meditaretur cœlestes illas lauticias,

quarum

quarum guſtum animo præcipiebat. Nimirum mentem extra morboſum corpus raptam, jam ſtricturis ſuis irradiabat, non gratiæ modo, ſed gloriæ quoque divinæ lumen: cujus fruitio quanta voluptate animos perfundat, nec lingua eloqui, nec cogitatione aſſequi poſſumus. Cæterum ita affecto Fabiano, ſuperaque ſolum cogitanti, unum tamen, quod ad vitam hanc pertineret, jucunditatem & lætitiam attulit non exiguam, non multo ante diem, qua exceſſit. Is nuncius fuit, de adminiſtratione Ducatus Pruſſiæ autoritate Regis tandem commiſſa Sereniſſimo Electori Georgio Wilhelmo: cui quidem jure nullo denegari is honos poterat: verumtamen multorum & vota & ſtudia longe alio tendebant. Itaque Electori, cum ipſius, tum publico nomine gratulabatur, quod non modo in ruborem dati eſſent ingrati patriæ cives, pacis turbatores, qui hactenus adverſati eſſent Principi optimo: ſed etiam, quod luculenta affulgeret ſpes, fore omnino, ut res Patriæ, Eccleſiæ, Principis, in melius deinceps verterent. Jamque vires quotidie ita collabi Fabiano, ut indicio ea res eſſet, extremam imminere diem, ad quam pijſſimus vir tantopere anhelabat. Quare priuſquam animæ illud, corporiſque divortium fieret; liberorum fratris tres natu majores, Fridericum, Fabianum, Abrahamum, humaniſſime arceſſit: venientes poſtridie Pentecoſtes lætus excipit: gratias ijs pro parendi iſtoc obſequio agit, blandeque alloquens, Hic, inquit, dies mihi natalis eſt: quem bis & ſeptuagies divino indultu, hac corporis animique compage celebravi, hodie extremum perago. Vos vero coram adeſſe mihi volui, non tam ut dextras jungere nobis liceret invicem, grataſque in his terris, & poſtremas cum gaudio

——*audire & reddere voces:* *Virgil.*

quam ut mutuo etiam hoc noſtro colloquio præludamus converſationi meliori longiorique, quæ in cœlis conſequetur. Eo jamnunc præibo, ſed lætiſſima vos fiducia præſtolabor, eluctatos aliquando ex furiali hujus vitæ Oceano, ut ante divinæ majeſtatis thronum in ſinu Chriſti Soſpitatoris, in Angelorum contubernio, in ſocietate Eccleſiæ triumphantis, in conſpectu tot majorum noſtrorum, non deſituris unquam; neque remiſſuris delicijs una perfruamur. Accedebant amplexus mutui & arctiſſimi; addebantur oſcula, quæ gemitus jam intercipiebant, jam ingeminabant: lacrymis denique ultro citroque obortis dubium reddebant ſinguli, utrum majori ab ſe moleſtia divellerentur, an cupidius exſpectarent conjunctionem illam in cœlis futuram. Tandem abitum parant Fridericus & Fabianus, ut publicis comitijs, quæ Regiomonti agebantur, ex officio intereſſent: cum patruus, ductis ex imo pectore ſuſpirijs: Ite, inquit, ſuaviſſimi nepotes. Deo vos, veſtro publicoque bono, commendo. Nulla equidem viſendi vos amplius in hoc terrarum orbe facultas dabitur: at dabitur in altero, melioreque mundo palatium amœniſſimum; ubi congredi ſine laſſitudine, colloqui ſine ſatietate, vivere ſine tædio, tempore, modo, poſſimus. Præ illa vita hæc vita mors eſt, cujus me vere tædet: illam ſpiro, ſperoque: hoc uno lætus maxime, quod fiducia certiſſima, nec ulla dubitatione convulſa, vitam æternam animo jam deguſto, eamque jam nunc aditurio. Poſtquam hi digreſſi, nulli, ut ante, patere ad ſe acceſſum voluit; nec quenquam ſuſtinuit audire, qui de rebus hujus ſæculi quicquam referret. Tunc nempe credibile eſt, veterem ho-

minem in toto corde domari, quando aliunde, ut pulcre Augustinus monet, minime aliud cogitatur. Unus, isque assiduus ei, propeque accubuus, præter clinicos, aderat præco verbi divini, qui, nunc sacris verbis, præire ægro, nunc ijs interfari. Quibus Dhonanus perinde ex pectore suo eliciebat preces, atque ex chalybis, siliciisque attritu, micantes flammas resilire advertimus. Precationes antea à se compositas, de fonte sacri codicis hausstas, ex legentis ore inscribebat cordi, & Suspiria sua suspirijs sibi applicabat. Usque adeo in oratione non deficiebat, quamdiu vitæ ullus supereſſet spiritus: quem ille pridie Nonas Junij extremum commendavit Deo, placideque adeo reddidit, ut somnum capienti similior videretur. Dhonanum vere jam undique felicem! imo nunquam futurum felicem, nisi ad hunc beatitatis portum vela remosque convertisset. In terris cum beare videbantur, prudentia, virtus, honor, potestas, divitiæ, deliciæ. Quanto nunc illa omnia sunt precioſiora in cœlis! In terris magnum erat, doctrina atque usu consecutum fuisse, quicquid prope in hominem cadere possit. Sed per nebulam sese offerebant universa. Cœlum omnia sine errore exhibet speculo purissimo juxta & amplissimo. In terris ad amorem Dei, & proximi dilectionem, ita consilia sua referebat, ut gratus Deo, gratus hominibus esset; ijs etiam, qui instituta ejus non undiquaque comprobarent. Sed deficiebat sæpe conatus in communi imbecillitate, quam longanimus Deus tolerare solet. In cœlis omnem omnis virtutis apicem tangit: quippe ubi Christi perfectio nostra sit; ex cujus plenitudine accipimus, quotquot jus filiorum consecuti sumus. In terris proxime assidebat magnatibus: crebro etiam Principibus, quandoque Regibus, vel etiam Cæsaribus. Sed illa dignitas erat desultoria. In cœlis, postea quam vicit, dedit ei Christus assidere sibi in throno suo, quemadmodum ipse vicit, sedetque in throno Patris sui, Principis regum terræ; Regis regum, ac Domini dominantium. In terris potestatem exercebat non tantum territorio suo in subditos proprios: sed etiam in milites, vel cives illos, quos principalis ei commiserat auctoritas. Verum potestas illa etsi humano judicio videretur esse in multos, paucorum tamen erat mortalium, pauciorumque annorum, si cum novo hoc imperio conferatur. Illic enim constitutus est cum servo fideli super omnia bona cœlestis patrisfamilias: illic possidet paratum sibi regnum à constitutione mundi, quod seclis durabit innumerabilibus. In terris, etsi non Crœsi alicujus, luculentis tamen opibus affluebat: unde magnificus ei apparatus erat, & vitæ cultus cum elegantia ac splendore, uti genus ac fortunam decebat. Sed opes istæ varijs casibus obnoxiæ erant. In cœlis divitiæ illi sunt orbis universi auro longe potiores: quippe ubi Deus omnia sit in omnibus. In terris lætitiam afferebant fama bona, quæ longe lateque vagabatur, principum gratia, qua præ alijs florebat; consuetudo familiaris, quæ cum præstantissimis viris intercessit; filiorum fratris virtus, cui & honores summi deferebantur. Verum hisce cunctis tantum aloes admistum erat, quantum mellis: nimirum

Augustin. in Psal. 118.

Ode lo cxxi.

Joan. 1.

Apocal. 3.

Matth. 24.

1. Corinth. 15.

Juvenal. Sat. 10.

——— *prospera tanti,*
Ut rebus lætis par sit fortuna malorum.

Esai. 66.

In cœlis autem Dhonanus ejusmodi perfunditur gaudio, quale nec conspexit ullus, nec fando accepit, nec capacissima etiam mens comprehendit. Si locum

quæramus,

quæramus, altiſſimus eſt, tutiſſimus eſt. Nullum enim malum accedere poteſt, nec flagellum appropinquare tam ſecuro tabernaculo, cujus portarum ſeras ipſe Sionis dominus corroboravit. Hæc ſola ſunt, quæ hominem poſt obitum vere reddunt beatum: non exequiarum luxus pompaticus: non ſi oſtendantur picti vultus

1. *Corinth.* 2. *Pſal.* 91.

Majorum, & ſtantes in curribus Aemiliani:

Juvenal, Sat. 8.

non Mauſolea inſani ſumtus. Cujus generis omnia Dhonanus, cum ſuperſtes de funere ſtatueret, penitus refugit. Atque idem nec epigramma Campana dignum ſuperbia, uti Nævius olim, ſepulchro voluit inſculpi: ſed iſtis orbis ineptijs longe ſegregatis, ipſe ſibi lemma delegit plenum ſimplici gravitatis: quæ Germanos neutiquam deficit. Sic enim ſibi parentat Dhonanus: ſicuti Morungiæ inſcriptio habet in templo, ubi terræ mandatus eſt:

Gell. lib. 1. *c.* 24.

Niemant mein todt bewcinen ſoll,
Ich leb in Godt, undt mir iſt wol.

O felix funeris ſui cantator Dhonanus! Nec diffiteor, Ennium quodammodo præſſe videri, ut qui verſiculos hoſce, quos ipſe fecerat, ſepulchro ſuo juſſerit incidi:

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletum
Faxit. cur? volito vivu' per ora virum.

Cic. 1. *Tuſc. Quæſt.*

At, pro Deum immortalem, quam diſpar, quam iniqua eſt comparatio amborum! Quantillum enim juvet, ſi non alio beati ſimus, quam quod labor noſter ad exiſtimationem poſteritatis dimanet! Verum enimvero illa ampliſſima lus, illa felicitas ſuprema, quieſcere in ſinu Dei, atque ejus intuitu frui. Ille Dei intuitus, nunc incredibili Dhonanum gaudio perfundit: fruitio illa innumerabiles ei voluptates parit. Siquidem creatura ipſe arctiſſime nunc ſociatur cum creatore ſuo: liberatus omni malo, conjungitur cum ſummo bono: periculi ac doloris expers, diem agit ſemper ſecuram, ſemper lætam. Verum mihi in hac infantili tantarum rerum conſideratione, ſolum balbutire datum eſt, adeoque

——*vox faucibus hæret:*

Virgil.

ut ſi maxime nolim, orationis filum abrumpere neceſſe habeam. Facio hoc tanto æquius, quia Dhonanus non amplius indigus eſt laudis humanæ; imo omni terrarum præconio longe eſt major, poſtquam coram ſacra Triade, & immenſo Beatorum cœtu, palma decoratur, lauru redimitus, Deum & cœlites aſſidue laudat, ſimulque cœlites ipſos ſui laudatores accepit.

Gaude igitur, Dhonæe, tua novus incola ſede,
Quæ datur aſtriferi ſuper aurea mœnia templi.
Nempe tua hic verum nebulis mens libera cernens,
Eſt potis abſtruſas rerum cognoſcere cauſas.
Cimmerias inter tenebras nos error opacat,
Vanaque pro vero ſe oſtentat opinio menti.
Clara tibi facies in aperta luce Tonantis:
Unde tuis oculis myſteria cuncta pateſcunt.
Nos quaſi ſub velo lumen cæleſte videmus.
In ſacris mutila eſt humana ſcientia rebus.
Jam tua ſupremo virtus ſe culmine librat,
Et dudum perfecta gradus ſupereminet omnes.
At nos cum vitijs turpi luctamur arena:
Imperfecta ſuo luget ſe nomine virtus.
Pax tibi, pax ſemper placidis adremigat alis,
Aſperaque excluſo miteſcunt ſecula Marte.
At nos perſequitur flagro furialis Enyo:
Incitat ardentes in nos Bellona quadrigas.
Undique te ſatiat dulcis ſine fraude voluptas:
Exultat ingratus læto Vertumnus Olympo.
Nunquam pura manet nobis ſine felle voluptas,
Sollicitumque aliquid lætis intervenit auſis.
Dulce ſodalitium quovis te cingit euntem,
Aligeri fratres, atque agmina denſa piorum.
Nobis obſcœni res eſt cum fece popelli,
Cui ſubleſta fides, & frons ſine frontis honore.
Gaude igitur, Dhonæe, tua novus incola ſede.

FRI-

FRIDERICI SPANHEMII,

Acad. Lugd. Bat. p. t. Rectoris

LAUDATIO FUNEBRIS

CELSISSIMI HEROIS

FREDERICI HENRICI

Invictissimi ARAUSIONENSIUM

Principis, Nassoviæ Comitis, &c. *Excelsæ Memoriæ*

Dicta Leidæ iv. Eid. Mai. cIↃ IↃ cxlvii.

CELSISSIMO PRINCIPI

GULIELMO.

DEi gratia Principi Auriaco, Comiti Nassoviæ, Cattimeliboci, Viandæ, Dietzis, Lingæ, Meursæ, Buræ, Lerdami, Veræ, Vlissingæque, Marchioni Bredæ, Gravæ, Ditionis Cukianæ, Diestæ, Grimbergæ, Herstalli, Cranendoncki, Varnestoni, Arlæi, Noseroci, S. Viti, Dasborchi, Polani, Wilhelmottadii, Nivarti, Iselsteini, S. Martinodici, Montis Gertrudis, Castellorenardi superioris atque inferioris, Swaluwæ, Domino Baronique Antuerpiæ, Bisontij, Burgravio Hæreditario Hollandiæ, Hæreditario Marschalco, Geldriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Westfrisiæ, Zutphaniæ, Ultrajecti ac Transisulaniæ Gubernatori, Fœderati Belgij terra marique Imperatori, paternæ & avitæ virtutis ac gloriæ Hæredi Unico, Genero Regio,

Laudationem funebrem invictissimi parentis excelsæ memoriæ

D. D. C.

Fridericus Spanhemius.

APud erectas Gentes in more olim positum, Heroum suorum funera delubris clausis, indicto justitio, sordidato vultu, scissis vestibus, publico planctu, repetita sui doloris ac virtutis sibi ademptæ commemoratione, immo externatis propemodum animis efferre. Nec id abs re factum videri debet. Ut enim Luminum, quæ diem distinguunt & noctem, defectiones cum horrore in cœlo observantur, sive quia Natura vim pati videtur, sive quia in publicas calamitates, mortalium generi exitiosas exire solent: Sic Optimorum Maximorumque in terris Principum mortes non minori animorum

animorum conſternatione excipi debent, quippe quæ fatalem rerum publicarum converſionem, ne dicam occaſum, portendere videntur. Haudquaquam itaque mirum, ſubducto Nobis & Orbi Chriſtiano Incomparabili Heroe, *Friderico Henrico Naſſovio*, Belgicæ rei, poſt Deum immortalem, retro Statore; Patres, Aulam, Nobilitatem, Curiam, Militem, Plebem, omnem Ordinem, ætatem omnem, immo totam ferme Fœderatam Belgicam in unam Bataviæ Urbem effuſam, ad ſplendidum *Naſſovicæ* Gentis, vel Virtutis potius & Gloriæ Tumulum, publicum totius Patriæ luctum, ferali pompa, & omnibus per quæ ſerius mœror ſe exonerare ſolet, officijs heri depoſuiſſe. Nec mirum, tanti Principis clientem Academiam maximum hoc funus hodieque in ſolemni panegyri mœſtiſſimis animis commovere, & alta ſuum do'orem voce apud omnes, immo & duraturis aliquando, quod vovemus, monumentis ad omnem poſteritatem teſtari. Minus adhuc mirum, Auditores, me tanti luctus interpretem apud vos publica auctoritate conſtitutum, animum de gradu dejectum, & velut à ſeipſo deſertum in hanc Cathedram, hodierna die, in qua pietas potius quam dicendi vis commendari debet, adferre. Sive enim Principem nobis ereptum, & cœlo tranſcriptum, ſive communem afflictæ Reipublicæ cladem, ſive lugubrem mœrentis Patriæ habitum, ſive vultus veſtros, mœſtos, dejectos, attonitos, ſive inuſitatam hujus loci faciem, hos parietes inſolita veſte horridos, hanc Cathedram funeſto apparatu inſtructam, & atratam intueor, ea doloris irritamenta ubique reperio, quæ vel conſtantiſſimam mentem percellere poſſunt & perturbare. Si quis in juſtiſſimo iſto omnium luctu, ubi nihil niſi mœror, ſqualor, & publica velut orbitas ſe omnium oculis ingerunt, exquiſitam in dicendo curam adhiberi poſſe cenſet, ille nec magnitudinem mali noſtri intelligit, nec animi cum gravi calamitate luctantis æſtum perſpectum habet. Enimvero, quam magnis olim Oratoribus Centuriones, Cohortes, armata Comitia, & perturbata judiciorum forma pro roſtris incuſſere trepidationem, illam omnia quæ nos circumſtant, immo vel ſolius, quod hunc diem propemodum nefaſtum facit, argumenti tuneſta cogitatio nobis injiciunt. Colligendus tamen eſt animus, cum bono Deo, nec juſta tibi, Invictiſſime Heros, trepido vultu, qualem nunquam niſi in hoſte viditi, ſed erecto & ſibi conſtante animo, qualem per medios hoſtium globos ubique victor circumtuliſti, facienda ſunt, & quod à noſtra imbecillitate exſpectari non poteſt, ab animi tui magnitudine, & à maximarum tuarum virtutum recordatione nobis petendum eſt. Quia vero de tanto Heroe dicendum, qui rerum geſtarum multitudine Annales, gloria orbem implevit, quem nec virtutibus ejus modum ſtatuere poſſumus, nec laudibus debemus, cum Orationi noſtræ ſtatuere cogemur, illorum morem ſequuti, qui ampliſſimos terrarum tractus, quibus cum paria facere tabellæ magnitudo non poteſt, deſignant potius quam repræſentant. Ne de Panegyricorum quidem legibus anxie nobis cogitandum exiſtimamus, quas ut nec ignoramus, nec alijs invidemus, ſic nobis hic non figimus. De Principe loquimur non obnoxio iſtis imperijs, cujus Majeſtatem liberius nobis vel ſequi licebit, vel lugere. Eum ſane & adoleſcentem, & juvenem, & virum, & privatum, & Imperatorem, in caſtris, in acie, in aula; & in eo ipſam virtutis imaginem vobis exhibere, veſtra & noſtra potius intereſſe cenſemus, quam inani verborum apparatu, ad oratorias leges compoſito, illuſtriſſimum hoc Auditorium circumducere.

Que-

Quemadmodum vero aſtri, quod diem facit, quando è nocte emergit, ortus non ſine admiratione ſpectatur; ſic ipſa Heroum origo dignißimum ſui ſpectaculum præbet. Hanc ab auguſta *Naſſoviorum* Gente noſter habet, quæ nec taceri ob ſummum ſplendorem debet, nec pro dignitate hic commendari poteſt. Hiſtoriæ ea argumentum eſt, non Orationis. Antiquitatum vis, ſupra mille ſexcentorum retro annorum vetuſtatem multis aſſurgere videtur, qui *Naſuam* antiquißimæ Suevorum gentis Ducem in Julij Cæſaris Commentarijs legunt. Ad Equitem quendam Romanum ejuſdem Cæſaris militiam amplexum Naſſoviorum ſtirpem referunt alij. Sed ut maximorum etiam fluminum ortus latent: ſic & illuſtrißimarum, quod & ipſum ad Majeſtatem facit, familiarum origines in abdito ſunt, ſive quia priſcorum ſimplicitas de ſua potius virtute quam de Majorum imaginibus ſolicita fuit, ſive quia monumenta id genus temporum iniquitate nobis interverſa fuere. Quamvis vero haudquaquam ad nomina vel ſubleſtæ, vel ambiguæ ſaltem fidei aſcendamus, nec Severi Imperatoris tempora putemus, quibus in Theodoſio quodam Naſſovios vel reperiunt alij vel quærunt, nec Didierios, Walravios, & Geroldos Naſſovios è ſexti ſeptimive Seculi caligine erutos repetamus, majori fiducia ad Henrici Aucupis Imperatoris Romani tempora, adeoque ad ſeculum à Chriſto nonum, itur, quo Illuſtrißimam Naſſoviorum gentem jam claruiſſe, & Otthonis Naſſovij bello Pannonico præfecti expeditio, & Haſtiludiorum indices, & inſtrumentorum aliorum documenta probant. Dignitatem quæris & ſplendorem, plures Gens iſta maximorum exercituum Imperatores, Geldriæ & Zutphaniæ per trecentos triginta & amplius annos Dominos, Belgio univerſo in Engelberto præfectum, quinque Moguntinæ & Trevirenſi Sedibus Electores, Diethericum, Gerlacum, Joannem, & Adolphos duos; Immo & ante quatuor propemodum Seculorum decurſum in *Adolpho Naſſovio* Cæſarem Imperio Romano dedit, &, quod ominoſum Nepotibus, Principem jam tum cum Auſtriacorum odijs & æmulatione commiſſum, nec humana, ſed fatali ultione vindicatum. Nec parum decoris ad ſplendidißimæ Gentis dignitatem accedit, quod præter Auſtriacas, Bavaricas, Sabaudicas, Lotharingicas, Haſſiacas, aliaſque, Electorijs etiam, immo Regijs affinitatibus jam pridem clariſſima fuit. Potentiam ſpectas, ampliſſimas *Naſſoviorum* Gens in Norico, ad Rhenum, Lanumque, in Menapijs, Sicambris, Advaticis, Batavis, Mattiacis, Æduis & Sequanis ditiones retro tenuit, Arauſionenſem etiam Principatum in *Renato Naſſovio* à Philiberto Cabilono, ſub quo Roma tremuit, cum ſupremo jure Anno clɔ Iɔxxx. accepit. Amplitudinem æſtimas, Illuſtrißimas magno numero Familias deprehendes, Wisbadenſem, Wilburgenſem, Dilleburgenſem, Saræpontanam, Solmenſem, Idenſteniam, Beilſteniam, Dietziam, aliaſque, quæ Naſſoviorum ſtirpem ſuæ originem gratis animis fatentur. Decora Gentis deſideras, non Principes tantum, ſed Heroas etiam dedit, nec rara quadam, ut in alijs familijs, fætura, ſed velut hæreditaria inclytæ ſtirpis felicitate. Quicunque Otthones, Robertos, Engelbertos, Philibertos, Adolphos, Renatos, Gulielmos, Ludovicos, Philippos, Mauritios, Erneſtos, Caſimiros, alioſque, totidem belli fulmina ignorat, qui ſuam Saracenis in Syria, Turcis in Pannonia, Chriſtianis in varijs Europæ regnis, immo & Indis alio Sole calentibus, fortitudinem extra Europam probarunt, per quos etiam Auſtriacorum tituli, Principatus, Regna crevere, illi

parum

parum cum rerum & temporum notitia, minus cum Faſtorum & Annalium monumentis commercij eſt.

Quamvis vero vel à ſolo *Gulielmo* Arauſionenſi, Herois noſtri Parente, Naſſovici generis ſeries arceſſenda foret, ſatis ille decoris in Gentem ſuam inuſitata animi magnitudine intulit, ut vel ſplendidiſſima cenſeri poſſit. Nemo ſane de tanti Principis virtutibus ſine ſtupore cogitare poteſt, qui maximos ex tota antiquitate Heroas vel expreſſit, vel ſuperavit. Cujus juventus Aulam inter & Caſtra exercita, arcanorum & negotiorum capaciſſima indole ſe ſagaciſſimi ingeniorum arbitri Imperatoris amori judicioque ita commendavit, ut in majorine gratia an exiſtimatione apud ipſum fuerit, inter incerta haberi poſſit. Enimvero non interioris admiſſionis, ſed primæ apud ipſum fuit, & juvenis etiam, ſive conſilijs admotus & legationibus, ſive militaribus imperijs, & maximis Ducibus oppoſitus, omnes admirationis implevit. Immo in tam flagranti apud *Carolum* gratia fuit, ut nec tranſlationis Imperij in Ferdinandum fratrem, nec Belgij in Filium Hiſpaniarum Monarcham alius præter ipſum vel arbiter eſſet, vel interpres. Nec *Philippus* quicquam unquam gravius luit, quam quod plus aliorum odijs tantam virtutem minus comiter habendo, quam Patris commendationi eam demerendo tribuit. Cui, per Granvellani artes, Albani immanitatem, afflictique Belgarum populi calamitates irritatæ, nequicquam multorum regnorum potentiam, immo omnem ſui Tagi & Indorum gazam oppoſuit, donec qui virtute vinci non poterat, ſubornato percuſſore, flagitio ad omnem poſteritatem infami, tolleretur. Invicto iſti Principi Gens veſtra, Auditores, vitam debet & ſpiritum, poſt Deum immortalem, & quicquid vel magni pro Libertate geſſit, vel cum ea hoſti extorſit. Quæ quanta ſint, hodie demum intelligere videtur. Nec alium noſtro Heroi Patrem eſſe decebat, quam qui & libertatis veſtræ Parens eſſet. Majorem ſane ea ætate habere non potuit. Ne Matrem quidem, qui tantus eſſe debebat, habere debuit, quæ non Heroum ſanguis eſſet. Fuit ea *Aloyſia Coliniz*, Illuſtriſſima & Magni animi fœmina, *Gaſparis Colinij*, Maris in Franciæ Regno Præfecti filia, quo majorem conſilio, magnanimitate, rei militaris ſcientia, & quod caput eſt, pietate ac integritate Gallia ſeculo ſuperiore non vidit. Quippe qui, rebus maximis pro ſuo Rege geſtis, potentiſſimi Regni vires, quorundam artibus non ſemel in ſe converſas, exigua manu ſuſtinuit, retudit, fregit, ac tandem intrepida, qua ſuum fatum & latronis ferrum excepit, conſtantia hoſtibus ipſis ingentem ſui admirationem reliquit. Tantis Parentibus nihil naſci potuit niſi magnum & inſolitum. Nec Germani Gallicique ſanguinis miſtura Heroi noſtro ſine divino munere obtigit, ut, qui maximus eſſe deberet, utriuſque Gentis toto Orbe clariſſimæ decora temperamento ſingulari unus referret. Et ut Natura, antequam deficiat, defectionem ſui niſu extraordinario vel ulciſcitur, vel compenſat; ſic & in ultima *Gulielmi* prole totum illum Heroem Orbi repræſentatum voluit, paucis menſibus antequam milleſimo quingenteſimo octogeſimo quarto, qui & Noſtro natalis fuit, Anno, conducto iſto parricidio, quæ ſeculorum noſtrorum regias etiam mortes licitantium infamia eſt, periret. Ita cunas Heros noſter ſanguine paterno propemodum conſperſas habuit, ut & in ultionem Summi Parentis natus videretur, & ad Belgicæ libertatis vindicias ſuprema Patris voce vocari. Ipſa vero *Delphorum* Urbs, quæ piaculari flagitio

Gulielmum

Gulielmum ſibi & bonis omnibus ereptum vidit, *Fredericum Henricum*, velut alterum Libertatis vindicem, prima naſcentem excepit. Et quamvis præclaris ſe ornamentis commendet, majus tamen non habet, quam quod ei ex tanti Principis natalibus accedit, & quod fidiſſima magnorum cinerum cuſtos illos Heroas condit, quos Orbis univerſus ſtupet.

Pueritiam Heros noſter ſub Heroina Matre, adoleſcentiæ partem aliquam, ſub Jani Douzæ inſpectione, in noſtra Academia, quæ de tanti alumni manu Albo ſuo Kal. Jan. Anno cIↃ IↃ xciv. inſerta merito ſibi gratulatur, majorem ſub *Mauritio* fratre in caſtris & actu rerum exegit. Quem ſimul & Ducem habuit, & Patrem, & in eo omnia reperit, quæ excelſam indolem ad omnem virtutem formarent. Enimvero ea *Mauritij*, juvenis etiam, initia fuere, quæ non modo omnium exſpectationem, ſed & admirationem anteverterent. Uſque adeo nullum unquam è ſcelere compendium exſpectari debet, ut pœnitentiam parricidij in *Gulielmo* admiſſi, admiranda *Mauritij* virtus, & par ei felicitas hoſtibus ſine mora expreſſerint. Et ſane tanta victoriarum ejus ferme fuit præcipitatio, ut, quamvis maturo conſilio omnia ageret, non annos tamen, nec menſes, ſed dies propemodum victorijs diſtingueret. Alexandri Farneſij Ducis veterani adultam virtutem adhuc imberbis ſiſteret, & Fœderatæ Belgicæ ad extrema conſilia triſtiſſimis temporibus converſæ paucis annis non ſecuritatem ſolum pareret, ſed & ſplendorem, immo Gentem ad dominatum Europæ magnis paſſibus gradientem, velut mole aliqua objecta, intra crepidinem ſuam ſe cohibere, & ſua tueri doceret. Sub tanto Duce, cui Fœderatus Belgarum populus ſuum robur, Orbis Europæus diſciplinæ caſtrenſis inſtaurationem, omnes potentiæ Hiſpanicæ ſufflaminatæ fructum, Duces bellandi artem, Mathematici ſuæ in caſtris uſum, Mechanici ignotas etiam retro machinas debent, adolevit Heros noſter, & magna exempla vidit, expreſſitque. Eſt equidem in generoſo ſanguine occulta quædam ſpirituum velut cognatio, & vis latens, quæ capacem omnium indolem ad honeſti æmulationem è propinquo potentius accendit. Hinc Noſter fraternas victorias ſuæ virtutis cotem, ejuſdem gloriam ſuæ antecambulonem cenſere, arma tractare, caſtrenſem diſciplinam diſcere, hoſtem laceſſere, cominus pugnare, ſtanti inſtare, modo militem, modo Ducem agere, corpus ad laborem & tempeſtates durare, regionum, urbium, munimentorum, vallorum, caſtrorum ſitum, fluminum oſtia, alveos, flexus, maris, littorum, ventorum rationem & vices explorare, *Mauritij* inſtituta, conſilia, imperia excipere, & in uno ejus exemplo omnia militis, omnia Ducis officia obſervare. Studebat in iſta etiam ætate generoſa indoles ſe dignum Patre, dignum Heroica Naſſoviorum Gente fingere, & ſua virtute pijs *Gulielmi* manibus parentare. Nec ſtimulanda iſta indoles erat, ſed retinenda tantum. Ducem Patriæ debebat, Fratri ſucceſſorem, & ſervandus erat, ut ſervaretur Reſpublica. Et ut *Mauritius* illi nec affectum deeſſe patiebatur nec curam, ſic Noſter eum non ut fratrem ætate majorem, ſed ut Parentem alterum, ad extremam uſque ætatem, conſtantiſſima obſervatione coluit, adeo quidem, ut nullam unquam delibatæ poteſtatis vel dignitatis ſuſpicionem ne adultus quidem, illi moveret, quod quam rarum ſit in lubrico ætatis & gloriæ, talium docti norunt. Una utrique ad ſummam virtutem enitendi erat æmulatio, liberam quam à Patre accepiſſent Rempublicam tuendi, & in majus quoti-

die provehendi. Nec prudentiæ civilis, & Reipublicæ gubernandæ præcepta minus, quam belli artes à *Mauritio* Noſter habebat, quæ ita alter docuit, alter excepit, ut hoc unum egiſſe viderentur. Ita nihil attingebat lectiſſimum hoc Fratrum par, in quo non capaciſſimum omnium animum ad ſtuporem ubique omnibus probarent. Incidebat in ea tempora Montis-Gertrudis obſidium, quem *Mauritius* inuſitata corona cinctum ſe victori permittere coegit. Illi Noſtrum licet adoleſcentem præfectum voluit, Duyvenvordio Satrapa Optionis vicem juventuti ejus admoto, ut ad maxima quæque ſurgentem indolem mature ejuſmodi imperijs exerceret, quæ præter fortitudinem prudentiam exigerent & formarent. Mox Heros noſter iter Gallicum cum Heroina Matre, deducendæ *Carolottæ Brabantinæ* ſorori ad Illuſtriſſimum in Armoricis & Pictonibus Regulum *Claudium Tremollium* Franciæ Parem, ingreſſus ſuam *Henrico Magno* indolem probavit, & tanti Regis applauſum in iſta etiam ætate meruit. Redux in ſupremum Status Conſilium allectus, incunte hoc ſeculo inter Patres, quoties per armorum vices licebat, ſedere cœpit, arcana Reipublicæ, & ardua negotiorum domi foriſque obſervare, ut nonniſi omnibus curis par, & gubernandi vetus ad Rempublicam regendam aliquando accederet. Nunquam equidem felicius cum rebus publicis agitur, quam ubi illi, qui ad clavum admoventur, eorum uſum habent, quorum poteſtatem habere debent. Heros noſter animo omnibus negotijs pari ita fortitudinem Fratri probabat in caſtris, ita arcanorum ac conſiliorum capaciſſimam mentem domi probabat Patribus, ut *Mauritij* cœlibis viduitatem ſolus Patriæ excuſaret. Nulla enim videbatur metuenda orbitas, dum ille ſupereſſet, qui & Patris prudentiam, & Fratris fortitudinem unus conjungeret, & æquaret. Mox maximam de ſe exſpectationem Noſter excitavit, quum in dubio illo ad arenaceos Flandrorum colles prælio nullis vel monitis vel precibus vix à ſedecim annorum adoleſcente impetrari potuit, ut ſe Patriæ ſervaret. Omnia non tantum in ancipiti, ſed deſperata propemodum erant. Exercitus fœderatus nonniſi ad prædam opportunus videbatur in hoſtico, mari intercluſus & potentiſſimo hoſte, eoque recens victore, & ſub oculis ſuorum Principum, quod ad victoriam valere ſolet, pugnaturo. Vel mare epotandum erat, vel perrumpendi hoſtium cunei. *Mauritius* inſtare, noſter recuſare, nihilque imperiorum deprecari, niſi quæ unam communis periculi ſubeundi gloriam ſibi interverterent. Creſcebat illi animus cum periculi magnitudine, nec Naſſovicum nomen decere cenſebat, hoſti tergum vertere, vel de ſua ſalute in conſilium ire, ubi de Reipublicæ ſalute ageretur. Ita periculi particeps, gloriæ quoque fuit. Naſſovicus ſanguis integer de hoſte triumphare debuit. Sole etiam in ſocietatem pugnæ vocato, & vento inter inſtrumenta victoriæ adhibito. Illi etiam & toti quidem ultionis *Adolphi* ac *Gulielmi*, & ſervatæ Reipublicæ gloria conſtare debuit. Imperterritum Herois noſtri animum ſpectabat cum gaudio in iſta ætate *Mauritius*, ſuſpiciebat Hoſtis, jam tum præſagiens, fatalem ſibi virtutem fore, quæ in adoleſcente triumpharet. Major jam videbatur Patribus, quam qui vel ætatis imbecillitatem minoribus imperijs lueret, vel eandem infra dignitatem exigeret. Anglicarum itaque copiarum, quibus potiſſimum exercitus Belgici robur conſtabat, Franciſco Veerio miſſionem petente, præfectura illi in caſtris ante Graviam demandata fuit, mox totius Equitatus, quam utramque ita admi-

miniſtravit, ut & fidem Reipublicæ, & prudentiam Fratri, & militi auctoritatem ſingulari animi moderatione temperatam commendaret. Ea quæ cum imperio illo geſſit, quamvis per ſe magna, hic dicere ſuperſedeo, quia majora dicenda ſunt. Taceo generoſum facinus, quo omnem Mendozæ veterani Ducis calliditatem eliſit, & ſibi Gallicæque Nobilitatis flori viam fecit, ex inſidijs in quas præcipitaverant eluctandi. Eodem animi robore ad Roram amnem cuneis hoſtium undiquaque cinctus, & denſa ſcloporum grandine ac flammis obrutus Ludovici Velaſci equitatum, & media agmina perrupit, & exemplo ſuo oſtendit, magnæ virtuti, & in periculis ipſis creſcenti callem ſemper ad gloriam & ſalutem patere. Ipſa cæteroquin Graviæ expugnatio, fani Georgij & aliorum circa Brugas munimentorum occupatio, Brevordæ recuperatio, Verdugi clades, præſidia Rhenobergæ & Meurſiæ, terror Venloæ, potentiſſimo exercitu nequicquam obſtante, illata, vix viginti annorum juveni ingentem gloriam peperere, quarum ſub *Mauritio* victoriarum inſtrumentum potiſſimum fuit. Quid poſſet in caſtris, ne Hoſtis quidem diſſimulabat, & quanvis felicitati ejus invideret, virtutem tamen odiſſe non poterat. E pulvere militari ad ſplendidam legationem à Patribus traductus, ei etiam ſe parem in iſta ætate præſtitit. Non negotia tantum, ſed & Majeſtas Reipublicæ Potentiſſimo Magnæ Britanniæ Regi repræſentanda erant. Ei rei Noſter delectus. Et quamvis nihil vel ad ſplendorem, vel ad affectum in eo excipiendo maximus Rex prætermitteret, hoc tamen deerat, ut ſciret, ſi per fatorum leges licuiſſet, quam ſanguini Naſſovico ſponſam debiturus eſſet aliquando regius Britannorum ſanguis. Legationis pro dignitate & ex uſu Reipublicæ geſtæ præmium redux à Patribus tulit, Flandriæ totius, qua patebat Ordinum imperio, Sluſa à Mauritio occupata, præfecturam, ſed majus à ſua virtute & propiori hoſte, crebras victorias, & ex ijs gloriam, verum generoſarum mentium pabulum. Ob id unum bello interdum minus æquus videbatur, quod multo ſanguine vincendum eſſet, quem tota vita ſervare malebat quam fundere, quotiens humanitati locus eſſe poterat inter ardua bellorum. Nec ſane vel Erckelij incenſi dirutique, vel peruſti populatique Limburgenſis agri alia præter hoſtis pertinaciam cauſa fuit. Una noſtro cura, armorum potius terrore quam vi reluctantes cogere, ut felices eſſe vellent. Habet hoc generoſa indoles, ut tantum abſit à crudelitate, quantum abeſt ab ejus cauſis. Succeſſere mox mitiora tempora, & ferrum quod vi Genti veſtræ excuti non poterat, Caduceatorum regiorum interventu, pararijs etiam Regibus, ad tempus conditum fuit. Nec tamen Herois noſtri virtuti area deeſſe debebat. Exhibuit illam Juliacus ager, in quo Anholtij equitatum peditatumque magno animo fudit, & hoſtilia arma Juliaco avertit, præſidio audaci facinore in urbem immiſſo. Sequutum non ita multo poſt bellum ad vetus Brunonis oppidum, ſua magnitudine & virtute clarum. Venit eo noſter, vidit, vicit, & ſolo adventus ſui terrore, libertate urbi, gloria ſibi, ſuæque genti parta famam victoriæ propemodum redux antevertit. Præterquam vero quod expeditio iſta ingloria non fuit, ne ſterilis quidem fuit, ſed Herefordiam Patrum imperio adjecit, & Marcano Comitatui ſecuritatem peperit. Aliorum vindex ſuus etiam eſſe debuit, & aviti Principatus, quum moles Arauſionenſi rupi ſuperſtructa, Philippo Auriaco extincto, cuniculos admittere videretur, qui ſine dolabra & ligone aguntur. Conſilio opus erat & Majeſtate. Utrumque Arauſionen-

ſionenſibus Heros noſter exhibuit, & Principatum ſub Fratris imperium accepit, firmavitque, ac Regio Lutetiæ Pariſiorum, Pontificio Avenione apparatu exceptus, utrobique admirationem ſui reliquit. Nec infelicius ceſſiſſet Noſtro animoſa illa in Nemetes & Vangiones excurſio, ſi quantum in hoſtem potuit, tantum potuiſſet in ſocios, & fatales illas conſiliorum, ut molliſſime loquar, moras, minus graves, ſi ſolis earum auctoribus tales fuiſſent. Autumno itaque jam adulto, quod unum poterat, Anglicano quem adduxerat pedite in hyberna per Palatinatum, cujus ruina Imperium & libertatem oppreſſit, diſtributo, equitatum per invia viarum ſalvum reduxit, & inſidijs callidiſſimi hoſtis alicubi, artibus ubique prævertit.

Sed iſta præludia duntaxat fuere majorum quæ Imperator gerere debuit. Nihil tam grave eſt excelſis mentibus quam torpor. Congeneres illæ ſuo cœlo ſunt, unde ortum habent, & à quiete ingloria abhorrent. Ejus tamen neceſſitatem inijciebant quandoque Heroi noſtro ſolennes illæ induciæ, quibus ſibi hoſtis pacem foris, Fœderatæ Belgicæ bellum domi peperit. Quanvis enim ceſſare videretur, non ceſſabat. Et licet catapulta non pugnaret, pugnabat tamen, ſed occultioribus machinis, actor ſimul & ſpectator tragœdiarum veſtrarum. Nec ille unquam plus Reipublicæ veſtræ nocuit, quam quum non nocere videretur. Nocere vero tum demum deſijt, quando ſe nociturum inſtaurato bello profeciſſus fuit. Vix ceſſatio illa quovis bello nocentior exſpiraverat, quum novus Herois noſtri gloriæ campus ſe aperire cepit. Chriſtianus Brunſvicenſis, magni quidem animi Princeps, & bonæ cauſæ vindex, ſed ab hoſte in Iſthævonibus circumventus, expediendus erat. Id negotij *Frederico Henrico* datum. Submotum oportebat ſubſidiarium militem ab Hiſpaniarum Infante ſubmiſſum, qui & ipſe Chriſtiano imminebat. Hunc Noſter ſtitit, caſtris ad vetus Batavorum oppidum promotis. Mox mutata velificatione in Brabantiam ex inopinato incurſionem fecit, & Herentala tentata, Demara amne trajecto, ferro ac terrore in ipſa Lovanienſium & Bruxellenſium ſuburbana illatis, victor non ſine opimo victoriæ fructu, hoſte vim ulciſci non auſo, ad ſuos Bredam redijt. A Scaldi ad Rhenum regreſſus, Bergium Comitem, magnæ famæ bellatorem, Rhenobergæ imminentem, caſtris ad Reſam poſitis, avertit, ejuſdemque equitatum, in ſuos ultro ruentem, ea fortitudine excepit, ut præclari ſanguinis & animi ductor Joannes Baptiſta Doria, Ambroſij Spinolæ Nepos, temerarium iſtum impetum ſua & ſuorum ſtrage lueret, & gloriæ Herois noſtri accederet. Acceſſit illi mox Dux ipſe imperandi vetus, Ligurum decus, quando ad *Frederici Henrici* qui primum agmen ducebat, adventum Bergas ad Somam flumen, trimeſtri ferme indagine, quanvis ne gleba quidem occupata, cinctas, deſeruit, rumores non ante ſalutem, & quidem ex uſu ſuo, ponendos ratus. Doluit propemodum Noſtri virtus ſucceſſum, cui proſpera ipſa rerum ſine arduis minus pulchra videbantur, & qui non nili totius Ducis triumphati gloriam animo deſtinarat. Ipſa ſane Antuerpia, Orbis ocellus, novum tunc decus Heroi noſtro peperiſſet, ſi cum hoſte tantum pugnandum fuiſſet, & non cum ventis ac tempeſtate, quibus ſolis *Mauritij* molitio, extra caſum cæteroquin & dubitationem ferme tanti Ducis prudentia poſita, arceri potuit & averti. Quæ vero virtus tunc clementis ſolis ceſſit, hoſti nunquam cefſit, ſed famoſo bello Germanico Duci Tzerclaſio Tillio, cum victore exercitu Rheno imminenti obicem objecit,

&

& caſtris ad Emmericam promotis novas Brunſvicenſi Duci inducias, limiti vero Belgico ſecuritatem peperit. Nec febrili etiam fomite in totum corpus exæſtuante Anno cIↃ IↃ cxxiv. impediri potuit, quominus Rheni, Vahalis, & Moſæ ripam nobis conterminam à Bergij deſtinationibus tutam præſtaret, & præſidio Graviæ ac Raveſtenio, commeatu vero Gennepenſi munimento illatis, callidiſſimi hoſtis artibus ubique cum ſucceſſu præverteret. Friſia etiam Orientalis Heroi noſtro laurum debebat, & illi Reſpublica Emdanæ, cujus libertati Tillij & Corduæ arma imminebant, liberationem, & non exiguam ad ſecuritatem limitis noſtri ex illa parte acceſſionem. Tot clades ulturus ſagaciſſimus Ligur, *Mauritio* recuperata Clivia & Gennepenſi urbe munimentis aliquot ad Rhenum Vahalimque occupandis intento, ut proſperis adverſa, illis etiam commendandis, alternante vices ſingulari Numinis providentia, intercurrere quandoque ſolent, Bredam urbem invadere, *Mauritium* fatalis languor occupare, arcis Antuerpianæ intercipiendæ ſpes interverti, multæ Bataviæ urbes factionibus turbari, hoſtis in novas ſpes erigi, omnia in pejus labi. Nihil deficienti *Mauritio*, nihil Patribus, niſi in Herois noſtri virtute, poſt Deum immortalem, ſpei, quem ille ultimis tabulis Principatus, & ampliſſimæ gazæ, ifti militaris imperij & omnium Fratris Dignitatum hæredem ex aſſe ſcripſere. Id vero etiam prudentiæ & amori *Mauritij* in Rempublicam imputatum, quod Patriæ orbitati, ſuæ memor, prævertendum ratus, feliciſſimum Fratris cum Illuſtriſſima & maximarum virtutum Heroina *Amelia Solmenſi* connubium urgeret, antequam ſuprema componeret, quod ex utriuſque voto & dignitate, quanvis pompa ob *Mauritij* morbum contracta, ineunte vere Anno cIↃ IↃ cxxv. celebratum, Fœderatum Belgium gaudij & ſpei implevit. Sic quos idem ſanguis junxerat naſcentes, idem & conſtantiſſimus quidem ſociavit affectus conjunctos. Enimvero illuſtriſſima *Solmenſium* Comitum Gens Naſſovicæ originis eſt, & nomen iſtud habet à *Philippo Naſſovio*, Everardi Filio, Everardi Nepote, qui id, exſtructa ſplendida non ita procul à Lano arce *Solmenſi* circa finem ſeculi quarti & decimi, eaque ad *Otthonem* Filium tranſmiſſa, primus Naſſovicæ iſti propagini dedit. Quæ ab eo tempore ſepties per diverſa conjugia denuo cum cætera gente Naſſovica coaluit, & ſplendidiſſimis toto Imperio familijs Palatinæ, Brandeburgicæ, Megapolitanæ, Badenſi, Anhaltinæ, alijſque, crebris affinitatibus jam olim innexa fuit. Nullis vero illicijs *Fredericus Henricus* à virtutis ſuæ & publicæ rei recordatione avocari potuit, quin ipſis nuptiarum ſolemnibus adhuc calentibus de Breda liberanda cogitaret. Caſtris itaque in Brabantia poſitis, hoſtem ille lacceſſere, commeatu, pabulatione intercludere, obſidionem trahere, obſeſſis animum addere, in ſtationem Caroli Romæ impreſſionem magno animo & pertinaci impetu facere, Ducis exercituſque robur crebris incurſionibus fatigare, Neptunum in hoſtem laxatis obicibus effundere, & nihil inauſum relinquere, ut urbem, propiori etiam nomine ſibi commendatam, Patriæ ſervaret. Sed quanvis obſtaret vis major, & totius Imperij vires in belli illius ſocietatem accitæ, id tamen Heros noſter ſua virtute effecit, ut victoria ita nonniſi magnis impendijs victori conſtaret, & vix biennij mora ærarij ſimul ac exercitus ruina ſarciri poſſet. Nec vel virtus vel felicitas Heroi noſtro defuere ſive compenſandæ, ſive ulciſcendæ cladi. Et ſane pignus deſtinatæ per eum Belgarum populo felicitatis maximum brevi Fœderata Belgica habuit in feliciſſima *Galielmi*

ex

ex tanto contubernio nativitate, cujus natales, patriæ ſpes & gaudium, in xxvii. Maij Anni cIↃ IↃ cxxvi. incidere. Acceſſit primum non Ducis ſed Imperatoris virtuti præmium, (poſt Oldenſaliam obiter Erneſti Naſſovij ductu, Noſtro interea hoſtem circa Veſaliam diſtinente, occupatam,) *Grolla* è præcipuis Zutphaniæ munimentis, natura, arte, milite, machinis validiſſima. Quæ primis metatis ab eo tentata, cincta, ſubacta, potentiſſimo etiam hoſte vim caſtris admoliri non auſo, valituris ad famam auſpicijs gloriæ ejus ſequuturæ præluſit. Ipſa obſeſſorum virtus victoriæ pretium non leve addidit, una Gulielmi Naſſovij, Maris in Batavia Præfecti, ſtrage corruptum. Hoſtis Bredana obſidione, milite, cæterœque inſtrumento bellico exhauſtus, foſſam Marianam, Rhenobergam, Geldriam & Venloam inter, Rheni Moſæque conjunctioni deſtinatam, & viginti quatuor ſtationibus inſeſſam, ducere, Santflictum etiam Bergas inter & Antuerpiam munire. Cui inſtituto Imperator crebris velitationibus interceſſit, munimentis etiam varijs in Tergoeſa Inſula, & Bergas inter ac Stenbergam excitatis, & limite Mattiaco firmato. De qua quidem expeditione Fœderatus Belgarum populus cogitare non poteſt, quin Deo Soſpitatori debeat ſervati Principis gloriam, pila tormentali à capite noſtri Herois in Blaugariano æſtuario averſa, quæ Arianum Ordinum Ductorem, cum è ſcapha egredientem, & dextra prehenſa ſuſtinentem ad latus ejus ſtravit. Sive vero terror ex tanti capitis periculo, ſive ærarij cura, ſive alia vel Patrum conſilia, vel Reipublicæ commoda interceſſerint, annus ſequens totus inter velitationes & foſſorum operas extractus, & virtuti Imperatoris ferme ſubductus fuit. Sed ceſſationem iſtam magnis animabus inviſam compenſavit abunde Annus cIↃ IↃ cxxix. ſequens, quo, aucta Republica Indorum gaza & ſpolio opimo, Petro Heinio Ductore, Heros noſter opus aggreſſus omni ævo memorandum, & Regibus propemodum deſperandum, *Sylvæ Ducis* obſidium. Quæ Toxandrorum Veterum colonia, tribus Provincijs gravis, ita natura fluminibus intercluſa, ita paludibus inacceſſa, ita arte & munimentis vallata, ita præſidio, commeatu, & machinis inſtructa videbatur, ut ſola ſe fama tueri poſſet, & vetus illibatæ virginitatis nomen ſervare. Cui etiam præerat Dux acer animi, per omnia militiæ ſtipendia ad prima cnixus. Obſidium ſane iſtud contemptu & dicterijs ab hoſte primo exceptum, deſiderari potius videbatur quam metui. Plus animi quam conſilij Heroi noſtro tributum, & cœptum ſera pœnitentia, nec niſi integri exercitus ruina luendum. Ea quin etiam in obſidentium damnum verſa, quæ inter obſidionis cauſas fuere. Cæſarea ſane arma ad Balthicum mare, Hiſpanorum ad Padum converſa, & cum Gallorum potentia in Montis-ferrati agro commiſſa plus audendi fiduciam dabant. Sed & bellum in Septentrione, & motus in Trans-alpina regione ortos mature componi oportebat, ut plus virium hoſti, plus gloriæ Imperatori accederet. Cum natura equidem & arte, & totis Auſtriacæ Gentis viribus committi videbatur Heros noſter, & ne receptum quidem tutum ſperare poſſe. Ille vero animo invictus, hoſte circa Lingam & Veſaliam aliquandiu circumducto, præſidio ad Rhenum & Vahalim, Patriæ tuendæ, & hoſtium incurſionibus arcendis, relicto, ex inopinato Sylvæ Ducis imminere, caſtra locare, dolabram & ligonem expedire, ingenti & ſupra fidem propemodum quinquaginta millium paſſuum corona, & gemina quidem, hoſti undiquaque arcendo, urbem cingere, viginti quatuor horarum ſpatio foſſam ducere, trium ſeptimanarum abſolvere,

&

& tot è ceſpite lineas, aggeres, vallos, ſtationes, munimenta, moles, turres, ſuggeſtus, loricas, forcipes, lunata & cornuta opera excitare, ut admirationem omnem excederent. Urbs urbe obſideri videbatur, & caſtra caſtris. Nec flumina tantum pontibus inſtrata, & tabulatis, ſiccatæ paludes, completæ voragines, ſed & hoſti faventes amnes alveis ſuis exciti, & commodo obſidentibus loco fluere juſſi, immo tota naturæ facies immutata. Inuſitati iſtius operis gloria debebatur quidem ſcientiæ militari Imperatoris, imputanda tamen etiam erat curæ ejuſdem incredibili, dies noctesque inter foſſores & milites partientis, æmulas gentes gloriæ cupiditate accendentis, labores & pericula cum milite inter ſtrages & flammas miſcentis, nec niſi in tubo æneo naturam ferme deficientem parciſſimo ſomno ſuſtentantis, donec miles & caſtra in tuto eſſent. Meruit revera Heroico illo cœpto, & indefeſſo labore, ut & potentiſſimorum Regum eſſet admiratio, & totius propemodum Europæ ſtupor. Correxere brevi contemptum Hiſpani, obſeſſi jocos, Bergius etiam, cum valido xxxvi. millium exercitu obſeſſis laturus ſuppetias, dicterium, ex tubicine quærens; An Auriacus diſceſſum ſuum in exercitus ſui adventum differret? Diſtulit ſane, ſed caſtris ita munitis, ut ne audaciæ quidem potentiſſimi exercitus locum relinqueret. Bergius, deſperata liberatione urbis urbe vallatæ ad nova conſilia converſus, milite fœderato ad Patriæ tutelam relicto, vel eluſo, vel ſegni, Iſalam flumen, veterem Druſi foſſam, ex improviſo trajicere, in Velaviam exſcenſionem facere, Betaviæ imminere, Cæſareas copias ad ſe evocare, ferrum & terrorem in viſcera Patriæ inferre, iſto potius quam illo Amersfurto potiri, conſternationis Geldricum, Batavum, Ultrajectinum & Tranſiſulanum limitem implere. Neceſſitati Reipublicæ danda videbatur caſtrorum Sylvæducenſium deſertio, & tutiora conſilia pleriſque vita potiora honeſtioribus. Heros noſter animi & propoſiti invictus regerere, optionem ſibi nullam niſi vel victoriæ vel mortis eſſe: Decretum ſibi dignitatem Reipublicæ cum Marcello Romano ad obſeſſam urbem tueri. Nec minus interea ab eo periclitanti Patriæ proſpectum. Immo ut eorum neglectui, quæ à providiſſimo omnium Duce imperata fuerant, calamitas iſta publica imputanda erat: Sic ejuſdem curæ debita fuit Patriæ ab hoſte liberatio. Erneſtum ille Naſſovium ſpectatiſſimæ virtutis Ducem laborantibus ſubmittere, limitem patrium milite munire, irruptioni in Betaviam prævertere, Ultrajectum, Duſiburgum, Hardervicum, Zutphaniam, Daventriam, Swollam, & alias hoſti obnoxias urbes, ad defenſionem ſuæ libertatis præſidio neceſſario firmare, & cataracta Muydana laxata agrum interjectum ab hoſtili incurſione immunem præſtare. Ipſe interea immotus, & velut omnium ſecurus, quum nihil minus eſſet, obſidium ad Sylvam Ducis urgere, urbem vineis, acceſſibus, & induſtria ſe ipſam ſuperante, vita quotidie ad omnem telorum impetum projecta, urgere. Acceſſit inuſitata Patrum fortitudo, & memorandum in omne ævum exemplum, qui rebus admodum creperis, ſuo Collegio, & velut Sacris Reipublicæ Ultrajectum tranſlatis, generoſo iſto facinore nutantes omnium animos ad meliores de patria ſpes erexere. Tanta & tam pertinax virtus ſucceſſu carere non debuit, quæ tam invicto animo inter aſpera rerum cum adverſa fortuna totis viribus in ſe incumbente luctaretur. Proſperrimum brevi Deus & cauſa dedere. Et ut una calamitas alteram, ſic victoria una aliam excipere videbatur. *Veſalia* fortiſſimi tribuni Ottonis Didij Gentij ductu, Herois noſtri conſilio, Patrum auſpiciis

ſpicijs miraculo intercepta, Hoſtis Velavia pulſus, veſtram in ſe ipſum cladem ultus, Iſſelburgum & Ringelberga per Hauterivium, Burica per Stakenbrouquium expugnata, & quod caput eſt, Advaticorum Sicambrorumque flagellum, *Sylva Ducis*, Brabanticæ ſecuritatis obſes, magna totius Europæ, ſponſionibus & votis varijs diſtractæ, expectatione, Reipublicæ adjecta, & hoſtis ubique triumphatus. Rebus tantis ex voto, immo ſupra vota propemodum confectis, Heros noſter omnium, quæ maximæ etiam virtuti intercedere poſſunt, victor, humeris ferme civium Hagam invectus non de hoſte modo, ſed & de ambitione, & victoriæ oſtentatione, morbo Heroibus etiam quandoque familiari, triumphavit. Alexandro Farneſio, Belgij Hiſpanis obnoxij retro Imperatori, jam olim ſuaſum, ut Antuerpia capta, enſem conderet ac baltheum. Idem videbatur noſtro Heroi ſuadendum poſt Sylvam Ducis expugnatam. Nihil minus vero virtuti ad maxima quæque ſe erigenti perſuaderi potuit. Imperator de novis victorijs cogitare, hyemem conſilijs, æſtatem rebus gerendis impendere, occaſionum nuſquam ſegnis, tuendæ Patriæ æque providus ac amplificandæ. Iſti curæ, & aliquot in Flandria ac Zelandia munimentis deſignandis firmandiſque annum cIↃ IↃ cxxx. integrum imputavit. Minus favere videbatur felicitati Fœderatæ Belgicæ Annus cIↃ IↃ cxxxi. quum inſignem Herois noſtri deſtinationem, qua altera virtutis noſtræ Carthago non dubijs indicijs peti videbatur, immanis tempeſtas cluderet, & in partes ire videretur. Integer tamen labi non debuit, quin cum eo in gratiam rediret, & decoribus retro quæſitis novum adderet. Nihil equidem intercedere potuit, quo minus Imperator de Joanne Naſſovio, cognati quidem ſanguinis, ſed aliarum partium Duce, triumpharet. Imminebat is periculoſa incurſione littoribus veſtris, & valida militum manu cum multo inſtrumento bellico in fluminum veſtrorum flexus & anguſtias, majoribus navibus inacceſſas, immiſſa, Tolam inſulam, aliaſque, velificationis ſuæ incertas, varia formidine implebat. Improvido rerum, nec oræ veſtræ gnaro Imperatori imponi poterat, non Noſtro, qui, priuſquam claſſis iſta Antuerpia ſolviſſet, conſilia hoſtis explorata habebat, nullo tamen niſi ſagacitatis ſuæ indicio. Quum enim, quo hoc apparatu navigari poſſet, non ignoraret, quo vellet hoſtis, vix hærere poterat. Circumacta itaque & cincta iſta claſſi, provida Imperatoris cura, ſubmiſſo etiam cum lecto milite Morganio & Domonovano pœnas illa audaciæ dedit, & hoſtis ſcapharum maxima parte & omni inſtrumento exutus, ipſeque præda, vix Duce ſubducto, factus victori, adeo quidem ut captivorum numerus Commentarienſes laſſaret, & vix ergaſtula ſufficerent. Exin Inſulis, incurſionibus id genus obnoxijs, proſpectum, & nova Goereæ, Clunderæ, ac Brielæ, & cæteræ ad excurſiones opportunæ ripæ munimenta acceſſere. Splendidius tamen adhuc vincendum erat, & laureæ veteres cumulandæ novis. Mox *Venloam*, *Ruremundam*, *Stralenam* Herois noſtri virtute Reipublicæ Numinis favor adjecit. integri quidem anni ſpem, ſed paucorum dierum fructum, quem una Erneſti Naſſovij, fortiſſimi Ducis, ſtrages funeſtavit. Invitare videbatur Imperatorem ad novas victorias ipſa felicitas, & vires hoſtis in Germaniam ſiſtendis Gallorum armis, Auſtriacæ potentiæ ſuſpectis, accitæ. Munimentis itaque alijs ad Moſam occupatis, aditu complanato, & magno inſtrumento Herois noſtri ſingulari dexteritate Patriæ conciliato, *Trajectum* itum, & flumen exercitui tramittendo ponte inſtratum. Mox urbs

urbs ipſa, natura, ſitu, arte, præſidio, commeatu, machinis, & apparatu omni mirum quantum inſtructa, ex improviſo, in quo præcipuum belli momentum, cincta, ſtationes deſignatæ, paucarum horarum ſpatio ad ſuſtinendum impetum erectæ, moles maximæ excitatæ, dies noctesque continuatæ, & corona omne genus munimentis intexta incredibili celeritate abſoluta. Nec vel validum à Joanne Naſſovio præſidium urbi illatum, vel exercitus hoſtilis ad Moſam appropinquans, vel Corduæ è Germania maturrime revocati acceſſus, vel ipſa obſeſſorum virtus ſive Imperatoris ardori, ſive operarum feſtinationi intercedere potuere. Vineis quoque nova, ſed tuta via tunc primum reperta, nec telis tantum & armis, ſed etiam notitiæ, immo & conjecturæ hoſtis inacceſſa. Infra foſſarum ipſarum profunditatem è fundo puteorum ituin, admirando Herois noſtri invento, nunquam ante viſo, nunquam audito, & miro quidem ſucceſſu. Graſſabatur foſſor tutus ſub milite, & illudebat ſecuritati illius, qui hærebat in mobili ceſpite, & ordinario opere, inuſitati improvidus. Validiori ſane exercitu opus videbatur frangendæ hoſtis pertinaciæ, qui ne glebam quidem niſi multo ſanguine tinctam cedebat victori. Ne integrum tamen in opere iſto, utut ſui temporis maximo, Imperator detinendum Reipublicæ & famæ ſuæ intereſſe cenſuit. Submiſſo itaque in Flandriam Gulielmo Naſſovio, cum lecta militum manu munimenta *Crucis* & *Annæ* nominibus clara adortus ad Scaldim vicit, dum ad Moſam pugnaret, & eo ipſo hoſtem de urbe liberanda deſperare juſſit, cui expugnandæ vel pars exercitus ſufficere videretur. Incredibile dictu, quot & quibus ibi periculis caput ſuum objecerit Imperator, foſſori dies noctesque præſens ac militi, quibus curis, vigiliis, laboribus generoſum animum macerarit. Et quanvis alternam quietem omnibus indulgeret, ſibi tamen nullam indulgebat, documento dato, parum excelſis mentibus cum iſta parte, quæ ſomni indiga eſt & pabuli, commercij eſſe. Glorioſum videri poterat de obſeſſa urbe triumphare, ipſa tamen Herois noſtri virtus majoris adhuc periculi magnitudine aliunde commendari debuit. Potentiſſimi Regis vires minus ſufficere viſæ liberandis obſeſſis, Cæſareas in partem operis & gloriæ conduci placuit, Pappenhemio ductore, imperterriti animi, & præcipuæ in Germania famæ bellatore. Venit ille cum duratis bello legionibus, magnis itineribus, per faciles aditus, vicini Præſulis opera, non tam ad ambiguam quam ad certam victoriam. Ne opperienda quidem videbatur vis tanta in hoſtico, niſi decretum eſſet, vel collatis ſignis cadere, vel lentis maxillis intra vallorum anguſtias, intercluſo commeatu, confici. Et ne Imperator forte deſperationem verteret in virtutem, honeſto in ſpeciem conſilio animum illius, Magno etiam inſtrumento adhibito, in anteceſſum tentari placuit, hoc armorum ipſius gloriæ dandum, ut educto præſidio Hiſpanico, neutrarum partium fieret Trajectum. Immotus ille, ſe veniſſe ut vinceret, reſpondit, nec ut leges acciperet, ſed ut ferret. His machinis nequicquam adhibitis, vis caſtris admota fuit, Pappenhemio ipſa meridie, quod ad gloriam ſuam pertinere cenſebat in ſtationem *Mauritij* ſanguine & virtute vere Naſſovij invadente, nec voce tantum & exemplo, ſed enſibus etiam & crucibus militem ad fortitudinem ſtimulante. Acriter diu pugnatum. Imperator inter primos, ſed acerbos articularis morbi dolores de pedibus haudquaquam ſibi cogitandum ratus, ubi de ſumma rerum ageretur, nullo dolore retineri potuit, quin ad ſtationem ab hoſte impetitam, reliquis ad excipiendum Hiſpanorum

impetum inſtructis, ſed cum lecta, ut ſolebat, pube & fiſtulis aliquot æneis, quæ in parato nutum ejus ſemper præſtolabantur, advolaret. Mauritij ille hoſtem triumphantis virtutem agnoſcere, commendare, accendere, machinas à ſe advectas opportuno loco diſponere, phalanges hoſtiles impetere, & deſperatam propemodum Ducis gloriæ ſitientiſſimi obſtinationem mille quingentorum cadaverum jactura ad receptum cogere. Exin hoſtis nequicquam flumen inſidere, commeatu caſtra intercludere. Provida vero Imperatoris cura intercludi non potuit, congeſta ante maturo conſilio, quanta ſufficeret trahendæ obſidioni annona. Sic omnium victori Trajectum ſe permiſit, & Urbs, ſi ulla, turbandis hoſtium rebus, conciliandis Eburonibus, invadendis Grudijs & Tungris, aperiendæ Germaniæ, & Luxenburgenſi ac Namurcenſi agro invadendo opportuna, Reipublicæ cum immortali Imperatoris gloria acceſſit. Nec quicquam præter Hanovij Comitis, juvenis ad magna quæque ſurgentis, glande in caſtris trajecti, cædem, tantam victoriam cruentavit. Uſque adeo vero ſuas iſta clade vires attritas ſenſit potentiſſimus hoſtis, ut inducias in caſtris Principi Patribus Hagæ per Areſcotanum Ducem & Mechlinienſem Præſulem mitiſſimis conditionibus offerret. Nec vero hoc fine hujus anni fructus ſtetit. Plus ultra progrediendum erat, & fortuna utendum. Provincia integra cæteris accedere debuit, *Limburgo* arce, quamvis præruptæ & inacceſſæ rupi impoſita, cum cognomine illi Ducatu ſolo terrore ſubacta. Anni & victoriarum finem *Orſoium* fecit, Gulielmi Naſſovij ductu Patrum imperio & Herois noſtri gloriæ adjecta, & ipſe ab Ubio Præſule magnifice poſt victoriam habitus, gratantes omnium voces ea modeſtia redux excepit, quæ victoris virtutem ſupra ipſas victorias efferrent. Nequicquam vero tempore per induciarum negotiatores vel pacis ſequeſtros extracto, *Rhenoberga* Trajecto adjicienda fuit, ultimum ad Rhenum munimentum Hiſpanis reliquum, quod ea celeritate confectum, ut ne hoſti quidem ſpatium deliberandi de ſuppetijs relinqueretur. Nec per Imperatorem ſtetit, quominus Geldria, graſſatorum opportuno ad inſidias loco nidulantium excurſionibus famoſa, cæteris victorijs accederet, & Suedicæ copiæ, Stalhanſio ductore, Annum cIↃ IↃ cxxxiii. inſigni victoria nobilitarent. Sed & ſerior earum adventus, & fatales remoræ aliæ tantis conatibus obſtitere. Venloæ interea & Ruremondæ ſervatæ gloria Noſtri providentiæ debebatur, cui utrique imminebat Ayetonæ Marchio, magni & animi & judicij Dux. Cui tamen nihil per Imperatoris virtutem licuit, præter liberas foſſorum in Stevenſwerta (quam Moſa flumen ambit) inſula operas, ubi munimentum moliri cœpit. Nec ab eo impetrari potuit, ut de reliqua Hiſpanorum in Belgio majeſtate, quanvis ab Heroe noſtro ſe ad prælium prolici aliquoties videret, ancipiti eventu cum maximo ſeculi Duce decerneret. Illius ſane ſive virtuti ſive felicitati imputandum, quod Hiſpaniarum Infantis, optimæ retro Principis, tumulo Gentis iſtius in Belgio imperium haud quaquam illatum fuerit. Cum tanto Belgicæ Hiſpanis obnoxiæ rectore commiſſa Noſtri virtus in Trajecti ad Moſam ab hoſte vallari ceptæ liberatione enituit, quam ſola Bredanæ obſidionis ſimulatione, tanta de ejus virtute & felicitate erat exiſtimatio, procuravit. Iſta decora ſequuturorum auctoramenta fuere. Cum regio Hiſpaniarum Principe recens in Germania victore committi debuit, & Regio exercitui ipſe præfici. Datum hoc non tam fœderi inter potentiſſimum Regem & Patres icto, quam virtuti Imperatoris

peratoris & existimationi, cui nec hostis nec socius reperiebat parem. Sed qui imperare noverat alijs, sibi non segnius imperabat. Nec vel dignitatem illam admisit vel exercuit, nisi diu cum Patrum hortatibus, & sua modestia luctatus. Præsagire videbatur providissimus futurorum animus, tantos conatus, integro bello conficiendo pares, plus valituros ad terrorem quam ad victoriam, sive quod lenta vasti corporis prævideret molimina, sive quod plus suæ disciplinæ tribueret, quam numero, sive quod tot victoriæ instrumentis victoriam ipsam corrumpi putaret. Et sane, quanvis nec socijs Ducibus virtus, nec ad arma natæ Gallorum genti ardor deesset, omnia summa sub Heroe nostro tentandi, obstare tamen videbatur vis major tantis ausis. Non raro equidem maximis etiam conatibus occulta quædam Dei providentia intercedit, ne vel humanis consilijs, vel victoriarum instrumentis id tribuatur, quod earum auctori debetur, & uni quidem. Illi uni imputandum, quod ingens iste in hosticum impetus, qui ad plenam victoriam sufficere videbatur, minus cesserit ex voto. Sic omnia humana pila sunt in manu illius, qui omnia versat pro arbitrio, & fritillus, in quo varia tesserarum facies momento apparet. Herois tamen nostri providentiam sinisterior etiam successus commendavit, quippe cui salutaribus consilijs, nisi mens læva quibusdam fuisset, in tempore præversum volebat. Et ut calamitas calamitati socia esse solet, sic Imperatorem non tantum minus prospera Fœderatorum, sed & Patriæ clades exercere debuere, ut eò illustrior illa virtus esset, quo magis urgeretur inter adversa rerum. Dum sociorum commodis Noster se totum impendit, Hostis successu audacior redditus, *Schenckianum* munimentum, quod inter præcipuas Bataviæ claves, & non unius fluminis repagulum est, ex improviso occupat, Regius Princeps Bataviæ imminet, Cliviam & Gennepam subigit, Imperij etiam aquilis in cruces Burgundicas versis multis legionibus ex Germania auctus, arma & terrorem undiquaque circumfert. Sed qui ab hostili agmine stetisse videbatur Cœli favor, mox Reipublicæ partibus, & Herois nostri gloriæ denuo accessit. Compertum brevi, Schenckianum munimentum interceptum non fuisse, nisi ut glorioſius recuperaretur, nec Patriam turbatam, nisi ut novo experimento disceret, cui post Deum salutem suam deberet. Qua celeritate Imperator invidendam istam glebam Patriæ creptam per Gulielmum Nassovium cinxerit, qua industria excursioni omni in Betaviam præverterit, qua arte Bylandiam & Grieth usam subegerit, qua constantia hyemem & hostem submoverit, qua felicitate munimentum ad securitatem Reipublicæ necessarium Regio Principi, tutiora tamen ubique consilia potius quam fervidiora sequutus, extorserit, cum stupore ab omnibus observatum. Hostium armis frustra in Heroem nostrum intentatis, ea in socios versa, & in Galliam ipsam incursum. Scilicet & isti Imperatoris virtus spectata esse debebat, & fœderatis opportuna. Sua equidem in Advaticum agrum, iniquo etiam tempore, irruptione, victorem exercitum late in Picardia grassantem, & latius adhuc sui terrorem diffundentem, avertit, unus propemodum victoriæ eo tempore inter potentissimos Reges arbiter. Vix eo moverat Noster, quum Hostis tergum vertere, proprios focos, velut, Hannibale ad portas, respicere, & de suo in Fœderatos impetu, viribus in diversa distractis, remittere cepit. Gravem sane sibi Heroem nostrum sensit Hispaniarum Infans, quum ejus consilijs, armis, conatibus, cœlum, elementa & ipsa felicitas famulari viderentur. Si quicquam,

nihil tantæ virtuti impervium esse, id *Bredæ* Urbis expugnatio ostendit, quam non unum miraculum commendat. Enimvero quid mirum magis, quam arma alio destinata præter spem, adversa tempestate, in hanc operam conversa, urbem supra Eurc pæas ferme omnes septendecim propugnaculis, creberrimis molibus, latissimis fossis, aggeribus, loricis, sepibus, præsidio, machinis ad pertinacem defensionem instructam, obsessam fuisse prius quam obsideri creditam, tridui spatio hosti intercusam, Regio exercitui inaccessam redditam, flumina adversa, obstructa, nostra, aperta inter potentissimi exercitus impetus & insidias, servata, & tanti momenti, tantæ famæ munimentum vix totidem septimanarum spolium fuisse, quot Maximus Dux mensēs in ea vallanda, quum magis ad vim pateret, ipse tamen eam desperaret, consumsit? Prodigium istum propemodum cœli in virtutem & gloriam Herois nostri favorem Fœderata Belgica vel uno isto experimento discere debuit. Non invidit ille interea Regio Principi Venloæ & Ruremondæ, sive terrore, sive aureis hastis expugnatarum spolia vix tanto hoste digna, contentus trium Provinciarum, Vahalis etiam & Mosæ, securitate, quam sola unius urbis recuperatione cum immortali nominis sui gloria Reipublicæ comparavit. Id vero admirationem omnem excedit, nunquam Herois nostri gloriam magis enituisse, quam quando solita rerum humanarum inconstantia conatibus ipsius quam maxime intercessisse videbatur. Testis funesta illa ad *Calloam* aggerem clades, & res minus ex voto tum in *Flandria* tum in *Sicambris* gesta, ubi conscius consiliorum Miles sua etiam strage luere coactus fuit non observata imperia, & segne obsequium. Nunquam sane infeliciter pugnatum, nisi quando imperata ab Heroe nostro vel incuriosius excepta. vel segnius impleta fuere. Dum vero dicto audiens fuit Ductor & Miles, utrique suus honos, Reipublicæ vero gloria constitit illibata. Nec exiguæ cladis ultio diu dilata fuit, sed pro myoparonibus aliquot, & paucis cohortibus littus Britannicum multo Hispanorum sanguine rubuit, & immanis ista navium sylva mari innatans non ventorum, ut Anno cIↃ IↃ Ixxxviii. sed virtutis vestræ spolium fuit. Enimvero ut classis ista, Regnis etiam formidabilis, Nostrum non latuit, antequam navigaret, sic ex quo in freti Britannici angustias se induit, Heroi nostro opportuna ad victoriam visa fuit. Ejus auspicijs sequuta decretoria illa de Occani Imperio & Reipublicæ salute pugna, submisso Martino Trompio, Maris Præfecto vicario, Cive vestro, homine in mari inter rudentes & tempestates propemodum nato altoque, qui inusitata audacia, rostratis duodecim & una liburnica regiam septuaginta turrium potius quam navium classem à milite, classiarijs & omni apparatu instructissimam, aplustria nostra ex alto despectantem, & sola mole valentem ad terrorem, adortus, una illa audendi fiducia fastum Hostis in terrorem vertit. Extracta nonnihil pugna, Patrum solicitudine, & Herois nostri cura effectum, ut paucorum dierum spatio Batavis velis sterneretur mare, & centum navium, præter xii. incendiarias, classis à maritimis Collegijs pube nautica, & cætero instrumento, milite etiam lecto ab Imperatore instructa. & illi Occani Filio æque ac Præfecto submissa, integram illi victoriam, Reipublicæ ejus fructum, hosti vero desperationem pepererit, præterijs aliquot vel exustis vel submersis, alijs in brevia & vada compulsis, reliquis Antonij Oequendi industria, dissimulata majestate, ocyus ruinæ & incendio partim ad Britannicum littus, partim alio in tutum subductis. Et quod victoria ferme majus

fuit,

fuit, ea occasione hosti & socijs compertum, quid Respublica vestra mari posset, quæ paucis diebus classem paravit, cui instruendæ regia etiam potentia vix multorum mensium apparatu sufficeret. Ne quid etiam ad summam Heroïs nostri gloriam reliquum videretur, domestica accedere debuit ex Regia affinitate, quæ non modo sanguinem Nassovicum insigni decore honestaret, verum etiam singulare Reipublicæ firmamentum, ex arctiori cum Magno Rege, coque vicino & maris potente, colligatione, adderet. Et ne quid ad summum splendorem desiderari posset, Regia affinitas Regio ore proponi, & solenni Patrum legatione, Splendidissimis Patriæ Proceribus adhibitis, confici debuit, postquam ei fidissimum ministerium opportune prolusisset. Sequutus sine mora publicus Regis assensus, Regiæ Principis, & primogenitæ quidem, desponsatio, surgentis ad omnem gloriam *Guilelmi* in Magnam Britanniam, cum apparatu, qui Regium deceret Generum, iter, & Nuptiarum solemnia Regibus digna. Nec tamen inter domestica gaudia & sui sanguinis triumphos Imperator de Republica cogitare desiit, sed tempore Patriæ, Fœderatorumque rebus opportuno, modo Flandricum, modo Advaticum, modo Geldricum limitem insidere, hostem distinere, & potentissimo Regi in Atrebates moventi faciliores aditus facere, bene de Regno socio, bene de Republica mereri. Nec ipsa etiam Geldria, Rheno Mosæque gravis, virtuti Imperatoris subducta fuisset, si humana providentia vel æternas fatorum leges refigere, vel elementorum & tempestatum vim moderari, vel eventum æque ac consilium præstare potuisset. Nec tamen vel Sicambrorum paludes tentasse, vel arma in Hulstam & Brugas convertisse nocuit. Nec sperni debuere destinationum id genus fructus, quanvis ijs plena non accederet victoria. Quam graves Hosti fuerint crebræ illæ modo in Sicambros, modo in Flandriam excursiones, quanta fatigati attritique hostilis exercitus ruina inde sequuta fuerit, nemo præter hostem melius novit. Nec ea ratione arma solum hostium à patria aversa, sed & Fœderatorum rebus, post infelix ad Theodonis-villam, prælium, incertis castrorum vestrorum stationibus consilia & arma hostis in diversa raptantibus, mirum in modum consultum, quibus Hedini & aliarum urbium occupandarum subministrata opportunitas. Plus etiam profectum fuisset, nisi fatali quadam vel infelicitate vel incuria, iterata Principis mandata sinisterius excepta, & cœlum minus favens aliquas hosti inducias, exigua inter tot clades solatia, fecissent. Continuas illas pro Patria Imperatoris curas *Groningana* Respublica sua præfectura, *Henrici* Nassovio infausta glande ad Lisam amnem in Flandria rebus humanis subducto, compensandas censuit. Ille toti Patriæ honores sibi delatos nova victoria, *Gennepa* munitissimo ad Mosam in Menapijs castro, terrestri piraticæ, & aliquot Provincijs vexandis opportuno, postquam id solita sibi arte & cura cinxisset, Patrum imperio, Anno cIↃ IↃ cxli. adjecta, superatis varijs Regij Principis per Fontanum molitionibus, & omni Prestoni, militiæ veteris, obsessis præfecti, contumacia, apparatu etiam in multos annos ibidem in amplissimi tractus exitium ab hoste congesto, in Reipublicæ utilitatem conversa. Quum etiam varia Sociorum circa Ariam fortuna Reipublicæ fidem & operam postularet, Imperator Henrico Nassovio ad Mosam, alijs ad Rhenum relictis, in Flandriam opportunam Fœderatis excursionem fecit, & Fontano in se conversa utilem eorum rebus operam impendit. Nec hoc tantum facinore Sociorum

ciorum fides Potentiſſimo Regi probata, ſed & alio, minus quidem in vulgus, obvijs ut plurimum hærens, noto, non minus tamen Fœderatorum omnium commodis neceſſario. Illuſtriſſimus Galliarum Tribunus Guebriantius Rheno cum ſuis & Sociorum copijs, itineribus varijs, & ipſa victoria Lamboio extorta attritis, vicimus, & ab hoſte, victoriæ non ambiguo, ſed certo, circumſeſſus, de exercitu & fama ſimul periclitabatur. Hatzfeldio Fontanus acceſſerat, utrique Franciſcus Melos recens in Arteſia victor, magnis itineribus velut ad certam prædam gradiens, accedere debebat, & Cæſareas Regiaſque vires in mediocrem exercitum experiri. Heros noſter ſagaciſſimo omnium animo deſtinationem Hoſtis præcipere, nec Fœderatum exercitum ſolum de periculo mature monere, ſed & caſtra ad Rhenum ſine mora transferre, ibique in ſpeciem ſine Reipublicæ commodo, revera magno ejus compendio, ſocij exercitus internecioni ſumma & induſtria & fide prævertere. Licet multi, ut vulgus alienorum fatageum, & occultioribus ſæpe conſilijs iniquum eſſet ſolet, id, cujus cauſam ignorabat, culparet potius quam intelligeret. Mora etiam in illa ſtatione, quæ ignaris rerum nulli rei videbatur, opus erat, donec ſociorum res in tuto eſſent. Et illam Fœderatis Imperator indulſit & diſcedentibus commeatum, nec quicquam Hoſti vel in illos vel in ſe permiſit. Ob tanta de Socijs merita, merito etiam Regio ſuffragio ſervati exercitus gloriam reportavit, eoque majorem, quod, ſub ipſum ferme regiarum Principum ex magna Britannia adventum, pompæ & aulæ ſe ſubduxiſſet, & Reipublicæ ac ſociorum commodis curas ſuas imputaſſet. Iiſdem Theodonis-villam, Franci ſanguinis ream, urgentibus, Imperator Andrea Cantelmo in ſe converſo, & fida iterum opera Socijs commodata, illis, quibus factum voluit, victoriam, ſibi victurum ejus fructum, gloriam, vindicavit. Acceſſit novum Heroi noſtro gaudium à creſcente *Gulielmi* fortitudine, quem ab equitatu hoſtili in inſidias prolecto, & undiquaque circa Bergas ad Somam flumen circumvento, ac virtute & felicitate ſuæ æmula fuſo victorem in caſtra redeuntem conſpexit. Victoria illa & à magna hoſtium ſtrage, & à Ducis virtute, & à Ductorum aliquot, Johannis Borgiæ vel imprimis, viri genere clari, & militiæ acris clade commendationem ingentem meruit. Nullus abibat annus quin præclara eum victoria, vel beneficium aliud victoria patriæ haud multo minus opportunum ſignaret. Perire Imperatori tempus videbatur, quod non Reipublicæ commodis deſtinaret. Quum paulo poſt Sicambris arbitro opus eſſet, alius præter Heroem noſtrum quærendus non erat. Nec major prudentia alibi reperiri poterat, nec auctoritas utilior. Incidit in ea tempora Gravelinæ obſidium, in quo & ſuæ Herois noſtri partes eſſe debuere. Claſſe opus erat Regio Aurelianenſium Principi, claudendæ ea parte urbi, qua maxime patebat. Hanc noſter ſubmiſit, cum multo inſtrumento nautico, aliiſque ad tantum conatum neceſſarijs. Ipſe interea de Hoſte alio trahendo ſibi cogitandum duxit, & denuo, belli ſede in Flandriam tranſlata, de *Saſſis* vel Cataractis Gandavenſibus Regiæ Urbi objectis, veris Neptuni œconomis, oppugnandis conſilium ſuſcepit. Quantum in eo munimento Hoſti & Flandris ſitum ſit, tot alia tanta cura ei objecta docent, quibus omnem Fœderatis aditum præcluſum hoſtilis induſtria voluit. Patere tamen debuit Imperatoris virtuti. Ille omnibus maturo conſilio proviſis, iſtas cataractarum cataractas perrumpere, circumducto inſigni arte Iſenburgico, alio frontem, animum

alio

alio vertere, præmiſſo audaci natatorum ſatellitio, flumen ponte ſcirpeo inſternere, exercitum in hoſticum trajecto amni exponere, ipſas cataractas invadere, cingere, arctare; Franciſco Melo, Lotharingo, Iſenburgico, Meganio nequicquam annitentibus, ne tanti momenti moles ſuo Regi periret. Et quamvis obſeſſi laxatis obicibus illo elemento, quod unum difficillime omnium arcetur, pugnarent, Imperator artem ijs opponere & conſtantiam, aquas, nimbos, tempeſtates cum milite dividere, voce & exemplo in omnium animis fortitudinem & honeſti ardorem accendere. Sic elementorum & tempeſtatum propemodum victori intra menſem ceſſere cataractæ illæ, præclara Flandriæ Brabantiæque ulterioris clavis. Quod Dei munus, quanvis per ſe magnum, majus tamen ex eo cenſeri debebat, quod, durante obſidio, funeſtum plumbum, quo militaris Architectus, cujus humeris ferme Imperator incumbebat, vix palmo ab eo averſum, velut tanti Principis Majeſtatem veritum, declinarit ad latus. Cataractis iſtis perruptis, penitiora Flandriæ Brabantiæque armis veſtris patere videbantur. Eo deſtinationes ſuas convertit Noſter, & curas. Vix denuo annus ſe aperire cepit, quum grande quid, & quod non ad utilitatem tantum Reipublicæ, ſed etiam ad ſplendorem & gloriam ejus faceret, animo volvit. Sed miles novus ſerius impetratus, auctoratuſque, apparatus ad Balthicum mare deſtinati, provida Hoſtis in obſervando qui noſtris trajiciendus erat, amne, cura, & maturior quam pro voto Sociorum, à quibus ad ſua feſtinantibus mora aliqua ad magnum conatum neceſſaria impetrari non potuit, diſceſſus, & alia id genus felicitati potius quam virtuti Imperatoris interceſſere. Cunctari videbatur Fabius noſter ignaris rerum, immo hoſti & civi, prout multi ſæpe caſtrenſes operas ad ſuum ingenium in umbra exigunt, domi Imperatores, ſed ſine ſudore & ſanguine. Sapienter vero ab Heroe noſtro tempus extractum hoſtis civiſque didicere. Caſtra ille ex inopinato relinquere, hoſtem ſubmovere, Liſam, Scaldim, & amnes alios trajicere, adventus ſui famam celeritate antevertere, in Waſiam ipſam, armis veſtris antehac inacceſſam, Flandriæ uber, exercitum effundere, *Hulſtam* regionis caput, Antuerpiæ clavem, & latiſſimi tractus frænum cingere, pauciſſimarumque hebdomadum ſpatio munitiſſimam ceſpite, milite, commeatu urbem, operæ dies noctesque ſedulus, ad deditionem cogere, virtute *Gulielmi Naſſovij* Moerſpurgi & munimentorum aliorum potiri, Hoſti id unum relinquere, ut victoriarum veſtrarum è propinquo ſpectator eſſet, & teſtis. Quem ſimul ad Mardiccam & Borborgum eo tempore triumphabat *Ludovici Borbonij* ad ingentem gloriam ſurgens virtus, & exercita ſimul ac probata arduis Illuſtriſſimi Galliarum Tribuni Gaſtonij fortitudo.

Nemo, Auditores, tot Herois noſtri expeditiones cum animo expendet ſuo, quin mirari deſinat, præcipitatam illi tot curis & negotijs ſenectutem, & molem ex elementis conflatam vitium tandem pati cepiſſe, cujus commodis intercedebat inquies animus, nuſquam non vigil, & perpetuis pro Republica laboribus in ſeipſum ſine intermiſſione graſſans. Animadverſum facile, mortale corpus cum immortali anima paria facere non poſſe, & tatiſcere debere iſtam partem, quæ tam multa imperantis animi ſocia eſſet & inſtrumentum. Hinc varius languor Heroem noſtrum invadere, atterere, orbitatem & luctum Reipublicæ minari. Nihil inauſum intentatumque relictum avertendæ tantæ calamitati.

calamitati. Patres preces, vota miſcere, ut quod reliquum vitæ eſſet, ſuæ quieti imputaret, qui totam ferme publicis commodis imputaſſet. Satis publicam rem ſalvam fore in tanti capitis ſalute. Sed ne hoc quidem impetratum ab invicto animo, dolorum, mortis, & ſui victore, qui nonniſi in Reipublicæ gloriam ſe cum materia in iſtam ſocietatem deſcendiſſe cenſeret. Intercedi itaque non potuit, quominus quum annus ſuperior exiret in æſtatem, languidum, & variorum morborum mole vexatum corpuſculum in caſtra & hoſtem transferret, & quanvis vincere amplius non poſſet, ſe tamen nec ab hoſte, nec à morbis, immo ne à natura quidem deficiente vinci pateretur. Extracta in caſtris inter languores varios æſtate, limite noſtro defenſo, hoſte hac illac circumducto, ſociorum rebus in Flandria promotis, reducem vidimus Heroem noſtrum, invicto quidem animo, ſed divortium meditante ab illa parte, quæ non inſtrumentum amplius gloriæ, ſed ſarcina tantum eſſet & vehiculum imbecillitatis. Ex eo lenta febri corpus tabeſcere, vitæ commeatus paulatim intercludi, pectus premi, vires dejici, ſanguinis officina vim pati, aquoſus languor corpus invadere, floridus ille vultus concidere, ipſa rationis arx vaporibus quandoque peti, noctes inquietæ ſequi, omnia ruinam ſpectare. Lachrymas id multis, gemitus, vota omnibus exprimere, omnes gloriam, ſalutem Reipublicæ in hoc capite verti cenſere. Quicquid natura ingenij, quicquid ars induſtriæ, quicquid humana providentia conſilij conferre poterat, ad tantam curationem evocatum, incumbente vel inprimis in hanc curam ſine intermiſſione ſola tanti animi victrice Heroina, quam iſta ruina propius etiam ſpectabat. Præſtantiſſimorum certatim Medicorum experientia in conſilium adhibita, templa precibus fatigata, & quoad mortalibus datum, iſti hoſti acceſſus obſtructus, quem nullum ſatellitium penitus arcet, & qui omnibus ſpatijs diffuſam exercet juriſdictionem. Haud minus vero cum Herois noſtri, quam cum morborum pertinacia Medicorum filijs negotji fuit, qui eorum leges nihil ad ſe pertinere putabat, nec ſua intereſſe, quando inferior iſta pars ſuas ſibi res habere vellet, illius uſu contentus, quæ ſupra morborum & mortalitatis Leges eſt. Huic ille ſoli propemodum ab eo tempore operari, cum cœlo rationes inire, ultimum vitæ ſanctiſſimis curis tranſmittere, & cui in caſtris quotidie inter ſtrages & ignes ultro occurrerat morti, illi in ipſa Aula occurrere, animo ubique victore & fati & ſui. Diviſis adhuc inter pietatis officia & Reipublicæ negotia, in extrema etiam tegula, curis, exacta illi ultima ætatis & vitæ hyems. Obſervatum, quum, recurrente natali die, xxix. Januarij cIↃ IↃ cxlvii. multorum gratulationes exciperet, quod magnum illum vitæ climactericum, fatalem multis periodum creditam, ex omnium voto, ſupergreſſus eſſet, Heroem noſtrum,

Omnes ſibi dies climactericos eſſe, reſpondiſſe, nec ſe vitæ ſpatium annis amplius vel menſibus metiri, ſed diebus & horis, paratum tamen ad excipiendam ea conſtantia ultimam neceſſitatem, quæ animum ſui compotem deceret. Nec vero ea vel ferrea bellatoris fuit,

vel Stoica hominis hominem exuentis, ſed Chriſtiana fuit, & Chriſtiano Heroe digna, quæ cœleſtes ei voces expreſſit. Monitus natalitio illo die à Reverendo Viro, Joanne Goethals, cujus fidem caſtrenſi opera ſibi perſpectam interiori compenſarat admiſſione, vitæ Natalem mortis etiam eſſe, reſpondit Imperator maſcule:

maſcule: **De iſto potius quam de illo ſibi in poſterum cogitandum eſſe, & diſcendam arduam illam bene moriendi artem. Id ſibi curæ fore.** Verborum cæteroquin, ut tota vita, ſic in ejus occaſu parcus fuit. Illa tamen loquela liberalis, quæ ſine voce uſurpatur, & cor ſolum interpretem, Numen ſolum conſcium habet. Iſta Deo arcana pectoris nudavit, vitæ rationes ſubduxit, & animum cœlo intulit, antequam animam inferret. Sancta quinetiam Hagienſium Dei Servorum alloquia cum gaudio admiſit. Nec pias tantum voces excepit, ſed & reddidit, ne ijs quidem diſſimulatis, quæ ſoli Deo fateri poterat. Non raro etiam teſtatus, **Nullam ſibi niſi in Servatoris ſui merito fiduciam eſſe, illi ſe totum dicare, certum, ſe propitium in Chriſto Deum habiturum.** Animadverſum pridie Nonas Martias, Morbi, nulla arte mitigandi, vim ultima moliri. Hoc nuntium eo animo excepit, eo vultu, quo proſperrima ſolebat, compoſito, tranquillo, exporrecto. Monitus inter alia à Dei Servo, Dei beneficium eſſe, quod non in caſtris inter ferri & ſulphuris graſſationes fatali telo perijſſet, ſed lento, & meliori vitæ meditandæ opportuno morbo conficeretur, reſpondit: **Se id inter prima Dei beneficia referre.** Nec ſi cui Herois noſtri dolores dolorem, & ejus nuntias voces exprimerent, quicquam reponere ſolebat, **niſi ſe Deo gratias debere quod adeo benigne ſecum ageret.** Rogatus annon in ipſo morbi æſtu Dei ſe evocantis virtutem perſentiſceret, reſpondit: **Se revera ſentire, omnes terrenorum fibras ſibi evelli, & cor ſuum è terra ad Deum ac cœleſtia ſubvehi. Ultimam horam non amplius ſibi in exſpectatione, ſed etiam in deſiderio eſſe.** Nullum ferme momentum ſubducebat cœleſtibus curis, niſi quod ſævior ſibi morbi vis vindicaret. Qua ſolicitudine, quo animi ardore, quanvis interprete Dei ſervo, qui lectulo jacentis adſtabat, ob difficiliorem reſpirandi commeatum, ultimis diebus uſus, Rempublicam commendarit Patribus, commendarit Eccleſiam, commendarit concordiam, vix pro dignitate dici poteſt. Primis illis nominibus, quæ ſibi ſemper commendatiſſima oſtendit, charitſſimorum etiam capitum, & gentis ſuæ decus adjecit, & utrumque Patrum affectui commiſit, nec illos ſine ſuis votis & eorum lacrymis à ſe dimiſit. Heroinæ Principis ſingularem ſemper rationem habuit, eique conſtantiſſimum affectum ad extremum uſque probavit. Illius etiam dignitatem ſuis, ſed id ipſum ultro volentibus, commendavit, pietatem, amorem, concordiam omnibus. Quas ſurgenti Patriæ ſpei *Gulielmo*, quas *Electoriæ Principi*, charitatibus ſuis, voces reliquerit, privato ore nec efferri debent, nec poſſunt. Quam impenſe quoque Sereniſſimi *Electoris Brandeburgici*, quem ſupremo officio ultro ſibi adeſſe cum gaudio vidit, præſentia afficeretur, ex oculis & vultu etiam deficientis legi potuit. Et quanvis invaleſcens morbi impetus, fatali duodecim horarum ſopore, ultimi antecambulone, omnes Herois noſtri vires dejeciſſe viderctur, tandem tamen ex iſta caligine, ſingulari Dei munere, natura ſeipſam adhuc ulciſcente, eluctatus, & ſeipſo major viſus, ultimas horas, ſui compos, ea animi præſentia inter ſanctiſſimas voces, quas avidiſſime excipiebat, clauſit, ut deſtinatam ſibi beatitatem non expectare amplius, ſed jam Dei plenus, pleno modio excipere, immo uſurpare videretur. Tametſi

vero vox ei multa pituita intercludi potuerit, & omnium terrenorum ſenſus, conſtans tamen in Deum fiducia ei intercludi non potuit, nec cœleſtium vocum recordatio, quam oris, capitis, & pectoris motu quavis lingua efficacius loquebatur: Adeo quidem, ut paucis, antequam Heroica anima divortium faceret à corpore, momentis, rogatus à Dei Servo, an ejus vitæ primitias ſentiret, quæ terrenorum omnium diadematum deſiderium, & amorem ei expectoraret, magno pectoris niſu, & exſerta adhuc voce annuerit. Ita triumphantem inter ſancta ſuſpiria animam xiv. Martij, quæ dies inter funeſtas & toti Reipublicæ graves merito referri debet, intra quartam & quintam matutinam Heros noſter emiſit, nec eam Servatori ſuo impegit, ſed reddidit, ætatis Lxiii. Præfecturæ Belgicæ & Principatus Arauſionenſis xxii. propemodum annos, ſupremam vero omnis gloriæ, ad quam humana virtus ambire poſſe videtur, metam ſupergreſſus.

Habuit Oriens Heroas ſuos, habuit Occidens. Magna poſteritatis memoriæ nomina commendavit antiquitas. Nondum tamen in effœtum virtutum ſeculum incidimus. Quod priſcæ virtuti opponere poſſit ætas noſtra, in hoc Heroe habuit. Invenit ſane in eo Fœderata Belgica & Themiſtoclem & Camillum, & Periclem & Fabium, & Epaminondam & Scipionem, & Timoleonta & Æmylium, & Iphicratem & Chabriam, & Lyſandrum & Miltiadem, & quicquid in maximis Ducibus ſuſpexit retro priſca ætas. Natura in hoc Heroe ſibi vim feciſſe videbatur, & in eo abſolviſſe quod alibi inchoavit. Quæ diviſis alibi laribus habitant virtutes, in uno hoc capite conjunctam ſedem fixiſſe videbantur. Pietatem, virtutum omnium matrem, ſine qua larva honeſti dari poteſt, honeſtum dari non poteſt, non ambitioſam habuit, nec affectatam, ſed ſinceram, & mitem, qualis puriſſima eſt. Hanc expreſſit opere, non ſchemate, ab Hiſtrionia omni tota vita alieniſſimus. Quot & quibus illicijs tentatus fuerit, ut partibus ſuper religione accederet, rerum uſus multos ex vobis ignorare non patitur, ille tamen nullas niſi veritatis partes ſibi adoptandas putavit. Quam reverenter Dei Servos habuerit, omnes teſtari poſſumus, quoties vel publicis vel privatis officijs apud hunc Heroem functi ſuimus, illi maxime, quos ordinarij muneris ratio propius illi admovit. Omnium inſtar eſſe poteſt, quod ſuum & Patriæ gaudium *Gulielmum*, in magni Imperij ſpem natum Principem, non niſi ſub Theologi, ab Orthodoxia præter decora alia commendatiſſimi, & quod ad Academiæ noſtræ gloriam pertinet, ex ordine noſtro evocati, diſciplina adoleſcere voluit, ut voce ac exemplo ad omnem pietatem mature formaretur. Vidimus ipſi Novi Fœderis, & Hymnorum Davidicorum Codicem manu Heroïs noſtri tritum, & notis varijs interſtinctum, nec hoc modo, ſed & quod ſine ſingulari admiratione & gaudio non vidimus, vidimus plurima S. Scripturæ teſtimonia eadem Heroïs noſtri manu exſcripta, quæ ad peccati notitiam, fugam & remedium maxime pertinerent. Quæ quidem tanto judicio ſelecta comperimus, ut hoc in bellatore, qui nihil mini oſtentui eſſe debere cenſerit, quam pietatem, non parum miraremur. Hanc etiam virtutem inuſitatæ ſuæ fortitudinis baſin habuit, qua ſulphur & ferrum omne hoſtile tota vita conſtantiſſime ſprevit. Eundem umbonem ſæpe querulis ſuorum vocibus opponere ſolebat, quod vitam & ſpiritum Patriæ toties periclitaretur: Dei providentiam ſuam fiduciam eſſe, illi ſoli ſe ſtare & cadere. Decretum ſibi, nihil

eorum

eorum prætermittere, quæ ad munus ſuum pertinerent. Quam pias ſæpe voces in caſtris emiſit! Victorias ſuas nunquam ſibi, ſed Deo imputari volebat, & uni quidem: Ejus favorem exorari debere. Sine illo omnes hominum conatus, quantumvis maximos, inanes eſſe. Quum Anno clo Ioexlv. trajectis quinque amnibus, cingendæ Hulſtæ, exercitum in Waſiam mira felicitate traduxiſſet, candide Dei Servo faſſus fuit: **Hoc Dei opus eſſe, non ſuum: Dei manu ſupra ſpes ſuas eo uſque ſe deductum. Magnas accepti à Deo, parvas redditi ſibi rationes eſſe. Immo malum ſe nomen eſſe, omiſſorum & commiſſorum reum.** Sæpe animadverſum à fido Dei Servo, in ipſis caſtris Heroem noſtrum Dei verbo mirum quantum affici, & ſacra velut repotia ſecum inſtituere, de dictis pro concione agere, ſcrupulos conſcientiæ movere, ſuper fide anquirere, ſuam exponere, de ſua ad preces & pietatis officia lentitudine, de carnis etiam ad peccatum pronitate queri. Quæ qui in Principe, & bellatore non miratur, ille nec aularum lubrica, nec caſtrorum comperta habet. Qui etiam luculentiore quam ſanctiſſimæ mortis exemplo probari poteſt illa virtus, quæ in vitæ occaſu potiſſimum ſui fidem facere ſolet? Quale illa in Herois noſtri tota vita aulæ, caſtris, negotijs innutriti exceſſu regnum exercuerit, in recenti memoria eſt, nec indictum abibit fido Dei Servo, qui id publicæ utilitati debet. An mirum, omnium aliarum virtutum in Heroe noſtro choragium fuiſſe, illa præcunte, quæ reliquas omnes poſt ſe trahit? Magnanimitas vere Principum virtus eſt. Hanc noſter habuit ſine pari. Quam excelſo animo maxima, & ſummi etiam Fratris felicitati inacceſſa tentavit, abſolvit? Quam invicta virtute ad *Sylvam-Ducis*, præter potentiſſimum Hoſtem, totius ferme Patriæ nutantis & ſibi incumbentis pondus immotus ſuſtinuit! Quam inuſitata fortitudine in caſtris ad *Trajectum* ſexaginta millium capitum vim, ſub maximis Ducibus in ſe deſtinatam, mediocri exercitu opperiri auſus, quod numero deerat, ſolo animo ſupplevit! Utrobique vero cum fortuna, vita, fama, & ijs omnibus ingenti fiducia decidit, quæ humanam mentem, ſi ulla, commovere poſſunt, & de gradu deturbare. Revera in Heroe noſtro compertum, plebejos animos creſcentis periculi magnitudine dejici, magnos attolli & accendi. Quam magno etiam animo, inter maxima de Republica merita, popularia quandoque judicia una ſuæ virtutis conſcientia ſubnixus, excepit! Contentus obiter dicere; **Regentium actiones à rumoribus non pendere. Eorum conſilia differri potius, quam intelligi. Rationem à multitudine exigendam non eſſe.** Se tamen ſemper habebat, & ſervabat ſibi, popularis quidem plauſus non ſititor, ſed nec contemptor etiam. Sibi equidem, ſi ullus mortalium, noverat imperare. Quam ille iram in poteſtate habuerit: admirandis ſæpe indicijs compertum. Et quanvis iraſci interdum deberet, iraſci noluit, ne à ſe abire videretur. Nunquam ſe projicere ſolebat, vel iras ſuas infra dignitatem demittere. Aliorum impetum ſpumam etiam, ferre poterat, ſed ea oris majeſtate, quæ pudorem exprimeret & pœnitentiam ferociſſimis. Qua animi moderatione proſpera, adverſa exceperit, propioris admiſſionis miniſtri norunt. Ut illis ingens animus attolli non potuit, ſic nec iſtis frangi. Quæ extra ſe, & ab alijs fierent, aliena, quæ à ſe, ſola ſua cenſebat. Nihil tam ar-

duum esse poterat, quod non sereno vultu admitteret, omnibus major, & qui Deum ubique, sed ducentem potius quam trahentem, sequendum censeret. Idem illi vultus in castris & aula, in serijs & ludicris, serenus & sibi constans. Munificentia etiam Principum virtus est. Hanc & ipsam eximiam habuit: eoque majorem, quo eam occultiorem esse voluit, ne famæ dare videretur, quod dabat suæ virtuti. Neminem qui egeret à se submotum volebat. Multorum vota largitionibus munificis implevit, multorum antevertit, de pudore eorum æque ac de egestate solicitus. Immo ita ad liberalitatem & munificentiam omnem factus videbatur, ut beneficij largitione sibi dari existimaret, à sordido illo articulari morbo, qui Reges etiam tenuit, tota vita alieniſſimus, ut qui non aurum solum, sed & plebejas cupiditates infra Principem esse debere censeret. Quoties ille rerum suarum procuratores submovit, ubi de Republica agendum erat, cujus minima commoda maximis suis præponenda existimavit. Non sine admiratione animadversum, quum fœderatum aliquando exercitum incredibili cura servasset, nec aliam à multis ex servatis gratiam præter grassationes in obnoxio sibi Comitatu Meursensi referret, Heroem nostrum ne vocem quidem in querelam laxasse, tantum abest ut de coercendis istis grassatoribus, quod facillimum erat, sibi cogitandum existimarit. Integrum beneficium, & nulla sui parte imminutum à se præstari debere, gloriæ suæ interesse censuit, & magni Regis Majestatem etiam in lixis quandoque & mediastinis venerandam. Ut vero Heroi nostro commodorum suorum contemptor animus fuit, sic de publica re mire solicitus. Sua salus ipsi invisa propemodum videbatur, nisi cum Reipublicæ salutæ conjuncta foret. Nihil pro se ferme optari patiebatur, nisi in commune prodesset. Ista una cura revera illi curæ fuit. Hanc sibi procurationem hæreditaria sortitione obtigisse censebat; & unam quidem. Illi dies noctesque imputandos, & accurandum, quicquid ad Reipublicæ existimationem & salutem pertineret. Quid in castris tota Europa spectante pro ejus gloria gesserit, Orbi notum. Non unum Demetrium Poliorceten jactavit antiquitas. Quem tamen Nostro opponere possit, non video. Ita omnia & Carthaginis, & Numantiæ, & Aleſiæ, & Nysæ, & Aorni, & Platæarum, & Syracusarum, & Tyri obsidionum admiranda una Ducis Sylva habet, Trajectum una, Breda una. Naturæ ipsi vim facere videbatur Heros noster, non Hosti tantum, nec hominum duntaxat victor esse, sed & elementorum & tempestatum. Non mirum, Regios totius Europæ oculos in hunc Nostrum conversos fuisse, qui non nisi Regia moliretur. Quot illi disciplina castrensis leges debet! Quot Architectonica militaris machinas! Quot civis & miles capita! Quot Respublica urbes & munimenta! Quot publica tranquillitas dies & noctes, immo menses & annos quietos! Quantum felicitatis & gloriæ res Batava! Ingenue dicendum quod res est; Rempublicam vestram non splendidam reddidit, sed formidabilem, sed invidendam, sed Europæ stuporem. Illi ipsi etiam imputare debet Orbis Christianus, quod nondum serviat, & quod Orientis simul ac Occidentis gaza impendi non potuerit, ad parandam ei servitutem. Nec tamen, quæ splendidissima videntur, maxima fuere Herois nostri in Rempublicam merita. Plus ejus consilio debuit, quam armis, plus prudentiæ quam fortitudini. Hæc beneficia Patres tectos habent, & rerum publicarum rectores. Nec minora sunt, quia sine buccina

&

& cornicine edita. Non minoribus ſane machinis in expugnandis animis quam in ſubigendis urbibus opus. Quantum in permovendis tot Provinciarum, tot urbium rectoribus induſtriæ, quantum operæ exigatur, quot impedimenta ſubmovenda ſint, illi demum intelligunt, qui Reipublicæ veſtræ compagem, & libramenta penitius norunt. Hanc artem calluit ſine pari. Quoties ille ſive ſuis conſilijs, ſive ſua ſuada vel nutantes erexit, vel colliſos conciliavit, vel reluctantes permovit, vel ſuæ quoſque rei ſatagentes, alienæ æmulos, publicæ ſegnes, ad temperamentum ſalutare, & publicas cogitationes traduxit! Quoties ſimultates in nervum & exitium Patriæ erupturas ea ſapientia & moderatione compoſuit, quæ pertinaciſſimis etiam ne diſſentiendi quidem voluntatem relinqueret! Quoties ab ejus ore publica ſalus in arduis Reipublicæ negotijs pependit! Quoties iſti ori, illi Majeſtati, & venerationi Principis datum, quod negatum omnibus! Quoties unus vidit, monuit, quod ſupra privatam perſpicaciam erat! Quoties ſibi delatum graviſſimorum negotiorum arbitrium ita juri & æquo accommodavit, ut ne illi quidem, quorum cauſam minus probaret, judicium ejus improbare poſſent! Omnium partium videbatur, quia extra omnes erat. Quoties ille utriuſque Collegij, quod totius, qua patet Oceanus, potens eſt, & Orientem ac Occidentem vobis vectigalem facit, commoda ſalutaribus conſilijs promovit, & oſtendit, Gades, Calpen, Moluccas, Javam, Cubam, Mexicam, Braſiliam, aliaſque multo Sole toſtas regiones, æque ſibi notas eſſe ac Bataviam, nec Rhenum magis vel Moſam, quam Paraybam vel Gangem. Nec vel Bahiam, vel Pernambucam Batavus miles calcaſſet victor, ſine Herois noſtri, Belgas in Hiſpanum, in utroque orbe armantis, auſpicijs. Civica ſane corona ſupra omnes militares cenſeri debet, quam ſapientiſſimis viginti & amplius annorum curis meruit. Cujus fructum licet maximi ſemper Reſpublica fecerit, pluris tamen quotidie faciet, quoties tantam ſibi virtutem ademptam cogitabit. Quoties etiam privata privatorum commoda propenſiſſimo animo juvit & promovit, quando illa ſine publico incommodo juvari potuere & promoveri! Quot ipſi Duces, quot Tribuni, quot Centuriones, quot milites, quot cives fortunas ſuas debent! Quis fidem ex illis vel operam Reipublicæ probavit, quem non in oculis & animo circumferret! Quot hominum vota implevit, quot occupavit! Quot molitiones à Republica avertit, quot molitionibus prævertit! Quoties in ipſum hoſtem beneficus fuit & comis, quando id ſine Reipublicæ diſpendio licuit. Crebro ſane comitatis ſuæ confeſſionem ſive libero expreſſit, ſive obſeſſo. Quis hoc Heroe juris & æqui, quis fidei obſervantior fuit? Sacrum erat & inviolatum, quod promiſerat, nec ullis compendijs redimendum. Plura tamen facere quam promittere Principis eſſe cenſebat, & ſolidæ virtutis, virtutem præſtare potius quam præ ſe ferre. Qua cura fœdera & Fœderatorum res ad dignitatem & gloriam Reipublicæ pertinentes curavit! Quo ardore ejus tranquillitatem, ſed quæ cum ſalute Patriæ conjuncta eſſet, extremis etiam conſilijs promotam voluit! Ne amiciſſimæ quidem ſibi tota vita Gentis, nec ſui ſanguinis decorum, nullis privatis commodis compenſandorum, præ ſalute Reipublicæ memor, quæ revera ei ſuprema lex fuit. His curis immori voluit, nec ſpecioſis vel ſplendidis conſilijs unquam locum eſſe poſſe cenſuit, ubi ſalutaribus eſſe deberet. Authoritatem habere malebat quam exercere, crudorum impe-

imperiorum ignarus, juſtorum etiam modicus, & qui rogando ut plurimum imperare ſoleret. Certamen illi ſemper honoris cum Patribus, & tanta in magna poteſtate moderatio, ut quod fieri deberet in graviſſimis negotijs, ab alijs quam à ſe dici mallet, ipſe etiam Patrum conſilijs ſumma lubentia accederet. Nemo hoc Heroe potentior erat occupandis alijs. In animos invadebat æque ac in urbes. Ferreus erat, quem non flecteret, cui non venerationem exprimeret & obſequium. Quales ille & quantos, & quanta per eos Reipublicæ conciliarit, inter arcana ejus eſt, quæ plus proſunt quamdiu ignorantur. Nemo ab oſtentatione, & faſtu eo erat alienior. Adulationem ne ferre quidem poterat, qui ferebat omnia. Honores ea modeſtia excipere ſolebat, quæ eum plus mereri oſtenderet, quam accipere. Regiam periſcelidem, à Magno Rege ultro ſibi oblatam, in animum admiſit, non in veſtem, non quod geſtanda non videretur, ſed ne quid in affecta ætate vel in cultu mutaret. Verborum licet parcus promus fuerit, talium tamen fuit, quæ decerent imperantem, & ſapientiæ omnis conſultum. Eloquentiæ interea in alijs non contemptor fuit, ſed præco. Ipſe plus ſemper à ſe taceri debere cenſuit, quam dici. Regentium etiam eſſe, plus dicere poſſe, quam velle, aut velle debere. Eruditionem omnem habuit Imperatori neceſſariam; In Geometricis, Geographicis, Nauticis, Mechanicis, Poliorceticis, & Architectonica militari regnabat. Artificum in talibus peccata non obſervabat ſolum, ſed & emendabat. Hiſtoriam veterem & recentem tenebat, ſi quiſquam. Nec id tantum quod in ea vident alij, ſed quod pervidebat unus. Politices tantum in hoc Heroe erat, quantum fruſtra in bellatore alibi quæras. Id unum tota vita egiſſe videri poterat. Hoc cives, exteri, Oratores, Principes, Patres ſæpe cum ſtupore ſuſpexere. Sagacitate, judicio, futuri proſpicientia pariter admirandus erat. Id in affecta ætate quandoque queri videbatur, linguæ, quæ eruditionis inſtrumentum eſt, uſum ſibi deeſſe, nec adoleſcentiæ ſuæ hoc decus quæſitum, ut cum priſcis ſine interprete agere poſſet. Eruditioni tamen cæteræ multimodis favit. Id Academia noſtra teſtari poteſt, cujus egregio propenſiſſimo ſemper animo ſtuduit. Quantum totum eruditorum ordinem ſibi obſtrinxerit, illuſtre virtutis & bonarum literarum ſeminarium, & in eo Collegium Auriacum, in *Breda* urbe non ita pridem erectum, ad omnem poſteritatem teſtabitur. In cujus gloriæ partem Heroina noſtra non uno nomine venit. Nec in caſtris ſolum regnabat, & in Republica, ſed & in aulica comitate, qua & ipſa Regijs capitibus ſui admirationem expreſſit, ubique ex æquo magnus. In aliorum arcanis proliciendis minus erat artifex, ſuorum condus ad ſtuporem uſque. Eorum quæ decreverat diſpenſator admirandus, ut multi imperata tum demum intelligerent, poſtquam facienda facta eſſent. Sic enim alijs dividebat opus, ut ipſe ſolus totum intelligeret. Hac arte maxima perfecit, non hoſti tantum tectus, ſed & ijs quibus totus patere videbatur. Nec privatæ virtutes Heroi noſtro defuere, præter imperatorias. Singulas ſummas habere debuit. Magnus revera eſſe poterat ſine principatu, & voluntarium ſibi in omnium animis erigere. Nemo illo mitior erat, ſupra vindictam omnem videbatur. Ab officio devios ratione potius & beneficijs quam minis vel pœnis revocatos volebat. Si quem ſegnem & tardum ad debita imperia ſua pertinacia ſuſtuliſſet, dolebat deeſſe, quem ſervaret, cui ignoſceret. Quæ clementia ad divinam accedit. Inter tot

in-

inusitatas virtutes nemo de se abjectius sentire solebat, de alijs præclarius, ubi incorrupto judicio locus esset, quod nonnisi summarum mentium est. Nulla tamen illi larva, nullo mangonio imponi poterat. Totum hominem pervidebat ex facie & oratione. Magna illi morum gravitas. Excelsarum animarum, ut superiorum orbium, motus tardiores esse debere censebat. Calorem, præcipitationem, impetum, ut impotentis animi signa, infra se ducebat, dignitatis suæ in periculis, in acie, inter glandes & pilas memor. Nullo apparatu vel Mors, vel Hostis Fabricium nostrum unquam terrere potuit, vel efficere, ut vultum aut gradum mutaret. Monitus à Tribunorum & Centurionum fidissimis inter tonitruum hostilium iras, inter flammas & strages, inter suorum mortes & cadavera, ut sui & Reipublicæ rationem haberet, respondebat: **Licere Hosti irasci & terrere: Sibi licere debere, non terreri.** Quum multos, & fidissimos quidem suorum, queri intelligeret, quod non Imperatorem tantum ageret, sed & fossorem & militem, nec in vineas & cuniculos iret, sed reperet, & fati inclementiam in caput suum ultro cum totius Reipublicæ exitio concitaret, composito & vultu & animo, dicebat; **Imperatoris munia non melius quam ab Imperatore intelligi: Omnibus præsentem esse debere, cui Respublica omnia imputaret: Imperatoris etiam fimbriam ad omnia se extendere: Alienis oculis parum, aliena fide minus profici.** Et revera ista Ducis inter tela & ignes præsentia, è potissimis tantarum, quas reportavit, victoriarum instrumentis fuit. Nec quicquam plus valebat ad disciplinam & exemplum Herois nostri vultu. Fortitudinem ille adspirabat ignavis, addebat fortibus, laborum patientiam imprabat omnibus. Nihil vel periculorum vel molestiarum detrectare licebat in tanto commilitio. Maximum illum & inusitatum animum commendabat ingens corporis decus, in quo ipsa habitabat Majestas, non austera, nec ferox, sed placida, & tanta comitate condita, ut plus ne venerationis an amoris inspirarent vividi isti oculi, & vultus Principe dignus, dubitare posses. Dixisses facile hanc domum à magno hospite habitari. Statura decentior quam submior erat. Mundicici ad extremum usque in cultu observans fuit, decori ubique, ne illam etiam partem minus reverenter habere videretur, quæ in tanto contubernio esset. Ut vero corpus torosum habebat, & bene compactum: Sic ætatem transegit sine notabili valetudinis vitio, nisi quod carnifex ille morbus, qui satellites corporis pedes invadit, & instar callidi hostis è longinquo cuniculos agit, sæpe recurreret. Augebant morbi vim & vita in castris inter labores & vigilias, & domi inter curas continuas pro Republica acta. Sæpe observatum, inde à Trajecti obsidio, tortorem illum morbum conspirare cum hoste, & obsidere obsessorem. Ille tamen & morbi, & doloris victor de utroque constantissime triumphabat, donec alijs in subsidium vocatis languoribus, velut conspiratione facta, in jacentem, & omnem simul Medicorum experientiam immani contumacia grassarentur. Intra fines tamen suos sterit malii vis. Corticem Herois nostri tiernere potuit, Heroem nostrum non potuit, nec vel meliori parti vim facere, vel inusitatæ illi fortitudinis gloriam intervertere, quam consentiente generis humani suffragio supra mortalium propemodum sortem consequutus fuit. Quum tantus esset, non minus summis virtutibus gemi-

nam

nam acceſſiſſe felicitatem, qualem nullus unquam inter Naſſovios habuit. Non inania titulorum moror, quorum ſeculum noſtrum, rebus parcum, ferax eſſe ſolet. Nec Celſum illud Nomen tango, quod à Maximo Rege Orbis Chriſtiani conſenſu obtinuit. Nec enim id tunc tam datum auguſtæ iſti Genti videtur, quam redditum, vel poſtliminio velut reſtitutum. Altiora ſunt quæ ad gloriam Herois noſtri pertinent. Quam admiranda Dei providentia, circa tanti capitis curam enituit! Quoties id ſubductum Sicarijs, quoties tempeſtatibus, quoties morti! Toties ſane hic Heros ſervatus dici debet, quot dies, immo quot horas ferme inter ferri & æris ſtrages in caſtris exegit, & adeo quidem intactus, ut in medijs flammis & cadaveribus ne minimam quidem vulneris ſtricturam, ne dum vulnus, corpore unquam exceperit, quamvis mortem circa ſe omnibus telis ſuis graſſantem videret. Quod vix ſine miraculo factum; ſine ſingulari ſane Numinis cura non factum. Quis majorem nominis claritudinem, Heroe noſtro inter maximos etiam duces conſequutus fuit? Quis civi & militi, fœderato & hoſti, majorem ſui venerationem inuſitata virtute & felicitate expreſſit? Nec ad Rhenum tantum & Moſam notus fuit, ſed ad Tagum & Tiberim, ad Boſphorum & Boryſthenem, ad Tigrim & Hydaſpem, immo ad ipſos Platæ & Amazonum amnes. Nec inter Europæos modo, ſed Orientis etiam Occidentiſque reges Herois noſtri virtutes, arma, victoriæ publicarum laudum materia erant. Ex toto propemodum orbe Europæo Nobilitas, Miles ad ſigna ejus confluebant. Sub eo militaſſe pars gloriæ videbatur, viciſſe ingens felicitas. Immo ne alia quidem Hoſti ſolatia erant nili ab Herois noſtri virtute. Id unum ſane ad ſui defenſionem pertinere putabant captarum urbium Præfecti, quod ab eo victi eſſent, cui vincendi felicitas hæreditaria eſſet, & cui ad tempus etiam reſiſtere, glorioſum foret. Acceſſere conſtans Patrum obſervantia, authoritas una Majeſtate minor, communis totius Fœderatæ Belgicæ amor, conſentiens Orbis univerſi admiratio, maximæ victoriæ, ſucceſſus ſtupendi, domeſtica gaudia, auguſtæ ſtirpis in tanto Patri gemina prole ſucceſſio, ſplendidiſſima ſui ſanguinis fœdera, Regium in *Gulielmo*, Electorale in *Aloyſia*, magnarum virtutum Principibus, quorum illud multorum etiam regnorum Hæredem Naſſovicæ Familiæ, iſtud illi inſeruit Sereniſſimam Gentem, quæ tot Imperio Romano Septemviros, tot Heroas dedit, & dat, hodieque *Fridricum Gulielmum*, vaſtiſſimarum Provinciarum ſupra omnes Imperij Principes, majoris tamen adhuc animi & ſpiritus Principem. Et quod ingentis felicitatis eſt, ad tantam Majeſtatem Heros noſter victricibus armis, ſingulari Dei munere, Rempublicam veſtram evexit, ut Fœderata Belgica Regiorum conſiliorum moderatrix, Regiorum armorum arbitra, Oceani Domina, Auſtriacæ potentiæ obex, Ottomannicæ Terror, Orientis Occidentiſque ſtupor, Chinarum & Japanis admiratio, & totius Europæ propemodum ſtatera cenſeri poſſit, ad quam maximorum motuum momenta exiguntur. Rariſſimum iſtud Dei munus eſt, Auditores, & decus ſingulare, nec id aliquot ſeculorum decurſu, ſed paucis annis, idque ex modicis initijs, indulgentiſſimi Numinis benignitate, Patrum cura, & *Naſſoviorum* fortitudine Reipublicæ veſtræ quæſitum. Conſulite Annales veſtros. Multum diuque hoc ſanguine viciſtis, Batavi. Illi curas ſuas, conſilia, arma, vitam

vitam etiam vobis impenderunt, hodieque per *Gulielmos*, *Mauritios*, *Fridericos Henricos*, alioſque impendunt.

Quid mirum magis, quam inde à quadrageſimo poſt ſeculum decimum & quintum anno quatuor cognatorum capitum, *Renati*, *Gulielmi*, *Mauritij* & *Friderici Henrici* præfecturam ſeculum abſolviſſe, exceſſiſſe! Si Reipublicæ & Libertatis veſtræ incunabula *Gulielmo*, ſi *Mauritio* utriuſque firmamenta, ornamenta certe & colophonem debetis *Frederico Henrico*. Qui non prius defecit, donec tantum opus à Patre inchoatum, à Fratre aliquouſque productum, ſolus conſummaret.

Sit nobis fas hodie, Auditores, mortalem vocem ad Heroem cœlo receptum efferre, & hos oculos, hos vultus, quos ſæpe ſuſpeximus, hanc dextram, quam toties oſculis, hunc animum, quem tanta reverentia veneratiſumus, immo totum hunc Heroem, non pugnantem, non ſudantem, non algentem, ſed paludatum & triumphantem nobis ſiſtere, ultimo alloquio excipere, dolorem noſtrum ſolari, & quas nobis voces dictat mœror & veneratio, effari:

Frederice Henrice, ingens cœli olim inter nos depoſitum, noſter Amor, Orbis admiratio: Tibi ſupra caduca rerum jam evecto Fœderata Belgica, mœſta, ſqualida, dejecta, non paludamentum imperatorium, non trophæa, non aquilas, non ſigna, vana doloris ſolatia, & inania pompæ inſtrumenta ſuſpendit, ſed animos tuæ virtutis, tuæ gloriæ, tui deſiderij plenos effundit, & ſupremum Tibi Vale vix ſui amplius compos, quanvis non flebili voce, quia de te loquitur, dicit. Tuus ille Heroum tradux animus, Dei inſtrumentum, incolumitatem nobis, tranquillitatem, felicitatem, immo ſplendorem & gloriam peperit. Hoc tuum & Majorum tuorum, poſt Deum immortalem, munus eſt. Veſtris conſilijs, armis, ſanguine quoque veſtro res Batava ſurrexit, crevit, ſtat, immo vix quo progrediatur habet. Tua illa illibatæ felicitatis conſors anima, inter ſulphureos olim nimbos inquies, jam mole ſua ſoluta, cœleſtes illos fornices quieta habitat, quorum nec ſublimitas hoſtem, nec ſerenitas nubem, nec puritas labem admittit. Ibi Dei ſerenum intueris ſine caligine, Dei gaudium excipis ſine felle, Dei gloriam poſſides ſine ſatietate. Infra te eſſe vides moles & molitiones humanas, & quicquid grande vel duraturum vocamus, immo totum infirmitatum humanarum ſpoliarium. Non alios jam exercitus habes niſi cœleſtes, nec alias tubas audis, niſi angelicas, nec alia caſtra vides, niſi Seraphica, nec aliud commilitium, niſi triumphale, nec alium hoſtem, niſi qui eo pertingere non poteſt, ubi tu jam vivis, & regnas, vere victor, vere invictus. Jam palmam habes, jam coronam tenes, nulli hyemi, nulli tempeſtati,

peſtati, immo nulli mutationi obnoxiam. Non te poſcimus, cœleſtis anima, preces, nec vota. Nec tuum ordinem id decet, nec noſtrum. Non tuis gaudijs invidemus. Noſtra damna querimur. Rempublicam, Academiam, Eccleſiam orbam, viduam, deſertam lugemus. Divortium dolemus, quod paſſi ſumus: Gemitus miſcemus: Tua beneficia agnoſcimus, commendamus, & conſtantem virtutis tuæ & tuorum meritorum recordationem ſancte pollicemur.

Si quis beatis animabus eſſet rerum humanarum ſenſus, Auditores, quid quæſo triumphalis iſta anima nobis reponeret, præter verba quæ fortiſſimo Viro, quanvis in alia cauſa, commodat Romanæ Suadæ medulla?

Valeant, valeant, Cives mei: Sint incolumes, ſint florentes, ſint beati. Stet hæc Reſpublica præclara, mihique Patria chariſſima. Tranquilla Republica cives mei ſine me, per me tamen perfruantur. Servent Patres, ſervent cives Rempublicam ijſdem artibus, quibus illa crevit, & ſtetit retro. Sit illa Deo ſacra, ſit Socijs ſida. Sit pietatis, ſit concordiæ, ſit publicorum commodorum, ſit amicorum, ſit à Deo immortali acceptorum memor. *Gulielmos*, *Mauritios*, *Fredericos Henricos*, unus vobis repræſentet *Gulielmus*. Sit ille Amor veſter, ſit Hoſtium terror, ſit Patriæ præſidium, ſit Orbis Chriſtiani Decus, ſit delicium generis humani.

Reſeres, reſeres, Heros Magne, ultimum hoc à Patribus & Civibus meritorum tuorum præmium. Quicquid ex te amavimus, quicquid mirati ſumus, manet, manſurumque eſt in animis hominum, in æternitate temporum, & fama rerum. Nos te inter triumphales cœleſtium Quiritium choros relicto, tuos in *Gulielmo* ſpirante tui imagine vultus, tuum animum, tuam virtutem, & tuam, quod vovemus & auguramur, felicitatem in chariſſimo nobis capite duraturæ venerationi proſequemur.

Macte interea, Heroum ſanguis & tradux, *Gulielmæ*, magno & animo & gradu in paternas virtutes & gloriam ito. Magna exempla domeſtica habes. Nec majora habere potes, nec propiora. Fac ut quas nos Tibi vernaculas Auguſtæ Genti tuæ precamur virtutes, quam Tui fiduciam habemus, quæ obſequia ſpondemus, ea omnia tuæ, & per Te noſtræ felicitati accedant. Nihil majus vel exſpectare à Te poſſumus, vel Tibi nobiſque à Deo Opt. Max. precari, quam ut ſummi Parentis Tui *Virtutem* ac *Felicitatem* nobis

bis Orbique Christiano quam diutissime repræsentes, & serus in cœlum ad cognata tibi sidera redeas. Magnam spem sustines, Princeps Magne. Ipsa Majorum tuorum virtus tibi adversaria est. Illa tibi vel superanda est, vel sustinenda saltem. Ne ejus recordatio in desiderium abeat, serio cavebis, & nos, ne vel ingloria tibi turba videamur, vel sterilis, quod per Te servamur, gratia, id operam serio dabimus, ut quemadmodum nos Tibi debebimus salutem, sic Tu nobis, vere Academicum munus debeas, Famæ & Gloriæ Tuæ Æternitatem. *Dixi.*

EPITAPHIUM

CELSISSIMI PRINCIPIS

FREDERICI HENRICI

ARAUSIONENSIUM PRINCIPIS, &c.

SUm Genus Heroum, sum fultæ Cæsare *Gentis,*
Et bellatricis gloria summa Domus:
Quem creperis Batavum Cœli indulgentia rebus,
Et magno ultorem jussit adesse Patri:
Quem Patris exemplum, quem Magni gloria Fratris,
In cunis Patriæ quem pius ussit amor:
Quem puerum præcox in magnos fibra Philippos,
Flandricaque in Morinum *vertit arena tubas:*
Quem Chauci *tremuere Ducem, tremuere* Cheruſci,
Quem stupuit Tungro Rora *cruore satur:*
Cui vetus Arragonum *sanguis,* Mendoza, Velasci
Cui juveni quondam cessit adulta phalanx:
Cimbrica *cui pubes vacua* Brunonis *ab Urbe*
Splendida victorem signa referre dedit:
Cui placidam infelixque Nicer Nemetesque *quietem,*
Deberetque suos Vangio *tutus agros:*
Ni sua cunctator traxisset prælia Miles,
Et socium chalybem fraude bebetasset Iber:
Cujus Arausiacam *servavit dextera rupem,*
Et fidei memorem jussit habere fidem:
Quo Vahalis Rhenusque *Pater, quo vindice* Mosa
Securo tutas margine volvit aquas:
Quem Tenera & Scaldis, *quem sensit cognitus* Aa,
Et Rupela, *& multa compede* Lisa *gravis:*

Cui famulos Domino prima Oldenzalia *fasces,*
Submisitque apices hispida Grolla *suos:*
Cujus in Advaticis *sensit* Toxandria *campis,*
Fulmina, & artifices Virgo Brabanta *tubos:*
Quum natura suos migraret subdita fines,
Mutarentque vices gleba paluſque suas:
Atque Dacas Druſi *vectaret* foſſa *phalangas,*
Et Trajectinis Sarmata *staret agris.*
Me Duce multa gemens subducta Veſalia *Mauro,*
Suspendit mediis barbara signa tholis:
Me Duce Cantabricas *eluſit* Tola *carinas,*
Et pinus spolium Bætica *grande dedit:*
Me Duce congesto vallatos cespite Tungros
In Batavas egit nostra dolabra plagas:
Vindice me Getico *rubuit gens effera tabo,*
Et stupuit proprias Moſa *cruentus aquas:*
Me Duce regales jusserunt Lilia *turmas*
Regia sub nostris signa movere tubis:
Vindice me Vahali, Rhenoque *obnoxia* Moles
Annuit, & Batavum clausit amica latus:
Armis Aa *meis, multoque horrentia vallo*
Mœnia, & innumero cespite Breda *ferox*
Victori cessere Duci, Bœtiinque *perosus*
Marca *suas* Vahali *jungere gaudet aquas:*
Me Duce grassantem cohibet Gennepa Sicambrum,
Et Moiæ *dorsum tuta carina secat:*
Me Duce regali Cataracta *obnoxia* Gandæ,
Obex Neptuni desijt esse sui:
Uber me Waſiæ, *me crebris abdita sensit*
Hulſta *feris, nostro sulphure tacta, Ducem:*
Me Pernambuci, *me divitis incola* Javæ,
Me Goa, *me fœto panda* Sumatra *sinu,*
Me luteus stupuit bis coctus Sole Tapujas,
Et gemino nobis Aſtur *in orbe minor.*
Nec nos sola feri cœlo effert area Martis,
Plus nobis decoris civica palma parit.
Consiliis servata meis res Belgica, debet
Juncta pharetratus mi sua tela Leo.
Me Miles, Civisque Patrem, me dædala Leida
Pulpita Patrono splendidiora micant.
Auspice me medias inter fulgere suriſſas
Cernit Athenæum Martia Breda *suum.*
Regalemque Navum, nec dispar Regibus ostrum,
Optato nobis fœdere junxit Hymen.
Quodque utrique tumens miteſcat Cantaber Indo,
Virtuti debet Belgica læta meæ:

Quidque

Quodque ſuis iras Regum, quod temperet arma
Conſilijs, noſtro munere Belga facit.
Quod patrijs Gulielmus *ovans virtutibus, orbi*
Veſtro Naſſovicos exhibet unus Avos,
Hoc etiam noſtrum eſt: Ætas vix poſtera credet,
Circa unum lauros tot coijſſe caput.
Illa tamen noſtras prima inter laurea lauros,
Quod capit Auctorem gloria noſtra ſuum.
Scribite felicem, quem cœlo proxima virtus
Et probat ante homines, & probat ante Deum.

ALIUD.

Naturæ ſpatium vincendo exceſſimus, ultra
Naturæ fines palma petenda fuit:
Hanc cœlum exhibuit. Satis eſt, nil cætera curo,
Non genio minor eſt area digna meo,
Nec noſtris quicquam ſubducunt fata triumphis,
Omnia, ſi cœlum qui tenet, ille tenet.

Æternæ Memoriæ Glorioſiſſimi Heroïs

Poſuit L. M. Q.

Fridericus Spanhemius.

PANE-

Cui famulos Domino prima Oldenzalia *fasces,*
Submisitque apices hispida Grolla *suos:*
Cujus in Advaticis *sensit* Toxandria *campis,*
Fulmina, & artifices Virgo Brabanta *tubos:*
Quum natura suos migraret subdita fines,
Mutarentque vices gleba paluſque suas:
Atque Dacas Druſi *vectaret* foſſa *phalangas,*
Et Trajectinis Sarmata *staret agris.*
Me Duce multa gemens subducta Veſalia *Mauro,*
Suspendit medijs barbara signa tholis:
Me Duce Cantabricas *eluſit* Tola *carinas,*
Et pinus spolium Bætica *grande dedit:*
Me Duce congesto vallatos cespite Tungros
In Batavas egit nostra dolabra plagas:
Vindice me Getico *rubuit gens effera tabo,*
Et stupuit proprias Moſa *cruentus aquas:*
Me Duce regales jusserunt Lilia *turmas*
Regia sub nostris signa movere tubis:
Vindice me Vahali, Rhenoque *obnoxia* Moles
Annuit, & Batavum clausit amica latus:
Armis Aa *meis, multoque horrentia vallo*
Mœnia, & innumero cespite Breda *ferox*
Victori cessere Duci, Bœtumque *perosus*
Marca *suas* Vahali *jungere gaudet aquas:*
Me Duce grassantem cohibet Gennepa Sicambrum,
Et Moſæ *dorsum tuta carina secat:*
Me Duce regali Cataracta *obnoxia* Gandæ,
Obex Neptuni desijt esse sui:
Uber me Waſiæ, *me crebris abdita sensit*
Hulſta *feris, nostro sulphure tacta, Ducem:*
Me Pernambuci, *me divitis incola* Javæ,
Me Goa, *me fœto panda* Sumatra *sinu,*
Me luteus stupuit bis coctus Sole Tapujas,
Et gemino nobis Aſtur *in orbe minor.*
Nec nos sola feri cœlo effert area Martis,
Plus nobis decoris civica palma parit.
Consilijs servata meis res Belgica, debet
Juncta pharetratus mi sua tela Leo.
Me Miles, Civisque Patrem, me dædala Leidæ
Pulpita Patrono splendidiora micant.
Auspice me medias inter fulgere sariſſas
Cernit Athenæum Martia Breda *suum.*
Regalemque Narum, nec dispar Regibus ostrum,
Optato nobis fœdere junxit Hymen.
Quodque utroque tumens miteſcat Cantaber Indo,
Virtuti debet Belgica læta meæ:

Quodque

Quodque ſuis iras Regum, quod temperet arma
Conſilijs, noſtro munere Belga facit.
Quod patrijs Gulielmus *ovans virtutibus, orbi*
Veſtro Naſſovicos exhibet unus Avos,
Hoc etiam noſtrum eſt: Ætas vix poſtera credet,
Circa unum lauros tot coïjſſe caput.
Illa tamen noſtras prima inter laurea lauros,
Quod capit Auctiorem gloria noſtra ſuum.
Scribite felicem, quem cœlo proxima virtus
Et probat ante homines, & probat ante Deum.

ALIUD.

Naturæ ſpatium vincendo exceſſimus, ultra
Naturæ fines palma petenda fuit:
Hanc cœlum exhibuit. Satis eſt, nil cætera curo,
Non genio minor eſt area digna meo,
Nec noſtris quicquam ſubducunt fata triumphis,
Omnia, ſi cœlum qui tenet, ille tenet.

Æternæ Memoriæ Glorioſiſſimi Herois

Poſuit L. M. Q.

Fridericus Spanhemius.

PANE-

PANEGYRICUS
JAN. GRUTERO
SCRIPTUS
A
BALTHASARE VENATORE.

Ulla acerbior dies à longo tempore inclytum litterarum nomen invasit, quam cum nuper ingentibus meritis clarissimus vir *Janus Gruterus*, varijs studiorum ac cæteris vitæ laboribus exhaustus ultimam naturæ legem, ea parte, qua mori potuit, omnes autem elegantiores homines perpetuo sui desiderio implevit. Pro certo enim mihi persuadeo quibuscunque in Europæ locis, ubi consummata eruditio æstimationem sui retinet, hic summi viri occasus nunciabitur (quid enim magnum diu sileatur, cum cœpit aliquando cessare?) tamdiu verba lugubria super nostro hoc funere longe lateque auditum iri, quamdiu fama ullos inveniet, quibus hanc sæculi jacturam recenti nuncio ad aures admovebit. Qui potentia & magnitudine Imperij censentur, eorum quidem proprium hoc esse fateor, ut fortunæ suæ splendorem, dum vivunt, plurimorum oculis impingant, & ubi mortui fuerint, eundem splendorem in funere, in ipso mortalitatis & vanitatis spectaculo non sentientes usurpare soleant: omnibus præterea veredis celeritas crescat, ne quod pauci, quos dies ejusmodi atratos fecit, domi sciunt, foris cæteri in quamcunque affectus speciem ignorare possint, cum hac ratione supremæ majestati consuli videatur. Verum ea res apud exteros ferme ad delicias tantum facit, dum in cœtibus, in convivijs, in circulis, in tonstrinis etiam, nova tali & adventitia narratione silentium redimendum, & per aliorum tristes casus ac nuncios delectationi serviendum est. Tolerabilis tamen etiam in hoc fructus esset, si non & optimi sæpe Principis finis tantos apud alios plausus excitaret, quantum domi & apud suos mœroris. Raro enim aliquis ingens de hoc genere hominum vitam reliquit, quin aliena cupiditas, cui hactenus Defuncti virtus obstitit, illa occasione improbius speret, aut æmulantis odium gratuito lætetur. Sed aliam longe & multo securiorem felicitatem sibi in his terris pignorant Heroes nostri, qui saluti rei literariæ præsederunt, qui nullius avaritiam suis bonis accendunt, cum propria eorum possessio non in hæreditatem veniat, nec in naturam prædæ, qui nullius odium merentur, cum prodesse

prodeſſe ſtudeant univerſis, & ſtudeant hoc unum. Ipſam adeo invidiam, virtutis perduellem eorum exceſſus, ſicut olim vita, torquebit, & dolore interius confeſſo uret; olim, quia omnia ex eorum ſcriptis diſcere oportuit; deinceps, quod his quidem publice ſcribendi, ipſis clam & ingrate diſcendi conſuetudo interemta eſt. Jam & illud haberetur diſcrimen, quod mœror hic judicium eſt, illic impetus, & admiratio rei non admirandæ, potentes etiam poſſe mori: pauci de virtute cogitant, aut detrimento poſteritatis. Hic nemo luget, niſi qui doctrinam, ſapientiam, virtutem aut amat aut ſequitur, aut habet, quorum numerus etſi nec in Aulis nimis magnus, & in vulgo ſatis parcus, tamen ita magnus eſt, ita latus, ut porrigatur in omnes oras, ubi homines vivunt ulli ulla bona diſciplina inſtituti. Vellem equidem, quam vetera exempla hujus oratioris non deſunt, ita recentia non ſupereſſent; vellem de memoria ſimul omnium quibus ingenij divina, menſura ævi humana contigit, liceret in præſentia loqui, nec ad rem præſentem & ad ſolum nomen illud oporteret redire, quod quam olim libenter ac jucunde auribus & lingua uſurpavi, tam nunc invitus attingo, non quia illud minus colàm aut amem, ſed quia dolorem nimis facile irrito, & cum irritavi, ne diſſimulem vitium meum, nimis molliter fero. Sed dolebo potius, Mi Pater, quam ullum officium tibi denegem, & cum ubique admirabilis eruditio tua, *Jane Grutere*, notior fieri non poſſit, cum ubique jam lugearis, ſaltem illa per me notiora fiant, quæ vel non omnes attendebant, dum tantum maxima aſpectabant, vel ſcire non poterant, cum tu non proderes, vel videre ipſi aut coram audire, cum longe locorum abeſſent, vel præclarus laudes tuas cunctas tenere, cum tu laudanda patrare non ante deſieris, quam vivere. Gratum habuiſti, Beate ſenex, hoc leve tributum vocis meæ antequam hinc exires, gratum habuiſti, ſi recte accipio illam præſagam epiſtolam tuam ad Amicorum, ut fide, ita cæteris virtutibus ſæculo majorem, Ampliſſimum Lingelshemium. *Venatorem*, inquis, *ſaluto & nunc vel ſingulariter alloquor impetraturus Epitaphium ſi quid mihi humanitus contigerit.* Nihil intereſt, ſermonem ego Epitaphium, an illud, quod proprie dicitur, an utrumque intelligam; nec amplius me examino, an idoneus ad tanti viri laudationem accedam, cum ad me acceſſiſſe videri poſſit, qui ſcripſit hæc verba, *Epitaphium impetraturus*, haud quidem ille fiducia ingenij mei, ſed obſequij ſecurus. Philoſophus è Socratis diſciplina apud convivium regale infimum locum premere juſſus, non ignominiam ſibi, ſed loco dixit honorem acceſſiſſe; ſimilem reſponſionem paratam habeo contra illos, qui forte inglorium *Grutero* duxerint aut dixerint, quod non majori eloquentia ſuæ poſteritati oſtendatur. Sicut enim Ariſtippus ille humili loco dignitatem fœneravit, ita ampliſſimum nomen Gruteri hanc commendationem ſui ultro ſatis ſuperque poterit commendare. Hæc igitur cura nunc quidem procul habita, ut tardius ad ſuprema illa, ad importuoſum illum portum & æſtuarium doloris noſtri pervehamur, dicendi principium cum ipſo principio naſcendi connectamus, & ut triſtem illam neceſſitatem rectius conſolemur, repetito ordine cum *Grutero* prius vivamus. Eodem enim in hoc curſu proficiſcor, quo ſuperioribus annis cum è patria in navim ejectus, ſociata exulum turba, alterius terræ humanitatem ſuſpirarem, & adverſo flumine jam ſuggredientibus nunciarent riparum accolæ, edoctos de noſtra adventatione Autolycos à Savo, & direptionem navi noſtræ decretam, ſi veniſſemus ad eorum

latebras,

latebras. Ibi remedium nobis à simulata fluminis contumacia: hæsimusque non retenti, ne prædonibus iter nostrum succederet, diuque abessemus ab eo loco, ubi pro nostro brevi cursu, non nostra vota fiebant. Nemo enim ad periculum suum nisi alienata mente properat. Nemo non ad tristia serus accedit, si locus & jus est differendi.

Inter ornamenta hominis, ad homines & hanc communem lucem emergentis primum Patriam esse sine impietate dixero, quoniam parentes quidem liberos generant, sed parentes nostros, avos atavosque Patria ante generavit, è cujus velut sanguine geniti, cujus succo & uberibus nutriti, cujus solicitudine educati sunt, qui nos gignunt, nutriunt, educant: quam siquis exilem nactus est, jam eo ipso major fit, quod tantus ex tantilla prodierit; sin augustiorem; bis magnus est, sive quod illustrem ante patriam sua virtute magis illustrat, sive quod seipsum patriæ suæ parem fecit. Hoc altero modo etiam *Gruterus* sibi patriam, patria *Gruterum* obligavit. Sunt enim hæc mutua; tenentur & tenent, dando & accipiendo utramque paginam comparant. Civis meretur civitatem, & civem meretur civitas.

Flos urbium Antverpia, tibi hunc acceptum ferimus, tibi hunc gratulamur, tibi decus tuum, si nescis, tuum beneficium, quo partem orbis meliorem obstrinxisti, asserimus. Quoties aliquis de laudatoribus tuis hanc Urbem amplissimam, opulentissimam, pulcherrimam dicet, quoties agros, mœnia, arcem cœlo, & arcibus æmulas domos, quoties Scaldim tuæ magnitudinis negotiatorem prædicabit, quoties & leges, & jura, & horum custodem ac vindicem Senatum extollet, *Gruteri* quoque gloriam, si sapit, patriæ lucrifacere non oblivisceatur. Profecto ut ingenui est animi, nemini suum intervertere, aut per invidiam alio raptare, aut per eandem dissimulare; ita qui Patriæ bonum & eximium virum asserit, talem se ipse probat, sapientemque Rempublicam testatur, ad cujus fontem alterius sapientiam refert. Nam sæpe ipsum ingenium, ipsos mores, ipsam bonam mentem tam à patria, quam à parentibus haurimus, & quantum virtus in gloriam progreditur, tantum gloria ad originem sanguinis, aut soli regredi videtur.

In hac igitur urbe *Gruterus* non modo vitalem spiritum, sed etiam litterarum amorem imbibit, in hac, inquam, urbe, quæ fœcunditate, cultu & honore quamvis ingeniorum matrem provocabit. Non enim, quomodo alibi sæpe fit, commercia & divitiarum studia (quibus in Republica suus quidem locus, sed & modus est) sic tractantur, ut illæ artes vilescant, quæ ob id ingenuæ dicuntur, quod divitias si non contemnunt, saltem minime quærant. Ita diversissimæ res uno in loco citra pugnam sociantur, labor circa opes maximus, & nullus; cum in utroque necessitas insit; sed ut illa magis in oculos incurrat, hæc non nisi à sapientibus intelligatur, tam quidem ad firmamentum Reipublicæ valida, quam ad decus immensa. Infelices contra populi & obnoxij, apud quos illa res, quæ, præmonente oraculo, Spartæ quoque caprivitati & exitio fuit, velut rerum salus & quasi numen quoddam placere cœpit. Non libera curia, non plebs; & dum omnes avaritiam, & avaritiæ instrumenta usuras fatigant, dum passim artes malæ adoptantur, abdicantur bonæ, supervacaneum habetur, quicquid lucro vacuum, quidquid imperitia non vacuum. Ubi prope periculum est sana scire, sana loqui: ubi habendi cura prope omnia facit, quæ insciticæ pœna est,

cum

cum ad rationes venitur, miſeris illis ſatageis omnia deſunt, miſerioribus, quod tandem etiam liberalis fama, liberales cives, liberales animi, literæ ac literati deficiunt, niſi pridem defecerunt. Fruſtra in tali Repub. tu Ægidios, Grapheos, Maſios, Weſenbeccios, Scotos, Ortelios, Gorlæos, Gevartios, & alia nomina æternitati genita, veſtigabis. At hi omnes (quod in honorem & urbis, & talium virorum ſumma voce & ingentibus literis dicere ſcribere liceat) fuerunt aut ſunt Antverpiani, Antverpiani & cives Gruteri. Qui cum doctiſſimi nominantur, tantum videtur noſtro honoris accedere, quantum quiſque ad ignominiam ſuam traheret, ſi patriæ gentem inertiæ aut ſtuporis, aut alia vilitatis nota audiret infamari, meliorem ipſe conſcientiam ſui in ſuorum rubore confeſſus. Non enim majus exiſtimandum eſt decus optimum eſſe inter deteriores, quam inter optimos non deteriorem. Haud ſcio an aliud intellexerit Braſidæ mater, cui oratores ex Thracia cum dicerent, *Filius tuus victor occubuit in prælio, pari non relicto apud Lacedæmonios: Vos vero hoſpites*, inquit, *nondum recte, ut video, noſtis Lacedæmonios.* Dubites an temperavit magis laudes filij cæteros collaudando, an magis auxerit temperando. Sed quid ego de *Gruteri* Patria tam multa? Cuine gratiam quidem habendam alij forſan putarent, qui ſcirent *Gruterum* non longo intervallo hanc & adſpexiſſe & reſpexiſſe, cum eum Natura in Patriam, Patria mox in exilium miſiſſet, quaſi qui nondum culpam mereri poterat propterea puniretur, quod natus eſſet. Verum nec ipſe neceſſitatem hanc querulus objurgavit unquam, aut cum tempore præterito expoſtulavit, ne cum inhumaniter eſſet exturbatus, inhumanius faceret, ſi nutrici, quamvis breviſſimæ iraſceretur. Potius hoc illi ſe debere agnoſcebat, quod mature humanis caſibus traditus familiaritatem cum ærumnis vitæ ſtatim puer contraxit, & quanto citius ad eum calamitates, tanto citius ille ad conſuetudinem pervenit. Cum enim nihil magis torqueat mortales, quam malorum novitas, bene cum illo agitur, qui tunc incipit, cum & cæterarum rerum, & hujus novitatis nullum eſt judicium, ut tunc, cum judicio cæterarum rerum contigerit, hujus nullum eſſe poſſit, quia diu incepit, & quando inceperit, vix recordatur, & quando recordatur, laboribus ſuis fruitur. Felices multorum eſſent liberi, ſi non eſſent felicium; ſi non intra cubilia nati, educti, inſtituti, ſolam copiam, beatum victum, cultum mollem, verba blanda, vultus indulgentes, ſine famis, ſine nuditatis, ſine interdicti, ſine poteſtatis alienæ notitia diſcerent aſpicere, amare, habere: qui dum laneis fortunæ manibus ſic tractantur, non aliorum miſerijs indoleſcunt, neque ſuas, dum Felicitas in malam ſyllabam creſcit, niſi cum maximo tormento animi tolerare poſſunt, aut ipſi propter querelas tolerari. Longe aliam vitæ rationem expertus eſt *Gruterus*, & *Gruterum* longe alium experta eſt vita, in quam quidem ſic venit, ut exilium brevi, certe prius ferret, quam intelligeret, quaſi non aliter vita conſtaret. Juxta ipſi & pœna & culpa ignota erat. Non ſentiebat, patrem nihil meritum eſſe, nihil matrem, nihil ſe: ſed tamen quaſi ſentiret, puerili ſecuritate, quæ viros etiam innocentes decet, parentes comitabatur. Fuit tunc illud tempus, cum *Margaretha Parmenſis* nomine Regis Hiſpaniæ Belgis præeſſet, & varie Provinciales fremerent, quod alios religio ſeparata faceret inviſos, alios Sua, & Regis feroces; eaque res diu certata, donec à parte potentiori ſucceſſus in iram, ira in vindictam, hæc cum in alios, tum in Antverpienſes tam diro proſcriptio-

nis carmine prorumperet, ut certa ſalutis & fortunarum peſtis omnibus immineret, quicunque aut dicto aut facto aliquo diſplicuiſſent. In damnatorum numero inventus erat *Gualterus Gruteri* Pater, ne matre quidem, quod paucis fœminarum contigit, aut in Nomenclaturam funeſtam & ipſæ referrentur, exemta. Cæterorum cauſam prætereo, quique ſua relicta fiducia. *Gualtherus* jam ad nos pertinet, quem licet à ſententia liberare jam ſerum, ab infamia tamen ſententiæ liberare non eſt ſerum, nobis autem hoc loco tempeſtivum. Nec deceret, eum, qui ad damnationis memoriam venit, non etiam venire ad compertam defenſionem. Eſſet enim hoc magis filio patrem laudare. Crimen univerſorum celebrabatur *Societas.* At *Gualtherus* abſtinuit ab ipſis ſcopulis, & turbulentum hunc campum omnem de induſtria fugit.

Expers nec quicquam belli, neutra arma ſecutus.

Sed ne quid diſſimulare velle videar, prodam quod objectum eſt facinus, & prodam paucis. Auſus eſt precari. Subſcripſit Nobilium libello, & hoc accuſatur quaſi Majeſtati preces offerre ſit majeſtatem violare. At Matris etiam crimen dicendum eſt. Imo dicemus, & id ipſum ſpero, dum nominabitur, faciet innocentem. Venerat abſente marito in ejus ædes Homo ſuſpectus, & venerat hoſpitij cauſa, venerat illa invita propter ſuſpicaces, venerat illa reluctante, & ad mariti abſentiam provocante. Sed cum homo parum de alterius periculo cogitans non parceret ſolicitudini matronæ, ſtatim Calumnia, quæ centum oculos habet, centum aures, centum linguas, omnibus ſuis inſtrumentis uſa, quis advenerit cognoſcit, & quare advenerit cognoſcit, & quare advenerit interpretatur, & quare illa receperit comminiſcitur, omnia vero in eam partem, tanquam receptus ille, vel potius receptor ille ſui, & matrona receptrix, quod & ipſum falſum nomen, ad divina celebranda, ſive, ut illi vocabant ad turbas meditandas, domum operamque ſibi mutuo locaſſent. Ob has igitur cauſas *Gualtherus* & Uxor inter proſcriptos, *Gruterus* cum proſcriptis, inter proſcribendos, quippe innocentes, nunquam fuerunt; quod ideo relatum eſt, non ut veterum geſtorum rationes è ſitu excitem, ſed ut multis alijs exemplis & hoc contribuam, non ſemper culpa non carere, qui patria carent. Cœpit tum *Gruterus* ab urbe deduci in orbem, in orbem & rerum humanarum theatrum, ut multorum ſpectator fieret, & ſpectaculum ſui. Nondum bene patriam noverat, tanto facilius poterat obliviſci, ſed tamen cum illa relinquenda eſſet, adverſitatis ita capax jam erat, ut intelligeret, commodius non relinqui. Sentiebat enim invitos parentes abſtrahi, dum illorum æquum animum aliquando ſuſpirium corrumpebat. Cur non ei in mentem veniſſet, eos, qui tam gravia ſuſciperent, gravioribus haud dubie ceſſiſſe? Cepit igitur *Gruterus* in contemplationem & conſpectum vitæ humanæ propius adduci, cepit communi ſorti domeſticus fieri, & cum paternam domum relinqueret, nullam certiori ſpe præcipiebat, quam magnam hanc domum, in qua omnes degimus, aut illam parvam, & navigationi textam, in quam ſe charaſque ſarcinas parentes conjecerant. Imponebatur enim elemento inſtabili & ventoſo, cujus naturam velut fortunæ ſuæ germanam aſpiceret. Vidit pericula in periculorum effugio, vidit aquas & auras

auras initio ſibi; poſt non multo Proſcriptori velle, & quaſi fidei pœnituiſſet, proditionem moliri. Apud Valachrorum enim inſulam ventus quaſi cum adverſario conſpiraret, ita contra ſpirabat, redditurus eos, opinor, in ea loca, quorum ſe poteſtati & iracundiæ abſtuliſſent. Itaque tum conatus ventorum ſiſtendus erat anchoris, & in proxima deinde terra exponendum totius navis exilium. Ita mox terris aquæ, mox aquis terræ mutabantur, ſed non perinde fortitudinem animi & conſtantiam eſſe mutandam didicit *Gruterus* exemplo parentum. Mater quidem (præponam enim hunc ſexum debiliorem, ut de firmiori creſcat exiſtimatio) qua mentis altitudine, qua negligentia ſuæ fortunæ inter illas anguſtias locuta eſt? Summovit, inquit, jam veſpera diem (ſummoverat enim) *Repetamus domum.* Navem autem dicere voluit, & voluiſſe hanc dicere, poſtea marito indicavit, qui ſimplicius hoc verbi, & revera de domo ſua Antverpienſi acceperat. Quod alius miſeriæ ſuæ ſpecum, latebram, ſtabulum, carcerem, ludibrium ventorum appellaſſet, hoc fœmina generoſo ſpiritu *domum ſuam* vocavit, ſive jam dicemus errorem fuiſſe, mirum eſt in malis verbum tamen Felicitatis prævertiſſe, cum alioqui fortunæ ſuæ titulos quilibet nimis etiam memoriter teneat; nec videatur calamitatem ſuam magni facere, qui alienis vocabulis uteretur, ſicut nemo putatur ejus rationem habere, cujus nomen ignorat: ſive ſtudio loqui ſic voluit, O fœminam nequaquam muliebrem! Dolium aliquis è ſapientibus olim pro domo habuit & habitavit, ſed haud ſcio, an ſordium merita ſuggilatione. Nec enim qui præter neceſſitatem migrant in haras & ſqualori vitam mancipant, eoſdem ſapientia præſtare dixeris, ſed illos profecto potius, qui mediocria diligunt, quam mendica, qui culcitram ſomno, carinum cibo, poculum potui, tectum & textum corpori non negant, ſed & his omnibus quoties carendum eſt, æquo animo carent, viliſſimis utuntur tanquam quotidianis; qui denique cum matre *Gruteri*, quando naviculam intrant, dicere poſſunt, *Eamus domum.* Nemo vero dicere hoc poterit, niſi qui aliquando domum coluerit, ut naviculam. Quandoque in terris quoque mare eſt, & fluctus & naufragia, quæ cum tumultuari bona fide ceperint, tam neceſſe ſit & conſultum è terris ad mare, quam ex hoc ad terras confugere, ſimul ac periculum certa ſigna miſerit. Quantum hæc fœmina abeſt ab eo, qui ſe *Mundanum* dixit? aut quid eam reſponſuram fuiſſe credimus, quæ domum vocavit, quicquid pro domo coluit, Amphibion animal profeſſa, ſive quod idem eſt, *mundanum.* Hoc igitur matris exemplo teneras *Gruteri* aures, patris vero diſcrimine præſens ſpectator oculos etiam erudivit. Cum enim hic ſciret, illic nondum exilium eſſe, quibus partibus exilij regnent authores, & poſſe pro malis reperire peſſima, qui non omnibus modis machiniſque copiam ſui longe portaret, cumque comperta res eſſet, odium delectum habere præcipui ſexus, illumque ceu *victimam eximiam*, ut veteres loquebantur, depoſcere ſolere, ſuis quidem diſſimilitudine periculi fretis, & navem repetere juſſis; operoſioris profectionis artem ſibi accerſendam credebat. Placuit igitur, quod multis ſæpe cordatis ſaluti, ſuſpectam locorum fidem fruſtrare, & mendicitatis habitu notitiam ſui excæcare, quibus ornamentis abſconditus. & humeros Agreſtium mercede pactus, paludes, quæ ſunt inter Caletum & Inſulam, tranſmeavit lætus illo portu quaſi tranquillitatis. Sed in ipſa Caleto injecit ei manus alia ſævitia nullis veſtigijs præſcienda. Cum enim apud

hoſpitem publicum ventos utiles expectaret, atque interim ſimul peregrino alio amœnitatis cauſa muros circumgrederetur, illiciti tam ignarus, quam ſuus Comes; ilico milites adfuerunt, qui reprehenderent, ducerent, & jam tenebatur uterque certa carceris deſtinatione, ac jam conditus erat, niſi captivitati tam repentinæ non nemo de Magiſtratu, qui per eandem civitatis viam occedebat, interveniſſet, *Gualthero* dimitti juſſo, quippe ſibi (ita ajebat) noto. Quod abſque numinis cura ſingulari factum eſſe nemo exiſtimabit, ſi & illud adſpexerit hominem illum beneficum *Gualthero* nunquam vel prius viſum, vel in ipſo facto agnitum, vel ab ipſius vindicijs ad ſupremum uſque finem alio nomine cognitum, quam *ignoti liberatoris*. Non didicerat *Gualtherus* alienæ civitatis leges, ignorabat alibi muros hactenus ſanctos haberi, ut ambulare juxta nefas eſſet. Nondum nocens, jam reus erat, nondum delatus, jam abſolutus. Nondum judicem, jam è judicibus amicum habebat. Vix diſtinguere poterat injuriæ & beneficij tempus. Cuncta mira, ſed hoc magis mirum, quod qui dimitti juſſit, nullo pronunciavit argumento niſi quod hunc noviſſet, eamque cauſam cum probaſſet cuſtodiæ militum, nondum probaverat ei, cui voluit prodeſſe, utpote ſalutaris, quam familiaris magis oculis ejus oblatus: maxime vero mirum quod qui præclari beneficij authorem tota vita memorabat, ſemper tamen cui gratias ageret, ignorabat. Nihilominus & ille ſe noviſſe recte dixit, cum in vultu liberali quaſi quandam boni viri inſcriptionem prælegiſſet; & Hic non noviſſe, cum, quem quis non niſi per beneficium novit, hoc magis ignorare ſibi videatur, quo flagrantius nomen ac cætera illius pernoviſſe deſiderat. Hac viciſſitudine perfunctus *Gualtherus* in Britanniam trajecit, ſede capta Norwichi, quo in loco comitatem partim ipſo civium ingenio natam, partim ſuo ipſius nutritam tantis ſenſit argumentis, ut Caleti, quod in uno expertus fuerat, id hic tulerit ab univerſis, non quidem carceris illic injurijs ſubductus, ſed poſt capitalem hoſtium malevolentiam benigniſſimis horum animis & ſtudijs refectus.

Non opus fuit dubijs precibus Magiſtratuum faſtidia mollire, vel hoſpitalitatem expugnare blanditijs, nec audire perfugij cauſas malefica interpretatione corrumpi, & multis repulſis triſtiores pati aſſenſus. Receptus eſt, ut in parentum, fratrum, agnatorum fidem, nulla locationis formula, ut pro communitate cœli vel aeris penſionibus reſponderet, facultates inter amicos & inimicos partiturus, dum quæ migrari non poſſent prædæ relinqueret, quæque migraſſet alibi ſtillicidijs annuis vel trimeſtribus (ſcio enim ubi hoc moris ſit) ad fiſcum transferret. Sed major illis animus, quam ut cauponarias mercedes poſcerent hoſpitem, & mitior, quam ut vectigalem facerent exulem, omnino vero ſic affectus, ut hunc per omnia civis loco haberent, niſi quod gratuitus & immunis eſſet, humanitate illa à populo quoque vehementer approbata, quod nemo per invidiam queſtus eſſet, his aliquot capitibus anguſtias fieri civitati vel annonæ, nemo proquiritaſſet, urbi, propter paucos alienigenas velut mole nimia laboranti ſanguinem mittendum videri. Uſque adeo nullum fuit peregrinitatis odium, tota deteſtatione converſa in eos, per quos non licuit non peregrinari. Honor autem ſic communicatus ut intelligeret univerſos, ad oblivionem retro malorum ipſi medicinæ, quantum fieri poſſet, efficaciſſimæ veluti ſymbolas conferre. Non ſciremus ſupra alios dilectum fuiſſe, niſi, quod cæteris Belgis

id

id loci factum non eſt, huic ſoli feciſſent. Unus enim hic de popularibus ſymphoniam ſublucanam, quæ Norwichi per tempus æſtivum præcipuorum civium domos obibat, horis conſuetis participavit, cum Civitas optima reliquis peregrinis humanitatem quidem omnibus, huic & amœnitates ſuas nuncuparet, tanquam parum eſſet, ſi civis, niſi & inter præcipuos foret, parum, ſi inter præcipuos, niſi & quotidiana prærogativa ei oſtenderetur, ſed parum & hoc, niſi poſt nocturnam ſtatim quietem cantiones velut ſuaſorias ad ædes aureſque mitterent, ut diem quoque curas triſtiores, quæ extorribus nunquam deſunt, exuere, neque pejus vigilare, quam dormire, ſed utrumque tempus ita peragere vellet, ut ſolent ij qui ſe inter amiciſſimos cives verſari noverint. Pacis enim & concordiæ nomen Muſica eſt: nunquam per hanc odij nuncius expeditur, aut damni aut injuriæ, ſed amor hanc invenit, amor hanc celebravit, amor abſolvit, niſi quod honor quoque dignis reddendus, qui tamen ab iſto fonte manat, humanam vocem ſollicitavit. Quorum & hoc illud *Gualtherus* tam bona fide, tam bona copia inter Norwichios accepit, ut dignum putaverit, quod repetitis narrationibus memoriæ ſuorum penitus imprimeret, quod filius præcipue ediſceret, quod ille nobis dictaret, nos auribus veſtris & poſteritati traderemus. Et fortaſſe alijs nimis multa videor dixiſſe de Norwichiorum comitate, mihi vero nondum ſatis, quippe ſummas delicias in facti tam benigni reputatione invenio, neque invenirem tantas, niſi comparata quorundam in exules crudelitas, inæſtimabilem redderet hanc, de qua loquor, virtutem. Fit enim ingens ingentius bonum, ſi diſcas à contrario ingente malo. Et profecto pauciſſimis in locis tam fauſta cantilena, qualis hæc apud Norwichios fuit, exulibus & peregrinis indulgetur. Multas inauſpicatas, inimicas & arcentes aves mortales illi ubique fere nanciſcuntur, nullas tamen infeſtiores hodie, quam quæ de ſuggeſtu diris omnibus regnant, & populares animos odijs aſperant, quos vetus Augurum diſciplina ignoravit, niſi, quia de ſummo vocem mittunt, *Supervaganeas* cum antiquis appelles, aut picarum generi adſcribas quodam collegio naturæ, quoniam utriſque par inſolentia, quam illis fabulæ tribuunt, par conviciandi & obtrectandi libido,

Raucaque garrulitas, ſtudiumque immane loquendi.

Dicam clarius. Sunt nonnulli (abſit enim ut omnes eadem cenſura vexem) & in ipſa matre noſtra Germania de ſacro ordine homines ſacerrimi, qui velut divinarum & humanarum rerum judices atque arbitri, tanta confidentia partem illam, quam neſcio quis optimam & peſſimam dixit, exercent, ut quidvis in quoſvis nulla cura, verum an falſum intemperanter effundant, aureſque & fidem Vulgi ignobiliſſima captivitate damnent & ſervitute. Aliquis ipſis non dedit? Avaritia; non ſcrupuloſe ſatis honoravit? arrogantia: non laudavit? ambitio: non rudis eſt? invidia: non aſſentitur? Inimicitia: malum morem tangit, tum vero capitale odium eos facit diſertos. Omnes virtutes unius virtutis compendio poſſidebit, quiſquis illos omni ratione placare ſtuduerit; turpiſſimus etiam pretium merebitur, ſi noverit modos gratiæ apud ipſos quærendæ tuendæ. Bonis quorum nec mens, nec lingua, nec vita ſervit oſtentationi, ſed veritati, qui non Plauſum pietatis, ſed pietatem ſectantur, nulla

difficilior

difficilior res eſt, quam ſe talibus probare. Hi contra bonos omni telorum commento pugnant, maxime tamen illo, cujus aciem Thearidas in ſuo gladio laudavit. Caritatem mutuam commendant, & nihil carius habent odio, odium damnant, & nihil exoſius habent caritate, quippe qui ſibi non conſtant, & quod recte præcipiunt, male ipſi temerant, tantoque pejus, quod hic quoque ſæpe principatum petunt, ut quibus ſolis licet publicare officia vitæ, ſolis etiam liceat vivere præter officia vitæ. Dei præceptum eſt, & præceptum ſæpius, Peregrinum ne quis male tractet, ne quis affligat: In cœlum enim meare gemitus eorum, & à Domino demeare vindictam. Scio tamen, ubi peregrinos nemo magis infeſtet, nemo magis furca expellendos clamitet, quam quidam de cœleſtium illis conſultis, de ſanctitatis illis Satoribus & ſtatoribus, qui cum juſſiones divinas non ignorent (etſi multi ne hactenus quidem profecerunt) nihilominus ſic efferantur contra hoſpites inculpatos & præterpropter ſpeciem pios, ut ſi per illos ſtaret, haud ſcio an Taurica ſacra facturi ſint, & qui hoc una cum ipſis quam vehementiſſime voluerit, ille demum divinus habetur, & ſua dignitate dignus.

Proh ſuperi! quantum mortalia pectora cæcæ
Noctis habent! Ipſo ſceleris molimine Tereus
Creditur eſſe pius, laudemque à crimine ſumit.

Sed ego Norwichio longius ſine *Grutero* diſceſſi, & quidem ad hos, *Ætnæos fratres cœlo capita alta ferentes*, ubi ſentire quæ velis, & quæ ſentias dicere non eſt, *relegens errata retrorſum littora* ad Icenos noſtros denuo me vertam. Eo loco *Gualtherus* agens tales amicos nactus erat, ut facile, quam à Fortuna acceperat plagam, falleret, talem vero animum ipſe inter adverſa cuſtodiret, ut tantum à vilitate ſui abeſſet, quantum aberat à vanitate. Per illud enim tempus Legatos à fortiſſimo Principe Auriaco tunc ad eam civitatem miſſos (inter quos erant *Levinus*, *Calvarinus* & *Gerdeus*) è diverſorijs publicis domum ſuam traduxit, volenteſque volens recepit, ut palam eſſet nihil degeneraſſe egregium pectus, quod hoſpites tantos in aliena civitate ſibi vindicaret, nec fuiſſe aliquando ſine authoritate, in cujus domum authoritas publica migraret, nec ipſam domum ſine ſplendore, quam vir tam generoſus habitaret, legati non ſpernerent, Senator (is fuit *Sutertonius*, Chriſtophori frater) habitandam præberet. Poſt non multum annorum tamen relicta Britannia Middelburgi conſedit. Middelburgum deinde rurſus Antuerpia mutavit ſub illud tempus, quo ſucceſſus voluit Ordinibus, ut arcem ſuis præſidijs occuparent, prius tamen à Senatu publicorum munerum vacationem impetravit, non odio quidem laboris, aut ignobilitate mentis, ſed ambitionis fuga; non quod officium Reipublicæ negaret, ſed quod inter æmulationes temporum calumnijs innocentiam præbere nollet. Deinde vero cum *Alenconius* in ſpes vanas, & parem eventum ruiſſet, immunitas illi continuari non potuit, ſed quia Magiſtratum imprimis Religio, nec alium magis dexteritas tunc commendabat, *Gualtherus* vici ſui magiſter delectus eſt; cui muneri minus gravi ſucceſſit deinde gravius, cum *Parmenſis* obſidionem feciſſet. Rei namque frumentariæ quatuorvir, collegis *Aldegondio*, *Lefdale & Roſa*, adſcitus in partem gloriæ illius mittendus eſt, quod annonæ con-

conſcientiam ſic inter paucos ſeptam tenuiſſent, ut citra deditionem nec civi, nec hoſti conſtare poſſet, tantum tridui frumentum ſuperfuiſſe. Quod ſecretum in obſidionibus adeo neceſſarium eſt, ut ſæpe maximum momentum belli conſiſtat in artificio tegendi, ne vel domi civis, vel obſeſſor foris intelligat, quid urat obſeſſos. Nunquam ſtatuit trophæum in bello, qui neceſſitates omnes foras vertit. Quanquam me non piget Filio, cujus cauſa totum hoc agitur, prætexuiſſe patrem, quandoquidem hoc etiam *Grutero* gloriæ ducetur, quod patris virtutes primo ſecutus, deinde additis varijs ornamentis eaſdem fuerit ſupergreſſus: tamen unicum tantum, quod animo nunc ſuggeritur, ut agmen claudat, ſubjiciam.

Pater cum poſt pacificationem Gandavenſem Middelbergam conceſſiſſet, Valono milite Flandriam depopulante, dum annus ille cuncta ſurſum verſat ac deorſum, civis quidam lautus, fortunis in compendium auri contractis, eodem profugit, & Gualtheri domo, quæ tunc contra Civicam erat, perrogando reperta, protinus ad eum ingreſſus, ſalvere te jubeo, inquit, Patrone, & nunquid Gualtherum Gruterum, qui nuper in Anglia? Ajente noſtro; licet, inquit ille, hoc quicquid eſt Hippoperæ cuſtodiæ tuæ mandare, annuente noſtro iterum, dat, abit, nullo teſte proviſo, nullo ſyngrapho. Gualtherus, qui hominem rediturum putabat, ſi veſpera mercatui ſuperveniſſet, depoſitum in priore parte ædium proximo paxillo ſuſpendit: ſed cum hoſpes nec illo die, nec poſtero, nec poſterum ſequente reviſeret, & pondus depoſiti interim animadverſum alium locum ſuaderet, tranſtulit illud Gualtherus in arcanum ſtudiorum. Alter poſt anni quaſi ſextantem demum ad conveniendam peram ſuam reverſus, cum alveum illum aperiret, viginti quatuor *dupliones*, ut vocant, Iſabella-Ferdinandicos *Gualthero* præmij vicem offert, quod, dum ipſe per Brabantiam Arteſiamque nominibus ſuis appellandis abfuiſſet, non moleſtum habuerit peculium relictum cuſtodire. Sed mercedem *Gualtherus* recuſavit, ſatis ſua ſibi conſcientia muneratus. Utramcunque partem aſpicio, virum bonum adſpicio; Dant reddunt invicem; nec ille fidem hujus ſcripto vel teſte munit, nec obſequio hic mercedem captat. Alter credit ſimpliciter famæ, alter præſtat ſimpliciter virtuti. Non tanti fuiſſet fortaſſis hanc quoque rem per ſe non nimis magnam referre, niſi bonus mos ſemper produceret infamiam mali. Audivi ſæpius è grandævioribus, olim qui pecunias invicem & contractus exercebant, nuda verborum ſanctitate conveniſſe, nec minus ideo ſecuros fuiſſe, aut magis fefelliſſe: ſin etiam voluntates aliquando mutuas ſtylo conderent, factum id non tam ut neceſſitatem ſervandi ſibi, quam poſteris memoriæ diuturnitatem ſtabilirent. At præſens ætas quantum in pactionibus ſudat? quantis anxietatibus non credit, cui credit? quanto molimine ſyngraphas ſtruit & obligationes? quoties interpolantur verba, refinguntur, limantur & limitantur? Hoc addendum, illud detrahendum, hoc captioſum, hoc obſcurum eſt, hoc nimis laxum, nimis anguſtum eſt. Tum vero, cum in clauſulam definendum eſt, baſilicas edictiones adſcribunt, ipſi juri, quaſi illud quoque fraudibus advocet, contra ſe ne jus ſit volunt, jubent. Quod profecto non aliter fit, quam ſi virum bonum negent, cujus fidem tot indaginibus & laqueis & nodis includendam putant. Nunc ad *Janum* ipſum *Gruterum* paulo propius gradum tollamus. Is ſicut rebus duris Conſtantiæ doctores utrumque parentem, ita

Matrem.

Matrem præcipue ſtudiorum magiſtram, votum ſimul Agaſiclis conſecutus eſt, ut eorum diſcipulus diceretur, quorum & filius eſſet. Mater enim præter Gallicam, Italicam, Britannicam linguam, Latinas literas optime, Græcas ita callebat, ut & Galenum, quod milleſimus Medicorum vix ſolet, lingua Galeni legerit. Ulitatum nempe fuit illo tempore, generoſiores ut familiæ literas cum quoque ſexum docerent, quem diſciplinis antiquiſſimi mortalium vel præcipue videntur conſecraſſe, cum uni duntaxat juveni laureato, nempe Apollini, novies vero totidem puellis Eruditionis numen & majeſtatem detuliſſent. Nec, opinor, ſapientiæ partes antiquitas mulieri in tanta Deorum abundantia tradidiſſet, ſi quemadmodum viris olim Bonæ Deæ, ſic mulieribus ſtudiorum ſacra adiri nefas haberetur. Adierunt olim & obierunt hæc ſacra *Cornelia Gracchorum* Mater, *Hortenſia Quinti*, *Lælia Caii* filiæ, ſed & aliæ complures, quæ literas olim exacte calluerunt, quæque nunc à literis coluntur & æternantur, nullo magis immortalitatis collegio dignæ, quam hujus noſtræ *Catharinæ Tishemiæ* (Matrem *Gruteri* dicimus) quæ licet ingenij partum nullum, nec eruditionis pignus reliquerit, ut memoriam ſparſiorem nunc haberet, ſicut veteri ævo nonnullæ inclaruerunt, nihilo tamen minus famam ſibi doctamque poſteritatem meritis tantis obligavit, quanti ipſam *Gruteri* gloriam taxamus. Non enim tantum, quod cæteris matribus commune eſt, ſummis naturæ dotibus filium genuit; ſed ipſa quoque, poſtquam puer capacitatem promiſit, ſuæ materiæ adfuit, & indolem blanditijs ſalutaribus adulata, *Diſcere*, rem pulcherrimam, *Scire*, jucundiſſimam vocavit; ex literis ſapientiam, ex ſapientia virtutes, ex virtute vitam beatam & vitam quandam poſt vitam comparari crebro illi dictitavit: deinde eum libro admovit, literarum formas & nomina docuit, legendi, ſcribendi, memorandi rationes tradidit & exegit, primam balbutiem Latina Græcaque conſuetudine imbuit, quibus ex fundamentis hoc virtutis & honoris templum *Janus Gruterus* ſurrexit,

Quod non Imber edax;

Nec inficiandi tamen ſunt illi, quibus in operis hujus nobiliſſimi architectura proximus à fundamentis locus & labor fuit, quique merentur, ſi quid mei judicij eſt, ut non minus quam cæteri artifices ſuum illud *Fecit* ſpecimini tam excellenti ſubſcriptum habeant: atque mihi profecto imprimis honeſtum videtur, ſi *Ysbrandus* aliquis *Tralus* Friſius, aliquis *Petrus Everhardus*, aliquis *Mathæus Ryquius*, aliquis *Richardus Sualius*, pædagogi & præceptores *Gruteri* legantur, quos quidem an ſatis exterſis oculis, & ut nulla litera fallat è quadam charta carioſa non niſi bonis conjectoribus legenda produxerim, præſtare non poſſum. Forte una litera pro altera capta nomen paulo aliud factum fuerit. Quid tum? Malui nolens hanc levem, quam volens illam inſignem *Grutero* facere injuriam, ut quos ille vel ad memoriam ſuam privatam, vel ad hanc publicam per ſummam pietatem conſignaverat, ego per impietatem alteram tantam ſilentio obliterarem, ſimul tacito *Gruteri* mandato, ſimul illorum præmio defuturus. Ac ſane maximum Poetam non pilo minorem factum credimus, poſtquam Grammaticis *Penitus mœſtas exedit cura medullas*, *Virgilius* an *Vergilius* dicendus eſſet, quod damnum ſi fuerit in his quoque nominibus aliquod

quod ſimile, tale tamen futurum eſt, ut plus ſit integri, quodque cognoſci poſſit, relinquendum. Sed officium meum videtis. Hos igitur adoleſcentiæ ſuæ *Gruterus* Informatores, ſtudiorum vero quendam velut campum Martium nactus eſt *Britanniam*, in Britannia *Cantabrigiam*; Cantabrigiæ *Gunevelli*, quod vocant Collegium, & *Caji*. Nam & in hoc aliquando migravit nulla alia magis cauſa introductus, quam quod *Georgium Thoum Shendium*, juvenem moribus ſumme rectum, nec ulla procacitate pluribus ſimilem, modeſtia vero paucis æqualem, familiaritatis voto conſectaretur. Is enim talis jam prius erat in familia *Couvelli*, nec tunc primum in amicitia *Gruteri*, nec ſolus etiam vel unus, quamvis unicus. Reperio enim *Chriſtophorum & Guilielmum Heydonios*, *Philippum Wodhaum*, fratres *Strangeos Collegiorum*, quæ *Trinitatis* & *Chriſti* vocantur, ibidem familiares, qui *Grutero* permutuam notitiam & charitatem non obiter reſpondebant, tantum diligentes & dilecti viciſſim, quantum virtus & honeſtas animorum poſſunt mereri. In hac officina literarum, inter hos ſtudiorum amantiſſimos rivales cum *Gruterus* ita adoleviſſet, ut jam non annis, quam doctrina major eſſet, ſatis ſibi viſus eſt vidiſſe Britanniam, totoque animo, quod Inſulam & Germaniam intereſt, navigabat, ut Lugdunum in Batavis, literarum & armorum celeberrimam palæſtram, viſendi, diſcendi, ſalutandi cauſa tranſiret, ſi tamen prius *Hoſpitis* majeſtatem ſcriptis aliquot Epigrammatis ad maximam, poſt natum Regin. nomen, Reginam veneratus eſſet: ſed offerendi cum non daretur occaſio, feciſſe ſatis habebat, gratitudinis ſuo ſibi proprio teſtimonio contentus, quod cum in alijs rebus nihil agere credatur, apud conſcientiam maximas cauſas decidit, & ſæpe piæ voluntati acceptæ ſolutionis apocham reddit. Poſtquam deinde ſine ſtudiorum Automedonte *Leidam* pervenit, à diligentia quidem nunquam deflexit, ſed à vero fructu tantum, quantum ab auſpicijs boni Ducis. Temporis illi ratio conſtabat, operæ pretij ratio non admodum conſtabat. Uſque adeo multum nocet ante ſui juris, quam ſui judicij fieri. Sicut enim puero ſi nummos, & poteſtatem tractandi dones, non has ille quidem ſuas opes abjiciet, aut objiciet gratis alteri poterit etiam impenſas nominibus mercium indicare, ſed ut præcipua capta ſint, aut dulciacula ſaccari grando, aut nuces in foro, aut (quæ ludentium ſupellex eſt) è marmore volubiles, aut è tormento miſſiles pilæ, aut quicquid hæc ætas præ magno Græciæ mercatu æſtimabit: ita *Gruterus* poſtquam tempus in poteſtatem accepit, de diebus & horis non quidem largitiones populares ocio & ociosis fecit, quod ſimplicius tempus perdere vocamus, ſed illos aliquot annos ita conſumſit, ut inter nobiliſſimi, fugaciſſimi tamen boni velut æra quædam numeraret, imprimis quod Poetis, quod Poetarum fabulis, quod fabuloſis hiſtoriis dediſſet. Quicquid hujus aut Gallus Gallica, aut Italus Italica, aut Britannus Britannica lingua meditatus erat, *Gruterus* ita totum legit, ut nihil in hoc genere eſſet, quod non legiſſet, nihil autem legiſſet, unde non elegiſſet. Artificioſe inventa, prudenter monita, acute dicta, ſuaviter ornata, ſtatim animo, moribus, ſtylo impreſſit, cum & ipſe jam tum invenire, monere, dicere, ornare ſimilia ſimiliter didiciſſet. In quo genere quantum iſtis monumentis amœnitatum debuerit, quantum deinde ſibi, teſtantur carminum felices proventus, quibus nullæ omnino venuſtates deſunt, niſi quod nullæ deſunt, & copia fortaſſis elegantiarum (ſi modo aliquod bonum nimium eſt) laborant. Non

ſpecto jam illud præcipue, quicquid in Latinis poetatus eſt, nuſquam ille quidem ſe minor; ſed ſpeciem quandam Epigrammatum intelligo, quæ in verſuum certum numerum jurata plures non admittunt, & in horum fine quatuor imaginibus reſpondent, interſonantibus iterum diverſis alijs, quæ ſe longius invicem jubentur exaudire, Gallorum, ut arbitor, inventum, quorum & vox eſt à Latinorum *ſono*, quia in illis aliquid *ſonet ſonorum*, corrupta, idque factum poſtea imitamentum Belgarum, & nuper Germanorum, per *Opitium* noſtrum magnum illum talium deliciarum *Apitium*. Hujuſmodi Epigrammata *Gruterus* patrio ſermone quingenta amplius ſub illud tempus ſcripſit, & ea *Philippo Marnixio*, *Jano Douſæ*, *Jano Hauteno*, qui naſum & aures & dextram dexterrimam in hac arte ſcribendi tunc habebant, miris modis approbavit, approbabunt etiam nobis hunc genium *Gruteri* & ingenuitatem ſuam, qui manuſcriptum hoc ejus, quod adhuc ſupereſſe debet, in tenebris coercent, ſi nobis fœtum illum ſub dium producent, atque refellent eos, qui opinantur noſtram linguam Germanicam, & ſorores ejus tam eſſe rudes & crudas intractabiles, & inſubidas, & inficetas, & ruris plenas, ut ex hoc ligno nunquam poſſit Mercurius dolari, aut ſub incudem poeticam mitti ea lingua, quam propter difficultatem ipſi deſperant, aut propter imperitiam infamant; cum certo conſtet nobis neque copiam, neque venuſtatem, neque ſuavitatem, neque majeſtatem deeſſe, quæ ſi ſapere poſſent, aut vellent, qui vellunt, confitendum haberent, hunc tardipedem, & fuliginoſum, & auſterum & aſperum, & ferricrepum Vulcanum (talem enim ipſi ſibi fingunt ſermonem noſtrum) præ reliquis Dijs cum Gratijs & Venere in matrimonium conveniſſe. Sicut enim marmor, antequam politum fuerit, nihil niſi marmor eſt, & tamen marmor ſplendorem non monſtrans, ſed habens, ac totum intra ruditatem ſuam ſepultum: poſtea vero quam artifex aſperitati lævorem ſubſtituit, tum demum materia ſuo lumine veſtita fit exterior, & patet in admirationem. Ita & lingua noſtra olim quidem incultu ſuorum inculta, ſed culturæ tamen capax, fero, ſed aliquando ſimplicitati ſuæ ſucceſſit in eam formam, ut quaſi *Pygmalionis* animatum ebur, quod in fabulis celebratur, non ſolum ſuo fictori, ſed etiam contemptori, qui peritis oculis uteretur, pro ſponſa poſſit placere. Certe etiam antiquiſſimos Germanos legimus carminibus delectatos, & ipſum *Ovidium* equitem & Poetam Romanam *Geticam* ſive *Gothicam* linguam, quæ nobis popularis eſt, adeo non ſpreviſſe, ut alicubi ſcribebat, ſe ſtylum nonnunquam in exilij ſui linguam & carmen Geticum miſiſſe peregrinatum, quæ ſi adhuc extarent, haberemus cur Auguſti inhumanitati faveremus. Quid ni vero & de *Gruteri* nobis gratulemur damnis, qui *Lugdunum*, ut Juri maxime attenderet, profectus ipſe

Cuſtode remoto

apud *Amadeum*; aut alios, qui ſuis hiſtorijs nunquam crediderunt, gaudebat velut Centauros in nubibus & mira plurima mirari, quæ geſta ſcilicet fuerunt in illo regno, ex quo pater Anchiſes curioſum filium per portam eburnam ad ſuperos remiſit. Verum noſter tamen in illo amœnitatis receſſu non tantum hoc egit ut illo dulci ſuo ipſe abundaret, ſed etiam ut Apis inſtar dulce daret & dulce quidem cum aculeo, quæ boni Epigrammatis lux eſt, & in his *Gruterianis* quædam

quædam peculiaris virtus. Vixit autem, dum Lugduni vixit, cum bonis bene, utpote bonus. Venerat enim in urbem illam, cum *Petrus Tiara* ibi rectorem & in illius anno *Jacobus Arminius*, *Joh. Eſchius*, *Bertius* item & *Hogerbetius* cum nonnullis alijs ibidem & in *Gruteri* animo ac contubernio agerent, amici germanitus, germaniſſime vero *Arminius* & *Hogerbetius* facientes cum *Grutero* trium pectorum viridiſſimum trifolium. Et quia non modo numerum ac nexum, ſed & gratiarum gratiam, ſed & Charitum charitatem repræſentabant, *Charitæorum* vocabulo mutuo fuerunt cognominati, mutuo ſalutati, mutuo literis præſcripti. Cum his noſter vivere, his ſe communem facere, cum his joca, cum his ſeria fabulari, pulcherrimam factionem arbitratus, cum bonis in amorem, contra nullum in odium conjurare. Minime vero juſtum cenſebat aut pium ſuperioribus recalcitrare, & quorum nos imperio ſubmiſimus, ab illis exigere imperij rationem. Hoc decretum animi magnam illi tunc temporis invidiam conflavit, cum Lugduni ſtudioſorum globus pro neſcio quibus privilegijs ſuis fermento animi juvenili contra Profeſſores tumeſceret, ac veluti Academicus quidam Pompeius omnes pro hoſtibus haberet, qui Reipublicæ, hoc eſt, partibus eorum deeſſet. Solus enim *Gruterus* nulla ratione impelli potuit, ut aut in turbis illis locum, aut in ſuffragatoribus nomen haberet. Solus cum duobus *Roſendalius* fratribus, *Æmilio* & *Jacobo*, quorum Parens ex Ordinibus erat, pacem prætulit, hoc ſibi privilegio vindicato, ut contra multitudinem, quæ argumentum peſſimi eſt, non timeret melius ſentire. Amicis familiariter, fortuitis aperte, paribus conſtanter, ſummis intrepide reſpondebat, nec ſi convicium faciendum eſſet vitio, cum fortuna loquebatur peccantis, ſed cum peccante, palam objurgans quicquid ſilendo crederetur virtus. Haud illud dico, Boni viri, quod ſtulti libertatem vocant, ſapientes libidinem & temeritatem ſine judicio, ſine obſequio, ſine moderatione; ſed ingenuitatem intelligo comem ac verecundam ſine arrogantia, ſine ſuco, ſine aſſentatione, non tamen ſine velo. Nam apud ſummates quoque eandem perſonam illam agebat, verum pudenter & prudenter, malis bona exempla, bonis mala proponendo, ut hos & illos vel mala fama deterreret, vel bona gloria accenderet, hiſtorijs nonnunquam, interdum fabulis, quandoque emblematis utens, & ut ita loquar, *tibicinem verberans pro coquo*. Juratum aliquem conſiliarium dixiſſes non eorum à quibus ſtipendium, ſed cum quibus argumentum & ſermonem haberet. Non inveniſſes eum inter hiſtrionales fautores & aurium Sirenes, qui tantum roſas loquuntur Dominis, & dulcia cruſta ſemper ſuggerunt, ſicut pueris ſolemus

Elementa velint ut diſcere prima,

nimis hercule obſequioſi Syri, nimis in conſilijs propinandis ſolertes coqui, memores perpetuo Epigrammatarij, ſecundum cujus inſtitutionem,

Servus Domini debet habere gulam.

At noſter ita credebat, non debere Principum amicos ſemper, quod idem Poeta ait

Servire Palato,

Sed imprimis id operam dare, ut ſalutaria miniſtrent, audia ntque potius aliquem ex Veteribus monentem, *Bellaria ea eſſe maxime mellita, quæ mellita non ſint.* Quicquid autem per indulgentiam ſtomacho publico immittitur, id ipſum haud multo poſt per omnia membra membratim ſupplicijs incedit. Et erat omnino *Gruterus* longe alius diſciplinæ civilis arbiter, quam ut putaret in Republica vel gerenda vel tractanda magis requiri verſutos, quam cordatos, perplexos, quam ſimplices; tenebricoſos, quam apertos. Quid enim ſani ſperandum eſt ab illis anxijs, qui nihil candide agunt, loquuntur, intelligunt, alienam mentem ſemper ſcrutantes, ſemper occultantes ſuam, ſuſpicaces & profecto ſuſpecti, non fidentes, & profecto non fidi, cauti & profecto cavendi, humani denique & officioſi & amici, cumque res exigit rem, totam pigmentorum & figmentorum ſuorum pergulam prodituri. Multo enim facilius ſeculum hoc vulpes gignit, quam leones. Nam lepores dicere nihil attinet, ubi calliditas major & par fugacitas in compendium coierunt. *Gruterus* liber erat, ingenuus erat, detectus erat, eamque libertatem in animo, in vita, in ore, in oculis, in ſtylo jam tum ferebat, ſed omnino modeſtia ac reverentia quadam dilutam. Superiores nemo magis obſervabat, nemo magis parentes; atque hos quidem an unquam offendiſſet, negabat ſe recordari, negabat præceptis eorum quicquam apud ſe ſanctius fuiſſe, hac una ſibi contumacia conceſſa, ut virtutem ad parendum enixiſſime obſtinaret. Tantum aberat, ut ipſos more ſeculi falleret, aut abſentiam illorum in occaſionem profundendi verteret, aut in rationibus, quod aliquibus non rarum eſt, pro luxuria neceſſitates quaſi cervam pro virgine ſupponeres, & Aleonem in Librarium, aut cauponem in Medicum, aut alios impenſarum rubores in candida nomina mutaret. Artes enim tales & tabernam vinariam & hujuſmodi officinas corruptionum nomine tantum noverat, non uſu, crebro confeſſus poſtea, ſe vitam ſuam ſatis tranquillam & longævam quam vixiſſet ad pietatem ſuam erga parentes, & hanc fiduciam ad promiſſiones divinas, quemadmodum promiſſiones ipſas ad bonitatem Dei liberam referre. Quid jam ſentiendum habent ij, qui parentum præcepta pro aranearum telis, pecuniam pro vitreis fractis, tempus pro cyatho nebulæ, pietatem ipſam pro inani nomine alibi rumpunt, alibi effundunt, alibi contemnunt, quando præſertim inter ipſas ſuas pravitates interdum ſtrepitum venientis aut impetum jam prementis animadvertunt pœnæ. Verum hoc dicere ipſorum eſt. Nos *Grutervm* adſpicimus, qui laudem eam quoque meruit, quam in militia ſi quis mereri ſtuduerit, jam fugit antequam militat, & ignominiam apud gloriam quærit. At noſtro ſuum hoc decus conſtat, idque in pace quiſquis non optat, inſanus eſt. Illud nempe dicere volui, *Gruterum* in toto corpore *cicatricem non habuiſſe*, nec proinde cicatricis aliquando cauſam vulnus, & cauſam vulneris pugnam, & pugnæ cauſam pugnacitatem. Ut autem careret iſtis cauſis omnibus effecit contraria *Manſuetudo*, & Manſuetudinis ſoror *Verecundia*, & quæ ſe cum utraque libenter tertiam facit, *Prudentia.* Diem ſtudijs dabat, noctem quieti, comitatem notis, facilitatem ignotis, ſibi pacem, nulli bellum; nulli belli occaſionem. Vagationes nocturnas, & quidquid ſine

lucerna

lucerna audetur, relegabat ad Nerones, ſive certe Nerones, quibus minime invidebat ſuas cicatrices, ſive illas corpori, ſive famæ, ſive quod valde fieri amat, utrique impreſſas. Nunc etſi melior longe conditio eorum eſt, qui capite, pede, brachio offendunt, quippe Zeno quoque Philoſophus, ille qui lupinorum inſtar madeſcebat in dulcedinem, non tanti eſſe putavit, ſi quis etiam per invitatiunculam hilariorem pedibus laberetur, id modo ne lingua fieret; affirmo tamen vobis, nullum ne tale quidem veſtigium corpus *Gruteri* deintegraſſe. Nam ut cadere quidem humanum eſt; ita quam rariſſime cadere eſt humanius, & officium hominis hominem dextre agentis. Nemo maximi fecit equum qui ceſpitat, aut ſæpius procumbit, & cum virtutes omnes complectitur, tamen dominus in eo æſtimando ſemper excipit ceſpitationem. Certe quod ab equo exigit dominus, id ſapiens à ſemet exigere magis volet, utpote frenum corporis habens in manu rationis. Feſtinare vero, currere, incurrere, quod ante pedes eſt non videre, lapides obvios nunc hunc nunc alium labefactare, nunc tignum poſtemve capite oppugnare, talum torquere, & ſubinde aliquid vulnere prius quam oculis videre, hominis eſt qui vel reliquit animum in negotijs, vel inter libros oblitus eſt, vel pignoris loco depoſuit in diſputatione *de Modalibus*, aut *de numero remigum Ulyſſis*, aut omnino nunciatum præmiſit amicis, qui ſe conventuri erant, ſe hodie non eſſe apud ſe. Procul ab hoc vitio *Gruterus* à communi opprobrio Philoſophiæ, quam in cæteris omnibus *inconſiderantiam* pluſquam *Claudianam* ſuis convictoribus putant afferre. Oſtendit ille, vere ſapientem eſſe, qui non ſolum domi meditetur Reipublicæ optimam gubernationem? ſed & foris & ubique corporis ſui optimus ſit Dux & Imperator; imo fieri poſſe, ut non nimis ſit *Poeta*, qui eſſet optimus, & *pedes* non minus in verſu quam inter ambulandum ſolicite ponat, ne forte *Jambicus* inceſſus deſinat in *Scazontem*.

Parem rationem habuit *Gruterus* linguæ. Etſi enim ſervitutem in ore minime geſtavit, tamen linguam nunquam manumiſit ad impietatem. Verbis utebatur, quæ nec ſeveram *Catonis*, nec teneram *Hippolyti* frontem offenderent, nec matronam averterent. Non ad fidem per juramenta loquebatur, ſed ajebat ſimpliciter, quod eſſet, negabat ſimpliciter, quod non eſſet. Nunquam Joves noſtros, qui per Inferos, & Inferorum Patrem; nunquam Plutones noſtros, qui per Superos, & Superorum Regem in omni ſermone jurant, imitaturus; neque ſane eos qui per execrationes, ſi falſum dixerint, ſe cœlo exhæredant, orco mancipant, & maximo animarum plagiario ſuam reſignant. Noſter primum ſibi credebat, quia nunquam ipſi verba dederat ſua conſuetudo, deinde aliorum de ſe opinioni credebat, quia non niſi bonam opinionem ſibi fecerat bene vivendo. Denique ita vivebat, ut juramento nunquam egeret, vel ut ſimpliciſſimum juramentum ipſe eſſet injuratus *Gruterus*. Veritatem enim primis ab annis religioſe coluit, & ad extremam ætatem à ſe ſcrupuloſe exegit, ut ſi comparatio fuiſſet, facile *Æmilium Scaurum* agere potuiſſet contra *Verium Sucronenſem*, ac dicere, *Utri creditis?*

Hæc habemus de adoleſcentia *Gruteri*, quam Lugdunum uſque proveximus. Poſt curriculum Lugdunenſe medium tempus nobis effugit, quia memoria nobis hic deficit, & familiares longe ſunt, & à conſcijs repetere ſerum eſt, & in adverſarijs nihil reperitur. Quemadmodum igitur nubecula interdum non tam

ſolem,

ſolem, quam oculos noſtros tegit, quo minus fontem illum luminis adſpiciamus, lumine ipſo quaſi cominus illuſtrati: Ita nobis *Gruterus* aliquantillum ſpatij tranſcurret in obſcuro, non ipſe tamen obſcurus. Aliquamdiu nuſquam eſt, & tamen ubique, aliquando nullis in locis, idem tamen eodem tempore in omnibus. Dubitatis ubi fuerit? in antiqua Græcia fuit, in antiqua Perſia, in antiqua Palæſtina, vel ut brevius dicam in antiquo univerſo fuit, & adhuc brevius iterum, ubique. Quomodo enim ubique non ſit, qui quicquid geſtum eſt ubique non ignoravit. Non bellum decretum fuit, quin ille quaſi poſthumus conſiliarius conſultaverit, non geſtum, quin ille fortiter, vel ignaviter patrata animadverterit, non urbs obſeſſa, non oppugnata, non capta, quin ille copias numeraverit, machinas intellexerit, tormenta tractarit, non triumphus actus, quin ille ritus & ſolennitates omnes perdidicerit.

Quicquid in aulis ex humili altum, ex alto humile factum, quicquid ibidem ſimulatum, aut diſſimulatum, quicquid luxuriæ, ambitioni, invidiæ, adulationi datum, quicquid in foro diſceptatum, in judicijs judicatum, in templis adoratum, in arena pugnatum, in theatris ſpectatum, in circo certatum, quicquid denique uſpiam fuit, id omne *Gruterus* quaſi retro ſæculorum coætaneus vidit & audivit. Sed & verſabatur frequenter inter eos, qui ſapientiam non tantum animo, ſed auribus etiam commendabant, & aut affectus ludendi, aut artes docendi cauſa modulabantur: cum *Atridis* ad Trojam profectus eſt, cum *Ulyſſe* in Ithacam redijt, cum *Ænea* in Italiam venit, cum *Aſcræo* ruri, cum *Siculo* inter oves, cum alijs in cothurno fuit aut in ſocco. Præcipue virtutis Magiſtros in Academiam ad Porticum ſequebatur, & quicquid apud illos reperiebat rectum & pium vitæ dabat, ut errores ſectæ: nec ullus ei ſatis magnus author habebatur cui ſacramentum diceret ad falſam opinionem. Cynicos minime probabat, quia ipſe verecundus erat, & placidus & comis & mundus, alloquentibus nec Melitæus, nec Moloſſus, veſtitu non incomptus, ſed compoſitus, non ſumtuoſus, ſed frugalis, non ſplendidus, ſed nec contemptus, non nimis antiqui, non nimis novi moris, neutiquam certe affectatus. Pudor illi in ſumendis, pudor in ponendis indumentis. Ipſe veſtiebat ſe, ipſe deveſtiebat, nullius ſexus miniſterio juvandus, forte *Laconica virgine* exaudita, quæ cum videret hoſpitem quendam à ſervo calceari, *num hoſpes hic*, dicebat, *non habet manus?* aut *Palamedem* intuitus, qui miranti Achilli, cur ſine ſervo, ſine ancilla proficiſceretur ad bellum Trojanum, reſpondit; *quid ergo hæc dextra? quid hæc ejus ſoror?* quaſi diceret, neminem ſine ſervo eſſe, niſi qui mutilus eſſet; neminem ſine ſatellitio, niſi cui manus, & pedes cauſarij eſſent, & inutiles morbo. Arbitrabatur noſter tempeſtivum fore famuli pedes aut manus advocare, quoties ſui ſuæve non ſufficerent, aut multiplex opus multiplicem operam poſtularet, ne pallio quidem gerulum in ambulatione, nec gladio bajulum, ſi accinctus eſſet, daturus, potius abjecturus, ſi quod onus ſuum alios oneraret. Vultis exemplum, & promittitis operam memoranti? Proficiſcebatur aliquando noſter, cum Heidelbergæ degeret, ad Mercatum Francofurtenſem, & proficiſcebatur curru meritorio, qui differtus erat & vectoribus alijs eodem portandis negotiorum aut negotiationum cauſa; noſter ut libros coemeret aut ſibi aut Bibliothecæ Palatinæ. Sedes ipſi contigerat, ut enſem oporteret demere cingulo, & juxta collocare. Succuſſabat autem currus, ut fieri ſolet, cum tubera habet via,

aut

aut ſcrobes, aut ſaxa, & enſis faciebat *artem ludicram*, laſciviebat, ſubſultabat, tandemque ex ſaltatore deſultor factus ad terram ibat. Suſtulit auriga & relocavit, nulla pœnitentia primi laboris, poſt aliquantum itineris rurſus enſis ad terram: ſuſtulit auriga rurſum, & relocavit rurſum, ſed vultuoſior & moroſior. Tertium facinus auſus eſt enſis; vidit *Gruterus*, Auriga non vidit, & ille hunc non vidiſſe plane lætus diſſimulavit exoptatiſſimam jacturam, tantum apud ſe gratulans, *Vale enſis, Vale moleſtia.* Cum enim ferrum non niſi contra hoſtem ſibi vellet adeſſe, permoleſte ferebat, ſi dum neminem habebat ferrum, cui iraſceretur, putaret ſe nactum eſſe cui illuderet, neque dignum cenſebat, cum properarent omnes, ut gladius unus tergiverſator tot comitum & amicorum votis obſtaret.

Expreſſit ille quidem in his animum Diogenis; ſed eundem ſapienter temperavit; non poculum, non catinum, non argentum abjecit, ſed quicquid etiam non niſi abjiciendo bonum fieri poterat, quaſi malum damnavit negligendo: Pauperem non dixiſſes, quia facultates ipſi erant privatæ, animus regalis; non avarum, quia fruebatur eo quod habebat, non habere ſtudebat, quo non frueretur, non profuſum, quia ſic vivebat, ut vivere, ſic dabat, ut dare poſſet, & tamen utrumque faciebat ita, ut magis benignus, quam medius eſſet, omnibus impenſis facilius ignoturus, quam temporis, quod tum peſſime locari putabat, quoties non optimis locaretur. Ideo convivia non faciebat imperitis, ſed copiam ſui apud doctos ſæpe, ſi quid & illic proficere poſſet: ocium nullum ſibi indulgebat, niſi cum valetudini feriaretur. Jus didicit, ut ſciret, non ut litibus commodaret, ſat Advocatorum ratus, ſi minus eſſet, ſatis etiam interpretationum, ſi minus Interpretum eſſet. Ipſe enim quietem malebat, & vitam à certaminibus, ab invidia & avaritia remotam, ubi doctrina eſſet infinita, cupiditatum modus finitus. Ei cum aliquando non nemo ex eo genere hominum, qui Principum quæſturas exercent, & nonnunquam ſuum quæſtum, inter conviviales ſermones diceret; *Satius mihi ducerem mori, quam* Gruteri *libris literis & ſyllabis*, ſtudium Criticum ſuggillans, *immori*; reſpondit Gruterus; *& ego mallem ſublimis mori, quam ad felicitatem tuam damnari, ut quotidie argentum & vitam teram, ut ad calculum ſedeam, & colligendis, numerandis, ſcribendis, condendis, promendis, locandis, fœnerandis pecuniis ævum impendam.* Sapientibus enim & *Gruteris* res illiberalis habetur in divitijs ſuas curas, in curis vigilias, in vigilijs noctes, in noctibus vero dies vexare. Vix autem è millibus unum reperias, cui divitiæ ſint ſive ſuæ, ſive alienæ, quin ille ſit divitiarum, quin ille amicum potius ſit perditurus, quam nummum, nuſquam liber à metu, vel Gallinaceum ſuum ſuſpectans, ſi curioſius fodiat, quaſi & ille ſcrutaretur, ubi dominus condidiſſet aurum. Quæ miſeria, ſi hæc talis non eſt miſeria, totum amittere fructum vitæ, ut quæras vel augeas rem nunquam tibi certam, filijs incertiorem, filiorum filijs incertiſſimam, qua ſæpe non tam locupletas, quam facis Nepotes, dives in arca, pauper animo, mortuus ante mortem, poſt mortem deriſus? *Gualtherus* non tam iratus erat ſuo genio, ut apud ſuperos inferorum pœnas amaret. Hinc cum iterum magni Principis Conſiliarius eum interrogaret, cur literas tam adverſo Mercurio natas tanto ſtudio præ cæteris coleret, quin operam potius daret illis artibus, quibus filiabus dotem pararet & generos? *Cur auriferis iſtis artibus*, inquit, *abſtineam, meæ mihi cauſæ, filiabus vero maternæ*

ſunt

ſunt dotes, nec viri illis deerunt, ſi non deerunt virtutes: quippe ijſdem ornamentis matres earum nuptum iverunt. Bonis ſatis opum erit, quia bonæ ſponſos facile merebuntur bonos; malis iterum ſatis, quia plus opum non merentur, & ſi plus ipſis contigiſſet, fruſtra malæ ſperarent bonos, utpote qui dotes prius ſpectare ſolent, quam dotem. Certa igitur ſtabat ſententia, nunquam artes quæſtuoſas moliri, multo minus preces pretio mutare apud Potentes. Etſi enim ſtipendium tale habuerat, ut facile invidiam non haberet, ipſa vero exiguitas ſuo augmento faveret, nunquam aliorum conſuetudini aſſuevit, ut tenuitatem ſtipendij precarijs adminiculis corrigeret, teſſeras frumentarias, vinarias, ſportulas aut donativa peteret, & adorandas quercus excuteret, ſed Conſiliarijs ipſis morientibus *verecundi hominis crumenam ſemper inanem eſſe*, reſpondit, *ob drachmas pauculas ego mendicus non fiam, nec munus id eſt regium; mille vero aureos Princeps non dabit, quia munus id negabit eſſe Philoſophicum: ita illi Fortuna obſtat, mihi profeſſio, & alioquin officium qui facit, beneficij admonet, qui petit, non datum exprobrat & de dando gloriatur*, pene addidiſſet, *quod mihi datis, ô amici, Principi potius dandum fuit conſilium, ſiqua re me putatis dignum. Nam fruſtra merita noſtra ſcimus, niſi ad conſcientiam quoque ejus referantur, ad quem & devotiones ſtudiorum, & ſpes præmiorum, & gratia beneficiorum, & interdum minimarum rerum notitia ſolet referri.* At tanto magis laudanda Conſtantia ejus, quod nec oblatis quidem vinci potuit, ut mediocritati ſuæ ſpecioſa præferret, ut contemtum divitiarum verteret in amorem, & amorem temperantiæ in ejus contemtum. Nam illud quidem non vehementer cupere, quod non vehementer ſperes, aut quod tibi labor, mora, difficultas reddat aſpernabile & inviſum, aut quod ita parum ſit, ut cum habeas, haud multo plus habeas, quam ſi non habeas, facilis continentia poteſt videri. Sed noſter & illud recuſavit, quod ſponte veniebat, & ad contemnendum id contemtum ſui non afferebat, niſi forte *mille ducenti ducati annui* leves videntur nummi, aut ſtipes mendicorum, nam totidem tales illi promittebantur, ſi decus ſuum, & vocem publicam *Academiæ Patavinæ* voluiſſet impertiri, poſtquam *Ricobonus* illic & vivere, & docere deſiiſſet. Invitabat *Penellus*, ſolicitabat *Velſerus*, negabat utrique *Gruterus*. Erat ei religioni Religio, ſed & erat religioni ipſa pecuniæ ſumma, quæ cæteroqui paucis nimia eſt, & multis opportuna ad impietatem merces. Nefas primum ducebat eo ire, ubi & plus inveniret & minus; ſed ut minus hoc plus damni, quam plus illud commodi haberet. Cultus enim divini libertatem publicam (quamvis privatam recepturus) pro quibuſcunque divitijs ſibi negabat eſſe venalem; præterea tam humanum ſciebat eſſe invidere alienæ felicitati, quam alienæ virtuti, & hanc quidem propter invidiam non eſſe deſerendam, illum vero feliciorem eſſe, qui non ſit infelix, quam qui cum invidia feliciſſimus. Quippe Felicitatis quidem filiam naturalem eſſe invidiam, Calumniam ejus nepotem, Calumniæ vero ſobolem & Felicitatis quaſi pronepotes, noxias Innocentum. Quod utinam, *Grutere*, è tua potius diſciplina didiciſſem, quam mea fortuna! Queror hoc apud manes tuos, me poſt ſordidiſſimos carceres, poſt capitales hoſtium minas, poſt necem paulo diſtantem, poſt urbis noſtræ obſidionem, poſt cruentam ejus expugnationem, poſt latronum inſidias, poſt primi exilij mei mala, poſt militiæ incommoda nihil reperiſſe crudelius, quam meam non dico felicitatem, ſed aliquam laborioſam quietem. Non erat, quod metueres invidiam tantum in

magnis

magnis, quam ego in parvis expertus ſum. Non me fides Principibus, non amicitia magnis & doctis, non integritas omnibus bonis probata, non ſacra exilij cauſa, quæ ſæpe alioquin ignotos & peſſimos commendat, potuerunt tueri. Id genus quo magis telo ulciſcar, quam tuo, *Grutere*, animo, vel, quod idem eſt, magno? Eveniat tamen hic mihi fructus opto, ut aliquis culpam hic ſuam inveniens reſponſando me faciat meæ hiſtoriæ commentatorem, quod nunc ſane feciſſem, niſi fuiſſem parum iratus. Ego à *Grutero* ad *Gruterum* redeo, contemtor malevolorum ad contemtorem divitiarum. Accerſitus eſt in *Italiam*. Quam hoc jam honorificum erat, quod ad eam gentem, quæ & literis, & hominibus doctiſſimis & ſui judicio, & exterorum neglectu abundat. Delectus eſt unus ex media Germania, quod iterum glorioſum eſt, ſive quod ipſe potiſſimum, ſive quod potiſſimum inde. Major enim quodammodo invidia eſt, qui deligitur ex ea gente, cui tam raro aliæ meritas laudes concedunt, quam nunquam eripiunt. Expetitus eſt ab Academia tali, ubi non ut in Italia, ſed ut in ipſa Germania, in Polonia, in Bohemia, in Gallia, in Britannia, in compendio orbis habitaret; quandoquidem quicquid illuſtre eſt, quicquid diſcendi cupidum, quicquid Reipublicæ, quicquid foro, quicquid Medicinæ creſcit, id omne tyrocinium ſuum apud *Patavinos* plerunque aut ſumit, aut facit, aut ponit. Vocatus eſt denique ad liberalitatem tantam, ut *Gruterum* repulſas opibus dantem laudare non poſſim, quin eundem apud animos nonnullorum reprehendendum exponam; *Academia* vero *Patavina nutritios* publica voce, publico literarum, & private *Gruteri* nomine proprie celebrem, utinam in exemplum magnis literarum Educatoribus, ut ſaltem aliquam *Patavinitatem* talem, ſi non omnino talem ſæculis oſtendant, nec ſemper paupertate dignos putent, qui paupertatem non indigne ferunt. Nam ut divitias magnas anxie quærere non eſt ſapientum: ita ſapientibus neceſſarias opes ſubminiſtrare eorum eſt, qui ſine opera ſapientum, nec ſapientes habent, nec ſapienter opes aut regna, cum nullum genus hominum inveniatur, quod minus ſuis emolumentis advigilare aut poſſit aut ſoleat, dum diſcendi & docendi cupiditati omnes cupiditates alias poſtponit, & vectigal ſuum tantum à mortuis exigens; honeſtiſſimam avaritiam exercet in libris, interim multorum iniquitati obnoxium. Quia enim tales nec de ſua, nec de aliena fraude cogitant, & ſuam innocentiam inſpiciunt, quaſi obſidem alienæ, multo opportuniores fiunt peſſimis lucrorum milvijs. Quoties illis Inſtitor, quoties Cerdo, quoties Veſtiarius, quoties aliæ Feles nummariæ pro bono & nimio argento malam mercem, & pro tenuitate nuditatem reddunt?

Nemo magis juvandus à magnis, quam quem minores prædæ habent. At quamvis hæc ita ſint, Liberalitati tamen maximi Principis, qui ſemper beneficijs, quam pœnis largior fuit, & nunc optimus, poſtquam malis temporibus antiquior habetur, *Grutero* interceſſit. Cum enim *Inſcriptiones* ſuas *Romanas* Romanorum Imperatori *Rudolpho* inſcripſiſſet, Princeps ita munus hoc acceptum habuit, ut & laudationis & largitionis ſuæ munere viciſſim dignum putaret, alterius quidem honorem ſtatim præmittens, alterius optionem ad arbitrium authoris differens, interim per *Wakerum* & *Barvitium* reſponſo dato, *Gruterum & præteritum & præſens & ſæculum futurum demeruiſſe, peteret ille à Cæſare munus quod vellet, repulſam ne timeret.* Certe qui petere jubet, & laudat, ille

quantum laudat, quod damus, tantum nos invitat, ut petamus. Nam qui nollet nos petere, nollet laudare; quia laudatio meritum intelligit, & meritum repræſentationem: Silentium quod nec laudat, nec vituperat, magis vituperat quam laudat, & quidem ita vituperat, ut nos vetet ſperare. Verum cum illud additur *Pete munus*, & laudatio præmittitur, illud dici videtur, Pete munus mea liberalitate, & tuis meritis dignum. Sed *Gruterus* tanti Principis judicio gaviſus de cæteris ita reſpondit, *Midam aliquando à Libero patre ſimilem optionem conſecutum, quia ſtulte elegerit, in præmio pœnam accepiſſe, dum auri quidem copiam, fructum non haberet; majorem eſſe ſibi reverentiam Majeſtatum, quam ut ipſis dona ſua nominet.*

Facile itaque conſtabat, aurum non petere, qui auri petitorem in occaſione commodi ſui reprehenderet. Alius ita reſpondiſſet, *ut Cæſari labor meus non diſpliceret, votum fuit, ut & placeret, non ultra votum, ſed ſupra ſpem fuit. Atque in eo judiciumne Cæſaris admirer, an in tanta dignitate tantam dignationem, ut cujus erat tantum ignoſcere ſuum putaverit & ſtudia noſtra cognoſcere, & in illis præter meritum publicum aliquod ſuum debitum agnoſcere, cum denique explicaſſet quid ſentiret de noſtro libro, explorare etiam quid nos ſentiremus de ejus liberalitate. Difficile certamen mihi conſtitutum eſt cum Cæſaris munificentia, & mea modeſtia. Si liberius peto, periculum eſt, ne decoctor mei pudoris videar & avarus, ſi verecunde, ne magnitudinis Cæſareæ detrectator videar, & ſuperbus, & mihi malevolus. Hoc unum exprimo, Cæſari, opes mihi opus eſſe, præter libros & liberos parum eſſe. Quam multum ille dare velit, non definio. ſed quam multis. Unus enim non ſum, niſi quod ab uno me tam multi alumni petunt, ut non alantur, niſi multis. Vos, ô Viri Conſiliarij, agite meam cauſam, quam jam Cæſar probavit, & ita tamen credite, mihi egenti ſatis fore ad accipiendum propter Virtutem, quicquid abundantiſſimo Cæſari ſatis erit ad dandum propter fortunam.* Alia oratio fuit *Gruteri*, qui quidem muneris arbitrium Cæſari remiſit, ſed excepit aurum. Putabat *Wakherus* forte *Grutero* gratum fore, ſi quid ſplendoris Inſignibus ejus Gentilitijs à Cæſare adjiceretur. Poſſe enim veterem Nobilitatem ejus novo tanti Principis favore multum ornari; ſed *Gruterus* & huic ſententiæ interceſſit. Tantum enim abeſſe dixit, ut honoratior eſſe cupiat Inſignibus, ut ſit his ipſis, quæ habeat à majoribus, oneratior quam velit. Haud enim rem magnam, ut decoram ſibi videri, Equitem ſe jactare Brabantiæ aut Flandriæ, cui neutrubi vel locus ſit, vel fundus, vel certe fructus, aut foris cenſus, aut equus, aut omnino cantherius, vel quod brevius dicitur, qui ſit Exul.

Videte cum quali homine Cæſari fuerit negotium! Non deſiderat aurum, quia non egebat: non egebat, quia ſine pompa, erat autem ſine pompa, quia nobilitatem intus non extra ferebat, & hæc omnia faciebat ideo, ut aurum non deſideraret. Proximus enim eſt gradus ad avaritiam, magnum eſſe velle, aut ſe majorem. Nobilitas quippe quæ vult oſtendi, vult oſtentari, oſtentatio vult apparatum, apparatus ſumtum, ſumtus, unde ſumat. Hinc itur ad lucra, ad avaritiam, & avaritiæ miniſtras artes, raro bonas: Itur inderdum ad ruinam, ad miſerias tanto miſeriores, quanto nobiliores ſunt, qui fiunt miſeri. Operæpretium erat poſteris ſuis rem difficillimam oſtendere, ut diſcant nobiles eſſe, & tacere. Cum igitur *Gruterus* & hujus beneficij veniam petijſſet, *Tobias Scultetus*, qui *Gruterum* interiorem interius noverat, ita cenſuit, non poſſe contingere illi munus acceptius, quam ſi omnes libros ac lucubrationes ejus Cæſar

per

per Privilegium tutas præſtaret ab injurijs illorum, qui, ſi quid alibi excuſum eſt boni libri, protinus idem recudunt, manum non verſuri, quicquid alijs obſint, dummodo ſibi proſint, aliena vineta cædentes, ut ſua conſerant. Contigerat enim hæc illi fraus in *Senecæ*, quem cum ſuis Animadverſionibus Heidelbergæ ediderat, ſed eundem, neſcio ubi, quidam biſgenitum fecerunt, ac veluti Jupiter Semeles filium, quanquam bene editum ſuo femori inſeruerunt, ut iterum ederetur, clanculum authorata proditione, ut madentes adhuc à prælo Heidelbergenſi paginæ quot-ſeptimanis eo accelerarent, ubi contraheretur *Seneca Gruterianus* in minorem formam, & diſtraheretur in majorem injuriam. Annuit igitur Cæſar de privilegio, & in ipſo privilegio de Privilegijs ultro cogitavit. Non tantum illis quæ *Grutero*, ſed & quæ concederet *Gruterus*. *Comitem* enim S. *Palatij* deſignavit, ut ea dignitas aliquando doctiſſimum nacta ſatisfaceret Inventori, & quæ nonnunquam bonitati Principum debetur, nunc deberetur judicio. Decreta res erat apud Principem, approbata in Senatu Auguſto, relata ad Principem iterum, ut ſubſcribendo firmaret, quod præſcripſerat communicando. Sed Cæſarem occupavit morbus, deinde fatum, quod bonas actiones plerunque cum authoribus finit. Literæ itaque quibus ſuperiora Privilegia continebantur, ſicut ejus generis mille alia, more quodam differendi, relictæ ſunt abſque manu Imperatoris, abſque ſignatione, nec poſtea unquam productæ, quia nova Poteſtas facilius ſua beneficia orditur, quam aliena abſolvit, & novis curis occupata raro ſuccedit in obligationem veteris promiſſi. Ita *Gruterus* luculentiſſimum munus nunquam accepit, & laudes Cæſaris optimi ſic celebravit, quaſi integrum accepiſſet. Quod tamen non accepit, generoſiſſimo vitio contigiſſe arbitror *Gruteri*, qui nihil minus à ſe impetrare poterat, quam ut frontem ſuam ad expugnandam muneris tarditatem roboraret; Principem vero appellando obtundere plane pudendum habebat. Noverat ille quidem conſuetudinem Aulæ, ubi impetrata ſæpe impetranda ſunt, & è multitudine negotiorum cuique eruendum ſuum, neque ſumenda verecundia, quod ea faciat tantum ad noſtri oblivionem. Quia enim hæc virtus tacet, nunquam exauditur, præſertim inter ſtrepitus Magnatum, ubi magis opus contentione vocis, quam perſeveratione decori. Sed non gerebat ille perſonam hiſtrionalem, quam ex arbitrio Ædilis deponeret, & in alia fabula rex eſſet, in alia ſervus, ſuæ magis conſtantiæ tenax, quam flagitans alienæ, perditurus potius cito, quam diu petiturus, deſerturus etiam nonnunquam jus ſuum, quam aſſerturus, ubi vidiſſet ſibi tricas nodari, diſpendiorum haud inexpertus. Wittenbergæ cum eſſet ſua virtute ſibi damnoſus fuit. Evocaverat eum *Septemvir Chriſtianus primus*, & evocaverat nuncio ob id proprie miſſo, ut Profeſſionem Hiſtoriarum ſuſciperet. Retinuit *Gruterus* nuncium in Boruſſia (in illis enim tunc oris degebat) donec in rheda uterque proficiſcerentur cum ſarcinis. Satis multum argenti quatuor equorum Auriga, tot milliarium iter, tot dierum prandia & cœnæ; menſes autem, quibus illic morabatur, vix annum & ſuprema *Chriſtiano* conficiebant. Quo defuncto placuit ſucceſſoribus, ut in *libro* quodam, velut templo *Concordiæ* convenirent omnes, & nomina ſubſcriberent, quibus totum argumentum libri illius ſine exceptione probaretur: abire quo vellent juſſis quibus aliter videretur *Gruterus* cum *Librum Concordiæ* nec vidiſſet nec legiſſet unquam abſtinuit à ſubſcriptione, quod temerarium eſſet & fatuum

fatuum judicare de re, quam non videris, approbare librum, quem non legeris, firmare ſententiam quam non conſideraveris, ſubſcribere divinis quæ cum divinis nondum contuleris. Miſſionem igitur prætulit, & prætulerunt hanc alij duo Viri Clariſſimi, ſed majori ſuo commodo quam *Gruterus*. Illis enim ſemeſtre ſtipendium, quod honeſtæ Miſſionis illic commeatus eſt, ſubvenit; *Grutero* nec hoc evenit, nec quod in itinere Boruſſico expenderat revenit, cauſa ſuperius indicata, quod purpuras Aulicas adorare neſcierat, Principi vero tormentum, aut ſupplicationis continuæ fidiculas adhibere ſibi interdixerat. Minus enim moleſtiæ ineſſe videbatur diſpendio expedito, quam ſtipendio aut præmio intricato. Sic boni viri plerumque longe abſunt à gloria divitiarum, quia tantumdem abſunt ab ingenio divitum, dum nec alienis inhiant, nec ſua clamoſe repoſcunt, nec præmia cum meruerunt, perſequuntur, & cum nemo dat, à ſe petunt, & cum parum habent, ſatis putant, quodque valde magnificum eſt, etiam divitibus donant, quoties illi vel moroſe fatentur, vel invite reddunt, vel libenter obliviſcuntur. Semper enim facillime ignoſcunt, & raro ſe debere putant, quorum creditores ſunt viri boni. Quia bonitatem patientia, patientiam onus comitatur. *Gruterus* noſter plane admirabilis erat, qui cum ſine beneficio miſſionem acciperet, beneficijs miſſionem dedit.

Diogenem audire videor, cui cum ſervus unicus aufugiſſet, *turpe eſt*, inquit, *Manen* (nam id nomen ſervo) *ſine Diogene poſſe vivere, Diogenem ſine Mane non poſſe*. Ita *Gruterus* turpe duxit divitias ſe carere poſſe, ſe non poſſe carere divitijs. Eſt enim & aurum & argentum quoddam mancipium, niſi quoties mancipia facit ex dominis, & quanquam cuſtoditur centum clavibus, tamen aliquando fugit. Sapienter igitur *Gruterus* cum mancipium hoc retrahere ſine labore non poſſet, cum contemtu omiſit, & cum unius fugitivi indolem cognoviſſet, reliqua non deſideravit. Quid uſitatius eſt in Academijs noſtris, quam Convictorum frequentia apud Profeſſores, quorum in familia aluntur, qui vicillitudine juſtiſſima eorum familiam alunt? Quis inculpatior modus, quamdiu modus eſt, cum commodo ſuo alijs gratificandi? Nunquam tamen *Gruterus* hunc morem domum ſuam introduxit, quia rem tam neceſſariam, quam per ſe humaniſſimam culpa avaritiæ pridem, & in alios ſuſpicio contaminavit. Nam poſtquam non commodi, ſed quæſtus cauſa locupletum liberos captare placuit, poſtquam favor olim hoſpitij factus eſt ambitus; poſtquam moleſtia meruit æmulationem, nec æmulatio timuit moleſtiam, quia ſperavit lucrum, inde factum eſt, ut vitium maneat apud malos, convitium veniat etiam ad bonos. Jam quod aliqui juvenes frugalitati nondum maturos, & luxuriæ præcoces domi ſuæ virtuti magis corrumpunt, & pravitati magis exercent, aliud jam eſt facinus. Reperiuntur enim non pauci, qui totas annonas ſub tecta congerunt, non ut neceſſitati parata ſit copia, ſed ut alumnis non deſit, quod poſt ſatietatem eſuriant, & poſt potum ſitiant, cœnantes uſque ad prandia, & prandentes uſque ad cœnas. Sic fiunt contubernia tabernæ, convictores compotores, impenſæ offenſæ, opes inopiæ, luxus luctus, hoſpites hoſtes, & ut veriſſima cavillatione obſignem, receptores nimis ſæpe deceptores. Iſthæc ne *Gruterus* eadem faceret, minime prætimebat, ſed magis illud, ne cum nollet, laboraret invidia Tutoris, tamque iniquis oculis aſpiceretur Cato, qui domi ſuæ Liberalia non ferret, quam olim alter, quem foris non ferebant Floralia.

Idcirco

Idcirco cum alioquin officia ſua patefaceret omnibus, in hoc eum nullus exoravit, ut menſam aperiret convictori, aut colligeret penſiones, Illuſtrium quoque conſtantiſſimas preces pari conſtantia deprecatus, ne rem non ſui moris, non ſui conſilij à ſe contenderent. Quod apud ipſum eſſe mallent, id ſibi gratiſſimum teſtimonium charitatis, & hanc diuturniorem fore, ſi coleretur ſine contractu. Fieri enim poſſe, ut, qui præfecturam gerant Culinariam, aut reliquas curas domeſticas expediant, minus ſententijs eorum reſpondeant; tum protinus Amicitiam vitium, etſi non valde, tamen vitium facturam, quia caſus ejuſmodi pro Conſilijs ſoleant accipi, & quicquid male præſtent familiares, quia pro Domino videatur, à Domino videri. Rectius illos habitare poſſe, ubi minus amicitiæ labes curetur. Tantum abeſſe ſibi voluntatem minuendi amicos, quantum numerus eorum abſit adhuc à perfectione. Difficile præterea in alendis alijs nimium temperare, & parum; ex illo querelas, ex hoc malum domeſticum venire. Raro autem dediſſe alijs æquum, qui non ſibi dederit iniquum, æque raro iniquum alijs non dediſſe, qui ſibi dederit æquum. Eſſe enim proximos inter ſe fines proprij & alieni, facilemque ad aliud tranſgreſſum. Melius abſtinere à toto, qui pretium ponat famæ, quam ſapientem tam integram eſſe velle, quam Cæſarem olim ſuam uxorem. Tum neminem injuſtiorem videri, quam qui detrimentis ſuis præſit, & cum labore rem faciat deteriorem. Hac excuſatione *Gruterus* plurium deſiderijs occurrit, & lucro blando deceſſit, & amicitiam non offendit, vir alioqui juventutis emolumentis ſemper paratus, præſertim quoties commendationis ſtimulus vel leviſſimus accedebat. Nam in omnibus prope terris, in omnibus prope magnis aut parvis civitatibus tot amici, tot faventes erant, ut aliquam parvam terram, aut aliquam magnam civitatem talibus potuiſſet implere. Vidi literas, quas optimus ſenex peregrinaturis aliquoties apertas dederat, totis aliquot paginis nihil, quam nomina, quam ſalutes, quam breves laudes amicorum continentes. Ut enim quidam, cum terrarum ſitus in tabulis adumbrant, interdum longiſſimam punctulorum ſementem tractu tereti ſinuant, ut noſcamus, quibus itineribus Alexander orbem peregerit, quibus Æneas in Italiam venerit, quibus flexibus alius Orientem, alius Occidentem invenerit. Ita *Gruterus* peregrinantium itinera Amicis conferebat, & chariſſimorum nominum quaſi filo aureo nunc huc nunc illuc proficiſcentes comitabatur, alium longe ſalutans, alium eminus complexens, alium procul exoſculans, alij manum, alij collum premens, omnibus advenam ſuum commendans. Et ab illis quidem viciſſim reddebantur paria, commeantibus perpetuo literis, quæ cum cæteras familiaritates, tum creberrime commendationes advehebant, & novos amicos. Hos noſter facillimo congreſſu recipiebat, lautioribus officia cujuſcunque generis, cæteris, & quorum tenuitas tamen bonæ mentis ſoror eſſet, etiam beneficia diffundens. Etenim *Gruteri* imaginem, qualem ſalutantibus aut clientibus oſtendit, quoties comitas exercenda fuit, aut beneficentia, ſi quis cupiet intueri, hujus ego votum in autumnum diſtulerim. Illic videbit arborum felices copias, verecundos pomorum vultus, muſtulentas vinearum gratitudines, totam ſpem anni in effectu, & in eadem facie *Gruterum*. Erat illi prompta humanitas, ſed cum fructu magis, quam cum flore: non nimium vernabat luxurie promiſſorum, nec fœcunditatem mentiebatur ſpecioſis dictis, nec bonus illi Aprilis finiebatur in malum Octobrem. Sicut enim arbores quædam,

Cum

Cum Sol egelidos refert tepores,

effuſiſſime florent, ſed nimis caducis; Ita quidam homines ſine modo blandiuntur, & totum officium conſumunt in verbis. Nondum bene dixerim, qualis in hac parte fuerit *Gruterus*, niſi pinxero aliquem, qualis *Gruterus* non fuit. Introducam hominem ornamentis non *Gruterianis*; Atque ecce, incedens arridet è longinquo, & illecebroſiſſima vultus ſuavitate gratioſus jam dextra capiti ablatum pileum ſiniſtræ commendat; jam vacuam manum ori ſuo, mox calceo noſtro admovet, & toto vertice deſcendit ad alienum genus, non reſurrecturus, niſi ſcitiſſima pedum inquietudine, & ſalutatione prodigioſa, nullo conſenſu animi peracta, *Domine*, inquit, *nihil ſupereſt fortunæ, aut ad honorem, aut ad felicitatem meam augendam, poſtquam me dignata eſt tanta benevolentia, ut hic adſpectus tuus in meum conſpectum, ego in alloquium & complexum, vel potius in poſſeſſionem tuam, ſi tanti ſum, venirem. Gratulor tibi de valetudine tua, qua mea geminatur, & preces devotiſſimas precor, ut proprium hoc tibi munus eſſe velit, qui tibi ſemel tribuit, quod ſemper mereris. Et cum juſtum ſit omnes illi ſervire, quem Deus amat, obſecro te, ne deſiderium meum flagrantiſſimum repudies, ut eſſe poſſim inter illos, qui à te mandata accipiunt. Odi enim meam libertatem, poſtquam ſcio, quam glorioſum mihi ſit futurum tibi ſervire.* Sin prohibes, & hanc mihi felicitatem imperij tui negas, juro tibi, me non ceſſaturum obſervare Occaſionis aureas illas caproneas, ut quam ſæpiſſime meis officijs me tibi fateri & facere poſſim debitorem, vel ut proprie loquar, tuum mancipium. Tum frugi iſte ſervus, iteratis obſequijs ſuis, iteratis oſculis pedum manuumque, ſumto iterum ore *Ignatij Catulliani*, blandoque riſu, corpore rurſus arcuato, flexis iterum genibus, & alternata lumborum laſcivia diſcedit; ſed ut honeſtius videatur ſe gerere, nunquam diſcedet averſus, niſi decem amplius paſſuum intervallis, ne partes illas obvertat amico, quæ commodius occultantur ſedendo.

Crederes te non ſervum, ſed patronum nactum eſſe optimum maximum, & præſidium fortunæ, cum ſi quid illum poſtea ores ijſdem precibus, ſi pari ſuperſtitione adores, nihil minus ſis reperturus, quam eum qui tibi tam bella verba fecit, aut tam belle petit. Dicet, ſibi obſtare partim ſuas neceſſitates, partim ſuas neceſſitudines; vix operam proprijs, vix illorum rebus ſufficere, quos aut natura ſibi, aut antegreſſum magnum officium fecerit proximiores, ſe tibi non poſſe vacare, cumque rationes omnes explicaverit, hactenus illas probabis, ut firmiter credere poſſis, eum non velle. O cupreſſus pulchras quidem, ſed tantum pulchras, exclamavit aliquando *Phocion* Athenis, cum audiret quendam ſplendidis promiſſis ſtimulantem cives ad bellum, ad victoriam, ad libertatem, ad decus, ad alia præmia, quæ non rarius afferuntur hoſti, quam auferuntur. Scilicet non omne magnum par habet pretium, & ut ſæpe virtuti nitor. Sæpe multa verba nulla ſunt, ſunt & peſſima ſæpe, quæ ſunt optima; ſunt arbores, quarum opes deſinunt in forma, in cortice, in folijs; ſunt *cupreſſus* denique *Phocionis* quæ nec eſui ſunt, nec magno uſui, niſi quod olim feralibus miſcebantur officijs, ut teſtes funerum eſſent, comites luctuum & ſodales lacrymarum. Nam & folia iſta verborum plerunque ſuccedunt in has vices, & ubi nimium

blandus

blandus ſermo, & blando ſermoni credula fides, ibi pœnitentia & tuarum rerum funus. Quid enim novi nunc eſt, in mimo tragœdias meditari, & per imaginem benevolentiæ non tantum vanitati ludos; ſed etiam malignitati ſævitiam dare. Injuria eſſet, ſi *Gruterum* ita laudare vellem, ut eum eximerem peſſimis, cum nec malis fuerit vicinus, & inter optimos vel propterea ſit habendus, quod bene ſemper maluerit facere, dum parum delicate loqueretur, quam delicate loqui, dum parum faceret. Brevis illi oratio tum, & ſimplex, & ſecura credenti, *Volo*, inquit, *quod vis, ſi vis, quod poſſum. Libri mihi ſunt, illis utere, ſtudia ſunt, illa conſule, amicitia eſt, illa fruere.* Hæc ſunt, quæ noſter offerebat amicis, quia talia plurimi æſtimabat, nihil libentius accepturus, ſi quid ipſi foret accipiendum, quam quod promittebat, nec daturus lentius, quam promiſſurus, quia promittebat ea, quæ dare poterat, & fruſtra ſciebat promitti, quæ vel præſtare, ſi velis, non poſſis, aut ſi poſſis, non velis, dum utrumque ſcires, cum promitteres, quaſi tantum promittendi cauſa promitteres. Hinc libri ejus nullo prope ocio fruebantur, quaſi caſtrenſi diſciplinæ aſſuefacti, ut perpetuo labore exercitati nunquam haberentur inutiles. Aut enim dominus illos terebat domi, aut aliquis occupabat foris. Et ut boni militis ſigna non ſunt, nitor in cultu, aut in vultu, ſed potius ſqualor, callus, cicatrix, & totæ frigorum æſtus, pluviarum, vigiliarum, itinerum, pugnarum, ac reliquæ patientiæ militaris Ephemerides in ore, in manibus, in veſte: Ita *Gruteri* libros magis honeſtos vidiſſes nævis & attritu, quam novitate vetuſta, aut integritate ignava, aut in gloria decore. Quia tot illis utebantur pro ſuis, quot *Gruterus* habebat pro amicis. Sæpe libros aliquis ab ipſo & veniam petiit, quot tam ſæpe peteret: libros ille dedit, veniam non dedit, quia, inquiebat, nihil peccas, dum libros petis; ſed incipis opus habere venia, dum veniam petis. Nam hoc adverſus *Gruterum* peccatum eſt, non habere *Gruteri* audaciter fiduciam. Salutantium præterea deſiderijs quam facillime occurrebat, nec majeſtatis nimius, nec familiaritatis parcus. Potuiſſes ſtatim vereri, ſtatim amare, ſtatim fidere, ſtatim audire aliquid ex antiquitate, ex bonis literis, ex hiſtoria, ex legibus. Inprimis autem hoc agebat, ut apud minorem ætatem oracula ſapientiæ miſceret, ut ſermones ſuos condiret ſalibus, & per eoſdem ſales infunderet valetudinem morum. Differebat de ratione vivendi, quid in hoc ævo optimum, quid peſſimum, quid pulchrum, quid turpe, quid ſolidum, quid vanum eſſet. Conciliabat virtuti ſtudium, vitijs odium, literis amorem. Veteres Cupidinem aliquem commenti ſunt alatum, cæcum, pharetratum, incendiarium, ſagittarium; & his inſtrumentis omnibus nihil faciebat, quam amare. Quam ego vim in *Grutero* potius fuiſſe nimis certo ſcio. Nam quod illic fictum, hic factum fuit.

Vidimus, accepit fabula priſca fidem.

Alatus erat, quia ſupra ſordes volabat humanas: alatus erat quia per liquidum aera ferebatur pennis gloriæ: alatus arat, quia celerrimo curſu totum orbem, totam antiquitatem, tota ſapientiæ latifundia peragrabat. Erat & cæcus, ſed ita, ut juſtitia pingitur, dum fortunam non ſpectabat oculis, ſed animo virtutem; cæcus iterum, quia pauperi æque amicus ac diviti, amicior ſemper illis, quorum opes eſſent in animo, ut ipſi lumen. Hoc enim eſt in cæcitate

citate eſſe perſpicacem, & in perſpicacitate eſſe cæcum, dum non tam utimur judicio oculi, quam oculo judicij. Erat & pharetratus, ſed illa pharetra, unde ſapientes, non ut ille apud Diogenem puer, ex vagina eburnea gladium plumbeum, ſed ſententiarum ſpicula aurea depromunt. Erat ſagittarius, ſed longe melior & juſtior, quam Cambyſes, qui patre ſpectante filij pectus, trajecit: noſter figebat, cum non læderet, ſanabat cum ſauciaret, vulnus faciebat, ſed qua ſolus intraret. Incendiarius denique, ſed ad honeſtatem, ad gloriam, ad laudem. Huc ille fomites, huc malleolos, huc ſtupam, huc picem adferebat, vel ut brevius dicam, quicquid dictum eſt, ſolertiſſime ubique inflammabat amorem, ſed virtutis, ſed bonæ mentis, ſed literarum. Ne miremini, quod partem hanc ambitioſius exequor. Nolite putare nos in comparatione fabulari, fabulas loqui, aut in oratione agere Poetam, ut res per ſe tenuis creſcat auxilio verborum. Revera enim tantum pollebat eximius vir, ſtimulis ſuis, inter quos maximus fuit ejus exemplum, ut qui diſcedebant ab ipſo, ſemper auferrent in animo quendam incredibilem diſcendi ardorem, domumque reverſi, non jam libros amarent; ſed deperirent. Et quia tales ignes per diuturnitatem interdum ſolent languere (nam ne Veſtalis quidem focus olim vivebat ſine cuſtode) ſelectiora illa ingenia, quæ *Gruteri* amicitia ſemel incaluerant, ſubinde revertebantur, vivacius arſuri poſt auditum *Gruterum*.

Lenonem generis humani *Socrates* Socratem appellavit, quod artificio quodam peculiari homines induceret in contubernium virtutis. Ut Socrates igitur imitatus eſt Lenonem; ita *Gruterus* imitatus eſt Socratem, vel potius eundem naturæ quodam arbitrio expreſſit, & cum amorem ſuſcitaret ſingulis, omnes rivales fecit virtutis, hanc tamen facile, inquiebat, dari poſſe cunctis, ſi unusquiſque illorum prius captaret ancillas, & per illarum pectus quaſi per veſtibulum intraret in pectus Dominæ. Ancillas autem iſtas cognominavit Artes, cognominavit Scientias, Diſciplinas, Humanitates, Hiſtorias, Leges, Antiquitates; quæ ſingulæ dum ſciunt quid faciendum ſit, ancillæ ſunt; dum faciunt quod ſciunt, dominæ ſunt, & ipſæ per ſe Virtutes. Alioquin enim ſæpe etiam is, qui ſapientiæ operam dat, obſequium non dat; qui juri ſtudet, juſtitiæ non ſtudet, qui valetudines curat, valetudines non ſpectat, qui Rempublicam gerit, ſuam magis gerit, qui ſacris conſecratur, ſacra deſecrat, qui ſe pietati tradit, ſibi pietatem non tradit. Illud autem tunc maxime fieri differebat *Gruterus*, quando ad ſumma ſtudiorum nimia ſit properatio, quando ſpinoſæ definitiones virtutum pro virtutibus diſcantur, quando prudentes ſimus, antequam ſapientes, quando lucrum prius ametur, quam honeſtas, quando interrogati cur ſacra, cur humana diſcamus, reſpondeamus: peni, nummi, noſtra cauſa. Hinc reperiri tot ſemiliteratos, tot indocte doctos, tot barbare diſertos; quia tales dum ad ſummas diſciplinas tanquam ad prædam feſtinant, cæteras tanquam avaritiæ parum opportunas relinquunt. Hæc & id genus alia *Gruterus* apud aures juventutis perpetuo ſerebat, diligenter cavens, ne periret adoleſcentibus etiam illud tempus, quod ipſi quoque periturum erat, niſi dixiſſet aliquid quod alteri prodeſſet. Non tamen inter iſta verba cenſoriam ſeveritatem ſuſpendebat in fronte, nec conſilium confundebat cum imperio. Amœnus illi vultus veluti inter ludos, ſermo illi jucundus velut inter pares, mos illi ſuadendi, non præcipiendi velut inter liberos; utque omnem triſtitiæ opi-

nionem

nionem removeret, nonnunquam cyathis etiam adventores ſuos aſpergebat, ſi tamen bona illorum venia dicere licet, qui lætitiam quaſi ſcelus fugiunt, & in alijs notant ut impietatem, quibus omnis

Riſus abeſt, viſi niſi quem fecere dolores.

Qui caliginem ſupercilij ſanctitatem vocant, & quia ebrietas merito ſuo male audit, vinum quoque reum faciunt, ſuperſtitione Thracum imbuti, qui olim nimium fas habebant vino abuti, nunc eodem uti fas hodie non habent, tanquam nihil medij ſit inter bibentem, & inter nimium bibentem; tanquam vinum nullum ſit guſtandum, niſi quoties

Caret os humore loquentis
Et fauces arent, vixque eſt via vocis in illis.

Atqui enim vinum ebrietatem gignit: ſcilicet immodicum. Atqui vinum valetudini obeſt; ſcilicet nimium, atqui vinum flagitia patrat, ſcilicet ſumtum intemperanter. Nam & aquam hac ratione proſcribendam dicet, quia multi perierunt in aqua, multi per aquam; neque quiſquam potu hoc ranarum extinctus eſt, niſi qui nimium bibit; & alioquin Leandrum illum, cum ad amicam nataret, nulla alia cauſa putant mortuum eſſe, quam quod in aquis non ſervavit modum bibendi. Verum hoc ſine joco dicam; intereſt aliquid inter Virtutem, & virtutis ſimiam Affectationem. Virtus ſimplex eſt, affectatio cum fuco, virtus propter ſeipſam honeſta eſt, affectatio oſtentui, virtus vult eſſe, affectatio videri. Cum vitatur potatio, ſobrietas eſt, cum potus, ſiccitas, cum lepor, ruſticitas; cum vero, quod malo exemplo non fit, reprehenditur, morositas eſt, livor eſt, vanitas eſt, arrogantia eſt. Errare enim mihi longe videntur, qui nos in hac vita collocatos putant velut in domo lugubri, aut antro Trophonij, ubi nunquam liceat explicare frontem, nec diluere quandoque diem aliqua hora dulci. Dignus omnium riſu cenſeri poteſt Democritus, dum ſemper ridet: at Hercules toto Democrito dignus is, qui ſemper flevit. Nulli affectui ſoli ſervire oportet, quia dum ſervitur uni, ſervitur toti, omnis autem affectus cum totus eſt, malus eſt, nunquam integrior quam cum integer non eſt, præſertim ille, qui ſolitudine gaudet & ſuſpirijs, qui lacrymas ſuas libenter bibit, & mœrorem libentius, quam merum, qui ſua triſtitia lætatur, & aliorum lætitia fit triſtis, qui ſuum morem tantum probat, & omnes illos improbat, qui non ſequuntur ſuum: maxime tamen ille nullius rei eſt, qui gravem auſteritatem fingit, & ſub perſona mentitur faciem virtutis. Non enim conſcientia fronte merenda eſt, nec cujuſquam fama luere debet innocentem hilaritatem, non illam certe, quam in *Grutero* laudamus, doctam, tempeſtivam, moderatam, & quamvis interdum cum rore vini, non tamen cum luxuria. Serenabat ille animum, ſed aliquando, & inſtar ſolis matutini, qui frigidum diluculum clementer ſtringit,

Dum nitido patefecit ab ortu
Purpureas aurora fores, & plena roſarum
Atria.

Irrigabat animum & amicos, ſed magis hos, & utroſque tamen verecunde, tantum illud genus propinationis expertus,

Gleba quod, æſtivo leviter cum ſpargitur imbre.

Alias enim nec è convivijs, in quibus interdum plurimum eſt licentiæ, referebat in certiorem pedem, aut marcidum intemperantia caput, nec quiſquam eum coegiſſet, ut excederet craterem ſobrietatis, aut tertium illum Anacharſidis attingeret, biberet tamen donec animus floreret, & in vultum aliquam emitteret labentiam genialem, non inimicus etiam conſuetudini, cum per convivarum ſeriem ſolet exaudiri, *Bene Principem, bene amicos, bene hunc, bene illum!* Sed hilaritatis ita ſervabat perpetuo modum, quemadmodum illius rei, per quam hilaritas excitatur, vultu prope ſemper eodem, & quia quotidiana frons illi nunquam erat contracta, ſed ſummæ tranquillitatis plena, non nimis evidens illius eſſe poterat mutatio, quando extraordinarie vigebat. Utrumque affectum mire temperabat, ut nec in lætitia lætiſſimus eſſet, nec in triſtitia triſtiſſimus. Nam juveniliter exultantem nemo vidit, nemo muliebriter flentem. Unde quædam ex noſtris Matronis cum illam conſtantiam oris aliquando notaſſet, maritum ſuum rogavit, nunquid ipſi quoque *Gruterus* viſus eſſet in funere uxoris vultum illum habuiſſe, quem habuerit antea in nuptijs. Humanitatem igitur *Gruteras* ac Venuſtatem cunctis approbavit, quorum fortuna non deſiderabat Benignitatem, hanc vero pro copijs ſuis haud etiam omiſit adverſus illos, quibus ingenium erat patrimonium, & nullum vitæ auxilium, niſi alienum, quique plus animi, quam viatici habebant ad virtutem, aut patria patrijſque bonis per odium Religionis expulſi, miſericordiam ſui circumferebant inviti. Liberalis erat inprimis erga Doctores Eccleſiæ & Scholarum, quotiès illos bona cauſa malæ potentiæ inviſos, & ipſo munere vivendi fecerat miſeros, dum foras excluſi publicæ humanitatis fiebant alumni, & ſui ſupplicij educatores. Minimum erat beneficiorum ſtipes, quamvis creberrima Nam hæc, ut fruendi cauſa petitur, ita fruendo tandem perit: maximum illud, quod commendationibus ſuis plurimorum exilia mutavit in certam ſedem, & ſtipes in ſtipendia. Quia enim *Grutero* ſumma ubique erat amicitia, precibus & clientibus ſuis facile impetrabat locum. Argumento ſunt centum amplius epiſtolæ, quarum authores ſalutem & dignitatem ſuam confitebantur opus eſſe *Gruteri*. Ita nimirum comparatum eſt in vita humana, ut calamitoſis nemo facilius ſuccurrat, quam ille, qui vel adverſa ſua reminiſcitur, vel aliena mala ſic intuetur, ut eadem credat fieri poſſe aliquando ſua. Contra nihil durius eſt homine, qui ſecundis rebus ſemper uſus fortunam ſibi mancipio datam putat, nec genituram ſuam aliter voluiſſe, quam ut ab infelicibus ſemper longiſſime differret. Exules igitur cum videt, errones & profugos vocat, egenos mendicabula, calamitoſos mala omina, oppreſſos orbis piacula, cunctos vero infe-

infelices naturæ purgamenta, omnium denique talium adſpectus, ſua ſolatia, quod dignus fuerit viſus, qui nihil pateretur ſimile, opem autem ferre alteri tam timet, quam alteram ferre ſortem.

Atqui neſcit hoc genus, quam omnis felicitas ſit lubrica, quam ſæpe domos & dominos mutet infidiſſima hæc poſſeſſio, dum ad hæredes tranſit nec genitos, nec ſcriptos, & quod graviſſimum eſt, tranſit ante mortem, aut quod graviſſimo illo adhuc gravius eſt, adverſariam ſuam relinquit, ut non tantum amiſſione boni, ſed etiam acceſſione mali reddat miſeriorem, quem reddidit alium. Pacem domi jactas; at illam tam diu habebis, donec vicinus aliquis volet, qui poteſt aliquando non velle. In patria es: at illi nondum omnes mortui ſunt, qui multis patriam eripiunt, ut ſibi faciant patriam ex pluribus unam. Divitijs abundas? cave, ne aliquando dicas, te abundaſſe. Bella, exilia, paupertas tam tibi communia ſunt, quam alijs tecum communia fuerunt gaudia pacis, patriæ, opum; quos tu nunc contemnis velut exutos, quaſi nunquam exuendus. *Gruterus* afflictis ſuccurrit, quia vices noverat rerum & primum ſe ſibi ſuggerebat, utpote cui ultima ætatis memoria erat Proſcriptio parentum, & ſuum exilium: ſuggerebat deinde alios, quorum felicitas retro lapſa tam non invenit quo amplius caderet, quam antea non invenit quo amplius aſſurgeret: ſuggerebat poſt alios ſeſe iterum ſibi, utpote cujus forſitan ſeræ ætati poſſet contingere, quod contigiſſet primæ. In his autem potiſſimum obtemperavit ſuæ naturæ, quæ non ſola rerum movebatur inconſtantia, ſed ipſa ſponte congruebat officijs, & miſerationi. Id ſi non inhæret mortalium animis, haud quiſquam facile præceptis paret, aut terretur exemplis, ut amet aut juvet ſui ſimiles in diſſimili fortuna. Nam & inhumanus, & avarus, & ſuperbus ſenſibus præditi ſunt illis, in quos hæ viciſſitudines humanæ incurrunt: manent tamen inhumani, & avari, & ſuperbi, quam diu illis ſupereſt morbi ſui argumentum, Incolumitas. Syncerior enim bonitas eſt, quæ ducem animum ſequitur, quam quæ lictorem metum, illam agnoſcimus in *Grutero*, qui & egenis benigne dedit & indigis promte credidit; utrumque virtute indolis, cum tam crudele putaret, non dare eſurienti, quam inhumanum negare mutuanti. Et quanquam ipſius argumentum non ſemel in mala nomina inciderat, & obliviſcam fidem, facientibus ex commodato donum, quibus dignum erat ultra ſortem etiam uſuræ loco reddere gratias. Non tamen deſiſtebat ille, quoties rogaretur, pecunias promere auxiliares, cum interim ſubinde confiteretur damnoſam felicitatem ſuam, dicere per jocum ſolitus; *Bene ſecum actum, quod puella non eſſet natus, haud dubie enim nemini ſe fuiſſe negaturum.* In ſe itaque potius facete luſit, quam ingratos aſpere perſtrinxit, aut propter hos inhumaniter alios rejecit, aut eoſdem ſponſoribus, teſtibus, aut ſcriptis publicis ſtipavit, ut & ipſi in ære eſſent, & fides in cuſtodia. Quem morem vulgo receptum noſſet ne tunc quidem adhibuit, cum majoris etiam momenti pacta forent condenda, cum filiabus generos daret & dotem, nulla teſtium conſcientia, nulla Formulariorum curioſitate, nulla cera, quam ſoceri generique opus eſſe cenſebat. Viros, inquiebat, filiabus non do, niſi quos certo mihi perſuadeam eſſe viros bonos: quos ſi vere nactus ſum tales, fruſtra cumque injuria illorum, caveo injuriam. Nemo enim fraudem facit, niſi malus, ſocerum vero nemo fallit, niſi peſſimus, & ne patri quidem parſurus: ſin improbos, iniquos & perfidos, quid firmum

quid cuſtoditum, quid ſanctum ſatis erit, quod non hi tales perrumpant, violent, invadant? Quæ dos erit ſatis clauſa, quam non tales aut attrahunt in ſuam rapinam, aut conſumant in ſuam gulam? Nam nec avarus quid juſtum ſit cogitat, nec luxurioſus quid ſuum: ille habere vult, quod habeat, hic quod non habeat, uterque utcunque habeat. Nihil obſtabit utrique Charybdi. Si quid deinde ſecus accidiſſet, & minus ex voto tam in ijs, quæ modo dicta ſunt, quam in alijs vitæ negotijs, illud omne tali excipiebat animo, quali ſuſceperat, aut ordinaverat; ſuſceperat autem ſic, ut exiſtimaret aliter evenire poſſe, quam vellet. Eventus enim omnes expectare, hominis eſt, finiſtros tolerare, viri. Ea fortitudo in *Grutero* plane fuit ſingularis. Damna, morbos, exilia, calamitates expertus eſt, quantum quiſquam; toleravit, ut pauci. Certe credidiſſes cum non admodum ſentire quoſcunque caſus, quia dum ſentiebat, abſtinuit à querelis. Ubicunque eſſet, in quibuſcunque malis verſaretur, omiſit ille literas ſuas, non fortia verba, non urbanitates, non jocos, non animum ſubnixum, non libertatem, non denique *Gruterum*. Nullus affectus tenerior eſt, quam ille, qui inter conjuges coaleſcit, qui duas animas jungit, & junctas habet pro una. Hæ cum poſt duæ fiunt iterum, & dies ille fatalis toto cœli ac terræ medio molitur divortium, magnitudini flagrantiſſimi affectus. Lacerat enim vehementer animum, quicquid in illum deſcendit chari, cum illud ipſum, poſt actas penitiſſime radices, editoſque dulciſſimos fructus, qui ſunt amoris ſtabilimenta, non eximitur, ſed evellitur. Hoc opinor intelligi voluerunt Poetæ, qui famoſum illum Thraciæ Lyricinem vivum adiiſſe mortuos confinxerunt, ut poſthumus fieret procus uxoris ſuæ, eamque vel aſſereret vitæ ſecundæ, vel ſi conjux reddi ſibi non poſſet vivendo, ipſe ſe redderet conjugi commoriendo. Si cauſam adſpicimus luctus, *Gruterus* habuit eandem cum maritis afflictiſſimis, ſed quater eandem, & bis altero tanto graviorem. Toties enim citata mortalitas illi conjugium rupit, toties uxores extulit, toties viduum egit, & ut ſemper alioquin fortis, ita nunc fuit quater fortiſſimus, cum illi multiplex & potens hæc calamitas injiceret manus, totoque impetu graſſaretur ad triumphum. Nec tamen ita contra mala ſua ſtetit, ut ſtatua, nec illi pectus ex ferro, ſed ferrum fuit circa pectus; non ſine dolore animus, ſed nec ſine animo dolor; meminerat ſe maritum eſſe, ſed non obliviſcebatur ſe eſſe virum. Lugebat uxores, ſed in earum luctu non tranſibat in earum ſexum. Cum etiam ex illis una, dum neſcio quid linteorum, ſiccandi cauſa, in pertica tranſverſa, pedeſque in extremos digitos, & totum corpus ſine libramento pronum ſuſpendit in fenestra, præceps è ſuperiore parte domus delapſa animum exhalaſſet: doluit ille quidem magnopere morte uxoris, doluit ipſa ſpecie mortis, doluit inopina viduitate, ſed poſt amiſſionem tamen uxoris multum abfuit ab amiſſione ſui, multum ab impatientia vulgari, quæ plerunque cum corrigere non poſſit mala ſua, corrigere vult Deum. Noſter calamitates ſuas nunquam magis comparavit cum ſuis votis, quam cum beneficijs divinis. ſemper gratus ob præterita bona, gratus etiam ob præſentia mala, quoniam illa fuerint tanta, quanta ipſe nunquam meruiſſet, hæc autem ne tanta quidem, quanta meruiſſet. Nullam igitur ſibi relictam dicebat cauſam querendi, dum ſemper major ſupereſſet cauſa gratulandi: ſi quidem benignitate cœleſtii cum bis ſuis, cui illa faverit indigno, nec deficit favere, cum cœpiſſet iraſci,

Nu

Nullum enim tantum malum ſibi obveniſſe, in quo non inſuerit tantantundem boni, ipſamque magnitudinem gratiæ divinæ, ſive qua ſuum opus totum egit, ſive qua pœnæ opus temperavit, malis prope deleviſſe ſuum nomen. multum denique reſtare, ut Deus clementiæ & juſtitiæ rationes faciat æquales. Summi ſolatij loco apud ſe ſtare illud, quod noverit manum percutientis, quod ſciat ſe vapulare à Deo. Nam & probos liberos humaniter ferre, ſi cædantur à parentibus; ſemper minorem videri dolorem, quem faciat bonus & nobis profuturus animus. Mortem ipſam non formidabat ignaviter, nec trepide circumſpiciebat, qua venire poſſet illud, quod omnibus venit, & per omnia venit itinera. Quicquid enim adſpicimus ſupra, infra, circa nos, aut mortale eſt, aut mortiferum, neque mors tela ſua anxie diſponit, ſed ubique invenit. Extra mundum nempe fugiendum eſt, ſi velis hanc effugere, & tamen extra mundum non itur, niſi per hanc portam. Pertinet huc illa *Gruteri* reſponſio, quam ſuper habitatione ſua percontatori cuidam dederat Heidelbergæ. Cum enim principio, nondum proprium larem nactus, domum incoleret annoſam, multa carie ac ſpecie nutantis, vitioſiora quidem noſter correxit, immiſſis novis tignis, ſed nondum deſierant cum interrogare quidam curioſi, ecquid tam putridis ædibus vitam crederet, nec timeret ruinam ab illa trabium ſenecta? Quibus ille tandem reſpondit, *Nullam videri mortem magis extra ſenſum doloris, quam illam, quæ contingeret ædificij illapſu.* Atque hoc eſt illud dictum quod nonnullorum ſermonibus in Aulam, & ad aures Principis relatum, cum riſu exceptum eſt, quia faceti illi rem ita narraverant, quaſi *Gruterus* dixiſſet, *ideo ſe delegiſſe domum hanc male affectam, ut eſſet, ubi commodius moreretur.* Sed bene *Grutero* vertit, quod optimus Princeps noluit huic fabulæ prius fidem adhibere, quam *Gruterus* epulis. Ad quas cum vocatu Principis acceſſiſſet, juſſus eſt præcipuus ex Aulæ Præfectis elicere ex *Grutero*, an illud de domo ſua mirum dictum agnoſceret, negavit *Gruterus* ſuum eſſe illo intellectu ridiculo, quo Principi fuerit recitatum, negavit tamen ita, ut ſimul alios abſolveret mendacio, ſimul genuinum dictum ſuum vindicaret à falſa interpretatione. Nam reſponſi ipſius, inquiebat, ſe non fugere authoritatem, ſed illos fugere rationem, qui de verbis ſanis excuderint haud ſanum ſenſum. Id quod in aulis fieri ſolere nimis frequenter, & more pernicioſo, dum illi, qui circa Principes ſunt abſentium verba & facta corrumpant in occaſionem joci, & ut domino delicias faciant, alios faciant Cercopithecos. Experiuntur autem hanc injuriam multo maximam partem viri docti, quos imperiti Marſyæ, & apud Potentes gratioſi indignis adeo modis deformant, ut & literati & literæ, ſapientes & ſapientia, honeſti & honeſtas nullo fere loco habeantur, niſi ludibrio, jurante calumnia, neminem quicquam ſapere, niſi qui doctrinam nunquam attigerint. Hinc non ſolum totum eruditionis nomen inter illos ſordet, ſed & convicium eſt inhumaniſſimum, appellari doctum. Unde ſtatim ab infantia, quiſquis imagines aliquas habet majorum, liberos ſuos diligenter ab iſto vocabulo removet, neque vult, ut ſui quicquam proficiant ultra illum modum, ubi virtus incipit. Pingere litteram ſatis eſt, ſalutationem figurare loquentia, & geſtu neceſſarium. pilam vero, tripudia, gladium, nummum diſcere, dignitſimum illorum ſtudijs habetur qui ſe metiuntur natalibus. Itaque coram his, ubi aliquid inſigniter, ſapienter, graviterque reſpondetur, nihil eorum capiunt miſeri

miſeri illi mortales, & ob hanc ipſam cauſam ſana loquentes adſcribunt delirantibus. Propterea tam pauci ſunt, qui vitam, Rempublicam & in cæteris rectam rationem intelligant. Nec mirum eſt, quod nos inciderimus in tam ſiniſtros homines. *Gruterus* hoc dicere voluit, nimiam eſſe ſolicitudinem illorum, qui ſub omni tecto vetuſto ſuſpectant mortem, cum & domus novæ & firmiſſimæ Regum turres ſua efferant & ipſæ funera; cum tam metuendum habeas, ne periculoſe cadas in aliquo angulo domus ſecuræ, quam ne tota ſupra te incumbat domus eſſoeta: cum hoc ipſum habitaculum, quo nos Natura incluſit, ſit omnibus malis ædibus corruptius, neque quicquam nos ſæpius elidat, quam hoc quod metuimus, ne elidatur; cum miſeri formidemus magnas moles, & tamen ſæpius nos opprimat, quod negligitur, ut innoxium, quam quod cavetur, ut infeſtum. Nemo autem tranquillior poteſt eſſe in tot caſuum varietate, quam is, qui vitam hanc ita poſſidet, ut rem arbitrij alieni, & deſituram in principium vitæ melioris, ubi beatitas omnem ſenſum mali excludit, & omnem metum excludit boni. Eo noſter adſpirabat. Si tamen & vitam hanc in terris tanti putamus, eam quoque *Gruterus* ſibi reſtare defuncto certo præſciebat, auſurus ſine mendacio dicere

Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit Libitinam.

Nam gloriam ingenij felicitate partam tam nemo illi detractum ibit, quam ei qui hoc vaticinium ſibi dixit prior.

Extant monumenta plurima, quæ pro nobis loquuntur, & mortalitatem defendunt *Grutero*. Leguntur illius carmina variæ ætatis, varij generis, ſed quæ venuſtate quadam peculiari ac propria ſemper uni reſpondent authori. Ubique enim elegantiarum & ſapientiæ tantum miſcuit, quantum Poetæ antiquo & Romano eſſet ſatis, & cuivis Philoſophorum non parum. Et hæc tamen pleraque per ludi mi tantum in jocum codicillis inferebat. Ut cætera quibus amicis gratulatus eſt, non attingam, ſola *Bibliotheca exulum*, non multo prius luci data, quam luci author creptus, plane talis eſt, ut non hominis, ſed ipſius Virtutis manibus videatur perſcripta. Singuli verſus, ſingula ſunt oracula. Quod ſi ſecundum *Neoptolemum Nexianum*, *paucis eſt philoſophandum*, ex hoc libro eſt philoſophandum, quippe molis tam exiguæ, ut vix manum, ſapientiæ vero tantæ, ut titulum ſuum non impleat modo, ſed etiam ſuperet. Jam *Inſcriptiones veteres*, cum etiam in ſaxis & marmoribus conſeneſcerent, nec in illa duriſſima materia durabiles eſſent, æternitatem, ſi qua poteſt eſſe in rebus humanis, à *Grutero* acceperunt. Non illum ſumtus, non labor abterruit aut fatigavit, quin omnes monumentorum talium reliquias conquireret, ad quas cognoſcendas non opus eſt tam vago per Europam diſcurſu, non difficultate itinerum, non viatico. Unus Liber Romanus orbis eſt. Sublata ſunt intervalla, ſublata tot menſium & annorum milliaria: lapis lapidem contingit, & ex eorum tam longe diſſitis quadris perpetuus veluti paries factus totum illud ſimul exhibet legendum quod omnis peregrinatio quamvis & diligens, & diuturna & non vita brevior potuiſſet deſperare. Nihil deinceps peribit, quod ſupereſt. Antea ſemper aliqua injuria potentior erat ſaxis & ære: ſemper

per

per aliqua pars interibat, erat ſtrages literarum multa: nunc omnibus ſaxis, omni ære firmius eſt, quod omnibus lateculis eſt infirmius: nunc lapidea fides reperitur in papyro, cum papyracea fides ante fuerit in lapidibus. Ipſe vero totus *Inſcriptionum* Liber una quædam magna eſt *Inſcriptio Gruteri*, quæ memoriam ipſius cum Conſulum, cum Imperatorum memoria indelebilem præſtat. Nec jam reſpondeo illis, qui laborem hunc tantummodo laborem vocant, unaque fructum deſiderant, & voluptatem. Magnorum enim virorum judicijs hæc judicia refutare facile eſſet, ſi tam eſſet neceſſarium. Manifeſta certe res eſt, alterius faſtidio non fieri deterius, quod per ſe bonum eſt. Nec vinum ſine honore erit, quamvis aliqui ſint, quorum natura cum vino inimicitiam gerit, neque *Zoroaſter* fatuus fuit, qui viginti annis caſeo victitavit, etiamſi multi plus abhorrent ab hoc obſonio, quam *Pythagoras* à faba. Sic Inſcriptionibus etiam iſtis conſtabit ſua laus, & utilitas, & delectamentum, etiamſi quidam non attingant, quidam tantum attingant, ſed nec animo, nec ſcientia fruendi. Utilitatem ſi ſpectamus & intelligamus illam, quam Inſitores aut Proceres avaricia definiunt, fatendum eſt, nullum hic latere cadaver procjuſmodi Vulturibus. Sin illam quæ judicatur ab Eruditis, & temporum, ſive rerum antiquitus geſtarum curioſis, emolumenta maxima ſentiant hinc tibi naſci, qui talium ſunt ſtudiorum. Jucunditatem vero ſatis etiam intelligimus illo argumento, quod qui lapides hujuſmodi nonnunquam effodiunt, pauciſſimis licet literis Romanis inſignes, publicis muris eos includendos tradunt, partim ne rurſus aliquando pereant, partim ut ornamento ſint, & negandæ imperitiæ. Quid multis? maximo præjudicio debet eſſe, quod opus hoc *Inſcriptionum*, ut ſupra diximus, *Cæſar* approbavit. Jam Medicinam librorum quanta felicitate noſter tractavit, quanta ſolertia? Cum enim & libri morbos ſuos habeant, Medicos habere nihil abſurdi eſt. Morbos autem appellamus omnis generis injurias, quibus valetudo literaria atteritur. Videtis me non libenter artem ſuo nominare vocabulo, quia ſimul *Criticam* dixero paratos mihi video vel imperitos quoſdam adoleſcentes, vel imperioſos nonnullos ſenes, qui faſtuoſe fueclament, *Cui bono?* Nam utilium illi ſive diſcipuli, ſive doctores fere opinionem hanc imbiberunt, *Criticam* nihil aliud eſſe, quam libidinem ponendi, aut tollendi in bonis ſcriptoribus, quicquid aut libro veteri placuit, aut noſtro arbitratui. Nec intelligunt, eos qui laborem hunc tractant, legitime, in omni genere literarum oportere eſſe verſatos. Nihil in divinis & humanis extare debet, quod non illi legerint. Ex iſta deinde varietate doctrinæ naſcitur illa vis de ſcriptis antiquis recte judicandi, aut divinandi, quæ paucis ideo contingit, quia paucis contingit quod hanc efficit. Sed tamen quæritur, *Cui bono?* Ut barbaries, & inſulſitas & falſitas, & caligo, & aliæ mille peſtes jubeantur è libris faceſſere, & locum cedere puris, ſinceris, proprijs, apertis, & ſanis. *Cui bono?* ut bona quæ ſunt, poſſint legi, quæ recondita, penetrari, quæ ſubtilia, capi. A *Critico* enim (ſic appellamus ſane hominem omnis eruditionis ſecundum) niſi didiceris, quicquid uſpiam reperitur difficile aut obſcurum, ab alio fruſtra expectes. Sed tamen *Cui bono hoc?* ut legas quod legis. Nam hoc non eſt legere, milleſimam partem eorum quæ legeris, non intelligere? Sumamus in manum *Senecam*: quoties in luto, quoties in tenebris, in erroribus hærebimus, niſi viam quandam Appiam ſternat, lumen commodet, verum promat. quis? *Gruterus* aliquis na-

tura acutus, usu exercitatus, veteri doctrina inexhaustus. Esi enim infinitum quod ipsi debet hic author, sicut infinitum fuit, quod ipsi nocuit Librariorum ruditas & stupor.

Confitentur id viri in hoc studio Principes, quorum testimonia cum sine invidia perhibeantur, sine invidia vix leguntur. Fuit tamen ipsi conflictus quidam cum eximio Juris Antistite, dum uterque *Senecæ* ægrotanti manum commodans sui meriti gloriam præferebat. Quod certamen inter ipsos certatum vix possis nolle, quin velis, vix velle, quin nolis. Adeo multum excidebat inter disceptandum humanioris doctrinæ adeo multum rursus inhumanioris censuræ. *Gruterus* ipse calorem illum juventutis sæpe postea detestatus est. Cum enim optimus & doctissimus Ille, quem *Gruterus* paulo vehementius antea tetigerat, Heidelbergam ipse quoque docendi causa veniisset, reconciliatio primum inter ipsos facta est, deinde secuta propior notitia, & tandem apud *Gruterum* pœnitentia scriptionis, ut ita loquar, piperatæ. Nam si mihi constitisset, inquiebat noster, *Dionysum* virum esse tam bonum, nunquam quicquam mihi tanti fuisset, ut contra illum manum tam serio misissem. Audivimus hæc ex ipso non semel, & ideo non omittendum duximus, ut quos prius offendit impetus, nunc delectet judicium. Quid enim glorioſius est, quam quem in literis censorem habueris, eundem habere approbatorem in vita? Quid etiam magis ingenuum, quam à quo dissideas propter diversas opiniones, eundem amare propter virtutem? Contumaces sunt & superbi, quos nullius facti pœnitet, aut quos cum pœnitet fateri pudet. Nam illud nonnulli constantiam vocant, nunquam sententiam mutare, & in inimicitijs præsertim, semper ultimum consentire in pacem ac charitatem. Justus & candidus interdum à suis factis dissentit, quoties rectius geri potuisse agnoscit. Morbus humanus est, nunquam cedere, nec interdum sibi dicere, *Hoc non debebas, hoc non ita debebas, illud potius debebas.* Et tamen quidam hactenus morbum vincunt, ut sibi quidem dicant, ut alijs etiam confiteantur, id haud facile impetrant. *Gruterus* apertissime negavit sibi placere, quicquid placuisset aliquando cum alterius dolore, quasi diceret, etsi inter dissentientes duos, tantum unus sit, qui recte sentiat, utrumque tamen posse & debere in hoc consentire, ut sine odio, sine ira, sine injuria causam suam tueantur, & utrumque bonam faciant, humaniter agendo. Hæc mens, hic animus *Gruteri* fuit: testis illius animi vox ipsius propria; testis ejus vocis *Ego*, qui præsens audivi, notavi, & tibi, quisquis aliquando læsus es, hic publicavi. Illud plane certum est, nihil verius dici posse, quam illud, quod in ore doctorum est, & in tabernis Librariorum passim legitur, *Seneca Gruteri, Livius Gruteri, Cicero Gruteri, Plautus Gruteri, Salustius, Florus, Paterculus, Martialis, Panegyrici, Historia Augusta* omnes omnes *Gruteri.* Vere, quia *Gruterus* illos suos fecit demerendo: nisi forte adhuc rectius *Senecæ Senecæ, Livius Livij, Ciceronis Cicero*, & ita de reliquis dicendum putamus, sed addito semper altero titulo, *Vindicis Gruteri.* Multi enim bonos authores ita producunt in lucem, ut illorum esse incipiant, qui male produxerunt, non qui bene genuerunt. *Gruterus* ita produxit, ut singuli extarent in singulis, & quicquid corruperat, mutaverat, expulerat, ætas, librarius, falsarius, restitueretur in integrum, in pristinum, in verum locum. Nempe sicut *Lucius* ille *Madaurensis* nunquam potuisset pecudem in Thessalia indutam

(nomen

(nomen boni ominis cauſa ſileo) rurſus deponere, niſi guſtatis ſalutiferis Roſis: ita plurimi ſcriptores, poſtquam priſtinam formam mentemque amiſerunt malis artibus, non poterant ad ſeſe reverti, niſi *Gruterus* illis opem tuliſſet. Ideo *Lipſius* noſtrum *Perfecte in hoc genere verſatum*, *Scaliger quidvis potuiſſe*, *Heinſius Rei literariæ columnam*, *Rutgerſius*, *virum de omni literarum genere ſupra captum ſæculi virtutibus infeſti*, *meritum eſſe* ſcripſerunt. Quales laudes ſi quis ex cæteris aut ex his ipſis excerpere omnes vellet, injuſtam Panegyrici menſuram exereſceret collecta moles. Nondum dixi de *Suſpicionum libris*, in quibus, quod alibi vitium habetur; virtus eſt. Suſpicatur enim, ſed non ita, ut temere conceptis opinionibus de quoquam male ſentiat, quæ ſuſpicionis natura eſt: (pinguibus hæc interfamur.) Suſpicatur, ſed ut ſapientes ſolent de rebus obſcuris, dum mentis quadam ſagacitate non communi latentia ſcrutantur, & in ipſis velut cubilibus deprehendunt. Alius artem vocaret divinandi, quippe quod non eſt & fuit, quid fuerit exſculpere & ut iterum ſit efficere ad divinatorem pertinet, aut alioquin hominem cæteris diviniorem. Atqui hoc illud eſt, quod *Gruterus* ſuſpiciatur. In titulo igitur modeſtia, in libro interiore perſpicaciſſimi ingenij pariter, & judicij perpetuum exemplar. Omnes capit, quibus aliquis captus eſt, omnibus probat, quod dicit, quibus modo candor eſt, ut probent. Varius, elegans, diſertus, argutus, doctus, facetus, ſerius. Nullius equidem *Antiquas*, aut *Electa*, *Conjectanea*, *Præcidanea*, aut quicquid callidarum inſcriptionum eſt, contemſerim: abſit flagitium! Sed bona cujuſque venia dixerim, *Gruterum* in ſuis *Suſpicionibus* non inferiorem gloriam cæteris eſſe conſecutum. Eam vero partem gloriæ, quis dubitat, quin multo ſibi auctiorem feciſſet, ſi nobis reliquos *libros triginta* qui præparati magis, quam parati erant obitum foras dediſſet. At illi quibus nunc in latebris latent? quo pulvere pulverant? quo in ſitu ſita ſunt? Illic ſcilicet, ubi *Aranea* (ſcriptum eſt *Gruteri* civile nondum editum) araneis prætexta ſordeſcit; ubi *Commentarius in* P. *Syrum* damnatas agit noctes; ubi *nova Inſcriptionum Veterum Collectanea* jacent in deſerto oblivionis; ubi cæteri libri qui publico deſtinati erant, privatis anguſtiis ſtrangulantur: ubi tot Hiſtorici, tot Poetæ, per margines, per vacua linearum intervalla doctiſſimis Annotationibus, Obſervationibus, Locis Communibus oppleti, quaſi maculati ſpernuntur: ubi tot *Adverſaria*, tot alia ſcripta ſeria aut ludicra carent uſu & honore.

Multa enim talia vir ſtudioſiſſimus concinnaverat in ocio Palatino, quæ deinde perfici non poterant, poſtquam exitioſiſſimum Germaniæ bellum illas quoque terras, in quibus *Gruterus* aliquammultos annos conſederat, apprehendit: terras, ubi ſimpliciſſima Pietas, ubi optima ſtudia, ubi Juſtitia ſanctiſſima devotione colebantur: terras, ubi Exules propter Religionem ex avitis ſedibus fugati, & Patriam, & Religionem ſibi redditam gaudebant: terras, ubi Fides & Candor commercijs humanis ſecuritatem ſummam munichant: ubi Viri Illuſtres, Viri Docti, Viri Prudentes numero denſiſſimo, vel creſcebant, vel inſerebantur, ubi fertilitas immenſa facile longinqua propinqua ſuperabat omnia: ubi vinum, ubi fruges, ubi flumina, montes, ſylvæ, ignobilitatem faciebant alijs provincijs domi nobiliſſimis: ubi denique longa ſerie Principes potentiſſimos, fortiſſimos, optimos. Regia *Palatinorum* ſtirps educabat. Sed quod hæc omnia non ſunt, ut fuerunt, nulla major cauſa eſt, quam quod [illegible]

fuerunt. Nihil enim intuitus eſt, quam quod à pluribus laudatur. Cum igitur incommoda noſtra occaſio eſſent odij, & bellum prædæ, & ſucceſſus cupiditatis, ab Occidente primum validus Hoſtis emiſſus, itineri ſuo propiora in conſpectu noſtrorum *Confœderatorum* ſubegit, neque pinguiſſimus Exercitus, qui tunc adventantibus objacebat, quicquam contra conatus eſt. Idemque non multo poſt totius Patriæ noſtræ pretio pacem teterrimam, & niſi fama ſuo more mentitur, prænium redemit, nefeio quod aut quale. Vulgus enim quicquid veriſimile eſt, pro vero libere loquitur. Copijs itaque *Confœderatorum* ſtatim dimiſſis, complexus eſt hoſtis quicquid potuit, antequam gentilis noſter *Boijs*, & *Trebocorum Antiſtes* ex Alſaticis advolarent, & fieret, quod Græcorum proverbio fertur, *communis Mercurius*. Neſciebamus illo tempore, quibus conſilijs res gereretur, omnia ſuſpecta erant proditionis, eaque de cauſa ſenes & quibus aut plus periculi, aut minus animi, in finitimas ditiones urbeſque receſſerunt. Inter illos fuit noſter *Grutcrus*. Diſceſſit bonus ſenex cum paucorum librorum ſarcina *Brettam* ad Generum, & cum hoſtis indies longe lateque graſſaretur, *Tubingam*. Quam urbem quoties cogito totus in amorem, in laudes, in gratias uberrimas effundor. Quantum enim colui & dilexi *Grutcrum* (colui autem & dilexi in patris loco) tantum colere & diligere debeo illos, qui *Grutero* ſuam urbem, ſuas domos, ſuos animos, & cæteras humanitatis fores tam comiter aperuerunt. Numquam ſatis explicare potuit gratiſſimus mortalium; quibus officijs illum Academia tota, & quicquid illic eſt clariſſimorum virorum cohoneſtaverit. Nihil publice, nihil privatim ceſſatum eſt, aut omiſſum, eamque laudem luxuri antiſſimæ comitatis ipſe *Grutcrus* pridem promulgavit una cum *Bibliotheca Exulum*, in cujus limine pulcherrimam chariſſimorum nominum tabellam memoriæ cauſa ſuſpendit. Et cur meam quoque felicitatem diſſimulem? quem in eadem urbe hoſpitali apud eoſdem hoſpites quidam fluctus horum temporum expoſuit, & earum laudum teſtem fecit, quas *Grutcrus* tantopere probavit. Itaque quemadmodum prius illi ſic tunc mihi credidi. Confiteor enim illorum humanitate factum eſſe, ut me poſtea haud paulo delicatiorem ſenſerim, quoties alijs in locis aliorum ſuperbia fuit devorunda. Quippe contemnere, dedignari, fatti lire, tam frequens pleroſque inter homines, quos aliqua dignitas afflavit, quam uſitatum illis bonos amplecti. Nullum autem officium magis hæret animo, quam quod non ubique præſtatur, neque quiſquam accuratius meminit benefactum aut injuriam, quam exul aut miſer, ſiquidem illud calamitatis ſenſum hebetat, hæc acuit & inflammat. Utique facilius ſolemus ferre maximum onus, quod nobis primum imponitur, quam aliud minimum, quod maximo adjicitur. Contra bonus vultus, bona oratio, bonus animus ſolatia ſunt oppreſſis, eſſi præter ſua nihil accedit, quod magnopere mala emendet. Cum talibus dum *Grutcrus* vivit & amicitiæ vices ſuaviter alternat, quatuor hoſtes in totidem prædas Palatinatum diſtrahunt. Infeſtior *Heidelbergam* obſidet, funeſtat, ſpoliat, privatas, publicas opes raptat, tantum non domos, arces, & quicquid invidetur, tranſportat. *Bibliothecam*, quæ per totam Europam vix parem habebat trans Alpes uſque *Pontifici* dono mittit, & irreparabile decus non tantum Palatinatui, ſed & ſibi & toti Germaniæ ereptum in montem Vaticanum relegat. Varij ſuperſtitij vexatæ & reliquæ Bibliothecæ, quas multitudo gregalis aut laceravit,

aut

aut disjecit, aut vilissimo pretio divendidit; paucæ relictæ sunt Dominis, nullæ sine damno. *Grutericna* licet non tota perierit, passa tamen est cladem insignem. Quædam enim dilacerata quædam fœdata, quædam conculcata quædam mutilata jacebant: Alia volumina supererant, alia, sine quibus relicta non erant integra: sæpe desiderabantur; quærebat liber librum. Miserabilis in illo facies quod libros, præsertim nondum ligatos, & reliquam chartarum turbam in qua nihil erat quod non mereretur clementiam, alij substernebant equis, alij fovendi, atque oppendiculis serebant in ignem. Focus & furnus ardebant libris; equile caligine magna: obscenitatibus jumentorum conspurcabatur innocentissima doctrinarum supellex. Nebat papyraceus fumus & nimus. Dolet recordari tot summorum virorum epistolas, quas ex toto orbe nostro *Grutcrus* receperat nunc immundo fœtore de conflagrasse, aut turpibus aquis maceratas vilior tabum. Unam solam jacturam equidem pluris taxo, quam ullam opulentissimam rapinam aut per dies illos tormentis & sævitia repertam. Satis mature nuncius hujus rei ad Generum *Grutcri Brettam* delatus est. Is continuo ad illustrem quendam ex Ducibus literas dare, rem aperire, cum precibus obtestari, ut tantam pernicicm imperio sisteret. Sed nihil effectum est, quia contra torrentem illum militarem nullus valebat obex, & Ducum jussa quanquam tunc audiebant milites, non auscultabant. Post dies paucos interjectos Gener ipse profectus Heidelbergam, invenit domum inversam, Bibliothecam per pavimenta dissipatam, aut in tortuitos cumulos hinc inde collapsam. In tabulato & circa focum tristes conspiciebat reliquias barbaricæ immanitatis.

Et quia de perditis laborare perdita cura videbatur superstiti gregi, quantum potuit consuluit, simul obsecratum ivit *Romani Præsulis Legatum*, qui occupandæ Archibibliothecæ causa missus erat, ut ex illa *Grutcrianos* libros liceret excenturiare. Amanuensis enim *Grutcri* non paucos, eosque *Grutero* in usu familiares suo judicio in armarium illud publicum transportaverat. Annuit precibus *Legatus*, sed instar *Jovis Homerici*, partem dedit, partem negavit. Nam de libris quidem editis assensit, ea tamen conditione, si *Tillius* rem approbaret Chirographo; *Tillius* qui tunc temporis nusquam certus erat in certo loco, proinde frustra quærendus. Et hoc ipsum annuere animum prodebat abnuentis. De Codicibus autem manu *Grutcri* scriptis simpliciter à Domino sibi injunctum dicebat, ut omnes conquireret, eosque vel ex Musæo *Grutcri*, vel ex Bibliothecæ Palatinæ contubernio cum cura erueret. Cum *Tillius* hinc inde volitaret, & universum iter flagraret latrocinijs, cum libros scriptos diu rim sibi vindicaret Romanus, totum depositum hoc remansit apud prædam capitalem. Poterant hæc animum quamvis firmissimum conterere. Sed non aperiebant *Grutcri*. Nihil ad nostram ista nisi quod more generosorum pectorum stomachatus est aliquantulum, aliquantulum jurgavit cum iniquitate, cum cupiditate, cum bello. Non genitus, non lamentationes, non ullas quicquam edidit, nec descendit ad ædes fortunæ, cum ipsa super caput assurgeret, sed velut è populo levitatem illi, vanitatem, furacitatem, inhumanitatem exprobravit. Posthæc rerum se compositi, & intra quietem suam recollegit. Iterum illud judicium dedit, & injurias oblivioni. Quod si tamen aliquis casus [illegible] cum amicis memoriam talium illi renovaverat, læto vultu de suis tantis differebat, spretor jam præteritorum, nec minus gravibus dictis, quam libenti animo ridendis.

randus. Detumentibus interea nonnihil in Palatinatu rebus Tubinga *Brettam* reverſus apud Generum vixit, donec is, quod in religione non congrueret cum dominantibus, præfectura ſua decedere juſſus eſt. Sub illud enim tempus atrox mandatum de recipiendis cæremonijs Romanis, & abjicienda veritate ſincera fremebat, cum paulo prius civibus Brettanis arma fuiſſent ademta, nequid in illis fiduciæ reſtaret, ſi premerentur inclementius. Solent enim haud raro metui, qui laceſſuntur obſequijs extremis.

Ibant per urbem Inquiſitionis ejus miniſtri, domos ſcrutantes, & cubilia, & arcas, & quicquid clave cuſtoditur. Ventum erat in ædes etiam, ubi *Gruterus* tunc, abſente Genero, cum filia ſolus agebat: petebantur arma; *Gruterus* qui jam tum cum ſuis alio, & inter iſtas poſtulationes abſentiam Generi cogitabat, diffitebatur æquum eſſe, ut domino neſcio & longinquo, res ulla tractaretur. At manipulus ille Martius, mandata, minas, vim loqui: noſter jus, fas, fidem reſpondere: hæc ne violent, monere. Effractor contrà tempeſtatem militarem intonare, vultúque & verbis igneſcere; noſter nihil terreri, ſed nefas illi conſtanter oggerere, donec Decurionum unus, protervus latro, haſtam bipennem contra ſenem inermem miſit, & vano ſucceſſu pro *Grutero* parietem ſauciavit. Dei beneficium fuit, quòd ferrum ſcelerato carnifici non obſecundavit: impium vero animum non illic concepit, ſed attulit, qui tantum ſcelus fuit auſus ſperare

Illum & Parentis crediderim ſui
Fregiſſe cervicem, & penetralia
Sparſſe nocturno cruore
Hoſpitis;

Illum ego, ſi nomine ullo notus aut dignus eſſet, deteſtabilem atque execrabilem poſteris facerem, & in vulnere parietis aliquando, cum libertas rediiſſet, ignominioſum hoc inſcriberem

IUVENIS THRASO,
INFAMIS PARRICIDA,
GRUTERO SENI
INNOCENTISSIMO VIRO
QUOD FACERE VOLUIT,
PARIETI FECIT.

Nam & *Crates* olim à quodam *Nicodromo* in faciem percuſſus, ſatis ad infamiam cædentis arbitratus eſt, ſi chartam in fronte circumferret cum inſcriptione *Nicodromus Fecit.* Virum autem doctum & juſtum ſenem & inermem occidendi cauſa ferro petere, plus multo infamius eſt, quam icere Cratetem pugno. Barbare, ſi virtuti non pepercíſti, quam oderas, pepercíſſes ſaltem ſenectuti: vel ſi quis adhuc reſpectus in te boni fuit, ſaltem cives meos audiviſſes, qui crudelitatem tuam laudibus *Gruteri*, niſi bellua es, mitigaſſent. Horum nemini bonus ſenex gravis fuit unquam, nemo illius injuriam, nemo ſuperbiam, nemo vocem cuiquam moleſtam allegavit. Vivebat domi ſine ſtrepitu,

ſtrepitu, foris ſine offenſa; obviis humanus & affabilis, benignus egenis, Plebejo & Senatori diverſa ſimilitudine gratus, dum in utriuſque deſcendit argumentum, aut deſcendit, & ſecundum judicium ſapuit amborum. Audeo referre quod per idem tempus evenit, non ſpecioſum quidem ad narrandum, ſed hoc loco opportunum. Hiberno quodam die, cum terra ſplenderet nivibus, & cœlum Sole, *Gruterus*, ſomnolentiam cubicularem deterſurus ambulatione ſuburbana, proceſſit ab urbe Brettâ paulo longius, & in ipſo deſcenſu, qua collis modicus difficilius admittebat ſurſum nitentes vecturas, puerulum conſpicatur ruſtice braccatum, & toto corpore contra frigus denſa canabina munitum; collegerat autem in proxima ſilva ſatis gravem lignorum faſcem, quem humi pergelatum nivis dorſum alligato tunc non incommode trahebat, niſi quod jam feſſus & anhelus, in vix perpetuis uſibus lubrica, ſarcinam contra collem provehere fruſtra laborabat. *Gruterus* cum jam propius veniſſet, intellecta difficultate lignatoris, interrogat, *cujus* & *cujus?* Reſpondet ille; Domine civis ſum Bretanus, *Cæſaris* (ita patrem nominabant) filius. *Ergo profecto*, inquit *Gruterus piaculum mihi ſit, tibi negare auxilium. Nam & ego* Cæſari & Cæſaris *filio obſequium præbere debeo*; & cum joco deripit pallium, ligni imponit, & apprehenſo mox fune, ſenex puero, & puer ſeni vires ſociat, donec in planum ſubvecta materia iterum cedebat uni. Gratiis actis puer domum pergit, & ad patrem ingreſſus *Gruteri* deprædicat feſtivum alloquium, & quam tuliſſet ille ſuis laboribus tempeſtivam opem lætus exponit. Hæc qui velut minuta, & memoriam non merentia contemnit, is forſan apud animum ſuum non reputat, quantum adhuc ſibi deſit ad facti tantilli pietatem. Puerum expedire cum frigore luctantem & onere, nihil magni eſt. At tu fortaſſis præteriiſſes. Ito per reliquum charitatis ordinem, reperies ſemper aliquid non magnum. At hoc & illud & rurſus aliud non magnum, tu fortaſſis nunquam in animum inducis præſtare. Quæ ſi magna non ſunt, cur negliguntur? Minuta res eſt homini opulento denarios interdum egenis porrigere. Minuta res eſt juſtam mercedem operariis pendere: minuta res eſt obvios civili ſalutatione afficere: at tu fortaſſis ita durus es, ut nullius paupertate molliaris; ita ſordidus, ut alienas operas ter circumciſo pretio redimas; ita faſtidioſus, ut patriciam vocem nunquam minori indulgeas. Quæ ſi tu facere, per ingenium tuum poſſes, protinus magna tibi viderentur, nec meminiſti, talia minora minimis fieri, cum qui facit, magni putat. In aliorum animis laus noſtra naſci debet, in noſtris virtus. Nec *Gruterus* unquam per hæc gloriam captavit: Nobis permiſſum eſt in illius virtutes ambitioſius inquirere, nec earum quicquam, ſi per copiam liceret, obliterare. Cum jam *Brettæ* novus cultus, novi homines, nova impotentia civitatem urgerent, alio migrandi conſilium certo ſedit. Nam ipſum quoque Juvenes quidam ex familia *Jeſuitarum* diſputando ſolicitabant quibus ille primum placide reſpondit, & ſemel etiam ſententiam *Auguſtini*, quam non ſatis memoriter ipſi meminerant, ex libro præſenti oſtendit, docuque aliis verbis, & alio loco extare, quod ab illis & pro illis fuerat allatum. Deinde cum nec dum deſiſterent, quin ipſum talibus obtunderent, libertate reſumta, *mirari ſe* dixit, *ubi frontem reliquiſſent ſenibus barbatuli juvenes, ut ſperent docere ſenem ſexagenarium, qui plures patres in vita legerit, quam ipſi ſaltem vidiſſent. Jeſuitas Senes*

&

& primarios (Schottum nominabat & *Sirmondum) ſibi mutuo honore litterarumq; commercio coli : nullam tamen ab iſtis de Religione ſibi moleſtiam exhiberi.* Erat enim noſter alienus ab iſtis velitationibus, quas nec in aliis probavit. Nam certamina talia ſemper fere iſtis eventibus finiuntur, ut acerbius fiat odium inter partes, & nemo per illa melior. Mira res eſt, quod commiſſionibus factionum, argumentorum verſutiis, clamoribus, convitiis, mutuis execrationibus Deo nos gratiores fieri putamus, cum amor, & pax, & manſuetudo, & præcedentium mater Fides nobis rem conficiant, quorum tamen poſtrema cura habetur, & inter diſceptandum nulla. Hæreſes odiſti ? Dicam quæ maxima ſit, *Hypocriſis.* Hanc prius exuamus. Quoties enim quiſque de gloria Dei prius cogitat, quam de ſua ? Quotus quiſque melius vivit, quam diſputat ? Quicquid dicas aut excipias hanc hodie pietatem habemus. Ita vivitur. Non diſquirere volumus, ſed vincere, non in cœlum nos mutuo promovere, ſed detrahere. Amare vero Deum & Proximum, quod Pietatis eſt compendium, tam procul à rixoſis factionibus abeſt, quam nos à mutua pace. Hinc in Chriſtiano orbe bella, cædes, exilia, egeſtas, fames, exitium. Sic amatur Deus, ſic amatur proximus, ſic denique diſputatur. Huc accedit quædam alia dementia, quæ frigere eos dicit in Religione, quos in contentiones non vident ardeſcere. *Pontificio* non oblocutus es ? *Pontificius* haberis. *Lutherano* non reluctatus ? *Lutheranus* audis. *Calviniſtæ* non inſultaſti, *Calviniſta* es. Iſtis enim nominibus invicem diſcedimus. Novi qui de *Grutero* propter hanc ipſam cauſam Tranſitionem ſparſerant. Sicut & *David Chytræus*, quod in *Academia Roſtochiana Grutero*, qui tunc ibidem *Suetonium* legebat, conjunctior erat, & ſtudium rixandi averſabatur, *Calviniani* nominis invidiam ſuſtinuit. Itaque

Effugere non eſt hoſce Diſputatores
Inſtant, morantur, perſequuntur, occurrunt
Et hinc & illinc, uſquequaque, quacunque.

Quos ut *Gruterus* nunquam videret, & ſimul ab aliis ſæculi malis remotior eſſet, in occipitio montis illius, qui Metropolim Palatinam prætexit ab Auſtro, prædium emit & ſeceſſum. Id inter ſilvas poſitum proximas cultura ſpatioſi fundi ſolam illam partem montis nudat, frugum & fructuum capax, pecori & pecudi benignum,

Non hic lac æſtate novum, non frigore deſit.

Nihil hic ſtrepitus, niſi quas æſtate ſilvicolæ volucres, aut avitia domeſtica, aut mugientes balanteſque divitiæ, aut ſibilantes ventorum laſciviæ reddunt. Ad hoc ſecretum *Gruterus* omnibus deſideriis feſtinabat, quamvis ipſa *Bretta* non mediocriter etiam ſuo quodam genio eum retinere videbatur. Situm enim commendabat humilis & porrectus clivus ; circa muros gratiam habebant horti, prata, vineæ. Sedes ipſa nobilitatem auxerat partu *Philippi Melanchthonis*, & notabili conſtantia, quam non ſolum contra vicinum quendam Principem olim, ſed & nuper oſtendit contra hoſtem noviſſimum, dum prope poſtrema deditionis neceſſitatem accepit, diuque nihil horruit exempla vicinorum, quos fides

ſua

ſua peſſundedit, jugulante *Bavaro* milite quicquid reſiſtendo docuerat ſe non poſſe prodere Domino ſuo ſacramentum. Et hoc quidem tempore ſpectata fuit præcipue prudentia, & vigilans cura *Oſwaldi Smendi*, qui ſolus præfectus urbis tunc, & ipſe Gener *Gruteri*, vir nunquam civibus ob merita pulcherrima, nec nobis ob inſignes virtutes, inter laudes Soceri obliviſcendus. Tandem igitur noſter *Bretta* diſcedit charus à charis, ſed tamen cum charitatibus. Ventum erat *Heidelſheimium*, quod oppidum eſt vetus nuper dimidia ſui parte cinefactum, & paucis milliaribus *Bretta* diviſum. In eo Senatores, cum de *Grutero* intellexiſſent, illico venerunt, hoſpitem tantæ famæ ſalutaturi, relictis interim domi mandatis, ut prandium quàm optimum inſtrueretur. Rogabant deinde *Gruterum*, ipſorum frugalitatem ne ſperneret, veniret prandſum. Id honori ſibi futurum & gaudio. Obſecutus eſt *Gruterus*, & in illo prandio frontem explicavit hilariter. Vehementer enim delectavit illum comitas inexpectata, nec in oppido nuper exuſto & direpto, quodq; vix trivialem litteraturam noverat, ſuum nomen vel auditum eſſe unquam, vel amari credere potuiſſet. Hactenus felix hujus loci memoria, ſed non longe poſt ſane quam triſtis & luctuoſa. Nam cum *Gruterus*, poſtquam Heidelbergam venerat, deeſſe ſibi quædam intelligeret ad maturandam editionem *Livii* poſtremam, à Genero petiit, ut *Brettam* recurreret, ubi lucubrationum ſuarum inſtrumenta ſervabantur. Nec quicquid ille cunctatus, ut eſt homo promptus, ivit, & plauſtro neceſſariis rebus onerato relegere cœpit ad Socerum iter. Vix aliquot milliaria promoverat, cum ipſas prope ante portas *Heidelſhemii*, qua jam tranſiverat, tres equites Galli aggrediuntur venientem, ex improviſo: nec mora, ſclopeta promunt, ignem & ictum edunt, capiti vulnus deſtinatum pileo & pilis adigunt, interfecturi niſi ocius ex equo deſiliiſſet. Protinus inde aſſultant Amanuenſem, & quia hic plauſtri obtentu videbatur moliturus ſclopetum, quod ferebat ſimul ne prædam argentariam fuga fruſtaretur, binis glandibus miſeri adoleſcentis pectus trajiciunt, quod volunt, rapiunt, avolant, impune ſunt. Nam etſi poſtea reſcitum ſub quibus ſignis mererent, etſi ductori ſcelus indicatum, nihil tamen aut latrocinium, aut homicidium meruit animadverſionis. Hac hodie diſciplina gaudet militia. Commovit hic caſus *Gruterum* non mediocriter. Nam & Generi periculum, & nefaria cædes pariter conſternabant. Erat enim interfectus ille juvenis admodum dexter in omnibus, quæ mandabatur. *Gruteri* manum expedite, quod inexercitatus haud facile præſtiterit, & exprimebat literis optimis, cætera ſtudiorum & militiæ non inexpertus, nec *Grutero* indictus in præfatione *Liviana*. Sic hac quoque calamitate defungendum fuit.

At *Heidelbergæ* magni reſtabant ſtimuli, qui publicas & privatas illi miſerias refodiebant. Totus habitus urbis mutatus erat. Bibliotheca Principis nuſquam, amici nuſquam: ubique violentia, nulla fides, adde quod nec diuturna ſedes inter tot adventicias leges, præſertim illas, quas qui non ſervat melior eſt, quam qui ſervat, & in quibus conſcientia jus habet vetandi. Nam Religionem ſuam qui non *miſſam* faceret, nemo tolerabatur. *Viennenſes* quidem aliquot amici, quos Deus ſoſpitet, promittebant noſtro libertatem, ſi Cæſari per literas ſupplicaret. Sed vetabatur *Gruterus*, ne Rei palatinæ uſurpatores, quibus *Heidelberga* ſuberat, iniquos ſibi faceret, ſi ſtatim Cæſaris indulgentiam impe-

imploraret, præterita gratia propinquiore. Statuit igitur prius hanc tentare ſi quid forte poſſet obtineri ſine moleſtia Imperatoris. Sed dùm *Cancellarium* eo nomine compellatum venit, admiſſio negatur per ſervulum. Jubetur alium neſcio quem adire Vicarium, cui quid venerit exponat. *Grutero* hæc dedignatio non placuit, & vilitas habebatur in limine rejici, nec ominari bene principium permittebat, quod fieret per repulſam. Redit igitur domum ſuam, redit in conſilium cum animo qua ratione moderari poſſet fortunam cavillatricem.

Dum hæc aguntur, domus montana, quam in ſeceſſu ſuo curaverat ædificandam, facta fuit habitabilis. Illam igitur *Heidelbergenſem*, quæ totius civitatis loco amœniſſimo, ſi quid judicio, ſita fuit, omittit, & cum Genero cæteriſque pignoribus in ſolitudinem migrat, relicto tantum veteri cuſtode, & multorum annorum famulo *Caſpare Schedio*; cujus nomen in aliqua lacinia memoriæ *Gruterianæ* merito videtur apponi. Per tria namque decennia, haud multo minus in Bibliotheca Principis, primum *Meliſſo* propinquo ſuo, deinde *Grutero* liberalem operam navavit. Homo non multum infra ætatem *Gruteri*, notandi peritus, cætera numerandus inter rudes, ſed profecto quem cenſeres cum Varrone ſuo domeſtico de literis certare poſſe. Cum in Bibliothecam ventum erat, totum illum Senatum Populumque librorum, Sicut Cyneas Pyrrhi legatus, patres & cives Romanos ſuis nominibus perſalutabat. Statim illi locus & loculamentum in promtu. Jam patriam inſigniorum codicum, unde adveniſſent, pretia, quibus conſtitiſſent, dignitatem, qua venerabiles eſſent, mire callebat. Vultus illi ſerius, quaſi cum avo Craſſi de vitando riſu ſponſionem feciſſet, ſermo gravis, & qualis decet imperantes. In his tamen nihil affectabat, ſuos ſibimet dederat mores ab ingenio. Si quid ipſi videbatur, id valde videbatur, ne domino quidem diſſimulaturus, ſi quid minus probaret. Anxius in officio & ſuperſtitioſus, fidelis ad unguem, compoſitus & ordinis amicus, præcipue frugalis. Per aliquot annos ſibi ſolus familia, ſibi dominus, ſibi contubernalis, ſibi coquus, niſi cum malebat jejunare, aut cœnare ſine fumo. Stoicus non inſtitutus, ſed natus. Nec quiſquam illum videbatur dimovere potuiſſe ab illa conſuetudine vivendi. Rogaverat illum *Smendius*, ut emigraret in ſuam villam, & illius commoditatibus ſecum frueretur, utpote jam vetulus. Reſpondit, *non eſſe ſuum tam commode cum alterius commodo vivere.* Ergo offerebat ipſi legumina, fructus, & alia, quæ ruri naſcuntur, reſpondit, *ea eſſe morbis officioſa, ſibi habendam rationem valetudinis, nec ægrotare ſibi libere, quod inſalubre ſit, nec licere, quia ſumtuoſum ſit. Medicis enim non ſufficere loculos Schedii.* Semper advocationem inveniebat, ne viveret alieno. Cum juberetur ad aliam Religionem tranſire, aut exire foras, *hoc malo*, inquit, *quam illud. Si non licebit vivere in urbe, licebit in agris aut in ſilvis. Aliquid ſemper Deus ſuppeditabit radicis aut herbæ, quod ſpiritum hunc alat, non diu moraturum.* Aliquando cum lues *Heidelbergæ* civitatem venenaſſet, & ipſe febreculam veſperi nactus plane crederet, ſe publico morbo lethaliter infectum, clauſis diligenter cubiculi foribus per feneſtram aliquem ex notis monuit, *ſe peſtilentia correptum nunc cubitum ire, ſi quis ſe conventum velit cras, hic inventurum mortuum. Hoc voluiſſe, ne neſciret.* Invenerat eum *Smendius* aliquando mane, cum dies nondum emerſiſſet totus è nocte, obſoleto

bardo

bardocucullo velut vagina tectum, ut empuſam aut larvam nocturnam poſſes ſuſpicari, rogat itaque *Smendius* in quod ſpectrum ſe transformaſſet. *Sic*, inquit, *munio domi bonas veſtes. Vobis ditibus, qui talia ridetis, facile eſt vetera novis mutare, noſtrum eſt nova veteribus tueri.*

Profitebatur etiam nonnunquam ingenium, cum *Smendio* rus eundum eſſet, ubi dicebantur milites vagari, qui graviores ſolebant diſcedere, quam venire, paratos aliquot viginti nummos æreos, quibus hodie pro calculis utimur, clam *Smendio* condidit in manum, & *hos*, inquit, *cum in fures iſtos incideris, pro veris nummis, rapaciſſimis illis nebulonibus in terram objice. Interim, dum ipſi ruunt in prædam, tu ſubditis calcaribus volucrem equum in fugam age, ſalvis nummis.* Adeo ſolicitus erat pro ſalute herili, neſcius quanto verſatiores ſint in his artibus, qui vivunt ſub ſignis, quam qui ſub umbra.

Sed revocat nos *Gruterus* in ſuos fundos. Illic optimus pater totis conatibus agricolam induit, ocreas ruſticas contra lutum emit & aquam, cucullum contra ſævitiam aeris & ventorum comparat, hortos plantis, agros frugibus dividit, ruſticatur, villicatur. Aſſuerat enim à multis jam annis huic voluptati, ut hortos coleret, herbas noſceret, plantas, olera, flores fereret. Sæpe invenimus illum manus habentem nudas ad cubitum, ſordidas ab humo, ſæpe pala, ſæpe raſtro graves. Non enim ſic in hortis verſabatur, ut ſolent delicati, qui lumina tantum paſcunt, & naribus blandiuntur, quos fructus juvat, labor non juvat, qui ſub vino naſcente vinum bibunt, & epulandi cauſa ſub umbras adducunt ſuas umbras, qui nunquam terra inquinant candidas & illas

—— Cuniculi capillo
Vel anſeris medulla vel imula oricilla

molliores manus ac veſtes; quibus ad minimas moleſtias in ore eſt, *laſſus ſum, morior calore, ſudor me necat, pulvis ſuffocat, occidit frigus.* Noſtrum delectabat in labore fructus, & in fructu poſtea labor. Ille manibus ſuis infodiebat, quod debuit naſci, extrahebat, quod nocuit naſcendo. Jucundum illi non tantum terram tractare, ſed etiam lætamen. Riſimus aliquando cum in ſtabulo retrimentum equinum tolleret, & odore laudato, *malle ſe diceret hoc olere quam pyxides è vomica peregrinæ capreæ pretioſas.* Adeo honeſtius ducebat agricolam aut pecuarium eſſe, quam voluptuarium.

Sed in villula morbus illi cito talibus exercitiis interdixit. Repetebat enim illum vetus malum, quod vivente adhuc *Henrico Smetio*, cujus *Gruterus* Gener erat, primis offenſis apparuerat. Fuit autem vertigo capitis è ſiccitate cerebri, ſicut *Smetius* cum *Poſtio* judicavit, orta. Et quia *Smetius* aliquid Apoplectici metuebat, ſanguinem tum primum miſit in pede nunquam prius id facere, nec deinceps iterare ſolitus. Nam & è medicinis non libenter reparabat valetudinem. Abhorrebat inprimis ab illis tot miſtionibus, ſimplici curationi amicior. In morborum principiis non ilico conſulebat Medicos. Sed inter ambulandum obviam aliquam herbam aut radicem notæ ſalubritatis ita crudam, haud uno reſtitutionis experimento manducabat. Idque ſic eveniſſe quodam gratiæ divinæ interventu teſtatum reliquit in Adverſariis ſuis breviter ac velut

per indicem notatis. At morbus ille vetus & princeps ſubinde ad ingenium redibat, manifeſtis etiam creſcendi gradibus deprehenſus. Nam ultimis annis prope perpetuus fuit, & exquiſite moleſtus, nec ſomnum interdum capere paſſus, nec laborem. Hunc tamen plerunque vindicavit, & ſtudiis, etiam morbo rixante, tempus indulſit, ſed majori patientia, quam fructu, nec ſic tamen ſine fructu. Semper enim aliquid meditabatur, quod publico proderet. Nam per illos ipſos morbidos annos præter *Bibliothecam exulum*, duo *Florilegii Magni volumina* procudit, & *Livium* cum *quinquaginta* aliquot *Diſſertationibus ad Tacitum* feliciter exire juſſit. Ne tunc quidem curis ruſticanis abſtinuit, cum eum *Hepaticus* ille *morbus* & *Vertigo*, totuſque comitatus malorum infeſtiſſimis machinis oppugnaret. De ſerendo locutus eſt, de plantando, Loca, terram, cœlum conſideravit. Senem ægrum, vicinum morti, ac animam tantum non in ore gerentem quis vidit ambulantem, prandentem, diſſerentem? Sic viſus eſt *Gruterus*. Quid mirum ſi communi more non ægrotavit, non mortuus eſt, qui communi more non valuit, non vixit? Lectum enim non delegit, niſi poſtquam ſenſit illud appropinquare quod jacentem aut invenit, aut facit: cumque jam tempeſtivum eſſet, monſtrato lectulo, *hic*, inquit, *moriar*. Incubuit itaque, ſecum iter ſuum meditatus eſt, per fidem nihil timuit, per Chriſtum nihil habuit timendum. His enim duobus firmamentis (ſive placet unum vocare) nitebatur, Neque tum demum deprehenſus eſt à morte, ſed ipſe multo prius deprehendit mortem non occultis veſtigiis venientem. Itaque *mundum dixit non amplius pertinere ad ſuas curas, cuncta ſe reſignaſſe Deo, cujus ad infinitam miſericordiam ſe nihil afferre, quam animam humilem in agnitione ſui, exultantem in merito Chriſti.* Ita ſenſit, ita locutus eſt, ita ſcripſit. Inter hæc obdormivit, exſpiravit. Durum verbum, durum hercule, quodque ſolum vocem meam hic ſiſtere poſſet, quod ſolum efficere, ut orationis naufragium in portu facerem, & repentino ſilentio exiguum illud quod reſtat ad perorandum per ſummum dolorem ſepelirem. Sed confirmandus eſt animus vel ideo, quod qui conſtantiam præcipue laudavit in vivente, haud dignum facinus admitteret, ſi parum conſtanter honorem exequeretur defuncto.

Narro tibi, *Sidus noſtrum Palatinum*, è denſis conjurationum nubibus aliquando rurſus emerſurum, cui *Gruterus* ita charus habebatur, ut in mediis adverſitatibus illi ſuggereret ſpem meliorem. Narro tibi *Grouinga*, quæ *Gruterum* paulo ante obitum, & mox ſub extremam ejus horam ad profeſſionem Hiſtoriarum & linguæ Græcæ benevolentiſſimis literis evocaſti. Narro tibi *Dania*, quæ votis paribus illum, & conditionibus invidendis, non ut doceret in Academia, ſed ut ſplenderet exoptaſti. Narro vobis Magni illius *Franciſci Bonæ Digvierii* amicis & conſiliorum conſciis, qui ſicut *Digvierius* antea *Gruterum* humaniſſima ſcriptione tentaverat, ut auſpicia tanti Herois ſequeretur in Galliam, ſic ipſi propriis deſideriis eundem ad obſequendum hortabamini. Narro tibi, Ampliſſime *Claudi Expilli*, magni Regis magnum decus, qui Noſtrum in illas partes tuo quoque ſuffragio vel præcipue trahebas. Narro tibi Nobiliſſime *Carole Perinette Maugarniaci Domine*, qui *Gruterum Gratianopolim* invitaſti, ut extra Germaniæ turbas in veſtris oculis, in ulnis, in prædiis, in communibus fortunis veſtris viveret.

Narro

Narro vobis, Eximii per Europam viri, qui amore cum *Grutero* certaſtis & literis. Narro vobis, inquam, triſtiſſima veritate, *Gruterum* fruſtra nunc ſperari, fruſtra optari, fruſtra vocari. Abiit, abiit illuc, ubi multæ dicuntur eſſe habitationes ubi magnus Amicus & Frater noſter vivit & regnat, ubi Sapientia non docetur, nec diſcitur, ſed cernitur & ſcitur. Ubi Profeſſio communis eſt & æterna, laudare; ubi ſtipendium ſempiternum, vivere; ubi nec Proſcribens, nec Proſcriptor; ubi nulla librorum cura, ſed ſupra bibliothecas omnes, ſupra cunctas humanas æſtimationes, unus, optimus, maximus, ſanctus Liber, in quo nomina noſtra ſcripta ſunt inter hæredes vitæ Cœleſtis. Ubi non horti noſtri, non rura nos delectant aut exercent: ſed ubi nos ipſi fructus ſumus, & arbores ſatæ ad ripas aquarum, quæ fructum ſuum ſuo tempore ferunt, & foliis comant ſemper virentibus. Eo, eo conceſſit ille tot expetitus egregiis factionibus, quam litem Deus ſapienter decidit, & quod invidia ſolum carere poterat, ſuum bonum confiſcavit. Id quamvis à Juſto juſte factum eſt, quamvis dolere quaſi expoſtulare eſt: tamen ſine querela, ſine gemitu nobis tam chari capitis jactura non abibit.

Ignoſce nobis, rerum humanarum ſumma & liberrima poteſtas, quod tuum tibi redere nunquam poſſumus, quin affligamur. Ignoſce, ſi quid & mihi deinceps redibit in præcordia. Quoties enim liberos *Gruteri*, quoties interiores Amicos ejus, quoties Me, quem non poſtremo loco dilexit, inſpexero, nihil profecto obſtabit, quin ipſa ſolatia vulnus utcunque obductum reſcindant. Nunquam patriam noſtram, nunquam tuam in illa, *Grutere*, domum, nunquam montem illum agellis tuis ſuppoſitum, nunquam monumenta tua meis oculis objiciet Fortuna, quin me objiciat ſimul acerbiſſimo dolori. Quoties enim ſæculum hoc infidum, intutum, fucatum, bilingue, ſuperbum, rapax, avarum, & quicquid nimis verum eſt, cogitavero; toties in mentem mihi revocabitur tua fides, tua ſinceritas, tuus candor, tuum illud verum os, tuus ille modeſtus animus, tuum illud juſtum, benignum, aureum pectus. Quicquid autem idem ſæculum iſtud totidem ſuis malis artibus inſtructum adverſus me, ſicut pridem cœpit, molietur, tuam ego patientiam, tuam tranquillitatem, tuum contemtum animoſe opponam. Superi velint, *Grutere*, ut rectius in his imitatorem tuum agam, quam laudatorem.

DIXI.

Aliam inſuper Orationem de Vita, Morte & Libris Gruteri *edidit* Fridericus Herm. Flaydcrus *Tubingæ, anno* 1628. *in* 12. *Obiit autem An.* CIↃ IↃ CXXVII. *die* XX. *Septembris, annos natus ſexaginta ſex, menſes novem, dies ſeptemdecim, in Bernheldiano ſuo proxime Heidelbergam, &* III. *Octobr. in Templo Petrino Heidelbergæ ſepultus.*

JANUS GRUTERUS

Per Anagram.

GRATUS IN VERSU.

GRatus es In Verſu, Grutere *diſerte, ſonoro,*
Ut te vix alter gratior eſſe queat.
De locuplete penu tu cuncta recondita promis,
Ore ſuſurranteis ac imitaris apes.
Quæ veluti Nectar delibant nobile florum,
Et ſtipant liquidis cerea regna favis.
Sic tu, quicquid habet Latium, vel Græcia quicquid,
Congeris in genii fertilioris opus.
Hujus opes quoties ſummis deguſto labellis,
Ilico me ſaturum lectio prima facit.
Cauſſam quæris? habe: Quo daps eſt dulcior, ejus
Gignit eo citius copia dividiam.

Sam. Roſenbomius.

IN EJUSDEM OBITUM.

PArve nec in longum ſpatio diffuſe, ſed idem
Teutonis imperii gloria magna, Nicer.
Multa quidem læte quondam ſpectata requiris,
Et cur indoleas plurima cauſa tibi eſt.
Cur ferias planctu ripas miſerabilis unda,
Cur lacrymis mixto flumine mœſtus eas.
Mi neque tot privata vacat, neque publica flere
Damna: tot in cauſas ne ferar, una facit:
Cana ſitu manus, & veteris monumenta papyri,
Præmia quæ belli maxima Tybris habet.
Sed Solamen erat nobis Gruterus *abunde,*
Et pro mille libris optimus ipſe liber.
Ille quod ante oculis, fido mox pectore ſervans,
Innumerum memori mente tenebat opus.
Hunc quoque perdidimus, ne quis jam poſſit ab orbe
Germano, fœdam pellere barbariem;

Tene-

Tene ego, tene meis auſim lugere Camœnis?
Et ſperem poſt te verba Latina loqui?
Non faciam, tantos deceant quæ ſola dolores,
Sunt vaſti gemitus, & ſine voce ſoni.

Hugo Grotius.

Muta Palatini quod Bibliotheca receſſit,
Illa fere innumeris clara Voluminibus,
Illaque Niliacæ poterat quæ vincere palmas,
Et Vaticanæ obſiſtere luminibus;
Quodque Heidelberga Romam captiva migravit;
Jactura hæc equidem vix reparabilis eſt.
Mutam at vocalis quod Bibliotheca ſecuta eſt,
Illa tot aureolis fœta Voluminibus.
Quæ poterat Romæ præcepta, & condere Athenis,
Flexanimoque artes quaſlibet ore loqui;
Nempe quod è terris magnus Gruterus *abivit;*
Jactura omnino hæc irreparabilis eſt.

Thomas Lanſius.

SCRIPTA.

Suſpicionum libri IX. in quibus varia ſcriptorum loca, præcipue vero Plauti, Apulei & Senecæ Philoſophi emendantur & illuſtrantur: *Witteb.* 1591. in 8.

Confirmatio ſuſpicionum extraordinariarum, contra Dionyſii Godofredi conjecturas & varias lectiones in Senecam Philoſophum: *Francof.* 1591. in 8.

Animadverſiones in L. Annæum Senecam: *Genevæ* 1594. in 8. *Francof.* 1596. in fol. *Heidelb.* 1600. in 8.

Publ. Papinii Statii Opera, ex recenſione Gruteriana: *Heidelbergæ* 1600.

Martialis: *Francof.* 1602. in 16. cum notis: *Ludg.* 1619. in 8.

Pericula Poetica: *Heidelb.* 1587. in 8.

Commentarii ad inſigniora loca Taciti atque Onoſandri: *Francofurti* 1604. in 4. 1607. in 8. *Amſterod.* 1673. in 8.

Inſcriptiones totius orbis Romani antiquæ: Acceſſit Appendix plurium Epigrammatum: *Francof.* 1601. in 4. 1602. 1616, in Fol.

C. Saluſtii Opera omnia cum notis. *Francof.* 1607. in 8.

Panegyrici Veteres ad antiquam, qua editionem, qua ſcripturam infinitis locis emendati & aucti: *ibid.* 1607. in 16.

Comment. in Onoſandri Strategicum, ſive de Imperatoris Inſtitutione: *ibid.* 1604. *Helmſtadii* 1619. in 4.

C. Velleji

C. Velleji Paterculi Hiſtoriæ Romanæ, ex ejus recenſione: *Francof.* 1607. *Batavii* 1600 in 12.

Lampas, ſive fax Artium liberalium, hoc eſt, Theſaurus Criticus, in quo infinitis locis Theologorum, Juriſconſultorum, Medicorum, Philoſophorum, Oratorum, Hiſtoricorum & Poetarum, Grammaticorum, &c. ſcripta ſupplentur, corriguntur & illuſtrantur, Volum. VII. *Franc.* 1602. 1605. 1607. in 8.

Notæ Tullii Tyronis & Annæi Senecæ, ſive Characteres, quibus utebantur Romani Veteres in ſcriptura compendiaria, ubi litera verbum facit. Opus mirabile & quod præterea optimi Gloſſarii vicem præſtare poſſit: *ibid.* 1603. in fol.

Florilegium Ethico-Politicum, cum Gnomis, Paroemiiſque Græcorum, Proverbiis Germanicis, Belgicis, Britannicis, Italicis, Gallicis & Hiſpanicis. *Francof.* 1611. in 8.

Polyantheæ, ſive Florilegii Magni pars ſecunda: *Argent.* 1624. 1645. in fol.

Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores Latini Minores cum notis Politicis: *Francof.* 1609. 1611. in fol.

Titi Livii libri omnes ſuperſtites caſtigati ad fidem vetuſtiſſimorum MSS. Codicum: *Francof.* 1609. 1612. 1634. in 8. 1628. in fol.

M. Tullii Ciceronis Opera omnia cum notis Jani Guilielmi & Jani Gruteri: *Hamburgi* 1619. in fol. *Lugd. Batav.* 1661. in 4.

Bibliotheca Exulum, ſeu Enchiridion divinæ humanæque prudentiæ: *Argent.* 1624. in 12. *Francof.* 1625. in 8.

Chriſtophori Pflugii (id eſt, Jani Gruteri, Vid. de ſcriptis & Scriptoribus Anonymis Syntagma Vincentii Placcii nuperrime editum p. 238.) Epiſtola monitoria, ſive ad Lectorem novæ editioni Plauti, quæ modo adornatur, præfigenda, in qua fatuitas Apologiæ Joannis Philippi Parei, contra Janum Gruterum detegitur: *Witteb.* 1620. in 8.

Euſtathii Su. P. (id eſt ejuſdem Gruteri, ut ipſe Pareus indicat in Provocatione ad Senatum Criticum) contra Pareum: *Francof.* 1620. in 8.

Plinii Panegyricus cum Annotationibus Gruteri & aliorum: *Ludg. Batav.* 1675. in 8.

JULII

JULII CÆSARIS LAGALLÆ PHILOSOPHI ROMANI VITA,

A LEONE ALLATIO Conſcripta.

Clariſſimo Doctiſſimoque Viro Guidoni Patino Bellovacenſi, Doctori Medico Pariſino & Scholarum Cenſori meritiſſimo,

GABRIEL NAUDÆUS *S. P. D.*

ILLUD *mihi ex voto, ſi quidquam aliud omnino contigit, eruditiſſime Patine, quod quærenti mihi occaſionem eodem Te officiorum genere demerendi, quo amicorum meorum benevolentiam, & præclara in me voluntatis teſtimonia poſteritati conſignare ſoleo: Tu velut ex condicto, hoc unum à me poſtulares, ut ſummi Philoſophi Julii Cæſaris Lagallæ vitam, quam ab eximiæ doctrinæ titulis commendatiſſimo Leone Allatio conſcriptam, & in ſupellectile mea chartacea repoſitam dudum intellexeras, Tibi in aliquot dies commodare vellem. Hanc igitur, nulla interpoſita mora, velut ſi mihi Deus occaſionem illam votis meis ſatisfaciendi ex machina quadam obtuliſſet, ſub tuis præclaris & felicibus auſpiciis, in publicam hominum lutem emittere conſtitui. Sic enim præterquam moleſtiſſimis laboribus conſulam, quos afferre Tibi in ea ex Manuſcripto meo eruenda Anagnoſtæ cujuſdam ineptiſſimi quo Romæ ſum uſus, negligentia potuiſſet; illud inſuper feciſſe mihi videbor, quod utriuſque noſtrum rationes poſtulabant, dum publicæ commoditatis ſtudium, quo vel à teneris*

teneris annis raptum Te miro modo atque in censum fuisse nemini non perspectum est, hoc veluti pretiosæ cujusdam & peregrinæ mercis fragmento locupletare, Te uno potissimum annuente, cujus exquisitum ut in cæteris rebus, sic in literaria judicium est, contendo: Meæ vero singulari in Te observantiæ puto etiam hoc exiguo licet munusculo satisfactum iri, si non omnino, saltem eo modo, quem præstare mei similes & in literis innutriti homines solent, dum acceptorum beneficiorum memoriam hoc uno, velut ad eorum perpetuitatem erecto monumento non intercidere patiuntur. Et sanè quantum ad me attinet, palam hac in Præfatione testari non verebor, Te unum esse, cujus eximiam doctrinam, miram probitatem, fidem in amicos, diligentiam in Arte, studium instruendæ Bibliothecæ, voluntatem de bonis omnibus bene merendi, conatum egregias aliorum actiones promovendi; animum denique præclaris de rebus informatum, Posteritas ipsa in exemplum ducere possit. Quid plura? In tuorum etiam meritorum partem aliquam veniet, quod istius libelli editione, & expressa in eo Cæsaris Lagallæ vitæ ac studiorum ratione, quæ neglecta hucusque à Gallis nostris fuerunt, aut ab unico dum taxat Carpentario cum aliqua felicis progressus laude diligenter exculta sanioris, operosioriisque Philosophiæ documenta, velut excusso postea negligentiæ veterno, incrementum sumant, non minus imperii nostri magnitudini, quam Academiæ Parisiensi convenientissimum. Hunc igitur, consultissime Patine, Tibi veteris amicitiæ, necessitudinisque lege conjunctissimo libenter oblatum, lubens etiam, volensque ut accipias, oro Te majorem in modum atque obtestor. Neque enim aliud est, quod vel pro morum tuorum singulari candore, qui bonis omnibus apud Te difficiles aditus esse non permittit: vel pro doctrinæ tuæ fama longe lateque per orbem disseminata; vel denique pro mea in Te & doctissimi viri Leonis Allatii propensione, cum æquius, tum etiam honestius facere possis. Vale. Datum Lutetiæ pridie Non. Maii. M DC XLIV.

JULII

JULII CÆSARIS LAGALLÆ
VITA.

JULIUS CÆSAR LAGALLA in oppido Padula Lucaniæ Provinciæ, non deſpiciendo loco, patre Roberto, matre Victoria, ingenuis parentibus, anno MDLXXI. ortus eſt. Robertus eodem oppido, Bernardino patre natus, Juriſconſultus totius Provinciæ celeberrimus graviſſimis negotiis ſub Philippo II. Hiſpaniarum Rege decernendis curandiſve præponitur. Victoria mater in Buxento, ejuſdem Provinciæ civitate, ſplendore natalium nobilis, familia Roſa, patrem habuit Joannem, Juriſprudentiæ ſcientia illuſtrem, cum ſummo imperio Biſiniani Regulorum totius ditionis Præſidem, avunculum Petrum Antonium Panſam, ab eodem Hiſpaniarum Rege, toti Siciliæ Regno citra Pharum & à Pio V. Pont. Max. Latrunculatoris poteſtate, univerſæ juriſdictioni Eccleſiaſticæ adverſus facinoroſos homines præfectum. Duos habuit germanos fratres, ætate majores, Joannem Baptiſtam primum, & Joannem Vincentium alterum, quorum uterque in Salernitano primum gymnaſio, ſub Pyrrho Altanio, & Angelo Spannocchio; deinde ſub eodem Pyrrho, & Jacobo Gallo, in Neapolitano, Juriſprudentiæ ſtuduit, ubi & Doctoratus laurea fuit inſignitus. Ipſe Julius omnium natu minimus, cum in patria, Grammaticæ, & humanioribus literis vivaci ingenio, tenaciſſimaque memoria fœliciter operam dediſſet, undecimo ætatis anno, ad majorum nobiliorumque diſciplinarum ſtudia capeſſenda, invito patruo Hieronymo Lagalla, ſacerdote frugi, in cujus tutela tum ipſe, tum fratres, poſt parentum obitum erant, Neapolim profectus eſt. Maximis inde conatibus vehementiſſimoque animi ardore à Julio Stillabota Auguſtinianæ Familiæ, ex eodem oppido Paduleæ tyrocinia Logices excepit: à quo poſtmodum, veluti ad majora ſubſellia tranſiens, ſub Franciſci Antonii Vivoli Neapolitani diſciplina Ariſtoteliceæ Logices præcepta hauſit, & Peripateticæ Philoſophiæ rudimenta decerpſit: poſt quæ apud Bernardinum Longum in Philoſophiæ arcanis delibandis percipiendiſve, multis annis aſſiduus curam atq; operam collocavit; ita ut quantumvis adoleſcens adhuc eſſet, gratus inter omnes diſcipulos haberetur, judicareturque apud eundem præceptorem, & vegeto & maturo ingenio præditus, non ſine aliorum livore atque invidentia. Conſequutus Philoſophiæ peritiam, Medicinæ ſub clariſſimis præceptoribus in eodem Gymnaſio vacavit & confectum jam ſenio, quique paulo poſt profitendi munus deſeruit Joannem Antonium Piſanum, Neapolitanum Medicum & Philoſophum eruditiſſimum atque elegantiſſimum audivit, & paulo poſt Hieronymum Pulverinum Neapolitanum pariter, in medicinæ praxi ſummo-

pere laudatum, cujus doctissima ac saluberrima extant monumenta, de medendis humani corporis morbis, à quo primum eam Medicinæ partem percepit. Suprema demum documenta hausit à Cæsare Scanapeco, viro incomparabilis doctrinæ, probitatis judicii, & singularis in re Medica experimenti; cujus tanta fuit apud Neapolitanos auctoritas, ut ejus monita, & prædictiones tanquam oracula haberentur, ac tantæ in eum congestæ sint opes, ut centum millia aureorum in duobus tantum Nosocomiis, propriis in medendo stipendiis comparata, testamento legarit. Post perfecta Philosophiæ, ac Medicinæ studia, initiatus (quod in urbe Neapolitana frequens est) laureæ gradu, in explicandis tum ex Philosophia, tum ex Medicina particulis, & morbi lateralis curatione coram Hieronymo Provenzalio, qui postea fuit Clementis VIII. Medicus, & Archiepiscopus Surrentinus, & Hieronymo Caro, ad id ab Archiatrorum Collegio deputatis, tantum doctrinæ, eruditionis, ac vegeti ingenii specimen dedit, ut habita ejus rei in Collegio commemoratione, decretum illico fuerit, Doctoratus lauream, & reseratis januis, & nulla pecuniarum solutione, quæ dupla ad id deponi solet, illi tribuendam. Præficitur mox, suadente ad id & hortante Bernardino Longo, qui de eo miram spem conceperat, toti Pontificiæ classi medicus, penultimo Sixti V. anno, cum decimum octavum vix suæ ætatis attingeret: & eo quidem consilio, hoc illi persuasum à Bernardino fuerat, quo haud diutius illo in munere permaneret, sed eo tanquam transitu ad urbem Romam, totius orbis emporium uteretur. Multis interea rationibus id Scanapecus, alter Medicinæ præceptor, illi dissuadere, suam operam in Neapolitana urbe polliceri, ubi illustrem, & magis fructuosam posset medendi artem experiri. Sed quis currentem jam animum impediret, magnis cogitationibus adactum? Quis elatum ingenium, veræque laudis incitamentis excitatum deprimeret? quis præceps retro ageret? Consilium probavit sibi à Bernardino Longo datum, tentandi sui cupidus in Urbe omnium prima. Scanapecus ipse cum non posset illum à sententia dimovere, literas, quæ illi propter auctoritatem scribentis magno usui fuere, ad Antonium Cardinalem Saulium, Ducem totius Pontificiæ Classis, dedit, quibus testabatur se optimum misisse inter suos discipulos alumnum, ac proinde commendatum haberet, & carum. Ergo, soluta ex Neapolitano portu Classe, cum Horatio Lexario Joannis Andreæ Auriæ sororis filio, qui tunc Cardinalis vices in Classe exercebat, Centum cellas appulit: è quibus postmodum, peractis hibernis, quam nondum prius viderat, Romam venit pridie profesti Ascensionis Domini: ibi salutato Saulio, de accipienda laurea in Romano Gymnasio cogitavit. Quapropter statim ad Antonium Rigum Pontificium Medicum, & Archiatrorum principem, se contulit, & aperto consilio, soluta pecunia, quæ ad id opus necessaria erat, acceptis (ut vocant) punctis ordinariis, die insequenti, quod Ascensionis profestum fuit, Doctoratus insignibus in Philosophia, & Medicina decoratus est: admirantibus Archiatris in adolescente adhuc, qui nondum decimum nonum egressus esset ætatis annum, tantam esse & rerum varietatem, & soliditatem doctrinæ. Paulo post à Donato Antonio Sanctorio, singularis eruditionis atque probitatis viro, curandæ valetudini Julii Antonii fratris, Cardinalis Sanctæ Severinæ non doctrina solum, & usu rerum, verumetiam Ecclesiastica disciplina, & sanctitate eminentissimi, destinatus

ſtinatus eſt; cui perſpecta adeo ejus ingenii vis eſt, ut non erubuerit, pro re nata, ipſum Medicum Clementi VIII. proponere; quem ſola viri nimium recens ætas detinuit. Interim cum in publico Romano Gymnaſio ſubſellium vacaret Logicæ facultatis docendæ, munus hoc pro illo à Clemente Pontif. Cardinalis idem impetravit, in quo novem continentibus annis ſe exercuit. Accerſitus intra id tempus auctoritate Franciſci Piccolominei, poſt obitum Petrellæ, ad Gymnaſium Patavinum: quo, Cardinale ipſo repugnante, cui operam etiam in medendo navabat, non acceſſit. Interea variis in diſputationibus, ac publicis converſationibus, ſui ingenii ſpecimen præbuit. Potiſſimum vero enituit in ſacris orationibus, quæ ante ſummum Pontificem recitari conſuevere; quarum quatuor ad Clementem habuit; unam die Cinerum in Templo S. Sabinæ: alteram in ſeculari anno Jubilæi, primo anni die, quo dictus Pontifex Portam Sanctam aperuit: tertiam de Aſcenſione, in Templo Vaticano: quartam de Sanctiſſima Triade in Sacello Pontificio, Clemente, graviſſimo, & exactiſſimo judicio, ſemper probante. Paulo poſt, cum Philoſophiam qui prælegeret in eodem Gymnaſio defeciſſet, duobus jam exactis annis, nullo ex iis, qui proponebantur Clementi, probato, cum nulla ipſius interceſſiſſent ſervitutis obſequia, nullus ambitus, nulla Principum gratia; quin cum nihil tale ipſe cogitaret expectaretve, corporis & animi angoribus male fractus, ſingulari beneficentiæ exemplo, ſponte, & motu proprio, ut dici ſolet, tali provinciæ obeundæ aptiſſimus judicatus à prudentiſſimo Principe, muneri diu à pluribus expectato præficitur; in quo poſtmodum conſtanti labore, & pertinaci ſtudio uſque ad annum quinquageſimum tertium ſuæ ætatis perſeveravit. Perſpectum deinde eſt, Clementem diu verſantem animo cui deferendum eſſet negotium tam arduum, qui & ejus dignitatem ſuſtineret, & munera perſolveret, à Bernardino Biſcia Aulæ Conſiſtorialis, ut vocant, Advocato, atque eo tempore Collegii Præfecto, viro, & majorum gloria, & doctrinarum laude, & eruditionis præſtantia in Romana aula, nemini ſecundo, ut illud Cæſari, adhuc inſcio præter ſpem omnem, & expectationem committeret, nolentem, lubentemque deductum fuiſſe. Sane Hiſtoriarum monumentis compertum eſt, Bernardini majores ruentis Italiæ cardines extitiſſe. Cum enim ad Tranum, Trajanopolim olim dictam, à Trajano Imperatore conditam, miles Italus ab hoſte multis contumeliis affectus, pro patrio decore, æquo in campo libenter ſe pugnaturum obtuliſſet, de communis conſilii ſententia à Nemurſio, & Conſalvo Ducibus, fide atque obſidibus utrinque datis, & pactis jurejurando conſtitutis, campo inter Barolum, Andriam, & Quaratam, modicis ſpatiis, ne pugna diutius traheretur, circumſcripto, ex Gallico genere tredecim equites undique delecti ſunt; totidemque Itali præſtantiores illuſtrioreſque, poſcebat convenire, qui alacri poſtea certamine victoriam, æternumque nomen ſibi & Italiæ compararunt. Inter illos, Romani Joannes Capocia, Hector Juvenalis, & Joannes Bracalon qui Biſciam Familiam, ac ipſum Bernardinum (Laudonia namque Bracalonis filia honeſtiſſima omniumque virtutum genere conſpicua muliere Bernardinus erat prognatus) præcipuo virtutis militaris exemplo, triumphalique ex integra nationum gloria illuſtravit. Et profecto dignus erat, qui juſti exercitus animos gerebat, juſtis exercitus honoribus, de juſto exercitu triumpharet. Neque

Bernardini fama humilior in pacis concordiæque ſtudiis extitit. Multa is acri, ſolertique ingenio in adminiſtranda Republica laudabiliter inventa, efficacis prudentiæ impetu, non ſine maximo civium commodo peregit: multa ſcripſit fœlicis ingenii monumenta; quæ cum edi publice interfit, ejus humaniſſimum filium Lælium, virum, præter raram in rebus ſacris & Juris priſci ac recentioris ſcientia eruditionem, vera pietate, prudentia, animi magnitudine, candore, in Rempublicam charitate, benevolentia, & æquitate præditum, & virtutis paternæ, ſicut & rerum hæredem, aſſiduis crebriſque precibus rogatum, à me adductum iri ſpero, ut præclaros illos prudentiæ tœtus in vulgus edat, publicique juris ut fiant, pro ſuo in literatos ſtudio patiatur. Bernardinus itaque Cæſaris ingenium viresque cum haberet exploratas, ne Rempublicam fraudaret, Pontifici conſilium ſuum de eligendo Cæſare, reique rationem omnem expoſuit. Hoc laboris onere ſuſcepto toto pectore, atque indefeſſo labore nec vulgari eloquio etiam ipſis quandoque adverſis Muſis, Peripateticam philoſophiam exhibuit auditoribus, non difficultatum ambagibus, & ſententiarum tenebris involutam, ſed claram jam & patentem ab auctoris, quem declarandum ſuſceperat, doctrina, niſi Chriſtiana pietas aliud moneret, nuſquam recedens. Quæ enim aſpera jam & inacceſſa, vel interpretum injuria, vel malignitate temporis, vel quod ſæculi hujus vitium eſt, delicatioris ſtomachi, & à quovis alieni labore inertia videbantur, apertis verborum luminibus, ex veterum Peripateticorum declarationibus, quibus uti & rationi magis, & veritati conſentaneis, enixe inſiſtebat, plana, & levia, ideoque grata & tempeſtiva proponebat. Diutius ſtudioſorum hominum animi dubitarunt, vis-ne & acumen ingenii, & ſententiarum ſublimitas, an eloquentia ipſa, moduſque rerum tradendarum facilis, ſed non vulgaris; elegans, ſed non obſcurus; gravis, ſed non tumens, in Cæſare præſtiterint. Quare omnes uno ore in hoc convenere, ut omnia admirarentur, ac veluti quid divinum & natura humana ſuperius laudarent ac colerent. Ariſtotelis & Platonis dogmata, ſententiaſque omnes ita in promptu habebat, ut ſæpe ſæpius, parta occaſione paginas integras & capita ſine ullo librorum adminiculo fideliter, nec uno verbo inverſo ex memoria reciteret: idque & non multis antequam excederet diebus, in Socratis Apologia & Euthyphrone, Platonicis Dialogis, contigit: quos paucis exceptis, quæ Dialogi potius introductio, quam Dialogus ſunt, nulla immutata ſerie, neque ſententiarum, neque verborum, integros per intervalla memoriter habuit. Quod & in aliis auctoribus, quos ſemel legerat, uſu veniſſe illi compertum eſt. Ita ut nunquam ad Syllabos, aut rerum catalogos cum libris expreſſos recurrerit; ridebatque eos, qui tam labili, nec veraci fundamento, ita fidunt, ut ingenio vel lucem, vel opem addi poſſe præſumerent. Hinc factum eſt, in tam varia atque continua librorum lectione, nihil ut ille excerpſerit, ſcripſeritque alieni laboris. Ea tamen firmatus rerum memoria, nunquam ex aliis, aut publica enunciavit, aut ſcriptis tradidit, quod in proprio auctore, tanquam in fonte oculatus ipſe prius non viderit: Nec Cathedram aſcendit imparatus, ſed præviis labore, ſtudio, lectione, ac conſideratione ſumma. Itaque nemo in laudandis fidem, nemo in exponendis diligentiam, nemo in tradendis auctorum ſententiis ſolertiam accuſavit. Hoc ingenii acumine ac dexteritate, multa molitus eſt, multa aliis intentata

aggreſ-

aggreſſus, felici exitu aſſecutus, promptus ad inveniendum, ad diſponendum ſerius, facilis ad eloquendum, atque opportunus; ad ſcribendum tamen ineptus, & ſegnis, ideoque etſi multa ingenio ſuperavit, & collegit, tædio tamen ſcribendi, ac ſegnitie, ut amiſſa, ruerent, non parvo ſtudioſorum damno, paſſus eſt. Suadentibus amicis, ut ad ſcribendum induceret animum, neque vinci ſe à ſimili labore permitteret, pollicebatur ille quidem, & cum unum vel alterum caput ſcripſiſſet, abjecto longius calamo, morbum corporis, oculorum aciem, dolorem capitis, vel quid ſimile cauſabatur. Et profecto characteres ejus ineptiſſimos, ſcriptionis lineæ diſtortæ excipiebant, ut difficile eſſet, cum in finem unius perveniſſet in parto dextera, principium alterius in læva, niſi digito retrogrado ducente, invenire; & ipſe etiam, qui ſcripſerat, id haberet negotii; ita ut dum is ea legeret, in riſum effundi cogeremur, & ille etiam ridens, mirum id eſſe diceret. Cum enim ipſe varios ſcribendi modos compertos haberet, primum à ſummo dextro ad lævum latus deductum, qui erat vetus Hebræorum: Secundum à lævo ſummo ad dextrum, qui eſt jam fere omnium præterquam Hebræorum & Sinenſium: Tertium ex utroque mixtum, ſed à læva incipiens, qui fuit recentior Hebræorum, & antiquus Græcorum, & Latinorum: Quartum Sinenſium, & aliorum, qui à ſuperiori parte linea recta ad inferiorem feruntur; neminem ſe vidiſſe dicebat, qui à ſummo ſiniſtro ad imum dextrum, lineas duxerit, ſed ſe primum illius inventorem eſſe ſcriptionis: & eo magis, cum illius ſcriptio, figuris hieroglyphicis conſtaret, quidvis aliud præ literis, notantibus. Quare & pauciſſima ſcripſit, & quæ ſcripſerat, ab eo ſolo, difficulter tamen legi potuerunt. Quod ſi ſcriptio ingenii facultatem & alacritatem ſecuta fuiſſet, multa jam extarent ejus monumenta, quæ ejuſdem tædio perierunt. Utut tamen fuit, ſcripſit libros tres De immortalitate animarum, ex opinione Ariſtotelis, annum agens quinquageſimum. De Phænomenis in orbe Lunæ Phyſicam diſputationem. Et De Luce, & Lumine, Aloyſio Caponio cardinali celeberrimo conſecratum. De Sympathia, & Antipathia rerum, ad defendendum unguentum, quod vocant Armarium, ſive magneticam curationem, à multis temere oppugnatum, & tanquam ſuperſtitioſum damnatum. Quod ipſe ſine ulla ſuperſtitione expertus, verum & legitimum eſſe compererat, & hoc vi, facultateque rerum naturalium, quarum nobis virtutes ignotæ. Paraphraſim in Ariſtotelis libros de Inſomniis & Divinatione per ſomnum. Tractatum de Cometis, occaſione cujuſdam Phænomeni, Romæ viſi ſupra montem Pincium, die nono Novembris, 1613. Diſputationem de Cœlo animato, noſtra opera publicæ utilitati editam Typis Vœgelianis, anno 1622. Heidelbergæ; dum palatinam Bibliothecam, à Sereniſſimo utriuſque Bavariæ Duce Maximiliano S.R. Imperii Archidapifero, & Principe Electore, Heidelberga capta, ſpolium factam, ultra Trophæum Gregorio XV. Pont. Max. donatum, Romam advehendam, ſummis laboribus, & periculis curabamus. Plurimas orationes, inter eas præcipue de ſanctiſſima Triade, De laudibus Leonis X. De laudibus Philoſophiæ. Hieronymi item Pontani Philoſophi inſignis, cui in Cathedra ſucceſſerat, diſputationem De Immortalitate animi humani, juſſu Cardinalis Sanctæ Severinæ edendam curavit. Alios tractatus & opuſcula, videlicet De Philoſophia naturali, ſupernaturali & ethica, juxta dogmata

Ariſto-

Aristotelis, & Antiquorum. De Incantationibus, fato, libero arbitrio, & prædestinatione, contra Pomponatium. De nutritione, & augmentatione. De speciebus intelligibilibus. De Anima commentarios, morte præventus, partim non absolvit, partim scidit; quod non arriderent, nec ultimam posuisset manum, Vulcano commisit. Fragmentum De speciebus intelligibilibus, à fato; incendioque salvum, ne studiosos fraudare videamur, cum aliis edemus. Unus est in omnibus dicendi modus, eadem methodus, non dissimilis exponendi ratio, &, ut uno verbo omnia complectar, universa parentis effigiem præ se ferunt. Purioris sermonis sectator, semper orationem variis figuratam luminibus, moderate tamen, & graviter, cum per res ipsas licet, exornat. Ratiocinationibus, & argumentis, quibus adversarium pellit, prosternitque, densus; nec ab eruditione tanquam severus Philosophus abstinet; ludicra ac puerilia aspernatur, veritatis amator, ipsa naturæ adyta penetrat, indeq; veritatem extractam solidis rationibus aperit. Non defuerunt qui illum in referendis aliorum opinionibus ac sententiis tanquam prolixum: at ubi verbis opus erat ad rem subjectam enarrandam, nimis arctum accusarent, vitioque illi verterent, quod multa difficilia & ardua, non ex propria sententia, sed ad ostendendum ingenii acumen, aliter ac res forent, protulerit.

Fuit habitu corporis succulento & sanguineo, ita ut sæpius, intra eundem annum, magnam sanguinis copiam mittere cogeretur, in gravissima pericula ab ejus redundantia conjectus ventre protuberanti, colore semper florido, oculis prominentioribus, auribus mediocribus & decore efformatis: fronte nec nimis arcta, nec nimis ampla: dentibus minutioribus, solidis, ac nitidis. Vini aliquantulum avidior fuit, tum ob bilis copiam, qua abundabat: tum ob animi agitationem, qua facile æstuabat: Ita tamen vina appetebat, ut à generosis & dulcibus quam maxime abhorreret; tantum enim acidioribus, adstringentibus, & oligophoris delectabatur. Nec propterea unquam ob quemlibet vini potum, negotiis vel studiis impediebatur; quinimo, & à prandio, & à cœna lectitare semper pro veteri instituto, jam inde à pueritia, cum primis literis operam daret, solitus, morbosam juventam & præproperam sibi mortem paravit. In victu mirum est dicere, quantum sobrius fuerit, pane ac vino apprime contentus, carnium minimum avidus, ita ut vix bis, aut ter in hebdomade ipsis vesceretur: ovis non multum tribuebat; caseo magis delectabatur; infensissimus multitudini ferculorum, raro, ut alterum degustaret, adduci poterat. Multis ante obitum annis, acetarii aliquid, & parum casei tantummodo, vel fructum aliquem in deliciis, & pro lautissimis eduliis habuit. Sæpissime una tantum, aut duabus, ad summum, panis buccellis, & vino contentus erat. Brevis somni, & laborum patientissimus, quousque per gravissimos morbos illi denegatum non fuit. Ingenio acri, elatiori, & injuriæ impatienti, cæterum Latinis disciplinis maxime accommodato, ac Philosophiæ potissimum naturali, cui semper studuit, ut ejus monumenta testantur. Eloquio fuit vehementi, ita ut etsi pacate loqueretur, & cum viris magnis, imperium quodammodo præ se ferret; liberiore dicendi audacia, nulla habita ratione, vel personæ, vel temporis, vel eventus, dum se læsum existimaret, & vera loqueretur; quibus rebus magnam sibi invidiam concitavit. Pecuniarum

nullum

nullum ei fuit studium; quod enim habebat hilariter inter Amicos impendebat, acerrimus avaritiæ hostis, quam homine libero indignam dictitabat. Addebat etiam nescio quæ ex severioris austeræque Philosophiæ arcanis; Paupertatem Philosophiæ vernaculam esse. Omnia flagitia, & culpas divitiarum alumnas, virtutes paupertatis: ab eaque enutritos esse quoscunque laude aliqua insignes miramur. Civitates ab ea, Respublicas, Imperia fundata. Tandem, neminem pauperem esse, qui quantum vult, habet: idque hominis animo æstimari. Cupidinem multa acquirendi, inopiam esse; Divites aliis visos, sibi ipsis non fuisse: Pauper enim homo sit appetendi egestate: dives, quærendi satietate. Tenacissimus amicitiæ, quam neque ex gravissima occasione scidit, ad iram vehementius incitatus, quæ tamen brevi interposita mora, vel levi ab lædente satisfactione accepta, statim deferveseceret. Constantissimus veritatis assertor, & capitalis hominum mendacium hostis, quos destruere civilem vitam, ac mendacium esse vitium servo, & pessimo dignum, inter differendum affirmare consueverat, ac propterea nunquam didicerat assentari. Antequam Cardinalis Sanctæ Severinæ è vita discederet, ipse in penates privatos secessit, ac primum multis annis in Exquilino Colle, deinceps in Quirinali, ubi & vita functus est, & hæc, quæ extant ipsius monumenta, conscripserat in Ædibus familiæ Grimanæ, vixit; aeris claritudine, & subtilitate admodum delectatus. Ibi dum degeret à Sigismundo III. Polonorum & Suecorum Rege, accersitus, ut ei operam suam Medicam in Polonia præstaret, datis literis ad Abbatem Bartholomæum Prociscum, tum Neapoli Regis negotia agentem, ut quamcunque vellet illi pecuniam Romæ persolveret; Obsequi Regi invictissimo non potuit, morbo, quo ægre conflictabatur, impeditus, & ulcere in vesica tunc primum enato, ex quo Amici certissimam illi mortem ob ingens frigus, quod ulceribus maxime est inimicum, antequam eo perveniret, comminabantur. Posthac à Petro Aldobrandino Clementis VIII. fratris filio, literariis exercitationibus, quibus ipse, erudita hominum corona, inter prandendum summopere delectabatur, præfectus fuit. Aderant continuo Joannes Mattheus Caryophilus, Marcus Antonius de Prosperis, aliique; sed hi potissimum Julio, primus propter arrogantem de se opinionem, & alios contemnendi libidinem odiosus: alter ob facundam, placidam, & plane urbanam facetamque consuetudinem summopere gratus. Cum aliquando de quæstione Philosophica disceptaretur, nec Antonius cum Caryophilo conveniret, Caryophilus, subcruenta facie, namque eam bile accenderat, clamoribus domum implere, mirari viri ignorantiam qui quo magis literis incumberet, eo magis intellectu ac cerebro indureseceret, se omnia optime callere, & uno die plura percurrere, quam Antonius vel alii pluribus diebus. Tum Julius; verum Caryophilus ait. An non vides Antoni dum tantum unam paginam percurris, uno eodemque tempore Caryophilum ambas (erat enim luscus, & utroque oculo, hac atque illac videre videbatur) percurrere? Alias dum nimis vocem in disputationibus efferret, atque nulla causa attantium aures contunderet: Quid id est, ait Caryophile? Si jejunus es, stolidus es; si pransus, jam ebrius obgannis. Sic etiam cum quidam inter convivandum, uxoris flagitiis famosus, argutaretur, & distinctione partium urgere videretur: nam dicebat, est vel hoc, vel hoc; si hoc id erit; si hoc, aliud erit: & Antonius

nius argutiola implicaretur; Julius dixit: Quieſce Antoni, argumento huic reſponderi non poteſt, cornutum eſt. Cum eodem Aldobrandino aliquandiu etiam Taurini fuit, dum Cardinalis apud Sereniſſimum Sabaudiæ ducem, ſibi amicitia conjunctiſſimum, degeret.

Obnoxius fuit difficillimis morbis à capite, hepate, renibus, & veſica, antequam triceſimum ſuæ ætatis annum egrederetur: moleſtiſſima tamen accedit ſalſa & acris diſtillatio, à capite, per occipitium, & ſpinam, ad renes, veſicam, & os ſacrum deſcendens; ex qua excitatum ulcus acerbiſſimum, quo is ſumma patientia, multis annis exagitatus, tandem maximis doloribus ſtranguriæ, & dyſuriæ inchoatis, mox in alios atque alios morbos prolapſus eſt. Morbus etiam inde aggravatus. Nam ut diximus, Taurini degens, cum cerea fiſtula impeditum ſibi urinæ curſum procuraret, fiſtula media rupta in veſica delituit. Cum id communicaſſet amicis, & periculum ſibi imminens ex ea, ſi non extraheretur, audiſſet, ſtatim ad fabrum ferrarium, eratq; is Horologiorum artifex, profectus, poſtulat, ſi poſſet ita inſtrumentum conficere, quod introiens partium extremarum hiatu, quidquid obviam fuerit, apprehenderet, apprehenſumque ita teneret, ut nunquam dimitteret. Faber ubi ſe id facere poſſe, juratus etiam aſſeruit, rem illi totam indicat; ille quam diligentiſſimè, quod promiſerat, effectu etiam comprobat. Tum Cæſar ferro per foramen, unde urina exit, in veſicam intromiſſo, fiſtulam arripit, arreptamque inde evellere, vel ſi una cum ipſa animus evellendus eſſet, conatur. Sed cum non extrema ſui parte, ſed media eſſet apprehenſa, ideoque circumvoluta, & in molem aucta, quam nec foramen caperet, etiamſi duplo largius eſſet, difficulter extrahitur. Ille nihilominus ſtrictis dentibus ferrum, quanta poterat vi, evellit, unaque cum ferro, non ſine dolore acrociſſimo, & inconſolabili vulnere fiſtulam, quod magis ac magis indies auctum, majores quoque excitabat dolores: hinc humorum fluxio moleſtiſſime hominem pertractabat. De qua cum Romæ inter medicos conſuleretur, omnes in ea ſententiam abierunt, alio humorem, idque cauterio, quod carnem perforaret, corrivandum. Dum Chirurgi moliuntur, & uncis ferreis carnem auferre ſtragunt, ut ignito ferro aditus patentior, ac ſecurior fiat, Julius eorum ſtudium irridens, ex ſolutis forcipibus, digitis carnem comaprimens ſumenſque, ad id ferro ignito ipſe ſibi vulnus inflixit: indeque ferro elato, adhuc digitis carnem ſemiuſtam tenentibus, funiculum cera illitum foramini ingeſſit, ſuaque manu adaptatum ita compoſuit, ut Chirurgis opus non eſſet. Exhorruerunt omnes facto, ipſeque qui aderam, aſpectum ita crucem non ſuſtinens, foras properipui me. Poſtmodum rogatus an doluiſſet, hominem fortem dolorem non capere, dixit. Tum ipſe: At hominem fortem inſenſilem eſſe non puto. Homo, reſpondit, voluntate inſenſilis ſit: dum modo velit, puncturas exterarum rerum non ſentit. Alterum poſtquam addidero de hiſce, dicendi finem faciam. Sanguis ob imbecillitatem valetudinis mittendus eſt: adeſt Chirurgus, nudatum brachium ligat, adverſis digitis conſtricat, dum venæ tument, lancetam ſumit. Verumtamen cum ob ſucculentum corporis habitum venæ non ita per ſe agnoſcerentur, ad inferendum vulnus dubie ſe conferebat. Id ut vidit Cæſar: An fremis? ait, & hæres? A mittendo ſanguine longe timor arcendus eſt, & Chirurgus hac ſe ratione, ut recte id

faciat,

faciat, componere debet. Simulque è Chirurgi manu lanceolam capit, & sine alia cunctatione venam secat, & dum altero digito os venæ comprimit, ut habeat suam lanceolam Chirurgo innuit & poculum admoveri jubet. Admotum est, excepit, quantum æquum erat excipere. Obligato tandem vulnere, è sede se movet, & ambulat. Multo plura referre possem, sed hæc ad pacatum, suique potentem animum comprobandum sint satis. Suam ipse corporis constitutionem, ægramque valetudinem *lib.* 3. *de Immortalit. anim. cap.* 5. his verbis ita prosequitur. Nihil magis, quam litterarum studium & potissimum speculatio calorem vitalem dissipat, morbos accersit, vitam breviorem reddit. Quod ipsemet malo meo edoctus fateor, qui naturæ beneficio, validissimis donatus membris, habitu totius corporis vegeto, firmo, ac pene athletico, cum temporis injuriis diutius luctari, usque ad ultimam senectam, & facile superare, aut eludere potuissem; nisi his studiis distentus, quibus tamen vacasse non piget; quamvis ab illis adeo attritus fuerim, ut viginti jam abhinc annis, variis ac difficillimis morbis implicitus sim, crebris potissimum febribus; sed perenni à capite ad subjectam spinam, ac renes distillatione, qua incessanter, & sine spe salutis affligor, ob intemperiem in cerebro jam contractam, ex evaporationibus, intempestiva, sed necessaria speculandi assuetudine excitatis, & quinquagesimum vitæ vix attingens annum, adeo effœtis sum viribus, ut semel in die cibos sumere cogar, & eam in cæteris senectutem experiar, quam vix septuagenarii consueverunt. Paucis antequam è vivis excederet mensibus (quod tam verum est, quam mirum) quadam animi rerum futurarum præsagitione ita ferebatur, ut imminentem mortem prævideret, aliisque prædixerit, & omnibus clarissimo testatam argumento confirmarit. Locum enim sibi ad sepulturam aptum munificentia Patrum Carthusianorum concessum, elegit & marmoreo lapide erecto, quid de rebus humanis sentiret, quoque profectus ex pertinaci, continuaque veræ Philosophiæ lectione habuerit, exsculptis literis patefecit. Quid inde? Rebus compositis, pacatoque animo, ingenti desiderio exposcebat, ut solutus corpore, Deo viveret. Et ne quid ageret inconsulto, quod & illi vitio verti posset, totum se Deo dederat, & Michaeli Gisserio, quem semper magni fecerat, pietatis, doctrinæ, singularisque probitatis ergo, commiserat. Quare ad illius dicta, quasi oracula, præceptaque divina se informabat, præque illius monitis, cætera omnia flocci pendebat: quod & paulo ante quam moreretur notum omnibus opere ipso effecit. Cum enim in gravissimis illis, atque atrocissimis doloribus à Gisserio inviseretur, forteque inter loquendum de cubili, in quo ægrotabat, sermo incidisset, Gisserius, libero ut est ingenio, placidis verbis significavit, se illud minime probare, quod obscurum nimis, nec aeri obvium, ideo halitus in eo interceptos, ac pressos in perniciem ducere, minarique exitium; quamobrem consuleret ipse, ut in alium locum patentem magis, & lucidum transferri se curaret. Obmutuit, imperiumque corde servatum, postquam Gisserius discessit, implere qua ratione posset, diu animo cogitavit, cum aliter non liceret per morbum, quo distentus, omni motu, veluti cadaver, privabatur, vocatis iis, quorum opera utebatur, ut omnino se in vicinum cubile adveherent, hortatur. Illis repugnantibus, morbique impedimenta proponentibus, sic, ait, peragi debet, etiam adversa valetudine, &

deficientibus viribus. Gisslerius sic adhortatus est, in ejus adhortatione vis latet imperii. Dabit Deus vires; quo jussit, promptus accedam. Ne in novissima hac hora, ita Deus à vobis malum omne avertat, deseratis gravi morbo exhaustiam. Sinite vestra ope, qui mea non possum, Gisslerii præceptis obtemperem: frustraque lassum corpus erigere tentabat. Familiares non sine ingenti labore, tristitia, lacrymarumque effusione, humeris, manibus, brachiis, toto denique corpore dulce onus, omni motu destitutum, in aliud cubile transferunt, & declinatum fovendo, si quid expeteret, interrogant. Sat bene, ait, mecum in omnibus actum est: paululum post, sicuti accepi, videbo. Vere Deus magnus, ac potens est in misericordiis suis. Sed unde egressa est, revertatur oratio. Loco jam humando corpori præparato, animum ad ipsam mortem assuefaciens, continua ejus meditatione, non alio distractum, neque invitum, ad Deum ipsum referebat. Cujus amore jam incensis ardebat, memoria expergefactus festinabat ad exitum, beneficiis erigebatur, ac moræ impatiens, omnibus votis id exorabat, ut liceret sibi humanis hisce indumentis abjectis ad divinam gloriam, sempiternæque lucis majestatem traduci. Itaque jam illi voluptates, deliciæ, dignitates, fastus, & quicquid aliud apud homines in pretio est, omnino sordebant. Tandem, quo voti compos fieret, vehementius morbus familiaris invasit. Accersit Franciscum Carum, ob elegans ingenium, velut musarum & gratiarum alumnum, plurimis annis arcto amoris vinculo sibi dilectum: meque unum, quo cum rationes omnes studiorum, nec non & adversæ fortunæ temeritatem, rerumq; angustias, magno suo solatio, atque oblectamento, sedulo communicabat. Postquam vero convenimus, non contraxit frontem tristitia, sed dulce ridentibus oculis, manuque utriq; arrepta, En, inquit, Deus propitius, quæ sua est benignitas, vota concessit. Ægritudo hæc sine dubio vitæ meæ finem imponet: jam ducor ad corporis hujusce, quod mihi tandiu ne Deum viderem, ne illo fruerer, obstitit, solutionem. Lætus expecto vocem Domini, quæ ut felix, faustaque auribus insonat, omni qua possum reverentia Deum exoro, vosque pro me preces effundere. Satis diu mundo vivimus, vivamus Deo. Dum hæc diceret contremuit totus, distortisque brachiis, digitos in pugnum contraxit, acrique morsu adstrinxit labia. Quid esset quærimus. Dolorum, ait, qui per totum corpus vagantes, interiora dilacerant, omnesque partes excruciant, effectus hic est. Næ hujus vitæ constitutio summa calamitas est, sexcentisque infirmitatibus obnoxia. Quid in se homo habeat, pro quo in Deum arrogans insolescit nondum capio. Sicque de rerum omnium opifice, mundi structura, hominisque creatione multas, variasque difficultates solvendo, & loca divinæ Scripturæ explicando, ita more suo diligenter, & erudite expositit, quemadmodum à sano, & omni dolorum cruciatu libero exponi possent. Caduca hæc esse, nulliusque dignationis, quæ præterierant; æterna, Deo ipsi coæva, quæ futura speraret. Interim nocte sequente dolor atrocior cor occupat: pedes distenti difficile contrahuntur, motuque corpus destitutum, in unam tantum partem quieverat. Sicque identidem magis ac magis ægritudine grassante, doloribusque crescentibus, vacillare vires, facultates minui, ruere omnia in pejus percipiebantur. Sana tamen mentis acie, animoque inconcusso, quæ sibi & usui esse & utilitati, quasi non de proprio,

sed

ſed alieno morbo tractaret, præcipiebat ſemper hilaris. Quare & inter loquendum ſi joco tum aliquid, ut ejus animum quodammodo ſublevarent, Amici protulerunt, neque riſui pepercit, neque cachinnis temperavit. Quæ ego dum nimis attente conſiderarem, exciderunt invito lacrymæ quas diu ſponte effluentes continebam, ne ægro moleſtiam exhiberem. Ubi ipſe iſtud animadvertit, ſolutus in riſum, Quid id eſt? ait, quæ perturbatio? Itane dulce ac gratum tibi erit in meis deliciis, ac felicitatibus lacrymas fundere? Cave, mea ſolatia tua mœſtitia confundas. Jam iter confecimus, jam ad metam pervenimus. Nunc lætitiæ exultare, nunc geſtire gaudio, nunc voluptatibus indulgere debemus. Adſis Deus, diſrumpe moras: animum, quem tuo ſanguine expiaſti, promptum ſuſcipito. Pridie antequam de vita decederet, nigram, atramque bilem veluti fuliginem evomebat: tum mihi accerſito dixit, Quod fauſtum ſit, imminentis ſigna mortis conſpice; ſtatim enim ac ceſſarit vomitus, animam efflabo. (hicque Hippocratis textum recitavit.) Obſerva tamen, raro enim ſimili ratione atra bilis cernitur; & mihi ſemel, aut bis eam ſic aſpicere contigit toto illo ſpatio, quo Medicinam exercui. Indeque digitis arreptam, ſpiſſatamque in globum contrectabat; quæ ilico diſſolvebatur in pulverem, & deinde in globum reducebatur: eamque aiebat ſaporis eſſe acidiſſimi, ita ut difficillime illam evomeret. Ita magnus vir, integris ſenſibus, ac mente ad extremum uſque ſpiritum (nunquam enim eum loquela deſtituit) & ratiocinabatur, & exponebat eruditiſſime, & expoſita ſuaviſſimis verbis confirmabat. Anno itaque Chriſti MDCXXIV. qui ejus vitæ fuerat quinquageſimus tertius, per viginti quatuor dies cum ejuſmodi doloribus conflictatus, 16. Cal. Martii, ſub auroram, veluti in ſomnum converſus, maximo Amicorum omnium dolore, & luctu obiit: cum antea caviſſet, ne aliud ſuo monumento Epitaphium incideretur, præter id quod ipſe vivens exſculpendum mandaverat. Illud vero tale eſt.

D. O. M.

JULIUS CÆSAR LAGALLA,

Lucanus, Comes Palatinus, & Protonotarius Apoſtolicus totos annos triginta duos doctrinam Ariſtotelis

PUBLICE IN URBE PROFESSUS

Intelligens

PHILOSOPHIAM ESSE MEDITATIONEM MORTIS,

Hic locum humando corpori

Ut animus piorum precibus juvetur

Vivens elegit,

Anno ſuæ ætatis LII. MDCXXIII.

OBIIT XVI. KAL. MART. CIↃ. IↃC. XXIIII.

ΓΕΙΤΟΝΑ ΚΥΚΝΟΣ ΑΕΙΣΕ ΜΟΡΟΝ ΠΕΛΕ ΔΕΡΓΟΝ ΑΟΙΔΗ.

Carmen Græcum, quod in Inſcriptione ultimo loco poſitum eſt, nos ipſi poſt mortem Lagallæ inſculpendum curavimus, Platonis verba reſpicientes, quæ in Phædone, morte jam imminente, Socrates de Cycnorum natura diſſeruerat.

De Docto Quadrumviratu hic occurrente,

EPIGRAMMA.

Lagallam, Allatium, Naudæum, teque Patinum
Sorte coiſſe videns quis putet abſque Deo?
Nempe volens ſolidæ doctrinæ fingere cubum,
Quadratum toto publicat orbe decus.

G. SAWAGEON, Nivernenſis, Lagallæ diſcipulus, ex Academia Romana Medicinæ Doctor, & Lugduni Aggregatus.

PAREN-

PARENTATIO HISTORICA:

SIVE

Commemoratio Vitæ & Mortis, V. C. Guilielmi Camdeni Clarentii, *facta* Oxoniæ *in Schola Hiſtorica per* Degoreum Whear *Hiſtoriarum Prælectorem, ab eodem* Camdeno *ibidem conſtitutum.*

TAne comparatum eſt in ætate hominum? ita Diis placitum, voluptatem ut mœror comes ſemper conſequatur? ut incommodi aliquid, malique illico aſſit, boni ſi quid obtigerit, ut *Plaut. Amph.*

* *Luctus lacrymæque ſequantur*
Vota, nec in cunctis ſervet Fortuna tenorem? * *Manil.*

Ita hercle (ſpectatiſſimi Acad.) nos omnes quotquot huc convenimus hodierno die, vero, ſerio, edocti ſumus: nos (inquam) omnes, de nobiſmet ipſis liquido & experienter ſcimus. Unus vix adhuc factus eſt menſis, quod lætam, exultantem, triumphantem vidimus Academiam, quod totum Muſarum chorum ſolennes canentem Pæanas auribus vacivis excepimus; quod omnia templa, ſuggeſta omnia, hæc ipſa denique artium, ſcientiarumque domicilia, par gaudium, pares acclamationes perſonantia * lubentes audivimus. Verum (heu!) dum nos hic gaudii illius noſtri quandam patimur cruditatem, dum ſuaviſſimus ille Muſarum ovantium concentus auribus noſtris adhuc inſonat, ecce! fœlicitas Academica lugubri mordetur faſcino, & communis literatorum lubentia amaritudine gravi temeratur. Adeo *Gratulationes in reditum principis fœlic. pridie Kal. Novemb.

* *Nulla ſors ſors longa eſt, dolor & voluptas*
Invicem cedunt —— *Senec. Thyeſt.*

Eam voluptatem, id gaudium, effuſam illam animorum noſtrorum lætitiam præſti-

præstitit nobis, & toti fere Christiano Orbi, fœlicissimus augustissimi Principis reditus; hanc vero tristitiam, hunc mœrorem, largam hanc dolendi materiam nobis ante alios oggessit nuperus viri in Repub. literaria principis obitus. Occidit, occidit (Acad.) priscæ omnis literaturæ, ac veræ Historiæ sol lucidissimus, splendens & fulgidum rei antiquariæ vetustatisque jubar, imis & nimium festinis tenebris obducitur. Ille, ille optimus senex *Gu. Camdenus* trisecli senis Homerici ævo dignissimus, confecto jam ætatis curriculo, ad plures abiit, nobisque ingens sui desiderium reliquit. Terra Britannia lumen & decus eximium, Mater Academia Ornamentum & Benefactorem egregium, miser ego patronum & parentem charissimum, amissimus. Quod dum attentius mecum recolo, vobisque omnibus satis jam notum recordor, neminem esse vestrum opinor (Acad.) qui miretur amplius, quod per aliquot septimanas Historia muta & elinguis fuerit, quod hæc cathedra prorsus vacua, hi parietes vocem nostram prius resonare soliti, nuper funesta taciturnitate luctum suum meumque aliquandiu fuerint testati: Imo quam maxume velle subigor, ut mihi sicut vestrum cuilibet porro adhuc silentio indulgere concessum foret, aut saltem secedere, quo vel tempore & mora dolorem parentis amissi decoquerem, vel migratione aliqua (quod mœrentibus est familiare) curas animi discuterem, Quotus enim quisque filius est, cui vox in parentis funere loquendo suppetat? cui lingua animi ægritudinem enunciando satis esse possit? quin stupet citius mœrore primo oppressus, aut fixus hæret; adeo ut neque lingua, neque ingenium, neque animus ipse, suo prompte defungi officio valet. Lætitia quidem loquax res est, atque ostentatrix sui, doloris autem prærogativa præcipua est silentium. Præterea mihi cor molle est, & ad sensum justi doloris in lacrymas & fletus diffundi mirum quam proclive: nec quenquam vestrum latere potest, quantum dolori accedat incrementi, dum id quod dolemus, prædicamus. Verumenimvero, mihi necessitas quædam incumbit, cui neque pauperti ingenij conscientia, neque gravati pectoris vulnera, immo nec ipsum fortassis decorum, sine dedecore & ignominia, facere possunt, ut secure me subtraham. Erigite itaque ac juvate (obsecro vos Acad.) benevolentiæ Vestræ atque attentionis favore, anxium, infœlicem, miserabilem, sive Oratorem, sive Prælectorem vestrum, nec difficiles sitis ad veniam roganti concedendam, si qua per lacrymas, si qua per suspiria & singultus interturbetur Oratio, verborumque ordo pereat aut deficiat: dum liqueat vobis me pium esse, parum refert haberi infacundum. Dicendum mihi est de clarissimo *Guil. Camdeno*, viro,

Quem manibus propriis finxit cordata Minerva,

Οὐδὲ ἑυτὴ πολύμητις ἀνέπλασε Παλλὰς Ἀθήνη. De Orat.

viro in tantum laudando, in quantum virtus & multijuga doctrina intelligi aut laudari possunt. Quod igitur *M. Cicero de Platonis Socrate* affirmat, & de *L. Crasso* à legentibus postulat, ut *majus quiddam de ijs quam quæ scripta sunt suspicarentur*; illud ipsum de nostro *Camd.* τῷ μακαρίτῃ dicturus à vobis (Acad.) postulo, petoque, ut quæ & quantacunque à me dicta fuerint, majus adhuc quiddam superesse arbitremini: imprimis scitote divinas illas virtutes ejus, quarum insignibus ad miraculum usque clarus fuit; puta fidem, pietatem, charitatem; tum humilitatem, modestiam, continentiam, temperantiam, has

(in-

(inquam) ſcitote illibatas à me prætereundas, idque ex religione quadam & reverentia, ne culpa deteram ingenij, aut impari prædicatione, meam ipſius operam devenuſtem: publico potius Oratori, qui ornatius, copioſius, & pro dignitate magis eas celebrare poteſt, * relinquo. Ego Hiſtoricæ Epitomatoris partes tantum agam, ſummulam nimirum vitæ ejus, ab ortu incipiens, & veſtigia aliqua rerum legens, pictorijs quaſi umbris brevi tabella delineabo. Quod ſi intereſſe putemus, quo cœlo, ſoloque quis naſcatur, quave ſit ortus proſapia (& ſane intereſſe plurimum ad res magnas ubique autumant docti) nos quoque id primo loco de noſtro *Camdeno* libenter adnotabimus. Lucis uſuram primam ei totius regni metropolis Londinium præbuit, ab utroque elemento urbs fœliciſſima, *Urbs peramœna ſitu, cœloque, ſaloque beata*; Per orbem latè clara, ob civium humanitatem, ædium nitorem, fœliciſſimorum ingeniorum proventum, omnem denique quæ ad humanæ vitæ cultum, neceſſitatemque ſpectant, redundantem copiam. In hac (inquam) urbe natus eſt clariſſimus noſter *Guil. Camdenus* Anno 1550. in vico quem *veterem Ballivum* nuncupant, Patrem habuit *Sampſonem Camdenum* civem Londinenſem, ex ſocietate ſive Collegio Pictorum, ipſum *Lichfeldiæ*, urbi ſatis amplæ ac nitidæ in agro Staffordienſi, honeſtis etiam parentibus oriundum. Sed minutula ſunt iſthæc & externa, quæque noſtra vix putamus vocanda; ſed nec adeo gloria vacuus hic noſter, ci ut honos ex locorum, generiſve ſplendore adſciſcendus ſit: longe majora prædicaturi ſumus, intra ipſum nata, & quæ fecerit ipſe. Eum pater à primis incunabulis rei literariæ deſtinavit, cujus prima ſemina ſub magiſtro neſcio quo, in paidotrophio illo ampliſſimo quod Ædis Chriſti Londini appellatur, imbibit; inde Scholam *Colettianam* ad *Divi Pauli* ſitam petijt, ubi præclaræ indolis puer, tantos in literatura brevi fecit progreſſus, ut ipſa parentum vota facillime præverteret, omnes, quibuſcunque notus, in amorem ſui invitaret, pleriſque etiam admirationi eſſet; poſtea adoleſcens factus quindecim annorum, *Athenas* noſtras, *Oxonium*, ad uberiorem ingenij cultum, & humaniores diſciplinas perdiſcendas venit; ubi tirocinium primum exegit, & Logices rudimenta celerrime depoſuit inter *Magdalenenſes*; nec diu apud hos ultrà moratus eſt (neſcio an ſpes adoptionis in illud ſodalitium, quam forte nonnullam conceperat, protinus decollaverat) quin mox tranſit ad antiquiſſimam Aularum *Lateportenſem*, ubi per duos annos & dimidium conſtanter hæſit, quo temporis ſpacio, oppido quam feſtinavit indoles, & ad maturitatem properavit ingenium! Optimis ſeſe ſtudijs totus addixit, meliorem literaturam calide hauſit; ſub ductu & diſciplinatu viri etiam tunc temporis præclari nominis, nunc admodum reverendi *Tho. Thorntoni S. Th. Docti.* & multa jam annorum luſtra, cathedrali illius Eccleſiæ *Vigornienſis*, Regaliſque hujus noſtræ *Ædis Chriſti* Præbendarij. Nec minus pietati ſtuduit hic noſter quam liberioribus ſcientijs, cujus luculenta quædam adhuc extant veſtigia apud *Lateportenſes*, nempe benedictiones ſive precatiunculæ menſales, quas ipſe juvenis Latine primum meditatus eſt, & ad hunc uſque diem à ſervientibus quotidie ſolenniter recitantur. Eodem tempore aderant, una ejuſdem Aulæ Commenſales, *Camdenoque* noſtro perquam amici & familiares, (ex ipſiuſmet ore accepi quod refero) honoratiſſimus nunc Dominus *Baro Carevus*, ſereniſſimo noſtro Regi *Jacobo* ab interioribus Conſilijs: præcabiles etiam *Johannes Paschingtonus*, *Stephanus*

* *Sciat Lector hanc commemorationem factam aliquot his ſeptem diebus ante publicam Orationem.*

Connub. Tam. & Iſis. Camden Middleſex.

An. 1565.

Stephanus Powlus, *Edwardus Luccius*, omnes postea Equites aurati, aliique plures natæ præstantioris viri quos omnes me audiente haud longe ante mortem prompta commemoravit memoria; quod ego in honorem charissimæ nutricis meæ lubens repeto, adeoque gratulor tibi veneranda Aula *Lateportensis*, de hoc tuo Alumno præ multis alijs; mihimetipsi quoque haud parum gratulor, quod iisdem tuis uberibus quibus ille (ò si pari effectu & profectu dedisset Deus!) cum ad hanc Academiam recens accederem, lactari contigit. Sed non diu apud *Lateportenses* latere potuit virtus ejus & doctrina, ita passim claruit & erupit flammæ surgentis instar, quod amicitias & familiaritates ei contraxit magnas & multiplices, quarum nonnullæ usque ad extremum vitæ decursum perpetuo viguere: unam hic inter nostras Oxonienses, quia antiquissimam & religiosissime ab eo semper cultam noverim, indictam præterire nequeo: illam scilicet quæ ei tecum doctissime noster *Thoma Allene Gloceſt* in ipsa juventute intercessit, nec in extrema canitie intermisit. Tuum nomen quanto cum adfectu semper audijt? de te quoties & quam amanter, ubicunque ei aderam, meipsum percontatus est? ab Aula *Lateportensi*, ad Regale *Ædis Christi* Collegium transijt dicam? an raptus est? plane ita. Nam venerabilis *Thorntonus* ductor ejus & doctor, tanto cum amore prosecutus est, ejusque virtutes tam chare habuit ut suum esse totum & magis peculiari modo voluerit. Sed nec intra cancellos amplissimi licet hujus Collegij, uti fama nostri *Camdeni*, sic neque ipse continere potuit; per totam *Britanniam* illa brevi diffunditur, ipse quoque mox partem ejus longe maximam oculis perlustrat: siquidem antiquitatis studiosus & impensius amans, † præsertim tuæ patriæ, nihil quod ad ejus veritatem eruendam momenti aliquid habere videretur omisit. *Britannorum* antiquissimorum linguam subsidio sibi jam comparaverat, † glossaria omnia, & peritissimum quemque circa eam sedulo consuluerat, in Græcis, Latinis, Patrijs scriptoribus diu multumque versatus fuerat, nunc etiam Regionum *Britannicarum* situs & limites, terræ dotes & ingenium, incolarum mores & vivendi rationem inquirere, contemplari, observitare desiderat; atque hinc iter ejus per *Britanniam*, ut penitius ea perdisceret, quæ totum literatorum orbem aliquando docere secum animo statuerat: ita pertinaci studio pergit hic noster *Camdenus* rectum virtutis & honoris iter insistere, rebus pulcherrimis cruendis incumbere, omne ævum suo demereri. Inde magna de eo fama ad Magnates viros pervenit, imprimis ad honoratissimum *Guil. Cecilium*, *Baronem Burghlæum*, summum *Angliæ* tunc Quæstorem necnon ad reverendum & integerrimum *Westmonasi*. Ecclesiæ Decanum, Doctorem *Goodmannum*, virum, ita ut nomen ejus cluit, reapse bonum: accersunt, noscunt, amant, eumque sibi humanitatis ac liberalitatis officijs arctius devincire conantur. Non longa est mora; præter alias dignationes, † aperit nobilissimus ille Quæstor Bibliothecam instructissimam; optimus hic Decanus Scholam Regalem *Westmonasterienſem*; Promagister constituitur, quod munus haud inexpergite obit, aut indiligenter colit, sed adeo naviter, adeo industrie curat per aliquam multos annos, ut venerabili decedente *Grauta*, ipse sine ambitu summus Moderator audiret. Adsunt nisi fallor, in hoc splendido consessu, nonnulli quondam ab ejus disciplina, qui meis dictis fidem facere possunt. Dum laboriosam hanc sustinuit provinciam, Deus bone! quæ & quanta elucubravit? Græce, Latine,

† *V. Resp. ad Antiphilum suum quendam in calce Britanniæ, 5. editionis.*

† *Vsius Init. in Præf.*

† *V. Epistolam ad. 2. Edit. B.*

† *V. Præf. ad Annal.*

Latine, Anglice, eaque per horas ſubſecivas! unicum illud & incomparabile opus ſuum mihi videte, quo *Britanniæ* noſtræ Antiquitatem, & ſuæ antiquitati *Britanniam* reſtituit, quo pulcherrumam terram (à toto Orbe diviſam, toti terrarum Orbi conſpicuam & illuſtrem reddidit: hoc uno opere quid luculentius? quid limatius? quid accuratius, vel *Pauſanias*, vel *Strabo*, vel quivis alius veterum Geographorum dare potuit? vetuſtis induit novitatem, obſcuris lucem accendit, dubijs fidem conciliavit. Jamque ultra maria etiam (quacunque bonarum literarum penetraſſet amor & notitia) innoteſcere & celebre fieri nomen ejus cœpit, nec quiſquam fere peregrinus & exterus (modo doctior, & diſciplinis cultioribus inſtructior) haſce noſtras appulit oras, quin illico de *Camdeno* inquireret, videre geſtiret, ſalutare, ejus ambire notitiam, & amorem: quoties eum per Epiſtolas humaniter & amice compellarunt *Ortelius*, *Lipſius*, *Douza*, *Scaliger*, *Thuanus*, *Gruterus*, alij plurimi, in Repub. literaria viri, haud ita pridem ſummates habiti? quoties reconditam ejus eruditionem, alij ſcriptis ad eum paginis, alij præſentibus colloquiis explorare atque eruere ſategerunt? quaſi bonarum artium & literarum veterum ipſe condus promus ſolus fuiſſet; ne longum faciam; exquiſitam ejus doctrinam, multiplicem & variam ejus cognitionem ex unius *Pauli Merulæ* Hiſtoriarum olim Profeſſoris apud *Leidenſes* teſtimonio promptum eſt conjicere. Is in præliminari quadam Epiſtola ad Q. *Ennii* fragmenta, album ſatis prolixum doctiſſimorum plus quam 70 virorum, qui amicitiæ fores ſibi benigne aperuiſſent in itinere ſuo per *Italiam*, *Galliam*, *Germaniam*, &c. recenſens, in fine Catalogi addit, *Ex Germania domum reverſus, per Gallias & Angliam, ubi inter omnium mihi fuit Guilielmus Camdenus.* Et nunc Divæ *Elizabethæ* Reginæ fœliciſſimæ memoriæ percharus fit; inſinuatione primum magni illius *Baronis Burghlei* Quæſtoris, quem antea nominavi; ſed magis poſtea ſuffragio atque adſtipulatione, nobiliſſimi *Fulconis Grevilli* nunc *Baronis Broke*, cujus maxuma in ſe merita ſummo gratiſſimæ mentis candore agnovit noſter, æternaſque loquens tacenſque gratias & egit & habuit. Sereniſſima Regina præclaras hominis dotes, æquiori æſtimans judicio (erat enim mirifica innocentiæ ac virtutum ſpectatrix) cenſet ibi debuiſſe præmia honorum longe majora eſſe, ubi tanta & tam clara fuiſſent virtutum merita, à negotioſo igitur Scholarchæ negotio eum revocat, & (quod ne quidem ſomniavit ipſe, nec vel precibus emit) in Fecialium Collegium adſciſcit: hoc eſt, inter miniſtros Regios, quos *Heraldos* noſtrates vocitant, *Clarentiumque* (ſecundum ſcilicet è tribus illis Armorum Regibus dictis) conſtituit. Quantæ dignitatis eorum fuerit ordo, ex ipſo titulo conjecturam haud obſcuram facere licet: certe conſtat magnæ olim apud Romanos, nec minoris fortaſſis apud nos. Hoc officio fungendo quam laudabilem navarit operam, gratia, & æſtimatio, & dignatio, quam hoc nomine etiam obtinuit longe maximam, cum apud ſereniſſimos Principes Divam *Elizabetham*, Regemque noſtrum *Jacobum*, tum apud Proceres, & univerſam regni nobilitatem, ſatis argumento eſſe poteſt; quod etiam abunde confirmant illa, ſive collectanea, ſive adverſaria, ſive alia lucubrationum atque obſervationum genera dicamus, quæ ipſe multo labore & ſtudio collegit, ſcripſit, aut concinnavit, & in uſum *Heraldorum*, ſucceſſori ſuo teſtamento legavit. Nimirum anguſti ſemper animi eſſe puta[illegible], ſibiipſi ſolum & Musis ſuis canere,

ſibiipſi ſolum ſtudere, ſudare, vigilare: Publice prodeſſe avebat, & poſteritati relinquere quod imputaret. Paucis demum exactis annis, Annales rerum Anglicarum & Hibernicarum, regnante *Elizabetha*, aggreditur, ſuo tempore abſolvit, ejuſque primam partem edidit, in quo opere, perfectæ Hiſtoriæ numeros omnes reperiri, haud credo quenquam eſſe qui diffitebitur, niſi judicium præjudicio obnoxium nimis habeat & occæcatum. Continuo poſt ejus admiſſionem in Collegium Fecialium, tum ut novo huic muneri conſtantius inſerviret, tum ut ſtudiis etiam ſolitis liberius vacaret, rem familiarem & modeſtas illas facultates, quibus Deus eum ditaverat, amico cuidam ſpectato & probato concredidit, qui eas tanta fide & cura adminiſtravit, ut quotannis aliqua eaque non contemnenda fieri deprehenſa eſt opum acceſſio & incrementum. Adeo ut jam ingraveſcente ætate, & una cum ætate divitiis, ſubiit mentem divini ſenis voti illius cujus ſeipſum multos ante annos reum fecerat, ita dico, voti, quod in ipſo *Britanniæ* ſuæ epilogo ſeu concluſione hiſce verbis concepperat; *Nihil aliud nunc reſtat, cum è tot cæcis Oceani vadis, & aſperis antiquitatis ſcopulis eluctata tandem enavigarit Oratio, quam ut nautæ olim Neptuno vela lucra, aut tabulam votivam; ſic ego etiam aliquod Deo Opt. Max. & venerandæ Antiquitati anathema conſecrarem, quod libens merito nunc voveo, & ſuo tempore Deo volente ſolvam.* Solvit (Acad.) idque liberali manu, cum benefactionem iſtam longe munificentiſſimam qua ego nunc utor fruor, almæ huic Univerſitati donavit; cum Hiſtoriarum atque Antiquitatis Spartam illuſtratricem inſtituit, & quo perennis foret proſpexit. Hoc ejus anathema, hoc votum ejus eſſe ego haud timide interpretor. Nam cum totum illud negotium *Heatheri* ſui diligenti induſtria & fideli miniſterio, rite atque ex animi ſui ſententia tranſactum vidiſſet optimus ſenex, eumque literas à matre Academia gratas gratias agentes legiſſet, ô quam lætabatur ei animus! quanto exultabat cor gaudio! & mox, divinum illud *Simeonis* Canticum, ex ejus ore audires, *Nunc dimittis Domine*, &c. Profecto (Acad.) mens ejus præſcia futuri augurata eſt, non procul abeſſe ultimum ævi terminum, ideoque rem familiarem confeſtim diſponit, ſupremæ voluntatis curas ordinat, rurique aſſidue poſtea ſe continet, ubi ab urbis ſtrepitu remotus, & aulæ procul moleſtiis, ſecure ac tranquille ſacris fidei pietatiſque exercitiis animam præparat, inque horas & momenta de ſtatione ſua ab Imperatore ſummo evocationem alacer & conſtans miles expectat: nec diu expectat; vix enim ſeſquiennium voti interjunxit ſolutionem & vitæ; ne quid forte, poſt illud divinum & immortale factum, faceret mortale. Ita ſanctiſſimus & beatiſſimus ſenex, annum ſeptuageſimum-tertium paululum ſupergreſſus, multis laboribus & vigiliis corpore exhauſtus, mortalitati ceſſit, & jam immortalis animus cœlo adſertus puriſſimæ ſeſe immiſcet luci; jam *Henricis* noſtris & *Humphredis*, regibus ducibuſque *Bodleijs*, *Savilijs*, *Sydleijs*, reliquiſque hujus Academiæ munificentiſſimis Benefactoribus, adjungitur *Camdenus*; jam cum *ſuo Chriſto, cujus ſolius meritis & ſatisfactione, ſpem omnem ſuæ ſalutis ſemper niti profeſſus eſt*, commercium habet, illumque diem quem nos hic qualicunque parentatione, ut vitæ mortalis noviſſimum deploramus, hunc æternæ felicitatis natalem glorioſæque immortalitatis auſpicem ſibi fuiſſe, exultim triumphat.

Mœrens commemorabam poſtrid. Kal. Decemb. 1623.

Nuncius

Nuncius Chronogrammaticus, de obitu V. C. Guil. Camdeni Clarentii, *ad* Th. Cl. *Reg. Prof. in Med. Aulæ Lat. P.*

LAtarum Præſes *Forium* digniſſime, quali
Me nuper arbitraris ægritudine
Mactum dum propero *Camdenum* viſere, (alumnum
Veſtræ inclytum Aulæ olim, meum clariſſimum
Seu Benefactorem appellem, charumve Patronum,)
Dicturus illud *HAVE* ac *VALE* forte ultimum?
Namque via in media occurrit mihi nuncius iſte,
CaMDen Vs hIſtorIæ patron Vs, heV! fVIt.
Obſtupui primo attonitus, mox flebile carmen
Erupit, atque his anxiis luxi modis.

CaMDen Vs fVIt? heV! patron Vs ille
Noſter, HIſtorIæque Lux Britannæ
Camdenus fuit? o ſiniſtra, ſcæva,
O vox auribus execranda noſtris!
Mendax nuncius ut fuiſſet iſte,
Antiquum obtinuiſſet utque fama,
Noſtras nec male vulneraſſet aures!
Sed verax nimis eſt, nimiſque vere
Noſtras (heu mala!) vulneravit aures.
O Parca, (immerito vocata Parca
Crudelis, fera, trux, ſceleſta, Parca
Ne-Parca es meritiſſimo vocanda,)
Quanto cordolio me homuncionem
Enecas miſerum? ilicet, liqueſcit
Pectus; ilicet, intime liqueſcit
Imum pectoris, ingemitque acerbum.
Verum ſic decet; atque ſic liqueſcat
Imum pectoris, ingematque porro
Imo pectore ab-uſque & uſque acerbum.
Nec ſat illud erit, fluat cerebri
Ubertim humida vis, rigetque ocellos
Mœſtarum aſſiduo imbre lacrymarum.
Nec ſic unus ero ſatis dolendo
Tantis Manibus: ergo quotquot eſtis
Vos qui literulas vetuſtiores,
Priſcaſve Hiſtorias amatis, omnes
Qui Muſas colitis politiores,
Arteſque ingenuas docetis, omnes
Vos mecum in lacrymas eatis, omnes
Vos (inquam) hoc decus elegantioris

Doctrinæ, Hiſtoriæque lumen ingens,
Lugeatis ademptum : (ô eruditi
Collegæ mihi plurimum colendi)
Dux *Lapworthe* chori perite noſtri,
Naturæ Sophiæque magne Myſtes;
Bainbridgique cate, aſtricos meatus
Qui calles ad amuſſim eoſque pandis;
Et tu quæ ſapis *Archimedis* artem
Virtus *Brigſia*, voſque qui juventæ
Vel linguas Academicæ politis,
Moreſve, obſecro, adeſte, adeſte prompti
Mecum plangere, næniiſque mecum
Funus exequier mei Patroni.
Huc triſtes elegos, graves Iambos,
Et modos quibus uſa ſæpe Sappho eſt,
Seu lugubre aliud genus modorum
Noſtris, aut numeros ſeveriores;
Affatim huc cumulate, ferte dignas
Camdeno, Hiſtoriæ meoque dignas
Patrono inferias. Sed heu! dolemus
Incaſſum, querimurque, plangimuſque.
Lex olim rata, ſtat: mori neceſſe eſt
Quicquid naſcitur hoc ſub orbe Lunæ.
Terra hæc hoſpitium eſt, homo viator,
Superne eſt patria, & beatus illuc
Quiſquis appulit ocyore curſu.
Hac tu jam frueris beatitate
Clarenti venerande, deſinamus
Ergo jam lacrymarum & ejulatus:
Et dehinc tibi, quod novus colonus
Cœli factus es, uſque gratulemur.

Aliud Chronoſticon, diem indicans & annum quo obiit Camdenus, *viz. IX. November.* CIↃ D CXXIII.

433. HIſtorIæ eCCe IVbar LVX & præCLara Britannæ
172. CLarentIVs, VIta ſeneX
1018. Nono NoVeMbrIs eXIIt.

1623.

D. W. Hiſtor. Præl.

CAMDENIANUS.

Oratio

ORATIO IN MEMORIAM
CLARISSIMI VIRI
GULIELMI CAMDENI,

Lecturæ Hiſtoricæ apud *Oxonienſes* Fundatoris,

Prolata per ZOUCHEUM TOWNLEY ex Æde Chriſti,
Oratorem publicum tunc temporis deputatum.

ULtimam ſolennitatis veſtræ panegyrin, redux occupavit *Carolus*; cum rarum illud profundi depoſitum, cum ſalutem noſtrum omnium, erudita ſuſcepimus lætitia. Inexpectato tamen fatorum ordine, vix limen patriæ, fama reditus ſalutavit, quin *Camdenus* veſter expiraturus eſt. Reſtitutam ſcilicet adventu Principis Britanniam ſentit, & fœlicitatem publicam ſuo funere auſpicatur. Quo properas *Camdene?* ſiſte tam celerem gradum; *Carolus* te jubet, ſiſte. Neſcis adhuc certos Britanniæ limites; Neſcis ſpem, victoriaſque *Caroli*; ſiſte. Forſan trophæis numeroſior, quam fuerat periculis, æquor reviſet, & peregrinas ſedes iterum, triumphans, ambiet. Forſan interminus vigor Europæ deploret anguſtiam, & in ipſis Aſiæ finibus, tuam, quam quærat ætas proxima, collocet Britanniam: Nunquam deerit, ſalvo Principe, ampla fœlicitatis materies, quæ ſcriptores provocet. Deeritque ſemper, te mortuo *Camdene*, qui ſcribat. Et utinam non deeſſet hodie, Auditores, qui veſtrum vobis promeret *Camdenum*; Rerum certe magnitudini longe imparem verborum fidem, noſter agnoſcit metus, & trepidantis animæ infœlicior oratio; Erigit tamen labantem ſpiritum candor Academicus, meque pene invitum, & vellem *Camdeni* Genio pleniorem, vobis obtrudit. Non eſt autem ea argumenti ſterilitas, ut longa parentum ſerie *Camdeni* nomen deducerem: Quid derivatum poſcimus familiæ decus? Quid altiora ſtemmatum inſignia, illo tantum accipienda nomine, quia *Camdenus* contulit? Neque hodierni inſtituti eſt, devia verborum levitate, *Camdeni* patriam vobis proponere: *Camdenus* ſibi ipſe Patria eſt. Agnoſcit tellus Britannica mira induſtriæ & gratitudinis pignora, agnoſcit auræ tenuis æternum fœnus; & illum ſe genuiſſe gloriatur, per quem ipſa viveret. Quin video attentiores Auditorum animos, & *Camdenum* à me acrius poſcentes; dum ipſe æqua viciſſitudine vos à *Camdeno* poſtulo. Elaboratam Britanniæ paginam ſagax peragravit calamus, & intra libri limites conventum prævidit Academicum; illic prius unumquemque veſtrum inter legendum ſalutavimus. Hinc occurrit antiquioris

nominis nobilior ſedes; illinc non admodum ignoti bene culta poſſeſſio: Hac parte talis floret, & talis altera; Ita provido communioris operis artificio, vos & argumentum fecit & Judices. Chartam non invenict conſciam nepos profuſior, dum hic pie hiſtoricus famam vendi non admittit: Auguſtiora devoret patrimonia rapacior ſenex, & oppreſſione ſola cognitus, novo gloriæ privilegio æternitati temporum poſſeſſor audiet, qui perdidit. Silebitur emptor inglorius, & hodiernus *Camdeno* hæres eſt, qui primus incoluit. Eodem etiam potentis ingenij radio, vobis pariter, totique mundo, veſtram gloriam denudari voluit. Quid plus Columbus potuit? Imo quid plane potuit? Quid ſuſceptum tot annorum exilium, dum perverſo navigandi ſtudio, nativam patriæ ſuæ amittit dulcedinem, ut ſterilitate potiatur aliena? *Camdenus* terram ipſis incolis incognitam, domi ſuæ patefecit. Teſtor veſtræ Angliæ terminos, vix prius veſtros; Teſtor illud ignorantiæ patriæ Ænigma, ſolumque quod eoſdem antea & peregrinos habuit, & ſuos. Iterumque teſtor tenebras immortales, & vos vobis hodie obſcuros, niſi *Camdenus* illuſtraſſet. Placuit limiti Britannico diutius inhæſiſſe, ſed dum devolvitur hujus Inſulæ narratio, incidimus in deſcriptionem Wallingfordiæ, ubi Author, Ædis Chriſti, nutricis ſuæ, memor eſt. Patiatur corona Academica Ædem Chriſti ſibi gratulari, nec ultimis annumerare laudibus *Camdenum*: Patiatur, ſi fieri poſſit, illo ſine invidia frui, quem ſuum omnes deſiderant. Nihil tamen honoris mutui diminuet plauſus ille domeſticus; literas hic hauſit *Camdenus*, literaſque reddidit; omnia ſoliditatis fundamenta illic accepit, illuc contulit. Ecce ut feſtinat diffundere quod imbiberat, neque hic ſe diutius immorari patitur activa virtus, & ſui ſemper prodiga. Excepit dotes imperio dignas dominatus ſcholaſticus, & onerosa erudiendæ juventutis cura; Excepit, inquam, non ignotus angulus, ubi ſecura deliteſceret ignorantia, ſed ſchola Weſtmonaſterienſis, & *Camdenum* habuit Protodidaſcalum. Ita dextro ſydere, vir in omnium bonum deſtinatus, benignitate non vulgari, theſauros animæ tunc impertiit, utramque Academiam, literato nobilitavit germine, ut invita fortuna, ſcientiarum vel ſic Fundator exiſteret;

——*Hic pandere doctus*
Carmina Battiadæ, latebraſque Lycophronis atri,
Sophronaque implicitum, tenuiſque arcana Corinnæ.

Quot illuſtres rerum Anglicarum Præſides, curioſa excoluit indulgentia? Quot intellectu, quot animâ donavit? Mirantur omnes, eloquuntur omnes, & adhuc *Camdeni* numen ſentiunt. Fœlix & in perpetuum duraturus labor, fundamenta jecit Eccleſiæ, fundamenta poſuit Reipublicæ & ex illo Grammaticali ordine, deſumptum utraque profitetur lumen. Neque tamen pubes tantum apud ſuos tenerior, inhiavit *Camdeni* ſtudia, habuit alios ille inter Gentes exteras, avidiores ſui, & prope dixeram, diſcipulos. Hæret Opſopœus, Thuanus, Lipſius, à Scaligero dubitatur. Quid fiet? Ubi tandem cognitionis ſpes reſideat, ſi Scaliger hæſitet, ſi Lipſius ignoret? Tranſmittuntur literæ, & humili ſciendi confidentia, Europæ conſulunt oraculum; Velata lugent Muſarum capita; *Camdenus* velum detrahit. Occluſa ſtupent Artium myſteria; *Camdenus* aperit.

aperit. Dignus unice, qui cœlo à consiliis adoptetur, & sacer fiat scientiarum Arbiter.

——sic ad opaca Sibyllæ
Antra rogaturæ veniebant undique gentes.

O si liceret perfrui Musæi penetralibus & arcana divinioris animæ miracula secure perscrutari: Quam omnia uno conspicerentur intuitu, cum observasse contigerit, quantum laboris seculo priori addidit, quantum imposuit suo? Demitte me *Camdene*; tenuitatem nostram tot virtutum gravamen longe deprimit; Demitte, & humeros inefficaces defere. Frequens Historiæ Tuæ lectura fias, & vivo meritorum encomio clariora turgeant subsellia. Neque post Florum & Paterculum nuda facultatis tuæ irrepat recordatio: Recensete Salustium, Livium, Tacitum, iterumque Tacitum; aut si vobis placuerit, nova effingite fœlicioris Genij nomina, qualia *Camdenus* vester transcendisse dignatus est; Adeo præpotenti acumine, dum imitatur, supervolat, & expedita fruitur, in ipso conamine, victoria. Nec diu vacavit, quin perfectiorem hanc artis Historicæ fidem ipsa postularet scribendi religio; Postularunt, inquam, *Elizabethæ*, (quam nominasse pietatis est) Annales: Quos suscipit *Camdenus*, perficitque stylo tam plene regio, tam undequaque & rei, & sibi consono, quasi Virginalem tantæ Majestatis splendorem, libro suo maritare statuisset; ut pari famæ consortio posteris semper audiant, *Elizabetha* & *Camdenus*. Dum supererint, Academici, dicata Musis mœnia, dum stent immoti patriæ statusque termini, dum virtutum Artiumque vestigia licuerit speravisse, *Eliza* recensebitur, & recensebit *Camdenus*. Ascende cœlos fœlix *Camdeni* anima, ad latus tui numinis *Elizabethæ* assiide: illic aspicies nudata pectoris consilia, & innocentem conscientiæ candorem; Intuere propius Reginam, solio insidentem, & ecce quam similis Tuæ est. Confer, revise, quam vere eadem. Castam aspicis, & intactæ sanctitatis Idæam; talis Tua est: Cernis vera Majestate conspicuam, cæterisque fulgore cœlico prænitentem, talis Tua est. Vides, denique, prudentiæ, pietatis, gloriæ, compendiosam in una mixturam, & Tua certe Talis est. Decore plena, atque onusta Gratijs, Tuo præluxit opere, nec minor illic emicuit Dea. Fruere cœlorum sedibus,

Consilia Heroum juxta Manesque beatos,

dum nos benignitatis memores, unum hoc memoriæ tuæ tributum solvimus, Albo inscriberis Academico, neque illic *Elizabetham* deseres. Et nunc gestit animus quotidiana repetere bonitatis exempla; Savilium, Sidleium, Camdenum. Subtilis Matheseos Pater, Savilius: Naturæ prope altera Natura, Sidleius: At quid tandem aut Savilius ille, aut alter Sidleius, nisi famam propagasset Tetiis temporum, & vitæ æternitatis, Historia? Ita *Camdenus* unicus eodem munere, & perpetuitati suæ consuluit, & universæ. Sed quid vos ulterius morabimur? Benevolos Pausanias hic Britannicus non postulat; abunde est, si non invenerit inhumanos: Nihil Camdeno nostro addi petimus, satis superque in gloriam fuerit, si Camdenum sibi non denegetis.

VITA

VITA
ANTONII WALÆI.

NTONIUS WALÆUS originem debet Gandavenſi familiæ de Wale. Hæc jam ab anno milleſimo tercenteſimo quadrageſimo quinto Gandavi clara & potens fuit: plurimis inſignis Decanis, Quæſtoribus, Magiſtratus Electoribus: innumeris honorata Scabinis: non paucis illuſtris Conſulibus: Nobiliſſimiſque Brakeliorum, Meſtdachiorum, Hansbekiorum ſimilibuſque Familiis matrimonio connexa. Cujus publica edidit documenta Philippus Spinæus Therovanæ Vicecomes, libro ſuo de Antiquitatibus & Nobilitate Flandriæ.

Noſtri autem Walæi Proavus Johannes fuit de Wale, qui fratres habuit Henricum, Guilielmum, ac uxoris nomine Jacobum de Suttere. Hi muneribus ampli, authoritate potentes inclytam Gandenſium Rempublicam regebant. Sed orta inter Principem Philippum Bonum & Gandenſem plebem diſcordia, dum hi æquiores & Principis partes foverent, à plebe, ut Principis, ita dominantium pertæſa, Henricus & Jacobus in carcerem conjecti, Guilielmus in exilium actus eſt. Verum Johannes furori populari ſe ſubtraxit, ac Gerhardimontium conceſſit: ibique guſtata ſemel tranquillitatis & otii dulcedine, nunquam poſtea induci potuit ut in civitatem Gandenſem diſcordiis exulceratam reverteretur; fruſtra eum frequenter revocantibus Henrico & Jacobo, non ita multo poſt à Principe in integrum reſtitutis.

Johannes ſex liberos habuit, & filium natu maximum ejuſdem nominis. Qui ducta in uxorem Elizabetha de Glas, ſorore Regentis Collegii Sottegemenſis, Comiti Egmondano à Sacris, ſex filios duaſque filias genuit.

Hic Johannes, noſtri Walæi avus, animadvertens illecebras otii rerum præcipuarum ſecum ignorantiam trahere, & familiæ oneratæ multa prole exitio eſſe, ad ſtudia vitæque negotia denuo liberos traduxit. Johannem filium natu majorem Theologiæ addixit: qui poſtea Præpoſitus Fratrum Minimorum Brugis fuit, & Poemata quædam, ſub nomine Johannis Galli, in lucem dedit.

Secundus filius Adrianus, ſedulo Juriſprudentiæ operam navavit: quam ob cauſam Comiti Egmondano gratus, ad ejus conſilia adhibitus, & mox toti aulæ Gerhardi Lalinii, aurei Velleris Equitis, Gubernatoris Hannoniæ, præpoſitus eſt.

Tertius

Tertius filius fuit Jacobus, noſtri Walæi pater: hic puer Latinam Græcamque linguam didicit; ſed quod ſe expedire è tricis Philoſophiæ Scholaſticæ, & ejus non poſſet tædia devorare, in aulam Lamoralii Comitis Egmondani, decimo nono ætatis anno, traductus eſt. Ubi facile manu promptus, ad labores impiger, animo hilaris, ingenio excitatus, præ reliquis etiam Nobilibus in gratiam Comitis admiſſus, illi quoque ſecretiſſima, & quæ tumultus Belgicos ſpectabant, commiſit: Comiti addictus & fidus ad mortem uſque; teſtis fuit crudelitatis Hiſpanicæ, apud quam ne umbra quidem peccati ullis poteſt meritis expiari.

Hæc Egmondani mors, totum Jacobi Walæi vitæ inſtitutum perturbavit. Qui enim ſtatuerat militia inclareſcere, præcipuo ſuo ſe promotore ſenſit orbatum: imo ſe de propria vita ſecurum non eſſe, qui Egmondani domeſticus, & notitiam Albani incurrerat & odium. Quare mox Gandavum conceſſit: quo in populoſa civitate lateret magis, & urbis potentia, conſanguineorumque præſidio, minus expoſitus externæ violentiæ foret. Hic ceſſante mox metu in Juvene viginti ſex annorum, animum ad matrimonium adjecit; electa in uxorem Margareta Wagenaers, virgine annorum viginti & duo: quam illi probabant forma elegans, mores probi, judicium acre, familia illuſtris & conſanguineorum potentia.

Margaretæ enim abavus fuit Mauritius de Vleeſchouwere, qui antiqua proſapia nobilis, Equeſtri dignitate conſpicuus, Tribunus militum, nomen famamque præclaris facinoribus extulit: quam ob cauſam Principi Philippo Bono percharus, ejus in bello comes, prælio Schaldenſi Anno Mcccexxv. dum Philippi vitam tutaretur, occubuit. Mauritius filium habuit Guilielmum, Guilielmus Laurentium, Laurentius Jodocum habuit & Joſinam, elocatam Guilielmo Bogardo; omnes civitatis Rectores: tertiam habuit Johannam, quæ Ægidio Wagenaers, Walæi avo, feliciter nupſit. Hic enim familia oriundus quæ lanarum mercatura ſpectata eſſet & opulenta, dum inſuper dignitatem ſibi quæreret, hanc Johannam in uxorem elegit: & ex ea duas filias ſuſcepit, Margaretam & Johannam.

Cum Margareta hac, Jacobus Walæus triginta tres annos tranquille & amice prorſus vixit, licet natura genioque diſſimiles. Jacobus natura erat hilaris, audax, præſentium curam habens, de futuro non ſollicitus, ac de paupertate ſecurus. Margareta prudens plane fœmina, circumſpecta, in futurum provida: ſed hujus ſollicitudinem facile ferebat & temperabat illius facilitas; & illius facilitatem hujus modeſtia.

Jacobus mox à matrimonio Reipublicæ adminiſtrationi adhibitus eſt, præfectuſque Ærario Aloſtano, ſub Jodoco Vleeſchouwero conſobrino ſuo, Ærarii illius Tribuno: electus quoque in civium Gandenſium Ducem, atque ad alias civitatis curas.

Margareta primo partu Ægidium enixa eſt, non ita diu vitalem. Et tertio matrimonii anno, hunc de quo agimus Antonium, III. die Octobris Anni MDLXXIII. in platea Brugenſi. Eo ipſo tempore quo diſceſſum pararet Ferdinandus Alvarez de Toledo, Albæ Dux, qui ſuperbia & crudelitate, Belgarum in Hiſpanos Vatinianum odium provocavit.

Margareta puerum ſedulo primis morum pietatiſque rudimentis imbuit,

Jacobus pater genio libertatis: quare & voluit quoque puerum nondum ſexennem, demoliendo Caſtello Gandavenſi eas quas poſſet manus admovere.

Octennis puer legendi ſcribendique mediocriter peritus, linguam Latinam addiſcendo, indei concreditur Titi ab Edingen, Verbi Divini Miniſtri ad Fanum Sancti Nicolai in Waſia, viri Nobilis, eruditi, & qui Johannam Margaretæ ſororem duxerat in uxorem. Puer forma elegans & roſeus, ſuavis moribus ſanguine nexus, præ reliquis condiſcipulis ſuis ibi gratus fuit, plura illi adhibita blandimenta, præbitæ deliciæ. Cumque aliquando Matertera placentulam illi præbuiſſet, ſupervenientibus fortuito aliis pueris, voluit eam cito ab illo devorari, & quo id perficeretur citius, manu intruſionem placentulæ in os promovit; quam cum totam ſubito deglutire non poſſet, cœpit ſe male habere, angi, deficere, & pæne ſuffocatus eſt: ita amore Simiæ periiſſet in herba, qui in arborem deſtinabatur, umbram aliis facturam.

Non ita, multo poſt Edingius ad Verbi Divini miniſterium evocatus eſt in Hollandiam, ad Fanum Sanctæ Hildegondis, prope Harlemum: quare Gandavum redire Antonius Walæus coactus eſt, quem maluiſſet Pater procul remotum à turbis & diſſidiis, placide & pie inſtitui & educari. Itaque quod unicum reliquum erat, traditus eſt in diſciplinam domeſticam Samuelis Lanſbergii Paſtoris Gandavenſis, ut jacta antea linguæ Latinæ fundamenta retineret & excoleret.

Conflagrabat enim Belgium hiſce annis civilibus diſcordiis, dum potentiæ Hiſpanorum impares, externum auxilium & Dominum quærunt, cui ſe & ſupremam poteſtatem tradant. Pleriſque in Matthiam Auſtriacum, mox & Alenzonium Ducem inclinatis: Hollandi & Zelandi Auriaco favebant. Gandavenſes & vicini Flandriæ populi averſabantur Matthiam, Pontifici addictum: odio proſequebantur Gallum Alenzonium: alienati ab Auriaco, quod eum Gubernatoris ſui Egmontii æmulum meminerant, crederentque vicinæ Zelandiæ Gubernatorem huic magis fauturum, nec ferebant eum connubio Gallis annexum. Maluiſſent Caſimirum Palatinum, religionis conſortem; verum cum eum non obtinerent, diſtrahebatur Civitas in partes: & prout hæc illave numero & potentia accreſceret, ita regimen mutabatur.

Inter hæc Jacobus Walæus, quod in aula Egmontii didicerat, moderata conſilia ſequebatur: unice intentus ne diſſidium in tumultum & mutuam internecionem erumperet. Verum cum animadverteret multitudinem in Hiſpanum tandem inclinare, ejus etiamdum exhorreſcens crudelitatem, in Auriacum cœpit propendere, & cum conſanguineis ſuis Walæis, Vleeſchouweris, Bogardis, Mecriis hoc agere apud Magiſtratum, hoc apud civilis militiæ Præfectos, ut Civitas in clientelam Principis Auriaci traderetur: imo cum Rijhovio hac in re Auriaci conſilium peticrat & auxilium. Cujus moliminis cum Embiſio, jurato Auriaci hoſte, ſuſpicio ſuboriretur, apprehendi Jacobum Walæum juſſit, & in carcerem detrudi; una cum Nicolao Heinſio, Celeberrimi viri Danielis Heinſii patre, & denis aliis, pleriſque militiæ Præfectis: ubi per complures ſeptimanas tam arcte cuſtodiuntur, ut nec amicis, nec liberis, nec uxori, ad eos aditus daretur.

Quare Antonius è Lansbergii ædibus ad paternas redit, matri ſolatio futurus:

turus: quæ præter eum tum Josinam, Joannam, Walburgim filias habuit. Et obsequii promptitudine, morum gratia, puerilibus blanditiis, non parum dolorem matris imminuit & lenivit: usque dum ea pertæsa carceris, & gnara maritum nullius facinoris esse sibi conscium, cum reliquis captivorum uxoribus Embisium adiit, rogans & obtestans, ne illis, ne maritis justitia denegetur, luerent si crimen commisissent, si innoxii ne carceris pœna afficerentur. Ita ægritudo animum excitat, & perducit ad temeritatem.

Hoc matronarum planctu commotis amplius civibus, promittit Embisius se in sequentem diem jus dicturum: Petrum Dathenum in carcerem mittit, qui concionem de præparatione ad mortem coram captivis habet; singulos adit, consolatur, monet ne silentio, ne dissimulatione conscientiam suam peccato onerent, quæ eras nuda debeat in Dei conspectum venire, ita se immiscebat omnibus negotiis ille Theologus, ita erat Embitio addictus. Sed cum nec sic quidem eliceret quicquam, sequenti die pleno & solemni judicio absolvuntur captivi, & restituuntur in integrum.

Jacobus Walæus veritus ne fortuna, quem sæpe præterirct, inveniret tandem, mobilia quæcunque habuit pretiosa Delphos in Hollandiam ablegavit. Et belli artium gnarus, cum sciret civitatem externo auxilio destitutam, hostilibus civitatibus circumdatam, brevi arctius occludendam esse, familiæ suæ in futurum de victu aliisque necessariis prospexit: equo quem domi alebat vaccam substituit, & famulum suum Levinum vander Poorten pro strigili tractare mulctram docuit. Ita secure & suaviter cum suis tempus obsidionis Gandavensis transegit: & honorate quoque, quod qui ex Egmontii familia prodierat, præ reliquis civium Ducibus militarium artium peritus haberetur; & fidus, qui communem ob causam captivitatem esset perpessus.

Tandem civitas obsidionis pertæsa, cum Principe Parmensi transegit: inter alias iis conditionibus, ut civium sex Principi traderentur, de quibus pro voluntate sua decerneret, reliqui spolii loco ducenta Coronatorum millia persolverent. Jacobus Walæus veritus ne senarium illum complere numerum deberet, aut ne à parte oppressa antea, nunc victrice ludibrio exponeretur, paucis ante deditionem diebus, quæsito prætextu extra urbem & in Walachriam concessit. Et certe eventus docuit, vanum cum metum non fuisse. Jodocus enim Vleeschouwerus consobrinus ejus, cum quo omnia communicaverat egeratque, inter sex illos in carcerem detruditur.

Et Margareta Gandavi relicta, ut de bonis disponeret, ita à concivibus suis vexata, ita minis exterrita fuit, ut partem bonorum maluerit deserere. Quodque publico edicto prohibitum esset, ne quis discessum moliretur, de nocte cum Antonio decenni, filiabus duabus, Josina enim obierat, & non paucis aliis civibus Philippinam usque pedes fugit, atque inde ad maritum in Walachriam trajecit.

Ea familiarum fortuna est, is fatalis orbis, modo crescunt, florent, occidunt. Sed quod huic quam maximum decrementum attulit, id ipsum novi exortus extitit causa.

Non enim Gandavenses Walæum, paucosque cives vexavere, sed alios innumeros; & Gandensium exemplum secutæ vicinæ civitates, jam à Reformatorum metu liberatæ: ut Pontificii in eo crudeles sunt, quos putant à

ſe deſciviſſe. Hi cum in Patria ſecuram vitam non invenere, alibi eam quærere coacti fuerunt: plerique Zelandos adivere, qui humanitate, benignitate, hoſpitalitate vicinis nationibus præcellunt.

Sed ne malitioſi exulibus permiſti Zelandiam penetrarent, aut hoſtis ea occaſione uſus, aliquid in Zelandiæ inſulas moliretur, Zelandi naves armatas Philippinam miſere: & illis Jacobum Walæum voluerunt eſſe præfectum, cum ſpeciali mandato ne quiſquam è Flandria in Zelandiam niſi ejus conſenſu tranſmitteretur; tranſmitteret autem quingentas familias: ſed affluente multitudine, monitis Zelandiæ Ordinibus, paucis repudiatis, aliquot millenas tranſmiſit.

Interea Margareta & Antonius Delphos Batavorum petivere, reducturi bona quæ eo miſerant antea; verum non ſine cordolio invenerunt, non parvam eorum partem intervorſam eſſe, negante amico eam ad manus ſuas perveniſſe, cujus tamen non pauca indicia proſtabant: ſed perferenda erant damna quæ vindicari non poterant. Quare Margareta convaſatis iis quæ reliqua erant, & in tranſitu ſalutata ſorore prope Harlemum, Middelburgum cum Antonio rediit.

Ubi Jacobus Walæus ediderat jam fidelitatis promptitudiniſque ſpecimen, & favorem meruerat Zelandiæ Præſidis de Rijcke, qui eo Gandavi familiariter erat uſus: unde Annona, reſque bellica publica per Zelandiam, Flandriæ Brabantiæque ora, ejus fidei, ejus diſpenſationi concreditur. Ingens peregrino favor, nec parvus honor exhibitus, quo magis annitendum illi erat, ut hoc munus initio præſertim pro dignitate, cum cura gereret, tueretur: quare voluit integrum famulis committere, ſed Antonium, jam undecennem, magis quam pro ætate ſedatum prudentemque, curarum voluit partem habere. Hic quæ pater mercatus erat, in publicum horreum Armamentariumque transferre, quæ ſingulis civitatibus deſtinaverat, ea comitari, deferre, dividere; aliarumque penuriam ad patrem referre: ita nulli loco addictus, modo in mari, modo in hibernis militum, modo in aliis civitatibus biennium tranſegit.

Et jam ſatis ſibi in munere confirmatus Jacobus Walæus videbatur: veritus autem, ne milites, verbis ſæpe & moribus rudes, aliquid aſperitatis Antonio affricarent, Middelburgi apud matrem eum manere voluit, & ad honeſtum aliquod vitæ munus præparari. Acciſis autem exilio rebus, mox & aucta familia gemina prole maſcula, quem dudum animo nondum auſi ſunt reipſa ſtudiis dicare, rerum viciſſitudinem aliquoties experti: quare ut in omnem eventum, ad quævis vitæ munia obeunda aptior evaderet, traditur formandus Jodoco Lareno, multæ experientiæ, magni judicii, ſpectatæ probitatis Notario publico: apud quem exercitatione continua ſcitiſſime ſcribere didicit, ut pauci omnino illi pares haberentur. Res quæ offerrentur animo concipere ordine, verbis efferre, litteris conſignare & in inſtrumentum publicum redigere: idque tanta promptitudine dexteritateque præſtitit, ut certatim à magnis Mercatoribus, præſertim à Gualthero Buſio, lucri oblata portione, ambiretur, quo in eorum familiam concederet. Sed Antonius de futuro vitæ genere dubius, integrum triennium apud Larenum permanſit. Niſi quod ubi hoſtis immineret, & certo ſubitoque civitatibus proſpiciendum eſſet, patri deberet in auxilium venire. Ita illi præſto fuit Tholæ, Bergis ad Zomam, quibus Dux Parmenſis

anno

anno MD LXXXVII. minabatur: præſto fuit in Walachria anno ſequenti, cum Parmenſis inſtructa Dunquerkæ claſſe, collectis triginta millibus militum, in vicinas oras invaſionem pararet: quam cum ignorarent Zelandi Angliæ deſtinatam, prope Fanum beatæ Virginis Walachriæ angulum muniverunt, ubi ingens claſſis potuiſſet appellere; & collecto levi exercitu, eum ſtatuerant tutari.

Hic Antonius, ſtramini cum patre de nocte in tentorio incubans, ſacro quodam inſtinctu ſe ad Miniſterium Eccleſiæ Dei vocari percepit. Illius autem inſtinctus tanta vis fuit atque efficacia, ut nulla dies, nullæ occupationes ejus unquam potuerint memoriam delere. Quod eo magis mirandum eſt, quod alienus à ſervili Dei metu, à ſuperſtitione ſemper extitit; & inſpirationibus illis divinis, quas ſæpe prædicant alii, minimum tribuit. Adeo ut aliquando quieſcendum ſibi non arbitraretur, priuſquam quendam Collegarum ſuorum, illis plus ſatis addictum, in contrariam opinionem deflecteret. Sed qui plerumque aut nefarie efficti, aut vane imaginati inveniuntur, poſſunt aliquando veri exiſtere.

Ita commotus Antonius ſtatuit omnem operam ſuam ſtudiis dicare; & impetrata parentum venia, Middelburgenſem Trivialem ſcholam adiit. Hujus regimini præerat Jacobus Gruterus, vir ſedulus, & in Græca Latinaque litteratura ita verſatus, ut eo tempore nulli Belgarum cedere crederetur. Qui coadjutorem tantum unicum habuit Johannem Murdiſonium, Philoſophum acutum & ſolidum, non ita multo poſt Philoſophiæ in Academia Leydenſi Profeſſorem: ut ea ſchola perpetuo egregiis exornata præfectis fuit, quæ & poſtea Jacobum Meivartium, Academiæ Groninganæ, Juſtum Lyræum, Ultrajectinæ, &, qui merebatur primo nominari, Adrianum Heereboord, Leydenſi Profeſſores dedit.

Cohabitabat Grutero Murdiſonus, quare ut ejus genii penitiorem notitiam haberent, iiſque familiarius uteretur, Gruteri menſæ Antonius adhibitus eſt. Ne tamen quorundam puerorum indecoris moribus, aliquid ei de morum ſuavitate decederet, parentes eum domi cœnare voluerunt: ut ſi quid vitii contraxiſſet, id animadvertere poſſent & emendare.

His præceptoribus ſexennio uſus eſt, & ab iis Latinam Linguam eo uſque didicit, ut jam elegans pangeret Latinum carmen, Orationes publice haberet diſertas adeo ut ſui diſcipulique honori intereſſe Gruterus crederet, ea in publicum edi, divulgari. Nec minus in Græca lingua profecit, ac tum eos omnes Græcos verſus compoſuit, qui etiamnum inter ejus Poemata leguntur. In Philoſophia ſolida fundamenta jecit, ut Gruterus & Murdiſonus cum eo publicas Diſputationes inſtituerint; de Syllogiſmo, de Ordine librorum Ethicorum Ariſtotel. de Mundo, aliiſque in Philoſophia controverſiis: quod ante & poſt illud tempus, in ſchola Middelburgenſi nunquam fuit inſtitutum.

Credidit autem ſemper Walæus id præcipue ad ſuum profectum feciſſe, quod edoceretur tantum à Grutero & Murdiſono; nec mutare præceptores aut tranſire claſſes cogeretur: ita enim facilius concipi quæ à conſuetis traduntur, ita melius proponi in quibus ſciunt diſcipulos deficere. Sed & juvit amor quo eum præceptores proſequebantur: qui tantus erat, ut poſtea Gruterus, præteritis omnibus conſangineis ſuis, eum liberorum ſuorum conſtituerit

rit tutorem. Juvit diligentia, ne de ingenio dicam: ut quam relaxationem animi alii ludis quærunt, ille varietate ſtudiorum aſſequeretur. Ubi tamen liberet de ſtudiis cogitationes penitus feriatis diebus exuere, res obumbrare, & penicillo exprimere didicit, mediocri profectu.

His ſtudiis imbutum Walæum monuerunt præceptores, jam tempus eſſe Academiam accedere: ibi melius quam in Schola Triviali ulterius informandum. Placuit autem præ cæteris Batava: quod & Middelburgo vicinior foret, & pluribus in quavis facultate Profeſſoribus, ac celebrioribus quam Franequerana ornaretur.

Quare in Aprili Anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi ſexti Lugdunum adiit, eum cum matre deducente Johanne Ytſenbachio, Eccleſiaſte Middelburgenſi: ac hoſpitium apud Thomam Spranckhuſium, Eccleſiæ Leydenſis Miniſtrum, elegit; una cum Gerſone Pannelio & Enocho Sterthemio, commilitonibus. Quibus omnibus, ut & liberis ſuis Theologiæ ſtudioſis, Spranckhuſius placidis moribus, vera pietate præivit.

Ingreſſus Academiam Walæus, animadvertit ſtatim maximum ſibi ad promovenda ſtudia adjumentum Latinam Græcamque linguam, & Philoſophiæ fundamenta conferre; earum enim cognitionem difficillime acquiri poſſe, ubi conſtringi juventus non ſolet ut quædam memoriæ mandet, quædam repetat: & rariſſime ad ea ſe Profeſſores dimittere, qui promovere ſtudia etiam doctiorum Auditorum cogantar. Quare primum annum, quo alii circumſpicere tantum ſolent, quæ ſtudia aggredi debeant & quomodo, ſeriis doctrinæ curis potuit impendere.

Hac autem ratione ſtudia inſtituit: primum linguarum cognitionem perfecit: inde Philoſophiæ: quibus abſolutis Theologiam demum aggreſſus eſt. Verba enim debent prius quam res addiſci. Ubi rerum cognitionem acquiſivimus, parvi ſolemus verba æſtimare. Ubi cogitationes noſtras rebus gravioribus impendimus, eas non poſſumus ad exiguas dimittere.

Ad penitiorem Græcæ linguæ cognitionem acquirendam præcipue lectioni ſe Poetarum dedit, qui fingendi libertate & neceſſitate metri coacti, omne linguæ genium melius exprimunt. Præ cæteris illi placuit Homerus, quod omni Dialecto loquatur, gratiſſime ejus profluat oratio, & lectorem ſuum faciat prudentiorem. Quo tamen in illam linguam penetraret magis, de ſingulis Joſephum Scaligerum conſuluit, maximi animi, ſtupendæ eruditionis virum: cui Walæus carus extitit, & ejus fuit ingenio delectatus.

A Græca ad Hebræam linguam tranſivit, manuducente eum Franciſco Raphelengio, viro humaniſſimo; cujus ductu prima linguæ rudimenta è Grammatica Martini hauſit: ſed eo mox demortuo, ei Profeſſioni Franciſcus Junius ad tempus vacavit: ſub quo tantum in Hebraicis profecit, ut Veteris Teſtamenti libros ſine interprete poſſet intelligere. Rabbinos non adiit, quod exiſtimaret eos qui nimium ſtudii, nimium operæ linguis impendunt, raro ſolere ſeveriores diſciplinas capere ſolide, & in eas profunde penetrare. Animus humanus omnia non tenet: & verbis, rebus minutis, aſſuetus delectari, in ſevioribus diſciplinis, minutiis & ſuperficiali notitia ſibi poteſt ſatisfacere.

Linguæ ſuperbæ ſunt, ſolæ coli volunt, nec aliarum ſcientiarum ſervitio diſcentis animum patiuntur occupari: tantum in memoria conſiſtunt, nec ullam

ullam cum rebus ſimilitudinem habent, qua eum in ſui notitiam deducant, aut initiata cognitio poſſit promoveri. Quam ob cauſam Noſter dum Græcam Hebræamque linguam didicit, nequaquam aliis ſtudiis animum fatigavit; niſi quod relaxandi animi gratia, ad veteres autores Latinos, Hiſtoricos, Poetas, Oratores non raro divertit.

His inſtructus ad Philoſophiam acceſſit, cujus ſtudio in Academia Batava parum erat hoc tempore proſpectum. Petrus Molinæus, vir poſtea celeberrimus Philoſophus recens erat. Jacobus Trutius, prorſus impeditus. Solus Rodolphus Snellius in Matheſi eminebat: hujus itaque diſciplinæ ſe dedit, & ab eo Geometriam, Aſtronomiam, Opticam edoctus eſt: non parvo ad reliqua ſtudia promovenda emolumento. Mirum enim in modum Mathematica diſciplinæ ingenium acuunt, dum continuo in indagatione quæſiti occupantur: & aſſueſcunt cogitationes in una re figi, quod ubi à Propoſitionis indagatione demonſtrationeve mens aberrat, totum fruſtra ſit, elabatur, & de novo ſit inchoandum.

In Logicis Keckermanno aſſuevit, cui Zabarellam, Monlorium, alioſque adjunxit: in Phyſicis Toleto, Zabarellæ, Picolhominæo: maxime delectatus eſt in Ethicis Accioalo; legit tamen quoque Picolhominæum, Magirum, Muretum. Zuareſii Metaphyſicam maxima parte pervolvit, Thomam quoque & Scotum. A quibus ad ipſos fontes Platonem & Ariſtotelem tranſivit: quos ſua lingua legit, hoc eſt integros; quum qui ex interpretibus ſapiunt, vix dimidium aſſequantur. His enarratores adjunxit Plotinum, Ficinum, Simplicium, Aphrodiſæum, Averrhoem. Judicavitque Peripateticos hodie Aphrodiſæi aut Averrhois Philoſophiam potius, quam Ariſtotelis ſectari.

Potuit autem ſine manuductore pergere, quod ſingularum partium Philoſophiæ ſolida à Murdiſono hauſiſſet fundamenta. Sedulaque auctorum lectione creditus eſt tantum in Philoſophia profeciſſe, ut inter commilitones ſuos emineret: frequenterque opponendo ea Diſputationum Præſidibus objiceret, è quibus ſe decore ſatis nequirent extricare. Erat enim in inveniendo ſubtilis, in excogitando promptus, in explicando planus, in urgendo acris: quæ quo magis cum reſpectu proponebat, eo à majori judicio proficiſci videbantur.

Philoſophiam præcipue voluit ad Theologiam dirigere: & quo id meliori judicio fieret, perpetuo magni Theologi conſilio arbitratus eſt ſe indigere. Quare cum bona Spranckhuyſii venia hoſpitium mutavit, & ad Franciſci Gomari menſam acceſſit; cubiculum in proxima domo conduxit, in Gomari ædes migraturus, ubi contingeret aliquod vacare: quod poſt aliquot demum menſes evenit.

Ornabant hoc tempore facultatem Theologicam, Franciſcus Junius, Theologus profundæ eruditionis, gravis, & judicii plenus: Lucas Trelcatius pater, ſolidus & excitatus: Franciſcus Gomarus, vir multijugæ eruditionis, ferventi zelo & vehementi. Æſtimavit autem Walæus præ cæteris Junium, & ad illius ſe exemplar conatus eſt conformare.

Sed Gomari conſilio uſus, Theologiæ ſtudium non eſt à lectione Locorum Communium auſpicatus: ne ullius opinione imbutus, ne ullo præjudicio ab ipſa veritate abduceretur. Verum initio perlectis aliquoties Eccleſiarum Re-

Reformatarum Concordiæ formulis, Catecheſi Heydelbergenſi, & Confeſſione Belgica, totum ſe lectioni Sacræ Scripturæ dedit. Eam legit attente, legit aſſidue; imo & præcipua Doctrinæ capita memoriæ mandavit. Adeo ut etiam ſenex Epiſtolam ad Romanos, ſecundam ad Corinthios, ad Galatas, Epheſios, Philippenſes memoriter poſſet recitare. Legit autem lingua vernacula, quo in concionibus poſtea habendis, Scripturæ verba promptius memoriæ obverſarentur.

Cum autem ſola Scripturæ Sacræ lectione, totum Doctrinæ corpus difficulter animo comprehenderet, jam Scripturæ inquilinus, tandem ad Inſtitutiones Theologicas Bucani acceſſit: quo Theologiam integram è compendio, uno quaſi obtutu poſſet intueri. Compendio autem diu immoratus non eſt, quod delineationi picturæ ſimile, lineas tantum quaſdam & doctrinæ circumductus contineat, nativum autem Diſciplinæ colorem, umbras, ſplendorem nequeat exprimere. Verum ſtatim ſeſe Inſtitutionibus Calvini, & Petri Martyris Locis Communibus dedit. Non ſuppetebat hoc tempore Eccleſiis Reformatis ea Locorum Communium copia, ut anxie diſpiciendum eſſet quinam reliquis deberent præferri. Perplacuit tamen Martyr, quod totam Doctrinam pertractaret plane, deduceret fuſe ſtatum controverſiæ, & eum ſolide decideret. Putavit tamen adjungendum Calvinum, quod eum Reformati ut Ducem & merito ſequerentur; quod præteritis levioribus, ea ſectaretur quæ uſum haberent: eaque proferret cum gratia & majeſtate, in quibus vis & robur ſententiæ Reformatorum conſiſteret. Qualibus authoribus non ſatis aſſueſcere Juvenes poſſunt, qui rerum pondus nondum ex æquo norunt æſtimare.

Dum his occupatur Walæus, Lucas Trelcatius & poſtea Franciſcus Gomarus, Locos Communes privatim explicare aggreſſi ſunt; quos audire inſtituit, quia privatim omnia familiarius & brevius, quam publice ſolent pertractari. Præcipue tamen Lectionibus publicis vacavit. Qui authorum lectione, privato ſtudio, Theologiam aſſequi conantur, eos videmus in alienas, in ridiculas, imo pernicioſas opiniones incidere; dum doctrinæ connexum non ſatis animo aſſequuntur. Publicis autem magis quam privatis vacavit, quod illæ accuratiores doctioreſque ſint; & majori gratia auditorum animis inſtillentur. Vacavit autem omnibus, quia nullo labore, nulla animi fatigatione aliquid auribus admittitur, quod non raro in animo radices agit. Sed quo ordine Lectiones Junius, eo præcipue ſtudia inſtituit, quo ſolido fructu audiret eas: ſique aliquid poſt Lectionem etiamnum ſupereſſet ſcrupuli, id privato colloquio eximebatur.

In Locis Communibus cum plurimum profeciſſet, Commentaria in Sacram Scripturam adiit: & primum Piſcatoris Analyſin, quo totum ſcripti contextum animo complecteretur; ſed Scripturæ ſenſum è Calvino hauſit, quem divinum ſolebat Interpretem appellare. Cui in Novo Teſtamento junxit Bezam, in Veteri Mercerum, Ariam Montanum: quo regiminis rituumque Judaicorum notitiam adipiſceretur: qua qui inſtructus non eſt, in eruendo Scripturæ ſenſu fruſtra ſolet animum fatigare.

Plurimum tamen propriæ diligentiæ tribuit. Qui eundem authorem frequenter legit, optime ejus genium, orationis decurſum, connectendi, probandi, concludendique rationem animo aſſequitur. Singulis Deus Opt. Max. ingenium

nium aliud, diverſum judicium dedit, quod non melius quam ex cujuſque ſtilo expiſceres, quæ eorum quaſi expreſſa quædam eſt imago.

Ubi jam Walæus legiſſet audiviſſetque diu, ad actionem ſe cœpit præparare; & opponendo publice ea quæ conceperat exprimere. Diſputavit quoque ter publice; de Vera Theologia, de Myſterio Trinitatis, de Chriſti Mediatoris Officio: quibus Diſputationibus non exiguam ſui admirationem excitavit. In Philoſophia enim verſatiſſimus, appoſite ad terminos reſpondit: & cum Sacram Scripturam haberet in promptu, reſponſionem ſuam loco Sacræ Scripturæ, auditu ſuave, ſemper obſignavit.

Conciones quoque privatas habuit, dirigente eas Luca Trelcatio, concionatore facundo: & primam publice Voorſchotæ, magno auditorum confluxu, qui nihil mediocre ab eruditione ejus exſpectabant.

Jam Walæus aptiſſimus à præceptoribus judicabatur, qui Divino Miniſterio operam impenderet; ſed qui aliis abunde, nondum ſibi potuit ſatisfacere. Quare antequam doceret alios, Eccleſiam regeret, putavit quoque alibi conſulendos doctos, perluſtrandas Academias, regimen aliarum ſibi Eccleſiarum inſpiciendum: præſertim Genevæ & in Helvetia, unde Reformatio proceſſerat, & Eccleſiæ decore magis regi credebantur.

Itaque oblato itineris comite Apollonio Schotte Juriſconſulto, Conſulis Middelburgenſis filio, poſtea Supremæ Curiæ Hollandiæ & Zelandiæ Senatore, vigeſimo tertio Maii, Anni cIↃ IↃ Ic. Fliſſinga ſolvit, navi prætoria, qua contra prædones à parente illi proſpiciebatur. Ac xxv ad Sequanæ oſtium bene appulit: indeque perluſtrato Rhotomago, viciniſque urbeculis, xxix Lutetiam Pariſiorum ingreſſus eſt. In hoc Galliæ, imo orbis, quodammodo compendio, Walæus ſubſtitit. Nullæ nationes ſunt quæ hic non confluunt: nullum vitæ genus quod non exercetur: nullibi virtutum vitiorumque materia uberius exurgit: nullibi omnes eruditionis partes plenius traduntur. Inquiſivit hic Walæus in Galliæ regimen: & miratus eſt Regem ſupremam poteſtatem adeo pro libitu exercere, & tamen populum incredibili eum amore proſequi. Perſpexit multorum hominum mores, & agnovit maximum ad virtutem incitamentum eſſe, vitiorum fœditatem nudam contueri. Sed præſertim ad Philoſophiam & Theologiam attendit: ea quæ apud Pontificios vigebat ſumme diſplicuit, quod mere Scholaſtica eſſet; nec Sacræ Scripturæ, nec ſanæ rationi, nec ſenſui ſubnixa: aſi animi tantum quibuſdam conceptibus, aut argutis diſtinctionibus, quo doctrinæ monſtra quædam ſtabilirentur. Reformatos nec Theologiam hic, nec Philoſophiam profiteri: & in habendis concionibus, in regenda Eccleſia plena libertate non frui: adeo ut actiones, imo verba publice habita, quæ ambiguitatem aliquam queunt admittere, in deteriorem partem & pœnam trahantur.

Quare hic ſibi nimium commorandum non eſſe arbitrabatur, & per Aurelianenſes, Bituriges, Lugdunenſes, Arauſionenſes, Viennenſes, in Maris Mediterranei oras concedendum: in quibus & liberiores Reformati, & magis vigere credebantur. Ubi Viennæ venit, animadvertit pecuniam peregrinationis nervum defecturam, quam demum Genevæ novam procuraverat ſibi numerandam. Qui nunquam propria quadra vixerunt, credere non poſſunt ſe in vitæ neceſſaria aut commoda tantum expenſuros.

Dum Viennæ hæret, & vicinarum Ecclesiarum Pastores invisit, animadvertit se amplius in illis oris: Junii laudibus, quam credebat, innotuisse. Invitabant enim eum vicinæ Ecclesiæ, amplis conditionibus, ut privatim docere Philosophiam, docere Theologiam aggrederetur, oblato ad laboris decrementum coadjutore. Sed qui necessitatem talis Scholæ percipere non poterat, cum non nimis remotæ essent Genevensis, Lausannensis, quique non desperabat similem studiorum fructum in Patria carpere; recusavit talem provinciam inter peregrinos suscipere, ubi facile exponi aliorum invidiæ posset, nec consanguineorum tutela protegi. Verum ab Appollonio Schotte Gratianopolim usque deductus, inde mense Augusto Genevam accessit.

Genevæ hospitium quæsivit, ubi quam maxime studia posset promovere: & id apud Carolum Perrottum elegit, Verbi Divini Ministrum, ac Sacræ Theologiæ Professorem.

Prima Genevæ cura fuit linguam Gallicam bene addiscere, quam sedula lectione Gallicorum Scriptorum, & frequenti conversatione cum civibus acquisivit: satis enim accurate honorati hic cives Gallicam linguam loquuntur. Et in ea tantum profecit, ut non raro Gallicas habuerit conciones.

In Theologia Professores erant Theodorus Beza, Antonius Fayus, Carolus Perrottus. Beza, octuagesimum supergressus annum, lectionibus publicis abstinebat. Fayus elegantis erat eruditionis, sed explicator parum pressus, disputator parum acris. Perrottus vir plane doctus, minus in fronte, plus in recessu habebat. Et singuli horum unica septimana vix semel prælegebant. Quare audiendis se concionibus sedulum præstitit, quæ nullibi frequentiores quam Genevæ habentur. In iis autem maxime admiratus est Bezam, in quo, jam octuagenario, eminebat adhuc vigor ille animi, eruditio illa profunda, judicium illud acre, eloquentia illa mascula, ad quam totus orbis merito obstupuit. Plurimum autem profecit in ea quam diebus Veneris habent Congregatione, in qua Ministrorum aliquis, locum Sacræ Scripturæ familiarius explicat, quam reliqui qui adsunt Ministri vel limitant, vel extendunt, vel emendant: nisi quod ubi ad Bezam explicandi perveniisset ordo, reliqui interpretationem ejus silentio venerarentur. Profecit quoque plurimum Bezæ colloquiis, qui omnia ad sui notitiam, ad Dei venerationem dirigebat: unde frequenter illi in ore erat illud Gregorii, ut dicere solebat, *non utique cæcutientis. Ægrotus est eo insanabilior, qui sibi sanus videtur.*

Occupabatur hoc tempore Beza in Novi Testamenti editione ultima, quam maluisset Walæus non ita è consilio & ad mentem Piscatoris institui. Incipiebat enim in Beza languere ingenii perspicacia; nec eminebat in Piscatore, sublime illud ingenium, maturum illud judicium, quod florente ætate in Beza eluxit, & hic requirebatur.

Conversatio cum Perrotto quo diuturnior & familiarior, eo gratior extitit: nec præsentia famam imminuit, aut familiaritas attulit contemptum. Non enim videri pius, non videri doctus, sed esse conabatur. Famam ut inanem non negligebat tantum, sed ut gravem aspernabatur. Literarum cum viris eruditis commercia fugiebat, putabatque magis ad ostentationem quam ad usum institui. Semper dictitans; *Paucis in Dativo & Ablativo scribendum esse.* Prorsus hoc agebat, ut sibi tantum & suæ gregi suaviter viveret. Et

sane

ſane ea converſatione aliquid Walæo affricuit, quod tota vita adhæſit.

Regimen Eccleſiæ Genevenſis illi perplacuit: ubi nec ſponſæ nec viduæ domo includerentur, ſed de more quotidie publicas adire preces, publicas adire conciones deberent; nullibi vel monendæ rectius, vel ſuavius conſolandæ. Ubi quoque non punirentur tantum vitia, quod ferum nimis eſſe ſolet; ſed etiam vitiorum occaſiones, luxus & protervia, præſcinderentur. Non putavit tamen ea auſteritate facile alibi procedendum: plebem enim hic non tantum ad vitia, ſed ad ſcelera pronam. Frequentiam quoque concionum ardorem aliquem extinguere, quod evileſcerent conſuetudine, & differrentur facile quæ ſemper poſſent haberi.

Dum in hæc inquirit, & ea expendit, non negligit reliqua, quæ illi ſponte offerrentur.

Degebat hoc tempore Genevæ Theologus, qui Hebrææ linguæ peritia reliquis eminebat. Hic perſuaſit Walæo ſe eam notitiam arte memoriæ brevi temporis ſpatio acquiſiviſſe: quare ei ſe dedit, & ſex ſeptimanis, Sanctis Pagnini Epitomen integram memoriæ mandavit: eo initio ſucceſſu, ut omnes Scripturæ locos bene interpretari poſſet, & interpretationis ſuæ commodam rationem dare. Verum cum Hebraica illa vocabula non potuiſſet niſi per imagines retinere, imagines autem eſſent aut frequentia, aut elegantia, aut abſurditate illuſtres; evenit ut quidquid ageret cogitaretque, ſemper illæ imagines animo obverſarentur: & ſibi viſus eſt inſtar melancholici delirare. Qui autem ſedatas cogitationes, ſtabile judicium majus quid omni eruditione æſtimabat; quiete, diverticulis, omnique conatu quindenis diebus hoc egit, ut iterum imagines illæ memoria delerentur: & eas tantum reſervavit, quæ vel vocabula quædam abſtruſiora, vel majoris uſus exhiberent.

Obierat Henricus Stephanus Typographorum eruditiſſimus, qui communi Typographorum fato majora viribus erat aggreſſus, Unde cum vendere impreſſa & præcipue Theſaurum linguæ Græcæ, non ſatis cito poſſet, non potuerunt ejus Hæredes creditoribus ſatisfacere; publice itaque exili pretio divenditi ſunt: è quibus integram Bibliothecam Græcorum authorum Walæus coemit. Quibus, dum à ſeverioribus ſtudiis vacare vellet, animum laxavit.

Imminet Genevæ Jura, & Juræ cornu mons, qui bicornis altiſſimas nubes tranſcendit. Hunc aſcendere, & videre quid in alia aeris regione agatur, Walæum ardor cepit. Itaque cum Carolo Perrotto, cum urbis Secretario, tertioque amico, menſe Mayo longiſſimis diebus ad pedem montis pernoctavit. Unde primo diluculo, manuducentibus duobus paſtoribus, montem aſcendere aggreſſi, circa meridiem mediam aeris regionem intravere: in qua omnia frigore ſæva, & mons collibus glacialibus aſper deprehendebatur; niſi ubi meridiei obverſus aſcenſus ſemita patebat. Hac pomeridianis horis in cacumen montis eluctati, ibidem aliquot horis quievere. Cacumen erat viginti jugerum, & tamen altitudo inſiſtentes terrebat, ut non auderent decliviorem terram niſi jacentes intueri: pagi vicini non majores muris magnitudine conſpiciebantur, montes tumulorum. Nullæ in cacumine nives, nulla glacies, aer frigidiſſimus, majori tamen tenuitate puritateque, quam ullis æſtivis diebus poteſt deprehendi. Hi Muſicæ omnes periti concentum hic inſtituebant, qui

ea lenitate ſuavitateque aures percellebat, quam nullus unquam in terris è longinquo potuit aſſequi.

Interea dum hinc Galliam inde Italiam intuentur, viderunt è lacu Lemano vapores exurgere, moveri, ſiſti à Jura monte, circa eum colligi, & infra ſe cumulari in nubem; ea tandem ſpiſſitudine, ut omnem proſpectum in terram præcluderet. Cum tamen nox appropinquaret, deſcendere aggreſſi ſunt, nubem intrare, morari in ea, ac in ea manus lavare: non alia autem nubis erat facies, quam ſpiſſiſſimæ nebulæ, qualis non raro terram obtegit. Hanc ſimulac tranſgreſſi ſunt, nubes ſe in pluviam diſſolvit: à qua permadentes, in vicinis paſtorum tuguriis pernoctavere, & inſequenti nocte ad montis pedem: multo enim facilior genubus aſcenſus, quam deſcenſus exiſtit.

Evenit iiſdem propemodum diebus, ut cum Adriano Mammakero, Zelandiæ poſtea Præſide, in lacu Lemano iverit natatum. Natans autem animadvertit, quendam fatis remotum, ignotum ſibi, ſeorſim natare, ſubmergi & ſuffocationis incurrere periculum. Ut autem erat tenerrimi affectus & ad opitulandum pronus, ſtatim natando affluxit, hominem ex undis, ex orci faucibus eripuit ac in terram ſalvum detulit: quem, ubi ad ſe rediiſſet, intellexit ſartorem Belgam eſſe, qui reverentia impeditus propius accedere non auſus; ex ſono tamen vocum Belgicarum conterraneos agnoſcens, in vicinia voluit morari. Charitas enim patriæ apud exteros demum clueſcit, ut omnes conterranei, quaſi conſanguinei habeantur.

Viderat jam Walæus, audierat, didiceratque ea quæ Theologiæ ſtudioſo moram injicere Genevæ poſſunt. Et etiamſi nulla fatietas ſuboriretur urbis, abundantis annonæ, lacubus fluminibuſque irriguæ, hortis amœnæ, converſatione civium ſuaviſſimæ; voluit tamen, ad majorem ingenii cultum, locum mutare.

Kalendis itaque Junii Seculi decimiſexti, à non paucis Belgarum Lauſannam uſque eductus. Cum ibi nihil inveniret, quod morari Theologiæ candidatum poſſet, Bernam feſtinavit: ubi fortuitus eum per duos menſes ſiſtit caſus.

Equus meritorius Lauſannam Berna venerat, quo Lauſanna Bernam vehebatur; Bernæ autem demum animadverſum fuit, illi ſub ſella coſtas diffractas eſſe: quare equarius pretium ſibi equi à Walæo ſolvi voluit, etiamſi non levia judicia extarent jam ante id equo obveniſſe. Cum autem ad æquas conditiones adigi equarius non poſſet, cogebatur Walæus lites ſequi.

Dum ea lis pendet, in reliquam Helvetiam excurrit; ad Tigurinos, Schaphuſianos. Schaphuſii Cataractas Rheni vidit, Nili æmulas: & obſervavit, falſum eſſe quod Veteres aſſerunt, accolas ſonum ruentis aquæ non exaudire; quamvis non ita, ut inaſſueti, perturbentur. Imo [illegible] circa Catadupas, quod Veteres negant, non paucos commode habitare. Ita non raro aliquid falſi de manu in manum inexpertis traditur, quod tandem locum veri tenet.

Magiſtratus Tigurinus, à Paſtoribus eruditionem Walæi prædicari audivit; & quæ gentis illius in exteros, in eruditos eſt humanitas, magnifice eum publico convivio excepit.

Bernæ maximam familiaritatem cum Zeenderero contraxit, Collegii ibidem primo Præfecto; qui inſignis promotionis illi ſpem fecit, ſi Bernæ vellet

ſedem

ſedem collocare. Sed à Magiſtratu deciſa lite, & equario quinque Coronatis aſſignatis, Baſileam contendit.

Baſilea Urbium Helvetiæ ampliſſima eſt, ædificiis ſuperba, quibus picturatis paſſim veſtibulis multum accedit decoris. In hac Æneas Sylvius, poſtea Pontifex Romanus, tempore Concilii Baſileenſis, commoratus eſt, & delectatus amœnitate loci, aeris ſalubritate, ubertate annonæ: quod nulla in vicinia Univerſitas foret, dignam judicavit quæ ea condecoraretur.

In hac Academia jam Theologiæ Profeſſores erant Jacobus Grynæus, & Amandus Polanus à Polansdorf. Grynæus vir erat catus, prudens, eruditionis ſolidæ; ſed regimini civitatis vehementer intentus, adeo ut ad ejus nutum regi Baſilea crederetur. Quales eminere eruditione non ſolent, qui præcipuum tempus ambitu, ſerias magis cogitationes, ſtabiliendæ authoritati impendunt. Prælegebat univerſalem Hiſtoriam, quam ad ſua uſque tempora deduxerat: quare plures auditores habuit, qui intelligerent quid novi in orbe eveniſſet, quam qui aliquid ſolidi conarentur addiſcere.

Polanus vir doctus, multæ & aſſiduæ lectionis: qui non ſatis pollere judicio ſolent, nec profundiſſime in Diſciplinarum intima penetrare: multa delibant, parum nutritii cibi in ſuccum & ſanguinem convertunt. Tradebat auditoribus, Locum de Prædeſtinatione: quæ materia, ſi ulla, ingenium acre, judicium ſolidum expoſcit.

Quare maxime Johanni Buxtorfio, Literarum Hebraicarum Profeſſori, ſe dedit. Buxtorfius erat docendo aptus, genii ipſius linguæ antiquitatumque Judaicarum peritiſſimus: unde in ea lingua haud æque celebre nomen inter Reformatos invenias. Explicabat Rabbinorum commentaria in duodecim Prophetas minores: quibus ſuceiſivis tantum horis Walæus vacavit; quod Rabbinorum minera plus operæ requireret, minus auri largiretur.

Animadvertens Walæus ſe ſua ſpe ſæpe fruſtrari, & pleraque expectatione minora invenire: comparatis quoque inter ſe Leydenſibus, Genevenſibus, Lauſannenſibus, Bernenſibus, Baſileenſibus Profeſſoribus, cum judicaret aliquos, non obtinere nullum nomen, quibus diffuſa eruditio aut profunda non eſſet: in animum induxit ipſe quoque aliquid publice audere: quod apud exteros quam domi maluit, ut quidquid aſperum, quidquid rude, nondum plene efformato ſupereſſet, ibi polirctur ubi obeſſe futuræ promotioni non poſſet. Debuit autem id Baſilcæ, quod vix alibi ſtudioſis Profeſſoris occupare locum liceat. Itaque ut eruditionis aliquod ederet ſpecimen, Carmina oblatis occaſionibus compoſuit & evulgavit.

Theſes conſtituit de Providentia Dei, ſolis Sacræ Scripturæ verbis contextas: de quibus publice ſub Polano diſputavit. In ea autem ita repetiit ordinate, reſpondit appoſite, probavit ſolide, ut facile ex ungue Leonis vim poſſent animadvertere,

Quare illi conceſſa eſt Profeſſoris cathedra, ex ea diſputare publice aliorum diſputationi præſidio adeſſe: quod & frequentiſſime præſtitit; & Diſputationibus Alumnorum ordinario præfuit: adeo ut ubi Polano hoſpiti ſuo, aut Grynæo ejus genero, aliquid impedimenti obveniret, ſtatim ad Walæum iretur, qui diſputando eorum vices ſuppleret. Unde nomen illi apud ſtudioſos, apud Profeſſores æſtimium: quod & Belgicis Eccleſiis, publico Diplomate voluerunt teſtari.

In

In tota Peregrinatione id Walæi inſtitutum fuit, æſtivis menſibus peragrare Regiones, luſtrare urbes, agros, flumina, montes: & in id inquirere, quod in iis natura aut ars admirandum fecit, aut dignum notatu. Hyemis tempore in ea civitate ſedem ponere, ubi maxime promovere Theologiæ ſtudia poſſet, & regimen Provinciæ perſpicere. In quo ubi Baſileæ ſatisfeciſſet ſibi, Vere novo Argentoratum, Spiram, Heidelbergam profectus eſt.

Heidelbergæ dubitavit aliquamdiu, ibine æſtivos tranſigere menſes deberet, an potius perluſtrare Germaniam; & circa hyemem Lugdunum Batavorum accedere. Movebatur celebritate Academiæ, quæ inter Reformatas ſola cum Leydenſi poſſet contendere: ſed parum in animo illius ſpecioſa poterant, qui ſibi propoſuerat tantum ſolida ſectari. Maximi æſtimabat Bibliothecam Manuſcriptorum authorum, ad quam illi liber aditus per virum Clariſſimum Janum Gruterum, Conterraneum ſuum, patuit: verum ad collationem Manuſcriptorum cum impreſſis, plane animus non inclinavit. Nimia varietate lectionum, alienus ſæpe ſenſus authoribus affingitur: & niſi in locis tantum ſit maximi momenti, inglorius prorſus eſt labor, nec pluris æſtimandus quam eorum qui indices conficiunt.

Theologiæ Profeſſores erant, merito ſuo celeberrimi, Daniel Toſſanus & David Pareus. Toſſanus Novum Teſtamentum interpretabatur; ſed ſenio confectus, paucos tantum menſes ſupervixit. Pareus explicabat Prophetam Hoſeam, quem recenter admodum cum Rabbinorum commentariis Buxtorfium audierat explicantem. Et neſcio quomodo varietate animus allici debeat; etiam ut iis immoretur, quæ alias magni ſolet æſtimare.

Gubernatio Eccleſiæ Palatinæ, plane non erat Belgicis imitanda. Octo Politici, octo Eccleſiaſtici Senatum conſtituebant, cui ſub Principe ſumma erat in rebus Eccleſiaſticis poteſtas. Hic miniſtros eligebat, præficiebat civitatibus, pagis: transferebat de loco in locum, & Theologicis controverſiis imponebat modum: ſæpe invitis, ſemper ignaris illius Eccleſiæ membris. Ita optime authoritati Principis, bene tranquillitati publicæ, parum animarum ſolatio conſulitur.

Quare Walæus invitatus tempeſtate anni, ſtatuit potius Germaniam peragrando pervidere.

Peragravit itaque totum Palatinatum, & aliquamdiu Francofurti ad Mœnum quievit. Percurrit Haſſiam, & Marpurgi in Academia, Caſſelii in aula ſubſtitit. Aliquoties à Mauritio, Haſſiæ Lantgravio, cum honore ad alloquium admiſſus. Principes enim qui ut potentia ita eruditione præditi ſunt, non tantum potentes, ſed & eruditos quodammodo ut familiares habent. Inde in Ducatum Brunſvicenſem, Epiſcopatum Bremenſem profectus, Bremæ commoratus eſt. Qui ita regiones pervolitant, multum jucunditatis habent, dum quotidie aliam agri faciem, aliam culturam vident, alium urbium ſitum, aliam ædium ſtructuram: dum alium hominum genium, diverſos mores, contraria ſtudia intuentur. Verum id demum ex utilitate fit, ubi in primariis civitatibus commorantur, naturam populi, rationem regiminis à peritis inquirunt, quam inquiſitionem mox percurrendo regionem abſolvant.

Ne autem Walæus, qui hactenus aliena & externa curaverat, domus ſuæ ignarus eſſet, Bremâ in Friſiam profectus eſt: inde in Tranſiſalaniam, Geldriam,

am, Ultrajectum, atque ita Autumno in antiquas ſedes Lugdunum Batavorum, & Gomari ædes, conceſſit.

Certe qui triennium propemodum peregrinando impenderat, reditum in patriam poterat parare. In patria ferendi fructus ſunt, ſed quo eos melius proferat arbor, luxuriantes rami amputandi ſunt, meliores taleæ inſerendæ: in alio autem ſolo, ſub alio cœlo radices agere non debet, melius in ſuo creturus.

Antequam autem ſe Walæus Lugduni ad ſtudia componeret, ſuo affectui, parentum deſiderio ſatisfecit, ac Middelburgum excurrit. Nihil æque volupe obtingere liberis poteſt, quam ex temporis intervallo, parentes ſanos & ſalvos contueri. Nullum cardiacum æque parentum animum excitat, quam familiæ columnam, filium natu majorem, annis maturum, peregrinatione expolitum, incolumem tenere.

Middelburgo ſtatim, non ſalutatis amicis aliis, Lugdunum redit; ac nonnihil immutatam Academiæ faciem agnoſcit. Joſephus Scaliger, poſt Rectorem Magnificum, cæteris præponi Profeſſoribus volebat. Sed opponebant ſe Profeſſores omnes, & id Junius ordine primus debebat excubi: nec id faciebat invitus, cum ipſe familia oriundus nobili, meminiſſet in Galliis ſobolem illam Vicentinorum Comitum rideri.

Eodem tempore id agebat Junius, ut ſua Hebraicæ Linguæ Profeſſio, in Juvenem aptiſſimum transferretur, qui fulcrum aliquod ſuæ poſſet familiæ adferre; verum id ſecreto ambitu præripuit Coddæus. Quæ res ægre virum habuit, imo & ipſos Præpotentes Hollandiæ Ordines. Nolebant in Scaligeri gratiam, viri alias raræ ac profundæ eruditionis, poſtponi & offendi Junium alioſque eruditionis ſolidioris ac majoris uſus. Quare nec quem petebat locum Scaliger poſſedit, & idem ſtipendium Junio fuit aſſignatum mutato titulo; ut loco Profeſſionis Hebraicæ, contra Bellarminum ſcriberet. Ea tamen contentio videbatur nonnihil Junium fregiſſe: ut maturior ætas ac fama celebrior, addidiſſe Gomaro animum ac judicium.

In ſtudiis Walæus non jam majorem aliquam Theologiæ perſequitur partem, non Lectionibus quibuſdam continuo vacat; ſed apud animum ſuum Theologiam percurrit ac ruminat. Expendit ſingulas Theologiæ partes, ac ſeipſum examinat quouſque in eorum intima penetraret. Ubi evidentem aliquem ſentit defectum, ſcriptos libros conſulit, meditando quod deeſt, conatur reparare, conferendo cum Junio & Gomaro perficit. Incredibile dictu eſt, quantum id inſtitutum eruditionem ejus brevi temporis ſpatio reddiderit uberiorem. Ita non addiſcitur tantum aliquid, ſed ab ipſis fundamentis inveſtigatur: quorum fundamentorum inventio majoris momenti, quam diffuſa eruditio eſt. Pertætus autem ſcriptorum recentium, quorum quidam mediocres, quidam inepti eſſent, nulli pondus ab authoritate haberent: Maxime ſe lectioni patrum, & præſertim Auguſtini, dedit: quod præ cæteris nervoſus & in diſputando acer eſſet.

Interea in civitate Leydenſi, in vicinis pagis ſe concionando exercuit: quod ea gratia peregit, ut ad ordinarium verbi Divini Miniſterium in Civitate Leydenſi vocaretur. Quæ res quo inopina magis obvenit, eo magis Walæum ſollicitum habuit. Honorificum erat in amplam civitatem ſtatim vocari, com-

commodum in eam ubi Academia esset, per quam continuo melius increscere eruditio posset. Sed grave erat onus amplam Ecclesiam gubernare, qui nunquam vidisset parvam dirigi. Quare post ardentes ad Deum preces, non alia ratione potuit animum componere, quam si vocationem hanc parentum voluntati submitteret. Hi per Gomarum gratias egerunt Synedrio, & quominus vocationem filius acciperet voluerunt excusari, vario quæsito prætextu; sed revera desiderarunt senectutis baculum sibi propius apponi. Quam ob causam nec quieverunt prius quam filius valedicta Academia, verno tempore Anni millesimi sextentesimi secundi, domum reverteretur.

Vita illius in Academia, in peregrinatione & totis pubertatis & adolescentiæ annis inculpata prorsus fuit: in qua ne ipsa quidem malignitas habuit quod posset vellicare, aliena ab omni luxu & lascivia, pia, modesta: adeo ut non paucis ab aliorum parentibus pro exemplo fuerit assignata. Hoc bonum curabat semper quod vetustate fieret melius, nugis, ridiculis nunquam immorabatur, non erat tamen conversatio illius austera aut tetrica, sed facilis, blanda: quam libenter ingenii quodam sale, non acri tamen, condiebat.

In studiis fuit indefessus, quibus non dies tantum integros sed & dimidiatas noctes impendit, ut frequentius frigidus etiamnum è lecto quam calefactus exurgeret. Unde cum primum habitaret Leidæ in quartanam incidit, quæ per quatuordecim menses illum fatigavit: cum secundo in continuam febriculam cum tussi, quæ phthisin minabatur; spretis tamen omnibus nihil de consueto studio remisit. Quæ intemperies quædam erat, eo magis admiranda, quod in tota vita hoc ageret, ut ne quid minis: sed ita potest sciendi desiderium homines quasi effascinare. Ab illa continua intentione animi, debilitatem ventriculi, cruditatemque incurrit, & repletum caput Asthma dedit: quæ duo facile, quod hæreditaria essent, exinde cum tota vita vexavere. Nimis care eruditio emitur, quæ cum continuo sanitatis dispendio obtingit: & obtingit minor, quam quæ integra sanitate pedetentim acquiritur.

Middelburgi se statim examini, ut vocant, præparatorio subjecit: & examinatorem nactus est Jacobum Cornelii, Verbi Divini in Ecclesia Middelburgensi Ministrum. Virum pium, nec indoctum; sed cum eruditione Walæo cederet, non Walæus, sed Jacobus Cornelii examinatus esse dicebatur. Non levi eruditione præditus esse debet, qui appositè vult eruditum rogare.

Ita examinatis incumbit coram Ministris singulis mensibus conciones habere, quo in concionando promptiores evadant. Et integrum illis est singulis septimanis, eorum Concilio interesse qui Ecclesiam gubernant. Optima consuetudine, ut legitimo usitatoque regimine prius imbuantur, quam Ecclesiæ habenis manus admoveant.

Illis autem exercitiis, illis in Concilio colloquiis animadverterunt facile acutum juvenis ingenium, sedatum judicium, eruditionem profundam, meritoque eum à civitate Leydensi fuisse vocatum. Unde, cum homines difficulter affectus exuamus, ceperunt Ministri vereri ne amicis suis in promotione præponeretur: imo ne suis luminibus officeret.

Claßis Walachra præ cæteris sedula est ut amicitiam cum Ecclesiis vicinis foveat: quare & præ cæteris à vicinis Ecclesiis consuliter. Vacabat Caleti Concionatoris cathedra: eam occasionem arripuerunt Middelburgenses, & Walæum

Walæum conati ſunt Caletum ablegare: quæ res male prorſus ejus parentes habuit, qui impediverant antea ut Leydæ maneret, in Provinciarum Fœderatarum meditullio, nunc perpeti debere ut Caleti Gallorum Hiſpanorumque injuriis exponeretur: quare ſeſe oppoſuerunt acrius parentes, & ipſe averſabatur Walæus. quod nulla vocatio, quid dicerem legitima, unquam præcederet; cum tamen id agerent impetuoſius quidam Miniſtri, in gratiam parentum Magiſtratus oſtendit eam rem ſibi diſplicere. Sed litem diremit Koukerka, pagus Middelburgo vicinus, qui interea Paſtore orbatus, ſtatim in Miniſtrum ſuum Walæum elegit.

Koukerkæ idibus Novemb. Anni milleſimi ſexcenteſimi ſecundi, Verbi Divini Miniſterium aggreſſus eſt. Eo munere honoratum ſe ſenſit, quod dignus judicaretur qui ſervus Dei eſſet; ſed ſimul grave onus admiſiſſe Dei honorem promovere, & animarum procurare ſalutem: in quibus minimum peccatum aut negligentia, crimen eſſet læſæ majeſtatis Divinæ. Quare in eo munere, non hic tantum, ſed tota vita, nihil unquam incepit, quam implorato prius Divini Numinis auxilio ut illi prudentiam, ut animum, ut vires largiretur.

Koukerkæ concionandi promptitudinem & habitum acquiſivit, didicit Eccleſiam regere, conſolari afflictos, pertinacibus & ſectariis ſe opponere: quorum rudimenta audiendo & videndo jaci poſſunt, ſed non diſcuntur plene niſi operi manus admoveantur. Præſtitit id tam bene Walæus, ut pauci qui ſupereſſent ſectarii Eccleſiæ ſe jungerent, Eccleſiæ autem membra cum ut patrem revererentur.

Conciones vero ejus adeo emicuerunt, ut cum Anno illius ſeculi quarto, Mauritius Fœderati Belgii Imperator Sluſas obſideret, præ cæteris à claſſe Walachra dignus fuerit judicatus, qui in obſidione Johanni Vytenbogardo aulico Concionatori jungeretur: hic notitiam cum Vytenbogardo non amicitiam contraxit.

Vytenbogardus Concionator prorſus eloquens, magnatum gratiam ambibat quo inter ſuos emineret. Walæus hoc agebat, ut Deo potius quam hominibus placeret: quare & primus obtinuit, precibus, monitis, ne pejuratio inter militiæ duces audiretur.

Vytenbogardus nimis æſtimabat Socinum: inde & Novum Teſtamentum habuit, manu Socini ubivis annotatum, quo quotidie ut manuali utebatur: à cujus dogmatibus abhorrebat Walæus.

Devicta civitate domum redux omnia ſua compoſuit, quaſi perpetuo Koukerkæ manſurus: præditus mediocribus & honeſtis divitiis, non neceſſe habebat majus ſtipendium appetere: & antea à Leidenſibus petitus, cæteris paulo lautius obtinuit. Munere ſuo par videbatur, imo ſuperior. Eccleſia frequens, non oneroſo tamen erat. Et a munere ſatis ſupererat temporis, quod perficiendæ eruditioni poſſet impendere. Amabatur à ſuis; & plerique Seniorum, Diaconorum præter externum habitum, parum ruſtici habebant. Pagus ipſe non horæ itinere Middelburgo & Fliſſinga diſſitus, facile vitæ commoda admittebat. Amœnus prorſus paſcuis viridis, frumenti ferax, pomariis conſpicuus, arenoſis collibus propinquus, non tamen oppreſſus. Itinere horæ quadrantis ab eo mari diſtans, per quod majores naves in Zelandiæ portus debent appel-

lere. Domum amplam habebat, hortum ſpatioſum, in quibus ea fovebat alebatque, quæ elegans divertere ingenium poterant.

Sed raro iis plene frui poſſumus quæ ſtudioſe elegimus, quæ cum cura præparavimus nobis, quaſi in iis quieturi. Civitas Middelburgenſis ſi ulla religioni dedita, eo numero frequentabat Conciones qui à tribus majuſculis templis capi non poſſet: quam ob cauſam Magiſtratus rogatus eſt templum quartum & octavo Miniſtro ſtipendium concedere. Templum aſſignatum eſt, propè forum piſcarium, & in octavum Miniſtrum ab Eccleſiaſtico Concilio Walæus vocatur.

Equidem Walæus maluiſſet Koukerkæ manere, & non immiſtus turbis & diſſidiis Deo, ſuæ Eccleſiæ ac ſibi vivere. Non debuit tamen Deo reſidere cum vocanti, ubi plures adferre fructus Eccleſiæ poſſet: non debuit deeſſe futuræ familiæ, ubi ei melius poſſet proſpicere. Middelburgum enim Zelandiæ Metropolis eſt, nulli præter Amſtelodamum fœderati Belgii civitatum cedens amplitudine, mercatura, civium numero. Magiſtratus prorſus eruditus, præ cæteris Paſtores veneratur. Cives multi modicis divitiis, ſedatis moribus, Theologiæ curioſi eam quoque ſtudent opere exprimere.

Id biennium quo Miniſterio Koukerkæ functus eſt Walæus, non parum ejus vitæ rationem immutavit. Primo enim anno, peracto illo labore qui anniverſariis concionibus debebat impendi, Catecheticis, feſtorum, plus otii nactus, incepit de eligenda vitæ ſocia cogitare. Nec, ut vulgo fieri ſolet, inconſiderate ei rei incubuit, cum tota vita vix aliquid majus aggrediamur; ſed re ſerio iteratoque perpenſa, de parentum voluntate ambivit Paſchaſiam ab Iſenhout, virginem piam, prudentem, compoſitis moribus: qualem qui non eligit, tota vita cogitur ſtolidæ inſervire. Non neglexit tamen reliqua corporis & fortunæ dona, quæ beatitudinem in terris reddunt ſuaviorem. Erat enim forma decora præpleriſque Middelburgenſibus dotata, oriunda è Nobilibus familiis Curtiorum, Gryphiorum: & aviæ frater fuerat Petrus Curtius, celebris Epiſcopus Brugenſis. Grave quidem eſt olim magnum fuiſſe, ſed eximium antiqua proſapia conſpicuum, etiamnum potentem eſſe. Hujus autem pater Nicolaus ab Iſenhout, anno ætatis quadrageſimo nominatus obierat Conſul. Avus Maternus Johannes Bontridder, etiamnum in vivis Scabinus. Matris fratres uterini, Henricus Welleus Conſul, Chriſtianus Scabinus. Amitarum mariti, Ferdinandus Viſcherus Scabinus, Aylva Militiæ Dux. Et per hos potentiſſimis Middelburgenſibus familiis affinitate innexa. Hanc obtinuit Walæus, parario Jacobo Viſchero Ferdinandi Filio, commilitone ſuo, poſtea Maris Mediterranei Architalaſſo Gallico: & eam undecimo Auguſti, Anno CIↃ IↃ c III. in uxorem duxit.

Sed nemo continua in terris felicitate gaudet; uxore ducta parentes amiſit. Mater tota vita Aſthmate vexata, ex continua tuſſi tandem Peripneumoniam incurrit, quæ illam quarto Novembris ejuſdem Anni vita exemit. Hæc calamitas mire patrem ſenem affecit, eam ſe amiſiſſe ſine qua nihil unquam in vita habuit jucundum, quæ in ſe ſuſceperat onus proſpiciendæ domui, regendæ familiæ, quo melius vacare muneri poſſet & honeſtis oblectamentis ſe recreare: unde primum mœrore correptus, mox lenta febricula & tandem acuta, undecima Octobris Anni milleſimi ſexcenteſimi quarti expiravit.

Tote

Toto morbi decurſu Walæus perpetuis officiis, piis conſolationibus parentibus adfuit, quare uterque mortis hora illi benedixit, & hoc elogium dedit, cum nunquam eos tota vita offendiſſe: elogium quod optant omnes boni, pauciſſimi merentur.

Ea morte parum amiſiſſe Walæus videbatur, qui trigeſimum ſupergreſſus annum, ipſe paterfamilias, Paſtoris munere jam Middelburgi erat functurus. Nec multum curarum parentes reliquerant, cum Johanna ſoror eſſet annorum viginti & ſex: quæ mox nuptit Jacobo Lenſſen Cervitiario Middelburgenſi, viro diviti, ſuavi, honeſto, proboque. Et Jacobus frater annorum eſſet ſeptemdecim, ſtudiis quoque deditus, ita Antonio ſimilis, ut facile germanos eſſe poſſes agnoſcere: niſi quod natura videretur magis in Melancholiam inclinare, quales non ſolent moribus exorbitare.

Eæ tamen mortes vehementer Walæum conturbavere, ut toto anno nulla dies tranſiret, qua non de parentibus anxie cogitaret, nulla nox, quæ non de parentibus ſomnia largiretur. Certe exile quid non eſt favorem illum parentum amittere, converſationis illam dulcedinem: carere optimis exemplis, ad quæ vitam, ad quæ mores inſtituamus: deſtitui conſilio quibus in rebus gravibus, in rebus anxiis dirigamur: non muniri illa authoritate, non ſtabiliri illo fulcro, quo juvenes & in novo munere conſiſtamus.

Lenivit nonnihil dolorem natus illi filius vigeſimo ſeptimo Decembris ejuſdem Anni, quem in memoriam avi aviæque ſuæ, in gratiam avi uxoris & ſororis ſuæ Johannem appellavit. Vita cum pueris multas alienas cogitationes infringit. Exhilarat animum quod hæredem videamus divitiarum, authoritatis, boni nominis, quæ nonniſi cum fatigatione corporis & animi ægritudine parantur: ſed maxime in filio exultat animus, quaſi diutius cum nomine in illo victuri.

Etiamſi autem jam dudum urbiſſent Middelburgenſes, ut domicilium in eorum civitatem transferret, & jam proſpectum Koukercken ſibus eſſet; noluit tamen eo prius concedere quam Koukerkæ natus infans eſſet: ne videretur eos contemnere quos honeſtiſſimos & ſui amantes erat expertus. Sed vigeſimo octavo à partu die, uxorem cum tota familia Middelburgum traduxit.

Middelburgi cum maximo populi applauſu, ſummo honore à Magiſtratu, imo & præ cæteris favore, acceptus eſt: quæ res facile quorundam Miniſtrorum Middelburgenſium denuo invidiam excitavit: cum qui noviſſime collegio adiciſcuntur, ſemper aliquid debeant perpeti. Idque egerunt, ut Walæus quarto Templo jam cæteris adjuncto, exili prorſus, & in civitatis extima remoto, adſtringeretur; ſed id à ſynedrio Eccleſiaſtico non obtinuerunt. Imo in gloriam Walæo ceſſit, veteranos vereri ne eorum Auditorum frequentiam imminueret. Ut nulli majorem occaſionem profectus generoſi quam invidi præbeant. dum diſſimulare non poſſunt ſe eos æſtimare, eos diligentes, eos circumſpectos reddunt: illis amicos conciliant, quos mereri creduntur & ob invidorum molimen indigere. Sed Walæus facile horum animos mitigavit, modeſtia, humanitate, officiis: ut poſtea cum omnibus conjunctiſſime vixerit.

Poſt Walæum acceſſit quoque Paſtor nonus. Horum plerique omnes valde erant eximii: inter eos tamen eminebant, noſter Walæus, Ægidius Burſius,

Hermannus Faukelius, Guilielmus Telingius. Quorum ſinguli creditiſuiſſent vix parem habere, niſi hic fuiſſent conjuncti. Burſio vox erat vere maſcula, Faukelio & Walæo gravis, ſed illi amiſſione dentium parum impedita: Walæo ſonora magis, Telingio acuta & penetrans. Sermo Faukelii & Walæi erat planus, profluens Burſii, Telingii intercisus. Pollebant in monendo Walæus & Faukelius: & Walæus inſuper in conſolando. Egregius erat in excitando Burſius; ſed in reprehendendo excellebat Telingius. Quantum autem in aliis omnibus reliquis eminebant, tantum in docendo cedebant Walæo: tradebat plene, explicabat plane & appoſite, probabat ſolide, efferebat nervoſe; ut Telingius in reprehendendo, Walæus in docendo regnare crederentur, & integrum ſeculum vix illis parem ferre: unde reliquos omnes auditorum frequentia ſuperabant. Gratia apud cordatos Walæus Telingium ſuperavit, quod merito ſuo eruditionem æſtimarent, quod libenter doceri, moneri, conſolari vellent; illibenter reprehendi. Quare & ſolus Walæus toties ab aliis Eccleſiis petitus eſt ut cathedram vacuam ad tempus ſuppleret, quoties reliqui omnes ejus collegæ ſimul Neuſæ, Sluſæ, Fliſſingæ, Hagæ Comitis alibique.

Præcipue enim Concionatoris partes ſunt bene inſtituere, & plane ſuis exponere, penitus inculcare ea quæ credenda, quæ agenda ſunt. Fruſtra Religionis ignaro pietatem perſuadeas. Optime monet qui ſimul inſtituit, non enim imperare videtur, ſed ex æquo & bono loqui: qui ſi ſimul tranſgreſſorem, infelicem conſoletur, non doctor, ſed amicus creditur. Quod autem in reprehendendo minus acer eſſet, credo à natura ejus proveniſſe; erat enim benignus & plenus commiſeratione. Et quamvis judicium affectus mitiget, difficulter tamen in eo excellimus à quo natura abhorremus: erat enim ſatis vehemens ubi negotium miſericordiæ ageretur. Et habitus eſt præ reliquis optime penuriam pauperum ob oculos ponere, & ad illorum ſublidium auditores ad liberalitatem excitare.

In Regimine Eccleſiæ Burſius & Telingius oppoſitas acies inſtruebant. Burſius omnes demerendo, inſerviendo in ambitu matrimoniorum dignitatum amicos conciliabat, quales anxii eſſe in conſcientiæ ſcrupulis non poſſunt. Telingius pietatem vehementer urgebat, ſub qua latere noſtra cauſa poſſet quando Dei cauſam maxime videmur agere. Faukelius & Walæus neutri erant addicti: parum inclinabat in Burſium Faukelius, in Telingium Walæus; ipſi amiciſſimi inter partes diſcordiam præcavebant, ac eorum molimina ex æquo & juſto moderabantur, ſine tamen ullo prærogativæ aut authoritatis ambitu in Collegas: quam ob cauſam honos fugientes ſequebatur. Unde ipſi frequenter Claſſium directores. Rariſſimæ quippe in Zelandia Synodi, ſeniores, Paſtores, è cujuſque merito eligebant. Vocatus miniſter quo obtineri poſſet Walæus mittebatur, optime id negotium vigilantia, prudentia, ſuadela peracturus. Ita vocationem ipſius Telingii Haemſteda, Enochi Sterthemii Zirizæa, Franciſci Gomari Leyda Middelburgum procuravit: quæ res veterem Burſii in Walæum æmulationem commovit. Et quod favorem Magiſtratus quem omnibus officiis conſequi conabatur Burſius, Walæus merito ſuo & pleriſque affinitate junctus poſſideret. Neque cognitum eſt, præter hunc ex parte tantum æmulum, Walæum ullum inimicum aut invidum habuiſſe,

buisse, ita modeste se gessit, ex æquo semper actiones suas instituit, ipsi æmulo animitus favens quando id merebatur.

Non putavit autem se satisfacere muneri suo, si in concionando diligens, in regendo providus esset. Sed præterea singulis diebus Dominicis in novo Templo hora quinta, vacavit institutioni membrorum Ecclesiæ aut eorum qui se Ecclesiæ vellent adjungere, quam Catechizationem solent appellare. Hac interrogando, explicando omnes Theologiæ locos Communes percurrit, atque eo exercitio ita suos habiles reddidit, ut non pauci paria facere cum Theologiæ Candidatis possent; imo & quidam ad Ministerium, præsertim in India, promoverentur: optimo instituto, non enim omnes satis doceri è cathedra possunt, nec omnia singulorum captui accommodari.

Quæ edocuerat voluit singulis applicare, & quando tempus exposceret in usum ducere. Quare continuus & sedulus fuit in visitandis suæ Dœcesios incolis. Ita inhibuit non paucos qui ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium non possunt; tum præbuit consilia quibus ea peccata evitarentur, ad quæ natura magis inclinarent. Enodavit conscientiæ scrupulos, expedivit subtilitatum tricas, quibus non raro optimus quisque irretitur. Erexit qui Justum Deum metuentes ob peccata nimium erant abjecti: quos qui expectat ut se domi suæ consulant, sentit plerosque nimis sero advenire; ferme omnes negotiis, pudore, metu impeditos ne accedere quidem. In illis visitationibus viduæ, orphani, omni humano auxilio destituti, solamen inveniebant: & cui possent consilia communicare. Languidi, ægri animabantur ad fidei constantiam, præparabantur ad mortem. Agonizantibus mortis terror excutiebatur, accendebatur desiderium esse cum Christo, atque ita quasi manu ad salutem ducebantur. Hæc vera demum Theologiæ praxis est: in qua qui negligentes sunt, capere nequeo quomodo conscientiæ suæ, quomodo Deo possint satisfacere: & amore suorum in terris destituuntur. Quæ omnibus dicuntur quasi ex penso dicta putantur, quæ singulis ea demum unum quemque obligant.

Verum ea solius Walæi laus non erat, debebatur & ea plerisque Pastoribus Middelburgensibus, imo Zelandiæ, qui in hac parte non raro præ cæteris diligentes inveniuntur. Ut & quod iis visitationibus Lutherani, Anabaptistæ, Pontificii informarentur de Religione Reformata, & suæ religionis deformitatem addiscerent. Non enim minus Sectarios Walæus quam suos invisit, ea comitate ut nequaquam id ægre ferrent: ea æquitate ut frequenter quando in causis matrimonialibus scrupuli orirentur ad Walæum iretur, optime eos deciturus. Libenter enim Clerus Pontificius scrupulos movet, quibus pecuniam corradat qua ii redimuntur. Hæc res Cunionem pontificium vehementer conturbavit, & cum Walæus præ cæteris in redarguendo efficax esset, ne qui colloquia ejus æstimarent ad ejus quoque accederent Conciones, disperfit inter suos, Diabolum evidenter Walæi humeris insidere, ac inter concionandum continuo suggerere, quomodo optime populum posset seducere. Ita solent, qui ad congressum impares sunt, contumeliis adversarium, præcipue in religionis negotio, lacessere: plerumque suo damno, cum in illis falsi convicti; alibi quoque non veritatis sed suam causam egisse creduntur: quod & hic evenit. Non pauci enim Pontificii, aut curiositate aut fama allecti, aut occasione

cassione Baptismatis templum ingressi, cum nihil Diabolici ex Walæi ore procedere audirent, cœperunt Curionem suum calumniatorem æstimare: dubitare de veritate eorum quæ diceret, animadvertere se Walæi concionibus amplius quam illius doceri, consolari; atque ita in Religionem Reformatam inclinare sensim, & tandem ad eam aperte accedere.

Relinquebant Collegæ Walæo, ut docctiori, imo mandabant, ut provideret ne quid Religio Reformata publice detrimenti caperet, & eam contra adversantes tutaretur. Ea in re Herculem se præstitit, & non pauca monstra subegit.

Fatigaverat aliquamdiu Ecclesiam Middelburgensem Abrahamus Beeckmans: vir acris ingenii, conspicuæ probitatis; reprehenderatque continuo Ministros, illos immerentibus Baptisma dargiri, & signum fœderis illis infantibus communicare, quorum parentes Ecclesiæ sacramentum non dixissent. Centenaque aliquot Ecclesiæ membra traxerat in partes suas. His statim initio ministerii totam doctrinam explicavit planius, conferendo, disputando pertinaces confudit, scribendo plerosque convicit, & ad erroris adegit agnitionem. Nulla enim in conferendo Baptismate accuratior Ecclesia Reformata, quam Middelburgensis invenitur: quæ ad Baptisma infantes non admittit, nisi delegato Ministro aliquot diebus antea probaverint Amici, Christiani fidelis fœtum, aut in ejus legitima potestate esse. Juxta Dei institutum Genesεos xvii. *v.* 12. *Natus dies octo vobis circumcidetur omnis mas, per ætates vestras: natus domi & emptus pecunia de quibuscunque alienigenis, qui non erit ex semine tuo.*

Sed non contentus Walæus deviciſſe, dissipasse turbidos, voluit quoque eos servare Ecclesiæ, aut lucrari: quod perfecit, procurando ut Beeckmans ejusque socius in Seniores Ecclesiæ eligerentur. Ita pacata quasi seditio fuit, & ipsi utilem postea operam Ecclesiæ præstitere. Non melius demulcentur sectarii qui divina semper crepant, quam si humana illis largiamur.

Haud ita multo post Gedeon vanden Bogaerde, Nobilis Flander, neutrarum antea partium, cum vexillo inescatus, sequi partes regis Hispaniæ decrevisset, Religionem quoque debuit mutare, quæsito prætextu. Religionem Pontificiam Reformata veriorem esse. Et id in negotio Transubstantiationis, per patrem Gaudam Jesuitam Antwerpiensem, publicatis scriptis conatus est demonstrare. Subactus in religione Pontificia esse debuit, qui ausus non fuit aliis quam patris Gaudæ verbis loqui; penetravit ad minimum in illam religionem, qui præteritis speciosis, eam conversionis suæ prætextum elegit, ubi religio Pontificia quam maxime est monstrosa: quid enim horrendum magis, quam panem adorare? Quare facile contemni potuisset, nisi sub Bogardi nomine lusisset Gauda Jesuita impudens: qui eo temeritatis devenerat, ut immemor fragilitatis humanæ, horret animus eloqui, Deo animam suam offerret expiatricem errorum qui in Ecclesia Pontificia invenirentur. Egregius certe vades, qui ipse plura debuit, quam posset persolvere. Huic statim se opposuit ac respondit Walæus, ostenditque verba institutionis Cœnæ ipsis Pontificiis nonnisi figurate intelligi posse; nec consecratione corpus Christi infinitis locis eodem esse momento, quia ita corpus non esset, quod suis terminis semper est circumscriptum. Gauda ad secundam responsionem conticuit. Sine dubio valde

valde imparem se sentiens, omnibus enim sectariis, Pontificiis præsertim, constitutum est semper ultimo scribere, ut multitudini superiores videantur, saltem ratione non destitui.

Præcisis his errorum capitibus, novum subortum est. Quidam peregre adveniens, Zelandia enim talia monstra non edit, prædicabat Christum omnium optime Dei reverentiam, amorem proximi docuisse. Sed quo dogmata majus pondus haberent, dixisse se Dei Filium, pia quadam fraude, finxisse se Deum, qui tamen revera non esset: privatisque ea effutire non contentus, cœtus congregavit, probitatem, non fidem ursurus.

Hunc eo pernicioſiorem æstimavit Walæus, quod pietatem simularet, quod non sine laude Christi loqueretur, quem revera conabatur annihilare. Quare hunc pleno cœtu aggressus, demonstravit, in Christi nativitate, vita, morte omnia concurrisse quæ de Messia in Veteri Testamento prædicebantur: itaque non posse non Deum esse, quod in Messia ibidem requirebatur. Christum quem fatebatur pietatem docuisse, expressisse vita, non potuisse à mendacio incipere, cum illi constitutum esset nihil mali facere, ut bonum eveniret. Nec operæ pretium futurum fuisse ob mendacium persecutiones, verbera, crucem perpeti. Apostolos continuos ejus comites, noluisse in idem mendacium conspirare, & ob id sufferre exilia, tormenta, lanienam. Deum non perpessurum fuisse ut evenirent ea quæ prædixerat is de morte, resurrectione sua, destructione Hierosolymæ, si conatus fuisset alienum Deum obtrudere. Non concessurum illi fuisse sanationis donum, quo claudis gressum restitueret, cæcis visum, mortui in vitam revocarentur. Religionem ipsam, annis non ita multis à piscatoribus, nulla vi humana, per magnam orbis partem propagatam, à Deo se profectam clamitare: quam Deus non permisisset inundasse totum mundum, si alienum Deum & idololatriam secum attulisset. His similibusque perstricto nebulone, auditores dilapsi sunt, & cum asseclas amplius non haberet, denuo in latibula se recepit.

Levis his impensa opera fuit, præ schismate Remonstrantium & Contraremonstrantium, quod Walæum tota vita occupavit. Quare præter rem non erit illud ab ovo ordiri.

Eluceſcente Belgis Reformatione, qui sese opponebant Pontificiis, non omnes ejusdem opinionis fuere, & nihil eos æque ac in Pontificios odium univit. Ne tamen ægrorum somnia plerisque & sanis adscriberentur, in Anno cIↃ IↃ Lxvi. Religionis suæ Confessionem ediderunt, quam postea Belgicam appellavere: ne quoque ægrorum contagio sani afficerentur, plena Synodo Embdana Anno cIↃ IↃ Lxxi. constitutum fuit neminem ad Ministerium Verbi Divini admittere, qui examen non subiisset, ac subscriptione hujus Confessionis & Catechismi Heidelburgensis, testatus fuisset cum reliquis consensum. Quod decretum insequentibus omnibus Synodis confirmatum fuit: approbatumque 1576, 1586, à Præpotentibus Ordinibus Hollandiæ, & continuo traductum in usum.

Non potuit tamen initio, in magna Pastorum penuria, examen valde rigidum institui; & facile in Ministerium irrepserunt aliqui, qui aliena clandestina foverent. Caſparus Coolhaſius Leydæ, Hermannus Herberti Conradi, Gerhardus Blockhoven Ultrajecti, Cornelius Wiggerus Horniæ, qui in multis à se invicem

invicem, plerique de Prædestinatione à reliquis dissidebant: sed cum horum molimina suarum Ecclesiarum ambitu continerentur, facile sopita aut vindicata sunt.

Solus Theodorus Cornhertius Ecclesiis Reformatis se in universum opposuit, qui antea Ordinibus Hollandiæ à secretis, metu periculi munus deseruerat. Verum facile apparebat Theologum non ita magnum, rebus securioribus exulcerati animi bilem, quam in Ordines exprimere non audebat, in Ecclesias ejicere. Unde publica authoritate Ordinum cohibitus est.

Non ita tamen componi dissidia potuere, ut non relinquerent in multorum animis scrupulum, an omnia æque certa essent quæ Reformati profiterentur: ut non multorum disponerent animos ad novum quid, præsertim de Prædestinatione, suscipiendum.

Ita præparatos invenit Jacobus Arminius, quando Anno cIↃ IↃ cIII. ad professionem Theologicam in Academia Batava Leidenti vocaretur. Hic tamulus primum diversorii publici Veteraquinatis, cum promptitudine ingenii multorum hospitum admirationem incurrisset, quorundamque elicuisset liberalitatem, studiis admotus, ære Magistratus Amstelodamensis ea absolvit. Unde eorum favore ad Ministerium illius civitatis promotus, iis animi dotibus emicuit, ut ab omnibus mereri Professionem Theologicam crederetur. Erat enim ingenio subtilis, eruditione solidus, moribus compositus.

Vocationi huic oppositi se Gomarus, quod alia de Prædestinatione ad Franciscum Junium scripsisset, quam Ecclesia Reformata profiteretur: imo & aliqua è Cathedra tradidisset Amstelodami. Verum cum quædam negaret, quædam extenuaret Arminius, visus est Gomarus vereri ne illi Collega major adjungeretur; quod vocationem Arminii promovit, & initium facilioris dissensionis jecit.

In Professionibus id vitii est ut ii pluris æstimentur, qui præ reliquis multos auditores habent, qui facillime dogmatum novitate parantur: quare libenter aliquid novi Lectionibus suis Arminius etiam initio admiscuit, de Prædestinatione præsertim, quæ jam dudum meditata habebat. Sed publice non nisi parce & tenuiter, ne Ecclesias offenderet, quorum authoritate meminerat Coolhasium, Wiggerum aliosque Ministerio ejectos; privatim vero omnia apertius auditoribus instillavit, quo assecias pararet. Et ne ubi id efflueret ab Ecclesiasticis haberet metuendum, per Johannem Vytenbogardum Concionatorem Hagiensem, patronum sibi paravit Johannem ab Oldenbarnevelt, universæ Hollandiæ Syndicum, præcipuæ authoritatis Virum. Cujus & in gratiam, Authoritatem Magistratus in rebus Ecclesiasticis extulit.

Nimirum id agebat Barneveldus ut Belgæ Reformati propius ad Lutheranos accederent, quo sperare plus auxilii è Germania possent, potentissimoque Hispaniarum Regi resistere melius, aut facilius conciliari. Cumque initio Belli Belgici ope multitudinis Magistratus indiguisset, quæ non melius quam per Ecclesiæ Ministros concitatur: & ideo multum authoritatis Pastoribus Ecclesiæ esset concessum. Hanc ut enervaret, incipiebat quæ in Ecclesia suboriebantur dissentiones fovere, & censura Ecclesiasticorum contra immorigeros Magistratus potentia impedire. Authoritatem insuper Principis Auriaci suspectam reddebat. Et cum ea illi potissimum gravis esset, conabatur Proceribus

pericu-

periculoſam perſuadere. Quare qui ab offenſis Eccleſiaſticis præſidium non expectabat, libenter Arminii patrocinium ſuſcepit, & in ejus affeclis authoritatis ſuæ quæſivit fulcimentum.

Verum id initio nonniſi clanculum fecit, dum factio tenella eſſet, & in herba poſſet conculcari. Unde & Arminius novitatem dogmatum ſuorum diutius obtexit, uſque dum Anno cIↃ IↃc VIII. à Franciſco Gomaro apud Hollandiæ Ordines accuſatus & detectus eſt: eum de Juſtificatione, Prædeſtinatione, Gratia, Libero Arbitrio, Perſeverantia Sanctorum ab Eccleſia diſſentire.

Non latuit tamen tamdiu Arminius Walæum: qui cognitis omnibus ſectariorum latibulis, ex ſemita quam inibat facile potuit quo tenderet perſpicere: quare jam à nono Kalendarum Junii Anno cIↃ IↃc VI. conatus eſt Arminium in viam conſuetam & regiam reducere, idque inſequenti toto Anno continuis literis egit, ad quæ Arminius aliquoties, tandem tamen non amplius reſpondit; eademque Arminio tum propoſuit, ad quæ viginti Annis poſtea Johannes Arnoldi Corvinus quoque conticuit. Etenim Walæus in Sacra Scriptura verſatiſſimus, edocere quemvis poterat, quiſnam in iis controverſiis Scripturæ eſſet ſenſus. Sed hoc agebat Arminius, ut ratiocinationem non S. Scripturam ducem ſequeretur, quod nolebat profiteri.

Detectus Arminius incepit vereri ne ab Eccleſiaſticis perderetur, nondum enim audebat Barneveldus ejus cauſam aperte ſuſcipere. Nec Arminius mutationem religionis animo Heroico erat aggreſſus, qui in primis Reformatoribus excelluit: ut gloriæ Divinæ tantum intenti, ſecuri eſſent quidquid illis poſſet humanitus obvenire. Unde evidenter metu, mœſtitia morbum contraxit, qui illum xix Octobris Anni cIↃ IↃ cix. vita exemit.

Mortuo Arminio inter ejus aſſeclas Coryphæum ſe geſſit Johannes Vytenbogardus, qui ingenio, eruditione Arminio multum inferior, in regimine tamen Eccleſiæ & Reipublicæ perſpicax & verſatus, prudenti directione plus nocumenti Eccleſiis quam Arminius diſputando attulit. Hic ſtatim, quo plures Hollandiæ Magiſtratus, Eccleſiaſticis offenſos, ſibi addictos redderet, diſſeruit aliquoties, & librum edidit de Authoritate Magiſtratus in rebus Eccleſiaſticis: in quo non tantum externum Eccleſiæ regimen; ſed & controverſiarum religionis deciſionem Magiſtratibus aſſeruit: quo non parum favoris ſociis ſuis confirmavit.

Inter hæc Eccleſiaſtici harum turbarum remedium quærere, nec melius quam in Synodo Nationali omnium Eccleſiarum Reformatarum invenire, eam continuo magno ſtudio à Fœderati Belgii Ordinibus petere. In hanc propendebant Ordines Geldriæ, Zelandiæ, Friſiæ, Groningæ, ſex civitates Hollandiæ: qui conſueta potius, quam nova etiamſi ſpecioſa mallebant, nec cum Lutheranis concordiæ ullam ſpem arbitrabantur, Antiſtitum quam ambitio, & ſingulorum præconcepta opinio perpetuo impedirent: Eccleſiaſticorum authoritatem gravem non eſſe, & aliquod Oligarchiæ remedium. Providis potentiam Principis Auriaci nequaquam metuendam; ſed potius fœderis & unionis vinculum eſſe. Contra Nobiles Hollandiæ & reliquæ duodecim Civitates, Ordines Ultrajectini, Tranſiſalani non negare quidem Synodum aperte, ſed variis tergiverſationibus, iteratis procraſtinationibus eludere, nec ea conſueta confirmarentur.

Non negligere tamen Eccleſiaſtici eam medelam, quæ in illorum poteſtate ſita videbatur, detegere nimirum errores populo, & contra eas concionibus ſcriptis munire. Eos qui ad Miniſterium admittendi eſſent, ſeverius examinare, ne plures furtim in Eccleſiam irreperent: quos irrepſiſſe deprehendebant, cenſuris notare, Miniſterio interdicere.

His ſeſe ſtrenue opponere Vytenbogardus ejuſque ſocii, & voce, ſcriptis, molimine cum adverſariis contendere, & ad Miniſterium ſuæ opinionis candidatos promovere. Impar tamen congreſſus apparebat, quod illi numero plures, populum ſibi magis addictum haberent. Hi itaque veriti ne ſuperarentur, remonſtrantiam ut vocant, unde deinde *Remonſtrantium* illis nomen adhæſit, Hollandiæ Ordinibus obtulere, petiveruntque in illorum tutelam ſuſcipi: ad quam non tantum admiſſi ſunt, ſed prohibitum inſuper omnibus, ne voce, ne ſcriptis de controverſiis ad populum referrent: neve in Candidatorum examine controverſis inſiſterent, aut illum diſſentientem notarent cenſura. Quod vere erat partes ſtatuere, cum Paſtores Remonſtrantes vix quadraginta eſſent, Contra-Remonſtrantium quingenti.

Nondum tamen duraturi Remonſtrantes videbantur, niſi in locum defunctorum novi continuo poſſent ſubſtitui, qui in Academia erant formandi: quare ad Profeſſionem Theologicam in locum Arminii non Walæus aliique, qui à viris doctis boniſque commendabantur, ſed Vytenbogardus petebatur: qui cum Academiæ ſe non paraſſet, id oneris admittere non auſus, per Curatores illarum tum partium, & Barneveldo ſanguine nexi, id egit, ut Steinfurto Conradus Vorſtius Leydam vocaretur. Qui Theologiæ Profeſſor Anno cIↃ IↃ Ic. ab Academia Heydelbergenſi convictus erat, Socino ejuſque dogmatibus nimium favere, cujus & publica extabant monumenta.

Hujus vocationi oppoſuerunt ſeſe ſtatim Eccleſiaſtici, quique iis favebant Magiſtratus: & eam non aut difficillime potuiſſent impedire, ita conſtitutum erat Remonſtrantium fovere partes, niſi Jacobus Magnæ Britanniæ Rex continuo monuiſſet, urſiſſet Ordines; imo eum condemnaſſet hæreſeos, & libros ejus publice juſſiſſet comburi.

Tandem Eccleſiis leges quædam obtrudebantur, quas viginti annis antea accurante Barneveldo conſcriptas, nunquam voluerant ferri Ordines, multo minus in uſum duci: quibus vocatio Diaconorum, Seniorum, Paſtorum fere tota Magiſtratui tribuebatur. Eripiebatur Paſtoribus cenſura membrorum Eccleſiæ aut Paſtorum, qui peccaviſſe in Eccleſiam convincerentur.

Decretum de inhibendis Controverſiarum libris, Curatores Academiæ Magiſtratuſque Leydenſis cæteris ſeverius exequebantur: hoc ſui religioniſque defenſionem Gomaro impediebant. Unde is offenſus diſceſſum paravit; hoc diſceſſu cum Theologiæ ſtudioſi, purioris doctrinæ Profeſſore eſſent deſtituendi, Eccleſiæ Geldriæ, Curatoreſque Illuſtris Scholæ, Antonium Thyſium Theologiæ Profeſſorem Hardervicenum, Eccleſiæ, Zelandiæ Magiſtratuſque Middelburgenſis, Walæum Leydam miſere, omni conatu perſuaſuri, ne ſtationem deſereret. Verum conſtitutum Gomaro erat diſcedere, quare uterque eum invitavit apud illos potius domicilium figere: quod obtinuit Walæus, & Middelburgum Anno cIↃ IↃ cxi. commigravit.

Id dudum egerant Zelandiæ Ordines, & hac Academiæ Leydenſis calamitate

tate magis inſtigabantur in Zelandia illuſtrem Scholam erigere, verum nondum poterant de loco convenire: quem ut ſibi præoccuparent Middelburgenſes, Trivialem Scholam ſuam reddere illuſtriorem conabantur. Mortuo enim Grutero, ſcholæ Trivialis Rectore anno cIↃ IↃ cvii. alium quærebant, qui cum honore illuſtris Scholæ poſſet præfecturam gerere, & ad eam Walæum vocavere: quod pleraſque eruditionis intelligeret partes, & animo, prudentia, authoritate, regendo par aut ſuperior videretur. Sed eam Provinciarum noluit Walæus admittere, tædioſam in puerorum regimine, in eorum nutritione calumniis obnoxiam: utrumque eruditionis remoram, & ſtudiorum promotionis grande impedimentum. Quare collato regiminis, nutritioniſque onere in Ægidium Burſium Paſtorem Middelburgenſem, regendo aptum, inſtitutionis munus in Juſtum Liræum virum doctum, Academiæ poſtea Ultrajectinæ Profeſſorem. Quod reliquum & illuſtre erat, Walæus ſuſcepit Scholæ Curatelam, & de Græca lingua de Philoſophia lectiones Honorarias habere.

His lectionibus explicavit Walæus Homerum, Heſiodum alioſque: & nuda interpretatione non contentus, genium linguæ auditoribus aperuit Græciæ Antiquitates. In Philoſophia tradidit Ethicam, Phyſicam, Aſtronomiam, Opticam: quas explicavit plane ut ab auditoribus perciperentur, & reſectis inanibus perſecutus eſt ea quæ uſum haberent.

Adveniente Gomaro omnia ad plenam Scholam Illuſtrem apparabantur, locus præparabatur in choro novi templi. Et Gomarus publicis lectionibus S. Scripturæ interpretationem inſtituebat. Excutiebat locos Communes Theologiæ publicis diſputationibus. Jacobus Meivartius Scholæ Trivialis Conrector, Philoſophiam publice docebat, diſputabatque. Et jam horum diligentia, Gomari celebritate ſurrectura Schola videbatur: cum Magiſtratus Middelburgenſis, eum quem Walæus ſervaverat locum, illi offerret, ac eligeret in Profeſſorem locorum Communium S. Theologiæ. Ea vocatione commoveri Gomarus, vir affectibus ſuis nimium indulgens, & illi ſeſe aperte opponere, incuſare Walæum hæreſeos: quod dum in Academia Batava ſtudiis operam daret, pro tribus in homine animabus aliquando oppoſuiſſet acrius, & Trucium tum Præſidem redigiſſet ad metam non loqui.

Eam Gomari oppoſitionem ægrius Magiſtratus quam Walæus accepit; ſtatim enim Walæus vocationi illi renunciavit: quod qui nihil unquam in vita ambiviſſet, jam magis putabat ſe ſua ſorte poſſe eſſe contentum, & eam ſe gratitudinem præceptori debere, ne eo invito illi Collega obtruderetur. Nullæ injuriæ Walæum unquam conturbavere, ut non animus illi æquus eſſet & ſui ſemper ſimilis. Sed populus indignari dilectum ſibi Miniſtrum calumniis peti, ab eo qui dudum publicatis teſtimoniis ejus doctrinæ puritatem voluerat commendatam: cujus & alia de animabus opinio, in lectionibus Ethicis Phyſiciſque omnium ibi manibus terebatur. Quare is ut & Magiſtratus Gomarum minus æſtimare, quod frenum non poſſet affectibus injicere: quod ea ſe eruditione præditum non crederet, cujus lumini officere Walæus non poſſet. Quam ob cauſam à Philippo Marnæo Pleſſiaci Domino Salmurium vocatus, ſtatim Anno cIↃ IↃ c xv. dimiſſus eſt.

Ea occaſione, ſimul & quod Goeſani, ab Hugone Grotio excitati, illuſtrem

Scholam nollent Middelburgenſibus concedere, Middelburgenſe illuſtre Gymnaſium ipſa in herba collapſum eſt. Nam & Meivartius ad Trivialem ſcholam rediit. Solum à Walæo petiit & obtinuit Magiſtratus, quo Illuſtris ſcholæ ſpem & faciem retineret, ut quandoque loco lectionum Græcarum & Philoſophicarum, Theologicas locorum Communium perſequeretur. Quæ etiamnum, nomine *Enchiridii Religionis Reformatæ* publice leguntur. Ita commoveri non ſolent prudentes calumniis, quas boni ab æmulis coguntur perpeti. Imo eas pluris ſolent æſtimare, ſi in iis ſe prudenter geſſiſſe inveniant.

Hanc ſpartam continuavit Walæus, uſque dum in Academiam Leydenſem traduceretur, & illi hora ſemidecima matutina, quandoque hora ſemiquarta pomeridiana vacavit: ejus autem inſtitutione qui ad Academiam mittebantur, cæteris paratiores apparebant. Nec unquam Zelandi eruditiores ex Academia quam tum revertebantur: tantum eſt bene eruditionis initia poſuiſſe, & ejus mature intellexiſſe fundamenta.

Nequicquam tamen de Miniſterii munere interea neglexit. Ita tempus homini bene diſponenti poteſt ſufficere. Sed ex mandato petitioneque Eccleſiarum Zelandiæ, & inſtigatione præcipuorum Hollandiæ miniſtrorum, Scriptum Vytenbogardo oppoſuit, quo oſtendit Authoritatem quam Eccleſiæ Belgicæ Magiſtratui largiuntur, & eam S. Scripturæ, conſuetudinique Eccleſiæ primitivæ conſentire. Eo libro eruditionis ubivis famam acquiſivit Walæus, meruit gratiam Eccleſiæ, quod eam à Remonſtrantium calumnia quaſi Magiſtratui immorigeram, liberaſſet. Meruit gratiam plerorumque Politicorum, quod collegis quibuſdam ſuis prætextum ademiſſet, quo ſolebant Eccleſias premere. Ipſe Vytenbogardus, non potuit de eo ſcripto niſi ut erudito & modeſto loqui, viderique voluit ſtatim ſatisfacturus: quam ob cauſam reſcribendi veniam ab Ordinum Deputatis petiit. Et quamvis obtinuerit ſtatim, nunquam tamen reſpondit: niſi quod quadraginta & pluribus annis poſtea, ſeptennio poſt Walæi obitum, videri voluerit etiamdum reſpondiſſe, edito libro in quo multis præloquiis, variis ambagibus, magno apparatu, nihil aliud tandem quam inermem & nudam negationem oppoſuit: ut parturiiſſe mons, ſed murem hic tantum edidiſſe, queat videri.

Hoc præcipuum fulcimentum diſſentioni ſubtraxiſſe non contentus Walæus, ſedare populum, mitigare Hollandiæ Magiſtratum intendit. Populo tractatum propoſuit quomodo is ſe gerere debeat, quando in Eccleſia, quando in Religione inter Paſtores oritur diſſenſus. Magiſtratum conciliare Eccleſiaſticis per Hugonem Grotium conatus eſt, virum ob eruditionem jam dudum illi familiarem: qui ſpe ſucceſſionis in Barneveldi dignitatem, credebatur altera ejus manus exiſtere. Huic perſuaſit extorſitque aliquoties illas voces, *ſe Hugonem Grotium ſuoſque videre, non aliud hujus diſſentionis remedium quam in Synodo Nationali conſiſtere: eam ſe ſuoſque nolle concedere: Deum ſe ſuoſque velle punire.*

Flagrabat enim continuo magis Hollandia internis diſſidiis, & in unius aut utriuſque partis perniciem præparabatur. Opponebant ſe aperte ſex Hollandiæ civitates decretis de Paſtorum vocatione, de tolerandis utriuſque Religionis Controverſiis. Iis quoque non obediebant Eccleſiaſtici, ne Remonſtrantes quidem, præſertim iis quæ conſulto præcipue Vtenbogardo, ab Hugone Grotio concepta, limites Eccleſiaſticis ponebant. E quibus in tractandis Controverſiis

non

non liceret iis evagari. Certe mirari ſubit, eos in libera Republica qui voces ſupprimere nunquam potuere, quæ ſummam ſuam majeſtatem læderent: eos, inquam, voluiſſe Eccleſiaſticorum populique ſermones inhibere, à quibus ſalutem animæ ſuæ proximique dependere credebant. Quas leges ideo minus ſervabant Eccleſiaſtici, quod eas in ſuam perniciem editas arbitrarentur. Velle tamen Magiſtratus iis obediri, qui non parebant Paſtores miniſterii uſu interdicere: ejicere è civitatibus quos pertinaciores inveniebant: qui illis nimium favebant cives in exilium relegare. Et quamvis illi à juſtitiæ Præſidibus reſtituerentur in integrum, qui eam non correctionem ſed factionem judicabant; Magiſtratus tamen in civitatem ſuam denuo eos non admittere. Unde utrinque vehementer exacerbati animi. Et Magiſtratus tandem, civibus ſuis non fidens, milites legit.

Sed ea nuſquam magis in conſpicuo, nuſquam fervidius, quam Hagæ Comitum acta fuere. Vytenbogardus, qui alibi ſuos ad extrema inſtigabat, hic ubi rerum in Eccleſia poticbatur, volebat moderatus videri, & mitigando ſua, alia concedendo Contra-Remonſtr. hoc quod poſſidebat integrum tenere. Sed cum appareret ſagacibus ita falli Paſtores, populum ſeduci: animatus Henricus Roſæus, vir eloquens & magni animi, populo detegere fucum incepit, & quod ſub melle latebat venenum indicare. Quam ob cauſam Magiſtratus exercere illi miniſterii functiones prohibuit; detecto tamen errore noluit populus Vytenbogardum audire, & maluit in vicino pago Rijſvici conciones frequentare. Id impedire Magiſtratus conatus eſt. Contra Populus urgere ut aut Henricus Roſæus aut alius Concionator religionis Reformatæ, pro qua tot ſumptus ſuppeditati, tot bella geſta eſſent, illi concederetur. His ſeſe objicere Vytenbogardus, exuere ſimulatum moderamen, & omni molimine id agere ne quod peterent poſſent obtinere.

Mauritius Celſiſſimus Princeps Auriacus, animadvertens non Eccleſiaſticos tantum, ſed ſe præcipue peti, & conniventia ſua Barneveldi adverſariorumque ſuorum potentiam increſcere, incepit aperte Contra-Remonſtrantibus favere: intercedere apud Hollandiæ Ordines, quo illis templum quo miniſter concederetur. Sed Nobiles & duodecim Civitates admodum reluctari: urgere Princeps. Et cum tantum æqua petere Contra-Remonſtrantes viderentur, impetrare Hagæ Anglicum templum: quod cum recipiendis Auditoribus non ſufficeret, quod illis præparabatur Clauſtri templum præoccupare, Henricum Roſæum in ejus Cathedram introducere, ipſius conciones frequentare. Ea re vehementer conturbari Barneveldus ejuſque aſſeclæ, quaſi vis illorum authoritati inferretur: aſt cum æqua tantum deſtinataque Contra-Remonſtrantes obtinerent, quod emendare non poterant permiſere. Eo quaſi claſſico excitati contra-Remonſtrantes, ubivis animos ſumſerunt. Populus in illorum ruere partes in quas Principem, amatum ſibi æſtimatumque tranſire vident.

Non autem ſatis erat Contra-Remonſtrantes Hagenſes, & concionatorem & templum habere, apparere inſuper illuſtri illo loco debebat, Contra-Remonſtrantium religionem Remonſtrantium opinioni præpollere. Cum autem Vytenbogardus eruditione Roſæum ſuperaret, & cum continuo ad diſputandum invitaret, laceſſeret: aliunde arceſſendus erat qui ejus jactantiam inhiberet, contunderet. Eam in rem non alius aptior habitus eſt quam Walæ-

us,

us, qui idcirco Anno cIↃ IↃ cxvii. ab Ecclesia Hagiensi, à Principe Auriaco, consensu Magistratus per Deputatos Middelburgo vocatus est, ut ad tempus Ecclesiæ Hagiensis Pastorem ageret.

Hagæ mox Walæus statum controversiæ perspicue in concionibus proponere. Argumentorum utriusque partis pondus quasi ad stateram examinare. Respondere exceptionibus Remonstrantium, vindicare Reformatorum. Atque ita plene in controversiis populum instruere. Tacere tum de disputationibus Vytenbogardus, qui jam Sluisæ à quindenis annis eruditionem Walæi perspectam habebat. Assectæ tamen ejus quibus non ita cognitus Walæus esset, aliquoties eum aggressi fuere. Et primo la Haye Remonstrantium Concionator, post concionem nondum dilapsis auditoribus de Perseverantia Sanctorum illi litem movit. Hunc autem ea modestia excepit Walæus, ea æquitate illius argumenta admisit, ea soliditate & perspicuitate illi respondit, eo acumine eo judicio nova regessit, ut cum non haberet quod responderet amplius, pudore confusus dilapsus sit.

Hoc dedecus reparaturi Remonstrantes, ad novum colloquium Walæum vocavere, in quo Jurisconsultus facundus & acutus, la Haye in adjutorem erat adjungendus. Ipsum autem colloquium, assumptis utrinque duobus Senioribus in testes, in privatis ædibus erat instituendum. Nec hoc quoque detrectavit Walæus. Ubi conventum esset, Jurisconsultus de Prædestinatione sua contentiose proponere, Walæus sedate cordateque respondere, & constantia responsique soliditate domare ferocientem. Cum autem præcedentis collationis fama excitati, aliquot centeni utriusque partis in illas ædes confluerent, Remonstrantes veriti similem præcedenti colloquii exitum, conferre ulterius non voluere, dictitantes privatum hoc colloquium, non in tanta auditorum corona esse debuisse.

Sed eo non contentus Walæus, ipsum Vytenbogardum frequentissime ad conferendum invitavit, præsertim per Serenissimam Principem Aloysiam Coliniam, Guilielmi Auriaci viduam, quod per eam Vytenbogardus Rosæum ad publicum quasi certamen antea provocasset: verum ab ea collatione semper se Vytenbogardus excusavit. Ita quoque vigere incepit Hagæ Contra-Remonstrantium opinio, & denuo quasi reflorescere. Nunquam melius disputatur; quam quando æquanimitate & judicio controversiæ expenduntur. Et veritas ipsa, diffractis aliquoties errorum nubibus, facile lumen suum denuo spargit.

Contra-Remonstrantium causam præ cæteris Pastoribus in Hollandia agebant Johannes Becius Dordracenus, Henricus vander Linden Delphensis, Festus Hommius Leydensis, & Amstelodamenses Petrus Plancius, Jacobus Triglandius: viri eruditi, prudentes, animosi, quique animum populi possidebant. Hi raro antea aliquid majoris momenti inconsulto Walæo: nunc pleraque ex ejus consilio exequebantur. Magistratus Amstelodamensis, caput eorum qui Contra-Remonstrantes tutabantur, indesinenter cum Walæo per Deputatos conferebant. Et ubi quid majoris negotii obveniret, quod in se nollent Deputati recipere, obnixe rogabant Walæum ut Synedrio suo Ecclesiastico, Consulari suo collegio, præsens consilium mentemque suam vellet exponere. Mauritius Princeps Auriacus, de quo non vane dictum fuit quando equo insideret,

omnes

omnes illius consiliarios illi assedisse, intimum tamen Consiliarium Walæum habuit, in iis omnibus quæ aut religionem aut hoc dissidium spectarent. Adeo ut nulla dies transiret, qua non ejus exquireret consilium, frequenter integras noctes deliberando cum illo consumeret, quo paratus esse ad concludendum posset in iis quæ de die erant exequenda. Ab eo tempore continuo Walæus interioris fuit admissionis. Nimirum Walæus etiamsi prudentissimus nunquam simulabat, & omnia illius consilia à vafritie à calliditate prorsus erant aliena. Mauritius animo erat vere Heroico, & quæ moliebatur intendebatque aperte solebat profiteri.

Ob quem candorem ne Remonstrantibus quidem Walæus invisus erat: simul & quod scirent Walæi consilia eo tendere, ut stabilirentur quidem Contra-Remonstrantes; Remonstrantes tamen penitus ne perderentur: quod putaret multos redituros ad saniorem mentem, si illis occasio secundæ sedatæque cogitationis concederetur: & minus de vindicta cogitaturos, quibus vivere & aliquo modo bene liceret. Quare eandem familiaritatem cum Grotio aliisque contrariæ partis quam unquam coluit, avulsissetque eos à Barneveldi parte; nisi, ut ipsi loquebantur, vis humana major obstitisset.

Per hos omnes Walæus una è præcipuis causis fuit quare harum controversiarum decisio ad synodum Nationalem delata, & omnia ad eam convocandam præparata directaque fuerint. Quæ omnia cum peregisset obtinuissetque Walæus Haga discessum paravit. Conabatur quidem abitum impedire Princeps Auriacus, & eum in Concionatorem suum Aulicum elegit; sed id non erat nisi ejus discessum promovere. Ab eo munere Walæus abhorrebat, in quo minus quam alibi proficias: cum hodie nimium sibi soleant Principes indulgere, & si munus bene continuoque exequaris, tandem non potest nisi offensam parare: cum etiam quæ optimo animo peracta sunt, facile soleant ab Aulicis in deteriorem partem torqueri. Principis autem offensa nimium secum pœnarum trahit.

Middelburgi Anno cIↃ IↃ cxviii. redux Walæus, animadvertit demum quantum amaretur: ita populus illi obvius, ita Collegæ, ita Politici ad salutandum admissi affectum suum expressere. Nunquam ut decet bona nostra æstimamus, nisi quando in periculo sumus aut fuimus ea amittendi.

Controversiæ Remonstrantium & Contra-Remonstratium jam intra Hollandiæ limites non concludebantur, extendebant se in vicinum Ultrajectum, Transisulaniam, Geldriam, imo Sedanum usque: ubi Daniel Tilenus, vir variæ & elegantis eruditionis, qui tamen parum in intima disciplinarum penetraret, & libenter omnibus etiam domesticis suis adversaretur, pedetentim incepit Remonstrantium doctrinam instillare; & Auratum verbi divini Ministrum, meliorem illo sed indoctiorem, traxerat in suas partes: quare detectus à Rambourgio Concionatore Aulico, partim sponte, partim à Duce Bouillonnæo coactus, Theologiæ Professionem deseruit. Hic locus ut suppleretur, ut id quod destructum erat ædificaretur, iterum Walæus Middelburgo vocatur; & ut obtineri posset omnes adhibentur Machinæ, quæ eum possent loco movere. Pararius erat Franciscus Arsenius, vir à legationibus clarissimus, Walæo amicus, cui majorem eruditione, ingenio, judicio, rerum usu ætas illius non habuit. Conditiones erant amplæ & meliores quam cæteri Professores possidebant.

poſſidebant. Invitatio Ducis ſeria erat, iterata, amiciſſima. Non potuit tamen Walæus migrationem ab uxore, ab amicis dimiſſionem impetrare: cum ad lautiores conditiones quæ offerrentur, facile poſſet duplex quod habebat Middelburgi ſtipendium extendi. Et grave illi videbatur ætatis jam quadraginta quinque annorum, debere regionem, debere mores mutare & ad ignotos accedere, diu amicis intimis veriſque deſtituendus: quare maximas gratias Duci egit, ſedem ut putabat perpetuo Middelburgi fixurus.

Interea fœderatarum Belgii Provinciarum Ordines, cum animadverterent Hollandiæ factiones in fœderis diſſolutionem & omnium Provinciarum perniciem redundaturas, cœperunt componendis Religionis controverſiis manus admovere, conſilio Reineri Pavii Conſulis apud Amſtelodamenſes magnæ authoritatis, inſtigatione Mauritii Celſiſſimi Principis Auriaci, & Nationalem ſynodum decreverunt, convocarunt. Dederuntque in mandatis Auriaco Principi, exauctorare ſubjectum ab Ultrajectino Magiſtratu militem: Magiſtratum nimis contrarium ſubmovere loco, novum reſtituere.

His ſeſe aperte oppoſuit Barneveldus, per Nobiles & duodecim Civitates Hollandiæ. Et omni molimine, etiam mittendo ad exteros Reges, Principes, ſynodi conventum conatus eſt impedire. Nutantes Ultrajectinos inſtigando, auxilium illis offerendo, Emendationem Magiſtratus, dimiſſionem militis prohibere. Unde à Fœderatis Principi Auriaco injunctum adverſantis partis capita in carcerem detrudere, Johannem ab Olden-Barnevelt, Rombertum Hogerbetium, Hugonem Grotium, Ægidium Ledenbergium. Dimittere reliquum ita in Hollandia collectum militem. Cribrare in illis Civitatibus Magiſtratum, & contumacibus meliores ſurrogare. Quæ omnia ſine ulla ſanguinis effuſione, ſine ullo tumultu peracta ſunt: ita eo Magiſtratui cives inſenſi inveniebantur. Ubi de omnium ſalute agitur, non raro adhibetur remedium, quod non ita ex ordine ſingulorum uſurpari conſuevit: quamvis & huic facto obtendebatur, quod & ipſi Hollandiæ Ordines publico decreto autoritatem Principi Auriaco dediſſent, diſſidia ea quocumque poſſet modo componendi. Remotis contumacioribus reliquus Magiſtratus approbare ea quæ acta erant, & in Synodum Nationalem Dordraci convocatam conſentire.

In ea Synodo flos Reformatorum Theologorum, & inter eos Walæus, convenit; ac apud Theologiæ Profeſſores Belgas illi locus eſt aſſignatus, deſtinatuſque unus è directoribus Synodi plurium judicio; ſed præviis colloquiis inter ſe conſenſerunt Paſtores, neminem ex ordine Profeſſorum eligere.

Remonſtrantium hic infelicitas fuit Præſidem habuiſſe Simonem Epiſcopium, virum eruditum, ſed fervidum, imprudentem contumacemque: quo authore creditur præcipue factum fuiſſe, ut ſeſe nollent Remonſtrantes Synodi legibus ſubjicere. Quare hujus Synodi partes erant, eruere è Remonſtrantium ſcriptis ſtatum controverſiæ, & eum ex ipſis fundamentis accuratè proponere. Expendere ea ad verbi divini trutinam, & ſingulorum pondus æſtimare.

In Regimine totius Synodi emicuit Johannes Bogermannus, Synodi Præſes, & apparuit aptiorem eligi non potuiſſe. In proponendo controverſiæ ſtatu Feſtus Hommius, jam antea illis ſæpius agitatus: qui tamen frequenter de his cum Walæo conferebant. Sed in expendendis controverſiis, ſtabiliendis aut ſolvendis

ſolvendis argumentis, vindicandis exceptionibus Walæus excelluit: quare ſi quid difficile occurreret enodandum, ut epiſtolæ ad Romanos explicatio, Walæo injungebatur: ſi quid accurate prudenterque definiendum eſſet, Walæi judicio ſubmittebatur. Unde eorum unus electus eſt, qui canones Synodi conſtituerent, qui rationes adderent quare Remonſtrantium doctrina rejiceretur. Habebatur que Walæi prudentia non parum factum fuiſſe, ut tota Synodus in eos conſentiret. Quam ob cauſam à Politicis, ab exteris, qui cauſam æmulationis non habebant, nemo magis æſtimatus allectuſque fuit. Et res ipſa æmulo ſuo Ægidio Burſio elicuit has voces, Walæum in Synodo omnes ſuperare: dum à Claſſe Walachra extra ordinem ad Synodum delegatus Burſius, quæ egiſſet audiviſſetque deberet referre. Tantum eſt ingenio, judicio pollere, ſtuduiſſe bene, omnia æquanimitate quadam perpendere, certa audere aſſerere, de incertis prudenter dubitare.

Omnium autem, & nominatim horum laboribus, Deus opt. Max. ita benedixit: ut ne Remonſtrantes quidem unquam fuerint conqueſti, Controverſiæ cardinem præteritum fuiſſe. Ita deciſæ controverſiæ, expeditæ difficultates, ut omnibus piis, doctis, cordatiſque fuerit ſatisfactum, & ab eo tempore præciſis radicibus Remonſtrantium cœperit opinio exarceſcere. Omnia autem ea modeſtia acta, eo omnium conſenſu abſoluta, ut neſciam an poſt primorum ſæculorum Concilia parem queas invenire.

Deciſis jam controverſiis, judicata Remonſtrantium cauſa, condemnati Criminis læſæ Majeſtatis, à delegatis Fœderati Belgii Ordinum, præcipui Remonſtrantium patroni fuere: Barneveldus, Hogerbetius, Grotius & Ledenbergius. Ledenbergius ſupplicium ſpontanea morte prævenerat. Jacobus Schotte Conſul Middelburgenſis, delegatorum judicum unus, à Fœderati Belgii Ordinibus Dordracum ablegatur, Walæum è Synodo Hagam ducturus. Is Dordraco Walæum per Roterodamum, Shiedamum, aliaſque ambages, XII Maii Hagam ducit, ne ulla populo futuri ſupplicii ſuſpicio ſuboriretur: & in via Walæo aperit, Fœderati Belgii Ordines illum vocaſſe ut ad mortem componeret condemnatos, putare illos ejus prudentia & ſuadela optime id perficiendum. Walæus, quod videbat ſe evitare non poſſe, id conatus eſt limitare. Et rogavit, ne indicere mortem condemnatis deberet, ne adeſſe Grotio cogeretur, ipſe ſolatio, ob contractam cum eo familiaritatem, opus habiturus: ne præſens ſupplicio eſſet, quod ſine commotione animi non poſſet ſpectare.

Hora quinta veſpertina Hagam delati, Schotus Deputatos Ordinum & congregatos Judices adit, indicatque Walæum adveniſſe, ac poſtulare jam dicta ſibi concedi. Quare Advocati Fiſci ad Barneveldum mittuntur, annuntiantque eum ſequenti die judicandum, & mortis ſubiturum ſupplicium. Schotus vero ad Walæum redit, & refert ea quæ petierat illi conceſſa. Hogerbetium enim Grotiumque licet condemnati non morituros, ſed perpetuo carceri addicendos: Advocatos Fiſci Barneveldo mortem annunciaſſe: urgere Fœderatos Ordines, urgere Delegatos Judices ut Barneveldum quam primum accedat, ac ab eo Walæus ſub horam ſextam ad Barneveldi uſque carcerem deducitur.

Barneveldi cubiculum ingreſſus Walæus, non ingratum enim erit illius ex-

trema audire, quæ Walæi ore habeo & ejus manu invenio fuisse annotata, invenit perturbatum vehementer Barneveldum, ac ad uxorem liberosque litteras conscribentem illius nuntii indices: eum salutavit Walæus ac dixit, dolere se cum tam tristi tempore debere accedere. Respondit commotus Barneveldus se verbi divini Ministro non indigere, se senem & Christianum esse, & scire quomodo se jam debeat gerere, occupatum esse in disponendis rebus domesticis. Regessit Walæus, ea se credere; sed etiam veterano Christi militi in extremis excitandam illam cognitionem esse, applicanda monita, solatia. Nolle tamen illi impedimento esse in componendis rebus familiæ, tamdiu expecturum: ac in remotiori sedili consedit.

Descriptis literis & ad uxorem delatis, Barneveldus primus Walæum allocutus est. Rogavit quis esset: & responsum accepit se Antonium Walæum esse, ex Synodo Dordracena venisse, ac rogatum esse ut extremis his vitæ horis illi adsisteret, paratum se esse quæ posset adferre, modo commodas illi vellet aures præbere. Ad ea Barneveldus se excusare, quod quem bene de nomine, de facie non novisset: quærere quid in Synodo Dordracena esset actum. Ad ea Walæus: condemnatam Remonstrantium doctrinam esse tam ab exteris, quam ab indigenis, constitutos Canones in quos omnes plene consentirent. Id non mirari Barneveldus de indigenis, cum à Contra-Remonstrantibus submissi essent, præter expectationem ejus id de exteris evenisse. Et inquisivit, quomodo ergo loca quædam S. Scripturæ exponerent, quæ favere Remonstrantibus videbantur: quæ cum explicasset Walæus & utrimque ventilata satis videbantur, insinuavit Walæus tempus esse ut de propria potius salute dispiceret, peccata sua confiteretur, & eorum à Deo veniam peteret.

De peccatis illibenter audire Barneveldus, quasi eorum confessione, confiteretur quoque, se suo merito supplicium capitis subiturum. Oggerere se examinatum, sed ab inimicis esse, multa eos in deteriorem partem accepisse: quædam quoque quæ Caronio Legato Anglico scripsisset, ut amico intimo, ad peccatum tracta: quæcunque gessisset, iis libertatem & privilegia Hollandiæ voluisse tutari: supplicium jam præmium futurum, pro quadraginta trium annorum indefessis curis, exantlatis laboribus. Quæ cum non sine gemitu & lachrymulis efferret, illachrymavit quoque Walæus. Quis enim non misereatur sortis humanæ, qua paulo ante rerum domini, mox viliores fucis fiunt, & probrose à carnifice mactantur. Has Walæi lachrymas cum animadvertisset Barneveldus, *Et tu quoque*, inquit, *Walæe meo infortunio commoveris*; ac ab eo tempore se illi plene ut amico dedit. Walæus vero respondit se actorum non eam notitiam habere qua de singulis ferre judicium posset, neque se eam in rem eo venisse: unum se scire, Delegatos Judices novisse, latæ hujus sententiæ aliquando illis rationem coram Dei throno reddendam esse. Assentiebatur illi Barneveldus, sed opponebat eos non secundum receptas leges præcedentis ævi sed præsentis judicavisse. Urgit tamen Walæus, Deum iis qui sibi innocentes viderentur non condonare peccata: quare saltem cum Propheta Davide, peccatorum occultorum à Deo veniam peteret. Id pollicitus est Barneveldus, & se jam incepisse. Quæsivit porro Walæus, quam spem ergo veniæ haberet, & quomodo crederet se apud Deum salvandum esse. Ad ea Barneveldus: salvandos qui crederent in Christum, quique fidem suam bonis operibus exornarent.

narent. Id verum dicere Walæus, ſed requiri inſuper, ut crederet eam fidem, ea bona opera non à ſe habere, nec meliore uſu liberi arbitrii acquiſiviſſe; ſed à Deo in ſolidum ex mera gratia, juxta decretum ſuum ab æterno, accepiſſe. Reſpondit Barneveldus, id ſe credere, eam Doctrinam ſe juvenem didiciſſe Heidelbergæ, ac in ea ſe perpetuo perſtitiſſe. Intulit Walæus, cum itaque non partium Remonſtrantium ſed Contra-Remonſtrantium fuiſſe. Id fateri Barneveldus, ſolummodo ſe difficultatem aliquam in Prædeſtinatione abſolute condemnante inveniſſe. Ei difficultati Walæus ſatisfieri potuiſſe, cum damnandi non præſtarent, quæ naturæ viribus potuiſſent; & eos ſcopulos non urſiſſe tantum non Contra-Remonſtrantes, ſed & ſtudioſe præcaviſſe: cum itaque debuiſſe non Remonſtrantium patrocinium ſuſcipere, ſed Contra-Remonſtrantes tutari. Quibus reſpondit Barneveldus, ejus rei aliam rationem ſubfuiſſe, propoſitum ſibi Contra-Remonſtrantibus publica tantum exercitia permitti, Remonſtrantes non opprimi. Sed objicere Walæus, contrarium tamen eveniſſe; Contra-Remonſtrantes è cathedra ejectos, Remonſtrantes ſubſtitutos: unde maxime populus incepiſſet commoveri. Ad ea Barneveldus, reliquos non ſatis propoſitum ſuum ſubſecutos. Referre Walæus, cum videri ſubterfugia quærere, cum non facilius à Deo venia impetretur, quam peccatorum quæ candide confitemur. Quid ſanctum habere ambitioſus poteſt, qui eam religionem, à qua ſalutem animæ ſuæ populique ſui dependere credit, opprimit, ut dominetur.

His ſermonibus tempus uſque in cœnam tranſivit, quam ubi paratam eſſe annuntiabatur, ad eam Barneveldus Walæum invitavit: voluit ab eo preces dici, cibum illi præbuit, adhibuit & plane quaſi in propria domo excepit, quod non potuit niſi à compoſita mente proficiſci, & animo qui ſui potens eſſet. Ipſe vero comedit pluſculum, ut ſolent illi qui diſtrahuntur cogitationibus, non tamen opprimuntur. Noluit autem vinum bibere, ne mens cogitationibus agitata, turbaretur.

Peracta cœna rogavit Walæum, ut pro eo Auriacum Principem vellet adire, petiturus I. ut condonaret illi quod potuiſſet in eum peccaviſſe. II. ut favore proſequeretur liberos ſuos, matrimonio connexos procerum primatibus, perpetuo religioni Reformatæ addictis. Ad ea Walæus: an non melius foret, eum ſine conditione condonationem rogare; & an ea quoque eo uſque ſe extenderet, ut inhiberi lata ſententia poſſit. Subticens aliquamdiu Barneveldus, reſpondit eo uſque ſe non extendere: & rogavit, ut prædixiſſet illi, ita vellet Principi proponere. Hæc ſub horam decimam detulit Auriaco Principi Walæus: qui Reſponſum dedit, ſe dudum Barneveldum benevolentia proſecutum fuiſſe; verum cum ab aliquo tempore, aliam regiminis formam conatus fuiſſet introducere, quæ Eccleſiam & Rempublicam perdidiſſet, ei ſe debuiſſe opponere. Condonare autem ſe libenter ea quæ contra illum commiſiſſet, potuiſſe tamen id ſine conditione rogare, cum diſtraxiſſet militem à juramento quod illi ut Imperatori debebatur: conatus eſſet impedire, ne Ultrajectum Gubernaminis ſui ſedem ingrederetur: calumniatum eſſe cum ſupremam poteſtatem fœderati Belgii appetere; ejus tamen prudentiæ committere, aut celare ea, aut aperire, ſe tantum viri ſalutem deſiderare: petiiſſe quoque à Judicibus, ne quod in eum peccaſſet id illi in crimen imputaretur, liberis vero

ejus fauturum, quamdiu bene facerent. Quæsivit insuper, an non de inhibendo supplicio loqueretur. Quæ omnia cum relata Barneveldo essent, dixit se pro liberis suis nihil amplius desiderare: quod inhibitionem supplicii spectaret, aberrare Principem. Argumenta sua de supremæ potestatis ambitu antea dictaviſſe, alias se ita amaviſſe semper Principem, ut si in manu sua fuisset Suprema Belgii potestas, & potuisset id fieri ex ordine, eam se illi fuisse daturum. Fateri tamen, se contra eum nonnihil exacerbatum fuisse, quando Hagæ Contra-Remonstrantium separatorum templum ingrederetur. Quæ circa milites, quæ Ultrajecti acta essent, ea se agenda putaviſſe quo seditio præcaveretur.

Interea dum Auriacum Principem adiit Walæus, Ecclesiæ Hagiensis Pastores Lamotius & Beyerus, de more Ecclesiarum Hollandiæ circa condemnatos, Barneveldum accessere: qui conjunctim iterum & peccatorum confessionem, & fiduciam in Christum ursérunt: acceperuntque idem ferme, quod antea Walæus responsum. Sed quæsivit ab omnibus Barneveldus *meus ne Grotius quoque moriatur, ut quoque Hogerbetius, juniores sunt, multum adhuc possent officii Reipublicæ præstare?* Rogavit vero Walæum à Delegatis Judicibus peteret, famulo suo liceret usque ad ultimum vitæ momentum illi adesse: quod Walæus facile impetravit. Monuit pastores ne graves Remonstrantibus essent, quo quieta esset Respubl. posset.

Sed cum his sermonibus, mentis agitatione, commotione corporis lassaretur, petiit sibi quietem concedi: & ut Pastores ipsi somnum caperent. Ait dixit Walæus, injunctum illi esse tota nocte apud illum manere. Respondit Barneveldus, eo nequaquam opus esse. Itaque in vicino cubiculo somnum admisere. Interea Barneveldus quietem quærere, sed eam non invenire: famulus ejus ea prælegere, quæ pro solatio agonisantium Psalterio Belgico subjunguntur: ad quam lectionem, cum non satis attenta illi cogitatio esset, ipse in Psalterio suo Gallico legit. Quod cum Pastoribus annuntiaret unus trium custodum, qui Barneveldo additi dicebantur, ne spontanea morte supplicium præveniret: Pastores Beyerum cæteris juniorem misere, qui & lectione Sacræ Scripturæ, & inde ducta consolatione, quod reliquum erat noctis transegit. Circa matutinam quartam denuo Walæus & Lamotius ad Barneveldum redivere, & Walæus matutinas preces fudit, ac è colloquio animadverterunt facile, cum plane ad mortem compositum.

Non ita multo post Walæus à Judicibus evocatur, petuntque, an non desideraret Barneveldus ultimum vale & uxori, & liberis, & nepotibus dicere. Quod cum quæsiviſſet Walæus, Barneveldus respondit, id illi consultum non videri, se jam ad mortem compositum, id non posse nisi eum denuo amicosque turbare. Ignorabat autem Walæus, quare nec id potuit Barneveldo indicare, uxorem liberosque id à Judicibus petiviſſe.

Cum citaretur Barneveldus ut sententiam audiret, Walæus illi valedixit, quæ potuit obtulit officia; ac magnas illi gratias Barneveldus pro præstitis egit.

Audita sententia Barneveldus respondit, Judices quædam condemnationi indidiſſe, quæ in confessione non haberentur: putaviſſe quoque suffecturum Fœderati Belgii Ordinibus, vitam & sanguinem, bona uxori & liberis relicturos fuisse: id præmium esse pro quadraginta annorum præstitis officiis. Mox ad pegma deductus, in eo ad populum conversus, dixit: *cives mei, non proditor*

sed

ſed paroiota morior. Unde cum ad arenam locumque ſupplicii duceretur, quæſivit à famulo, *Joannes, an nemo venit*, quaſi ſpem aliquam adhuc veniæ concepiſſet: quod cum negaviſſet famulus, aggeniculavit & ſtatim illi caput amputatum eſt. Ita qui perpetuo Reipublicæ regimini admoventur, dum ingenio, judicio, eloquio valent, ac omnia ex æquo & bono moderantur, multum apud Collegas authoritatis acquirunt: qua dum amicos promovent, & iis ſe ſatis putant ſtabiliviſſe, non jam ex utilitate Reipublicæ omnia, ſed pro libitu agunt, quo & æmulis & ſuperioribus materiam præbent, qua iterum perdantur.

Inſequenti à ſupplicio die Walæus Dordracum reverſus eſt, ac Synodi negotiis uſque ad Maii finem vacavit: quando argenteo donatus nummo, publico convivio cum omnibus, privato cum præcipuis à Delegatis Ordinum exceptus, honorifice dimiſſus eſt.

His rite peractis providendum Hollandiæ Ordines arbitrabatur, ne ſuppreſſa diſſidia denuo ſuborirentur: quare prima illis cura fuit Academiam, Reipublicæ & Eccleſiæ ſeminarium, in tuto locare. Itaque ſtatim Johanni Polyandro à Kerckhove S. Theologiæ Profeſſori, adjungere decreverunt, Andream Rivetum, Antonium Walæum, Antonium Thyſium. Vocando Riveto, Thomas Erpenius Arabicæ linguæ Profeſſor, in Gallias tranſmittitur. Thyſio, Adrianus Pavius Civitatis Amſtelodamenſis Syndicus, Academiæ Curator, & Amelius ab Hoogeveen Conſul Leidenſis Medio Julii, Rochus Honartius, ſupremæ Curiæ Senator, Curator Academiæ Primarius, & Petrus Deimannus Primarius civitatis Leidenſis Conſul Middelburgum venerunt, vocationem Walæo annuntiavere, urſerunt ut illi adſtipularetur. Litteraſque adjunxerunt Mauritii Principis Auriaci, quibus idem petebat. Verum Walæus ad deliberandum ſibi tempus concedi poſtulavit, ſe precibus apud Deum, conſilio cum amicis, Eccleſia, Magiſtratu collaturum. Interea delegati Curator & Conſul Eccleſiaſticos, Magiſtratum ambire, ſollicitare Walæi dimiſſionem, quam & impetrarunt tandem, quamvis ægre, quod non Hollandis tantum, ſed & ſuis bene Leydæ, præparandis vocaretur. Hærere amici, quod majus ſtipendium Leydæ quam Middelburgi non eſſet habiturus, quodque filios in Academia bene educare poſſet, non poſſet tamen tam bene remotus à Conſanguineis ad honeſta munia promovere: quibus ut ſatisfieret, Paſtoris munus in civitate Leydenſi ſimul illi fuit oblatum. Credidit vero Walæus ei vocationi reſiſtere ſe non poſſe, qua non Eccleſiæ tantum membra ſed eorum Paſtores erat formaturus, nec recturus unam Eccleſiam, ſed Belgicis omnibus conſiliis præfuturus.

Itaque publica concione x. Septembris Eccleſiæ membris diſceſſum annuntiavit & valedixit, quam audiebant illibenter, excipiebant non ſine ſuſpiriis & gemitu, & jacturam ſuam ac in eum affectum effuſis lachrymis teſtabantur: ut credidiſſes potius liberos à moriente parente, quam Eccleſiæ membra à Paſtore abitum parante veniſſe. Illud eſt à Deo Opt. Max. dona accepiſſe, adhibuiſſe diligentiam quibus te reddere æſtimatum poſſis, præiviſſe exemplo, conſilio, officiis pleroſque demeruiſſe.

Dum Middelburgi hæſit Walæus, vix proſpera valetudine uſus eſt, ſemper Aſthmate, ſæpe colico dolore & diarrhœis vexatus, aliquando quoque febribus continuis, quibus debilitatus, emaciatus ſæpe elanguit, & aliquot annis inter-

ſuit-

mittentem habuit pulsum. Origo malorum erat ab hæreditate materna, & quod in studiis nimius, ea statim à prandio adiret, vixque animo quietem, corpori refectionem largiretur. Sed ea multum lenivit uxor sana, & in inserviendo sedula.

Liberos Middelburgi habuit Margaretam, Jacobam, Antonium primum, Catharinam, Estherem, Antonium secundum & Susannam: quorum Jacoba & Antonius primus infantes mortui, reliqui integris sensibus vegeto corpore superstites mansere. In solis liberis exultavit Walæi animus, & eam benedictionem in terris promissam æstimavit. Quid enim majus fieri ab homine potest quam liberos sanos moratosque habere, secundæ fortunæ participes, adversæ levamenta, morborum senectutisque sustentacula.

Amisit vero Middelburgi unicam suam sororem Joannam, uxoris avum, sororem, & avunculos omnes; sed Joannem, uxoris fratrem unicum, ad Civilis Militiæ Præfecturam vigesimo ætatis anno promovit. Ejus vero sororem Jacobam, Jacobo Walæo unico fratri suo elocavit, qui primo Pastor Ecclesiæ Meliskerckæ, mox veteris Civitatis Domburgensis, eum jam Ecclesia Middelburgi Antonio Walæo substituit, quo & affectum & æstimium nominis Walæi quoque testaretur.

Decimo nono Septembris Walæus cum tota familia Middelburgo Leydam commigravit. Ubi honorifice & publico convivio à Magistratu, gratulabunde ab Academia, suavissime à veteribus amicis exceptus est.

Leydæ statim illi à Senatu Academico collatus est Titulus Theologiæ Doctoris, nullo prævio examine, ut solet illis qui eximia publicaque eruditionis suæ dederunt documenta.

Ipse vero vigesimo primo Octobris Professionem suam auspicaturus, Orationem de Studii Theologici recta institutione habuit. Quæ magna frequentia, omnium applausu excepta; mox tamen Walæo displicuit: quod animadverteret, multa egregie concipi, quæ in usum duci nequeunt; in multis à Discipulis peccari, quæ cogitando non possumus assequi.

Cum Walæo quoque accessit Antonius Thysius, & paulo post è Galliis Andreas Rivetus Facultatem Theologicam condecoraturi. Et certe singuli insignem nominis claritudinem paraverunt, omnes facultatem reddiderunt longe celebriorem. Quisque tamen, ut assolet, præ cæteris quibusdam animi dotibus eminuit. Memoria præpollebat Thysius, ingenio Walæus & Rivetus, qui & judicio ad concludendum excelluere; sed dexteritate ad exequendum Polyander. In agendo fervidus erat Thysius, vigore plenus Walæus, quo remissior Rivetus, sed sedatus erat Polyander. In exprimendis animi conceptibus elegans Polyander, voce tamen & eloquio Rivetus & Walæus præcellebant. In Philosophicis exercitatus magis Walæus. In linguis Thysius, Hebræa præsertim, nam & Græcæ peritior Walæus. In Theologia diffusam magis eruditionem habebant Thysius & Rivetus, solidam Walæus & Polyander. Peritior in Historia Ecclesiastica Thysius, in Lectione Patrum Rivetus, in Theologia Scholastica Walæus. Versatior in controversiis Socinianorum, Anabaptistarum & Remonstrantium Walæus, Pontificiorum Rivetus, Prælegebat Thysius diffuse, Rivetus plene; solide & breviter Walæus; ad praxin accommodate Polyander. Quodque his majus æstimo, ea singuli æquanimitate

tate prædiți, ut quæ in Collegis excellerent dona æstimarent, venerarentur, imo ubi opus esset advocarent in auxilium. Quod ut cordatorum tantum, ita magnarum quoque animarum est, quæ sibi conscíæ sunt, etiamsi in aliquibus cedant aliis, satis se tamen magnitudinem suam posse tutari.

Horum omnium prima sollicitudo fuit præcavere, ne denuo in facultate Theologica dissidia suborirentur. Quare subscriptione catechismi Heidelbergensis, & Confessionis Belgicæ, testati inter se consensum. Decreverunt & observarunt continuo, neminem judicium de Religionis controversiis, Ecclesiæ regimine, casu conscientiæ seorsim; sed non nisi una cum Collegis suis daturum. Nullas theses publice disputandas esse, nisi omnes Collegæ eas viderint approbaverintque. Nullum librum edendum, quem non examinaverint omnes Collegæ, & ostenderint sibi placere. Quæ tractu temporis negligenda, utinam sim falsus Vates, aliquando dissidia & turbas dabunt.

Ad eandem religionis paritatem præparare & studiosos voluere, quare & iis prospiciendum esse arbitrabantur de Cynosyra, secundum quam studia sua possent instituere: quod exortis Remonstrantium Controversiis, multa in Theologia accuratius explicanda essent, de multis circumspectius loquendum. Itaque publicis disputationibus totam Theologiam pertractare aggressi, ex iis *Synopsin purioris Theologiæ* publicarunt: ad quam singuli ea contulere, quæ appositis nominibus adscribuntur.

Constituta bene interius facultate, defendenda ea ab exteris hostibus erat: ab iis præsertim qui impetum in eam moliebantur. Respondendum erat *Johanni Arnoldi Corvino*, qui *contra Petrum Molinæum* ingens exaraverat volumen. Respondendum erat Remonstrantibus, qui *Actis Synodalibus Remonstrantium* ea inseruerant, quæ stabiliendæ suæ opinioni, infringendæ Contra-Remonstrantium poterant adferre. Id oneris Collegæ in Walæum contulere, ad confligendum cæteris promptiorem, paratioremque: qui edita *Responsione ad Censuram Joannis Arnoldi Corvini in Petri Molinæi Anatomen Arminianismi, & ad scripta Remonstrantium qui ad Synodum Dordracenam citati sunt* Maximum nomen acquisivit, non apud suos tantum, sed & apud Gallos, Anglos, Scotos, & diu Remonstrantibus silentium imposuit. Nimirum in Controversiis dudum agitatis, qui lectione diligens, qui mediocri judicio præditus est, aliquod pretium operæ potest præstare: sed Controversiæ majoris momenti, recens exortæ, non nisi solida eruditione, acri ingenio, maturo judicio ex dignitate tractantur: quare nullibi viri magni majori celebritate, vix majori fructu cogitationes suas impendunt.

Interea & præcipue firmata jam facultate, munus suum omnes reddere illustre conabantur. Vetus Testamentum explicabat Rivetus & Thysius, Novum Polyander. Sed quod reliquis gratius, quare & dignius habetur, Locos Communes tradebat Walæus. Eos Locos non hinc inde carptim, sed ab ovo omnes & totam Theologiam persequebatur. Singulos autem explicabat integre, fere per principia, per species aut partes; per affectiones non per quæstiones, ut loci ejus editi non raro exhibent, quasi ad disputandum non ad cognoscendum comparata Theologia foret. Immorabatur autem præcipue majoris momenti Controversiis aut difficultatibus, quæ in regimine Ecclesiæ obvenirent. Neque quævis utriusque opinionis examinabat argumenta, sed in

quibus

quibus pondus ſententiæ conſiſteret, aut quibus ſolutis reliqua facile diſſlarentur. In Controverſiis tamen recens exortis operoſior exiſtebat, de Deo contra Vorſtium, de Prædeſtinatione, de Sabbatho, de Authoritate Magiſtratus in rebus Eccleſiaſticis, ſimilibuſque, quia agitarentur continuo, & paucioribus bene eſſent perſpecta. Concludebat autem ſemper, non ita humanæ rationi, ſed verbo Dei perſpicuo ſubnixus. Ob quæ omnia præ cæteris major fuit Auditorum ad Walæum confluxus. Id demum eſt Theologiam tradere, quæ ex Sacra Scriptura eruitur: cum quæ rationi nimium innititur, Ethica potius Chriſtiana ſit, & ubivis vacillet. Id eſt Doctorem agere, fundamenta Doctrinæ oſtendere, rebus majoris momenti applicare, clare proponere, breviter defungi. Cum autem nonnemo Collegarum aliquando dubitaret an non ea Auditorum frequentia eſſet, quod Locos Communes profiteretur, ipſe quoque arrepta occaſione, locos quoſdam tradere aggreſſus eſt, ſed, cum irrito ſucceſſu, brevi deſtitit.

Verum enimvero non ſufficiebat ſacræ Theologiæ cognitione Auditores imbui, præparandi & Theologiæ candidati erant, ut recta defendere contra adverſantes poſſent & falſa poſſent redarguere: id diſputationibus peragebatur, in quibus omnes ſeduli, nulli tamen frequentiores quam Walæus & Polyander apparebant. Non permittebat Walæus ea ad diſputandum proponi, in quibus Reformatis inter ſe libere liceret diſſentire. Non enim anſam ulteriorem præbendam divulſionis Eccleſiæ, ſed amice potius alienatos ad unionem invitandos. Non permittebat futilia ab opponentibus objici, in quibus fruſtra tempus tereretur. Non permittebat proterve opponi, aut ea quæ cum offenſa Auditorum effutiuntur: in quo cum peccarent ſæpe Lutherani, Pontificii, Sociniani qui ad diſputandum advolaverant, tum ſplendebat Walæi promptitudo, ſubtilitas, animi magnitudo, quibus admirationem incutiebat Auditorio, obturabat os Adverſantibus, & eos redigebat in Ordinem. Sed volebat Walæus à Defendente, clare vim argumenti opponentis repeti, volebat non reſponderi tantum, ſed Reſponſum ſolide demonſtrari. Ne viderentur effugia quæri, ſed doceri ignaros, pertinaces convinci. Equidem Walæus in Lectionibus egregiam laudem, in Diſputationibus videbatur Triumphum mereri.

Aſt cum non ſatis inſtrui, exerceri publice Theologiæ candidati poſſent, in privatis ædibus continuo bis in ſeptimana, Enchiridium ſuum Religionis Reformatæ explicavit, examinavit & propoſuit ad diſputandum. Cui non nunquam bina ternave, ut vocant, Privata collegia contra Anapabtiſtas, Socinianos, Pontificios adjunxit: in quibus omnia familiarius explicavit, brevius abſolvit.

Privatim quoque Theologiæ Candidatos ad habendas conciones indies. Manuduxit præ cæteris ea eligenda S. Scripturæ effata, quæ Spiritus Sanctus ſæpe repetendo eſſe ponderoſiora indicavit: non de capillis, de veſtimentis in quibus errantes Deus Opt. Max. & minus & rarius objurgavit. Sacræ Scripturæ textum non ſemper explicandum fuſius, nec ubique elicienda dogmata. Sæpe Propoſitionem eſſe, demonſtrandam ulterius, & auditorum animis infigendam: infigi optime quando docetur ſimul, quomodo removeri obſtacula poſſint, quomodo id ipſum poſſit in uſum deduci.

Nec

Nec paſſus eſt unquam ob privatos labores, aliquod ſibi honorarii offerri: quod ab illo primum introductum, mox uſurpatum à Collegis, hodie in conſuetudinem traductum eſt.

Continuavit hunc inſtituendi morem viginti annis, quamdiu vita perduravit. Et ex ejus ludo innumeri Eccleſiæ Paſtores, non pauca Eccleſiæ lumina prodiere: maximo Walæi ſolatio, imo gaudio. Quippe nil majus aut Deo gratius obvenire homini poteſt, quam ejus curis Antiſtites exurgere, qui per univerſum mundum colligere Deo Eccleſiam poſſent, aut collectam conſervare.

In Regimine Academiæ nec partes fecit, nec fovit, imo quæ ſuborirentur, eas ſemper conatus eſt componere. Ita coagulum fuit inter Johannem Polyandrum & Antonium Thyſium, inter Petrum Cunæum & Franconem Burgerſdicium: inter quos diverſæ & familiæ felicitates aliquod diſſidioli aliquando movere. Odia inter Vorſtium Heurniumque Adverſarios Medicos lenivit: omnibus tamen manſit amicus: quod non tam reconciliationem, quam ſingulorum quærere emolumentum conaretur. Unde ſimul & Vorſtii filium Adolfum ad Profeſſionem Medicam commendavit efficaciſſime, & Heurnium primus ad nominationem Rectoris Magnifici promovit.

Ipſe Walæus nullum inimicum habuit. Niſi quod æmulari illi nonnihil videbatur Daniel Heinſius, ipſe Gandavenſis quoque: hic in literarum Profeſſione ille in Theologica creditus eminere. Adeo inter æqualiores facilius æmulatio ſuccreſſit. Nunquam tamen officere Heinſio Walæus conatus eſt: imo ne immiſcuit quidem ſe, de principatu contentionibus Salmaſii Heinſiique, quæ in publicum erupere. Æſtimabat ambos viros ſummos, immenſæ eruditionis, ſed elegantiorem ingenio Heinſium Poetam & oratorem meliorem, Salmaſium judicio maturiorem, reliqua eruditione diffuſum magis & magis ſolidum. Optabat autem literatores majori circumſpectione, minori licentia in Theologicis verſari. Majorum facultatum lumina, qui linguas negligunt ſæpe rerum ſtudioſiores inveniuntur, qui peregrinantur minus; minuſque antiqua inquirunt, ea quæ Regionis ſuæ ſunt melius ſolent habere comperta. Sed cum Antonio Thyſio fundamenta jecit ejus reconciliationis, quæ poſt Walæi obitum ſubſecuta eſt.

Walæus vero hoc egit ut Honores Academici, quantum permittere Academiæ utilitas poſſet, inter Collegas ex æquo dividerentur: ita convicturos ſuavius, & meliori conſenſu in ſuæ facultatis decus laboraturos. Unde cum nominari ipſe in Rectorem Magnificum poſſet, pro Collega ambivit: & cum eo nominatis frequenter ceſſit. Non minus tamen honores fugientem ſequebantur: unde frequenter Academiæ deputatus, ter Academiæ Rectorem Magnificum egit, illique muneri immortuus eſt.

In cæteris Profeſſionis ſuæ partibus æque ſe Walæus cordatum præſtitit.

Teſtimonia de vita & ſtudiis Theologiæ Candidatorum non niſi ex merito dedit. Satius ratus hos eorumque amicos offendere, quam Eccleſias fallere: magna errorum ſcaturigine, qua indigni ad cathedram Paſtorum promoventur. Quæ fidelitas Walæi cum tractu temporis innotuiſſet pluribus Eccleſiis, non paucæ ſemper voluerunt Teſtimonia quoque Walæi habere.

Gradum Doctoris nullis niſi pietate conſpicuis, judicio maturis, eruditione

eminentibus Theologiæ Professores contulere: idque præparce, & vix nisi rogatu ejus Ecclesiæ in qua Pastorem agerent. Cum facile Doctores aliquid prærogativæ inter Pastores arripiant, quod non semper ex utilitate, non semper cum Ecclesiæ pace contingit.

Libri edendi eo numero judicio facultatis Theologicæ oblati fuere, ut iis legendis omne tempus non posset sufficere: quare quibusdam ad Pastorum classes remissis, eos sibi tantum censendos fumisse, qui controversias majoris momenti persequerentur. Censuram autem, honestatis habita ratione, instigante Walæo, exercuit liberrime. Ita editionem inhibuit Analyseos ix. capitis ad Romanos Naggii Elburgensis. Effecit ut immutarentur Tractatus Willii in Prophetas minores, & in nonum caput ad Romanos. Aut ubi se non posset à censura excusare, tenui judicio, ut Tractatum Vedelii de Episcopatu Constantini, dimisere. Magno Ecclesiarum commodo: è denis enim vix unus totam Doctrinam, quomodoque inter se connectatur, animo capit. Unde facile seducuntur.

Consilia scripta privatis nulla Theologiæ Professores nisi quæ Matrimonium spectarent, dedere. In cæteris remisserunt eos ad suæ Ecclesiæ Ministros: quo se exonerarent molestia, nec Ecclesiæ membris ullam occasionem præberent Pastores suos minus æstimandi. Matrimonialia autem eo judicio dederunt, ut, quamdiu vixit Walæus, non sit animadversum ullam Ecclesiam, ullum Magistratum diversum ab iis sensisse. Eo subnixus Magistratus Middelburgensis, dissolvit Matrimonium Jacobi Lansbergii Philippi fil. Pharmacopœi, quod omnibus solennibus peractis inierat, confirmaveratque gemina prole: aliamque illi uxorem dedit, cui desponsatus erat, etiamsi clanculum, prius, & ex qua spe futuri matrimonii filium susceperat.

Iudices autem de Conscientiæ casibus Religionis controversiis, Ecclesiæ regimine, ab Ecclesiis, Classibus, Synodis, Civitatibus, Ordinibus, Principibus consulebantur: quibus & consilia sua libere communicabant. Ita pacarunt Ecclesiam Medenblicensem, ubi quidam Seniorum novum de Prædestinatione Schisma molichatur. Ita pacarunt Ecclesiam Roterodamensem, ubi faber quidam ferrarius, nimis de Reprobatione subtilis, membrorum Ecclesiæ conscientias turbabat. Ipsa Synodus Ultrajectina petiit, & secuta est eorum consilium: de Fœneratoribus, quos Lombardos Belgæ appellamus, ad Sacram Cœnam admittendis. Ordines Hollandiæ & Fœderati Belgii nullum librum Theologicum dedicatum admisere prius ab illis non approbatum: nullos libellos petitorios de componendis religionis controversiis, de corrigendis incolarum moribus qui tempore Walæi innumeri offerebantur, de quibus non habuissent earundam judicium. Fredericus Bohemiæ Rex de auxilio sibi à Turca oblato prius nihil statuit, quam horum audivisset responsum. Princeps Auriacus in dandis legibus devictis civitatibus, sæpe hos Theologos consuluit. In componendo diuturno inter Magistratum Roterodamensem & Pastores, quod quindecim classes, tres Synodos fatigaverat, Polyandrum & Walæum evocavit. Aft Walæus in via procidens Pleuritim incurrit, de singulis tamen per literas indies ejus consilium exquisivit: nec concludere voluit antequam convaluisset Walæus & esse præsens posset. Quando & Walæus conceptam judicium à quatuor Politici & tribus Theologis etiamdum inhibuit: & effecit,

ut

ut ſuus Paſtoribus conſtaret honos, & certum permaneret ſtipendium, uſque dum in alias commodas civitates, de Paſtorum voluntate, transferrentur.

Adeo omnia ea peregerunt, quæ Theologis Reipublicæ demandari aut ab illis peti ullibi conſuevere.

Moris autem eſt conſilia à facultatis Decano conſcribi, plerumque tamen voluere Collegæ ut à Walæo ſcripto conſignarentur, quod ut in dicendo ita & in ſcribendo quam maxime nervoſus eſſet. Omnia autem cordata maximum facultati decus pararunt & æſtimium: quare dolendum eſt non ſatis à Decanis eorum Apographa aſſervata fuiſſe: nam quæ Operibus Walæi ſubjunguntur, lineamenta tantum ſunt eorum quæ conſulentibus data fuere.

Unum fuit, quod rumores excitavit in Belgio, & Magiſtratum Amſtelodamenſem offendit. Amſtelodamenſes Conſules Pavius & Hoying, inhibitis Remonſtrantibus, ſublato communi metu, ut ambitioſorum inter ſe infida ſocietas eſt: inceperunt inter ſe de principatu contendere, partes facere & ſuos quiſque amicos in Magiſtratum legere. Hi electi non jam promotores ſuos reſpicere, ſed inter ſe convenire, Gravio minuſque dominanti ordini conjungi, & veteres in Conſulatu præterire. Horum cum non pauci ſuſpecti Arminianiſmi eſſent, veteres quibuſdam Eccleſiæ Miniſtris perſuaſerunt non regiminis, ſed Religionis negotium agi, à quibus excitatus populus eſt. Novi cum non ſatis populo fiderent, quos debebant civilis militiæ duces legere, elegere eos qui manifeſto Contra-Remonſtrantibus non favebant, novumque juramentum ſatis involutum à militibus civicis exegere. Unde amplius populus offenſus eſt, qua occaſione uſi Veteres per populum conati ſunt Novos denuo loco turbare. Sed quo iniquitate juramenti agitaretur magis populus, excitarunt Eccleſiæ Paſtores, & hi Synodi deputatos, ut à facultate Theologica conſilium peterent. An tale ab Eccleſiæ membris præſtari juramentum poſſet, & ſi præſtari non deberet, quid Eccleſiæ membris eſſet faciendum. Ignorabant autem illi Paſtores & Synodi deputati, quare nec id potuit Theologiæ Profeſſoribus innoteſcere, hoc agi ut Magiſtratuum aliqui loco moverentur. Noluit tamen Walæus conſilium dare, veritus ne quæ in theſi aſſererent, negotio Amſtelodamenſi applicarentur: & ſibi non ſatis conſtare, an talis eſſet rerum facies, qualis illis depingeretur. Volebant id autem Walæi Collegæ, & vehementer Eccleſiaſtici urgebant: cumque agitarentur ab Eccleſiaſticis ſecretorum conſciis, vim quaſi Walæo inferebant: quod metu offenſionis Magiſtratus, Eccleſias deſereret. Unde Walæus in conſilium conſenſit. Juramentum involutum præſtari non debere, nec cujus vi cogi poſſent Eccleſiæ Reformatæ noxam adterre. Sin ob negatum juramentum pœna illis à Magiſtratu infligeretur, non ideo turbandam civitatem, ſed pœnam patienter ferendam eſſe. Hoc conſilio quoque ſubnixi, tanta erat hujus facultatis authoritas, & diem tumultus & ſignum conſtituunt. Quod ſignum ſive caſu, ſive Novorum prudentia non potuerunt Veteres oſtentare: Novi autem ſibi à Veteribus & plebe metuentes Principem Auriacum advocarunt in auxilium, qui inductis militibus omnia compoſuit. Magiſtratus vero aliquod ſui membrum, & duos Eccleſiæ Miniſtros loco movit. Turbones vero aliquot relegavit in exilium, non obſcure in illorum judicio conſiliis facultatis Theologicæ perſtrictis.

Walæus etiamſi præter voluntatem in illud conſilium attractus eſſet, puta-

vit tamen id facultati Theologicæ non esse perferendum: quare de consilio Collegarum, & apud Præpotentes Hollandiæ Ordines & publico scripto consultandi libertatem, & consiliorum suorum æquitatem defendit. Magistratus jam rerum potitus, cum non sine periculo eam denuo commovere Camarinam posset, facile iram erga Theologiæ Professores secreti ignaros deposuit. Ita Politici suo ambitui intricare Theologos solent, cumque id quod intendunt obtinent, levior pluma gratia est: dum causa cadunt, deserunt Theologos & adversariorum vindictæ relinquunt.

Defensio Religionis Reformatæ in Belgio, facultati quoque Theologicæ, & in ea maxima ex parte Walæo incubuit. Prima fuit Acta Synodi Nationalis Dordracenæ in publicum dare. Intererat Ecclesiis Reformatis per Belgium, imo totum orbem dispersis, noviſſe qua via quoque ordine causa Arminii & Remonstrantium examinata fuisset, quid singulis patrum visum, quid ab omnibus esset conclusum. Ad eam editionem à Fœderati Belgii ordinibus delegati fuere Johannes Polyander, Antonius Walæus, Antonius Thysius, Daniel Heinsius, Festus Hommius, Daniel Colonius, Joannes Latius. Sed maxima editionis laus Festo Hommio debetur, qui in scriptura promptus & elegans, Synodi quoque Scriba, reliquis diligentius annotaverat, quæ in Synodo acta fuissent. Illustrium actorum non minimus perit fructus, si eorum pereat memoria.

Editioni huic Actorum Synodi aliam statim Remonstrantes opposuere: in qua non nisi in paucis elevare fidem actorum, sed suam præcipue sententiam Argumentis confirmare conantur. Hæc refutandi cura Walæo relicta est: qui mox his Actis & Corvino ut diximus respondit. Corvinus vindicias apparare: & jam aliquam earum partem chartæ committere inceperat, cum destitit & scriptionem plane intermisit: Incertum qua de causa: nam Corvinus reliquique Remonstrantes jam otio abundabant. Ferebatur vulgo rei difficultate absterritos fuisse, quam ab eo tempore nunquam voluerunt aggredi. Sed & inter Remonstrantes ipsos novus exortus est dissensus. Vytenbogardus, Corvinus, maximaque Remonstrantium pars plane Arminii insistebant vestigiis, nec ulterius volebant à Reformatis recedere. Episcopius, & qui eum sequebantur, ad Socinianos deflectebant: Suspicio est, ideo de Responsi modo non potuisse convenire. Fœcunda est falsa opinio, ubi cepit non persistit, sed continuo generat deteriorem.

Hoc prælio cum Remonstrantibus à Walæo depugnato, minus impetita Ecclesia à Remonstrantibus, magisque quieta fuit. Usque dum Remonstrantium Confessio aliquid de novo turbarum dedit.

Inter hoc quasi Armistitium, de tollendo schismate, uniendis Remonstrantibus & Contra-Remonstrantibus actum est: non authoritate ulla publica, sed pio quorundam motu & desiderio. E Contra-Remonstrantibus id egit Cornelius Dunganus Ultrajectinus, Godschalcus Altius Arnhemensis, Jacobus Testardus Bielensis Pastores. E Remonstrantibus unus Antonius Hornhovius, qui tamen inter Pastores Contra-Remonstrantes latebat. Sed fieri nequit ut ad consensum adigantur qui inter se contraria sentiunt. Et consensus limites signare, impedire autem ne ulterius in rei veritatem inquiratur, id nec hominis ingenium nec voluntas permittit, quo ex parte quasi bruta redderentur.

Majoris

Majoris ſpei erat quod inter Walæum ipſum & Vytenbogardum agitabatur, internuncio Jodoco Braſſero, fratre Tribuni ærarii Fœderati Belgii: quomodo iterum Remonſtrantes admitti ad Reformatorum Eccleſiam poſſent, & quomodo poſſent in ea tolerari. De Eccleſiæ membris res expedita erat, eos ad communionem Eccleſiæ recipiendos, qui Socini erroribus non addicti, ſoli Divinæ gratiæ per Chriſtum partæ omnia bona Spiritualia & ſalutaria ferrent accepta: modo pollicerentur, ſe in cæteris Eccleſiam non turbaturos. Major difficultas erat de Remonſtrantium Paſtoribus admittendis: nolebant extra miniſterium quieſcere, & ſtipendium habere: nolebant miniſterio cum Reformatis fungi, de controverſiis tacere. Qui enim aſſueti ſunt dominari, nolunt ſe aliis poſtea ſubjicere: qui ullibi primas partes egerunt, nolunt poſtea ſecundas agere.

Verum id inſtitutum editio Confeſſionis Remonſtrantium abrupit: ea enim clarius apparuit, non in quinque tantum articulis, ſed Remonſtrantes in alia omnia à Reformatis abire.

Metuebat autem ſemper Walæus Vytenbogardum hanc reconciliationem quærere, quo mitius cum Remonſtrantibus ageretur: quod ita quoque obtinuit; non pauci enim Remonſtrantium Magiſtratibus immorigeri, in carcerem conjecti: hoc tempore, vel neglecti, vel occaſione oblata è carcere erupere. Sperabat autem eum id ſincere agere, cui ſciebat cum Epiſcopio non convenire: quod & tanto firmius credidit, cum virulento libello perſtringeret Epiſcopius theſes quas ſub Walæi præſidio defenderat Altii filius, quibus ut Altius titulum fecerat Remonſtrantes ad communionem invitabantur: ægre ferens, Remonſtrantium aliquos Reformatorum Eccleſiam etiamnum reſpicere.

Abrupto hoc colloquio denuo ad arma itum eſt. Inſtigante præſertim utraque Hollandiæ Synodo: & Theologiæ Profeſſores detexerunt ſtatim latebras Confeſſionis Remonſtrantium, edito libello prodromo per Walæum, quo periculoſa eorum dogmata indicabantur: quæ adverſario libello conati ſunt Remonſtrantes extenuare: ad quem iterum nomine facultatis Theologicæ Walæus reſcripſit, & quem velare conabantur, Socinianiſmum, occepit detegere. Mox Confeſſionem ipſam in partes æquas diviſere, Primam Polyander, Secundam Rivetus, Tertiam Walæus, Quartam Thyſius ſumſere ſibi excutiendam refutandamque: Secundam partem abſolvit Rivetus, Tertiam Walæus, ſed ad primam quartamque plurimum quoque Walæus contribuit, id petentibus ab eo Collegis, quem maxime in iis Controverſiis verſatum credebant. Cumque & Delegati Ordinum Hollandiæ & Synodus utraque peterent ut ea cenſura à Theologiæ Profeſſoribus in linguam Belgicam ederetur, qua edita quoque Confeſſio eſſet, obtinuerunt à Walæo ejus Collegæ, ut in ſe id oneris admitteret, permiſeruntque ſimul quibus vellet locis eam interpolare.

In cenſendo autem hoc præcipue egerunt Profeſſores, ut obiter refutata Confeſſione, præcipue elicerent, quod novarum opinionum etiamnum latere ſuſpicabantur. Qui novas opiniones cudunt, quædam tantum majoris momenti propalant, quæ arctius opinionum ſuarum fundamentis connectuntur: in reliquis & generalius & lenius loqui conſuevere, ne vel adverſarios irritent nimium, vel ſequaces abſterreant. Qui vero novatoribus ſe opponunt, ut ce-

lari

lari connexa vident, ita & principia alia tegi arbitrantur, quare omnia in deteriorem partem trahunt. Solebat autem semper Walæus conqueri, nihil se unquam majori tædio quam eam versionem perfeciſſe, qua nec doctior fieri nec excitare ingenium, aut exercere judicium poterat: alteri tamen non fidebant Eccleſiæ, cum in talibus controverſiis etiam in loquendi modo poſſit error committi.

Ad hanc Cenſuram Epiſcopius Apologiam pro confeſſione edidit: in qua etiamnum, credebat Walæus præcipua ſua dogmata conatum eſſe incruſtare; quare ad Cenſuræ vindicias Refutationemque Apologiæ iterum ſe accinxit: annotaveratque in eam non pauca, quæ inter Walæi manuſcripta aſſervantur. Verum injuncta illi Novi Teſtamenti, librorumque Apocryphorum in linguam Belgicam verſio Commentatioque, id inſtitutum interrupit. Suſcepit ejus Apologiæ refutationem Franciſcus Junius Sylvæ-Ducenſis Paſtor doctiſſimus, qui plene Walæo non ſatisfecit. Cumulate vero Jacobus Triglandius, in locum Riveti ſucceſſor, Walæi collega. Minus exercitati in controverſiis non præcavent primum quæ illis poſtea poſſunt obeſſe, nec facile extendunt cogitationes ad ea, quæ deciſa controverſia per totam ſcientiam conſequuntur.

Hæc ſimiliaque ſunt quæ ab Antonio Walæo, membro facultatis Theologicæ facta fuere. Nec minoris momenti ſunt quæ ſolus & ſeorſim egit.

In Schola Middelburgenſi Walæus prælegerat Ethicam, & ejus compendium inceperat diſcipulis dictare: verum in Academiam Leidenſem evocatus, id non abſolvit. Quare illius Scholæ Curatores petiverunt, illi operi colophonem imponeret, & in uſum illius Scholæ ederet in publicum: quod breve & perſpicuum eſſet. ad normam veritatis Chriſtianæ revocatum. Non potuit horum judicio nec voluit. Walæus retragari, quod prudentia inſignes, eruditione conſpicui, præcipuis in Republica muneribus eſſent perfuncti. Hanc ob cauſam id publico dedit, ita gratum ut multoties fuerit impreſſum, æſtimatum ita ut Theodorus Schrevelius, celebris Leidenſis Scholæ Rector, in Iambicum compegerit Carmen. Certe intereſt Reipublicæ juventutem moribus imbui, qui non Ethnicos ſed Chriſtianos ſapiunt.

Magiſtratus autem Leidenſis Walæum in illorum civitatem primum delatum, Scholæ Trivialis Curatorem elegit. Dimiſſo alio viro maximo: non ulla culpa, ſed tantum quod frui Walæi conſilio deſiderarent. In eo munere Walæus tota vita continuavit, & plane in alium ordinem Schola redacta eſt, nec parum illi celebritatis acceſſit.

Ipſi Præpotentes Hollandiæ Ordines, cum animadverterent non omnium civitatum Scholæ Rectores, imo ne Curatores quidem, ſatis aptos eſſe qui diſpiciant quid pueris docendum, & quomodo. Non enim in omnibus civitatibus eruditi, vel abundant, vel dominantur. Aut ea libertate quoſdam abutentes, pueris ſua ſomnia inculcare. Delegarunt Antonium Walæum, Antonium Thyſium, Petrum Cunæum, Danielem Heinſium, Gerardum Voſſium, Franconem Burgerſdicium in Academia Leydenſi Profeſſores: qui leges conciperent, ad quarum normam in docendis linguis, liberalibuſque artibus, gerere ſe per totam Hollandiam præceptores cogerentur.

Hi evocatis omnium Scholarum Rectoribus, ſingulorum judicia exquiſiverunt, qui ea & voce & ſcripto Walæo communicavere. Eminuerunt autem Salignaci

Salignaci Amſtelodamenſis & Villerſii Brielenſis Rectorum judicia. Ferpenſis autem omnibus eas poſuerunt leges, quæ nomine Præpotentum Ordinum Hollandiæ Weſtfriſiæ eo lem Anno cIↃ Ic cxxv. promulgatæ fuere.

Sed & non pauca judicabant in libris deficere qui prælegi deberent: quare Voſſius Grammaticam & ſyntaxin latinam Lithocomi, Grammaticam Græcam Clenardi interpolavit, Cunæus Syntaxin Græcam Poſſelii, Walæus tractatum de Græcorum Dialectis adjecit. Voſſius Rhetoricam dedit, Burgerſdicius Logicam, Walæus Ethicam. Recenſuit Aphthonium Cunæus, Theonem Heintius, Sulpicium Severum Thyſius. Catecheſi Heidelbergenſi loca S. Scripturæ Walæus & Thyſius adjecere. Volebant quoque delegati quam conſcripſerat Phyſicam Walæus ederet, quæ loco Magiri in ſcholis doceretur, quod Magirus ſceleton tantum exhiberet definitionum diviſionumque plerumque ineptarum. Sed id à Walæo non obtinuere, qui putabat Phyſicæ regulas non inanibus ratiunculis, ſed experimentis fulciendas eſſe, quibus faciendis, nec voluntas illi eſſet, nec tempus ſuppeteret. Hæc quibuſdam exilia videbuntur, ſed parva æſtimari non debent, quibus bene non conſtitutis, pauci eruditione magni evadunt.

Verum enimvero non puerorum tantum, ſed & regimini virorum juvenum præfuit. Præpotentibus Zelandiæ Ordinibus compertum erat, in Academiis non parum carnis coqui, cujus niſi habeatur ratio facile ſpumam reſipere: Walæum in omnes Zelandos inſpectorem conſtituere, voluerunt que alumnos nihil niſi de Walæi conſilio in ſtudiis inchoare. Novo munere, de quo tamen Walæi cura ſibi gratulati fuere. Equidem è centenis ſtudioſis vix unus natura ſceleſtus invenitur, à cujus conſortio ſi magni viri cura & authoritate reliqui arceantur, facile viam incunt quæ ad eorum emolumentum & decus ducit.

Societas quoque Indiæ orientalis, de ſalute ſuorum Indorumque ſollicita, cum animadverteret vix alios ſe Eccleſiæ Miniſtros accipere, quam qui in Belgio obtinere locum non poſſent, qui ſæpe vel dotibus animi inferiores eſſent, vel nota aliqua inſigniti. Statuerunt ſibi ſeminarium facere, è quo ubi opus eſſet ſibi poſſent Paſtores depromere. Eam in rem Præfecti conſilium à Facultate Theologica petivere, quod Walæus ſcripto conſignavit. Abſoluto Conſilio, cum animadverſiſſent in id negotium præ cæteris fervidius Walæum incubuiſſe, rogarunt inexpectato Walæum ipſe vellet ejus ſeminarii curam ſuſcipere. Verum is id recuſavit, quod ſe omnibus oneribus imparem arbitraretur. Urgentibus vero aliquamdiu illuſtribus Academiæ Leidenſis Curatoribus, animantibus quoque collegis Theologiæ Profeſſoribus, ne ſeminarium illud periret in herba tandem admiſit.

Itaque in domo ejus ſtudioſi Indiæ deſtinati nutriti & directi fuere, modo pauciores modo plures, nunquam tamen ſenarium numerum exceſſere. Recti autem rara felicitate, ut nunquam nec de victu, nec de regimine fuerint conquesti. Solent enim juvenes facile æſtimare nutritionis onus, & rerum pretia ignorare; ſed honoris appetentior erat Walæus, lucri negligentior. Reliqua vero miniſteria obibant famuli, eam in rem à Societate electi.

Studia autem præterea ordinavit, quos libros legere, quas audire lectiones deberent, & lectorum auditorumque ab illis rationem exegit. Ipſi vero præter pietatis exercitia, quotidie caput è Novo Teſtamento Græce, è Veteri Hebraice

Hebraice explicare cogebantur, & explicationis ſuæ rationem dare. Ita acquirebant linguarum earum peritiam, & S. Scripturam ſibi reddebant facilem & familiarem. Singulis autem ſeptimanis bis, Enchiridion ſuum religionis Reformatæ examinando diſputando excuſſit: ac ad habendas conciones manuduxit, eadem opera qua Zelandos alioſque ſtudioſos inſtituit: quod non parum ejus laborem imminuit.

Sed privatim provectioribus inculcavit, quomodo Religionem Chriſtianam Reformatam, Rationibus è natura petitis Ethnicis poſſent inſtillare, docere, comprobare: quomodo, quoque ordine colligere eccleſiam poſſent & collectam gubernare. Etiam vulgares animæ conſtitutam Eccleſiam conſervare queunt, ſed aliquam de novo erigere, ut Rempublicam, tantum Heroum eſt.

Ex hoc ſeminario ab anno cIↃ Ↄ cxxii. toto decennio duodecim Eccleſiæ Magiſtri prodiere, omnes eruditione inſignes, pietate conſpicui, quibus India cognitionem Religionis Reformatæ ferme totam debet: Eccleſia, quodcunque per totam Indiam boni ibi ordinis invenitur. Magna Walæi lætitia. Non poſſunt enim digniùs cogitationes impendi, quam ut in magna orbis parte Deo Eccleſia erigatur, ubi ne ejus quidem ſpes unquam extitit.

Proviſa jam de Paſtoribus India, Walæus ſe muneri abdicavit, & ſeminarium eſſe deſiit. Quando Magiſtratus Leidenſis per Gerardum Lantſchot Conſulem petiit, pateretur Walæus ſe cum Collega ſuo Jacobo Triglandio ad miniſterium Verbi Divini Eccleſiaſtico Synedrio commendari. Sed diſſuaſit Uxor liberique, videbant enim eum ſub oneribus fatiſcere. Et maluit Walæus non uni Eccleſiæ ſed omnibus proſpicere.

Agitabantur enim circa hoc tempus Eccleſiæ Zelandiæ Telingii Burſiique contentionibus. Telingius pietatem ſtudebat promovere, quare quo vitia emendaret, in adverſam partem arctius ſtrinxit: ut ſolent illi qui curva ligna ad rectitudinem agunt. Ita Sabbathi profanationem edito tractatu conatus eſt emendare. Hanc occaſionem arripuit Burſii filius, Threnumque edidit Plangentis Eccleſiæ, quaſi vis ejus libertati inferretur. Conatuſque eſt Telingium de obſervatione dici Septimi, Inſtitutioneque dici Dominicæ refutare. Et eam in rem Gomarus, Burſiis ſatis addictus, ſuppeditaverat argumenta. Hoc ægrius qui Telingio favebant tulere, periculumque erat ne in adverſaria ſcripta erumperent, & Eccleſia in partes ſecaretur. Voetius juvenile oppoſuerat ſcriptum, lachrymas Crocodili, quo adverſarium magis pungere, minus Eccleſiam videbatur ædificare.

Quare Walæus quæ alias publice prælegerat reſumſit, & in fuſiorem de Sabbatho extendit tractatum, ac in publicum edidit. Magno Eccleſiarum gaudio: qui ut eruditionem Walæi æſtimabant, ita & hic prudentiam admirabantur: unde & in linguam Vernaculam à Silvio Paſtore Amſtelodamenſi eſt tranſlatum. Ita ſedati hi Eccleſiæ fluctus ſunt, & quaſi objecta rupe diſſracti fuere: deſiiſſentque penitus, niſi Gomarus ſua intereſſe credidiſſet, ea tam cito non evileſcere, quæ cognita erant ab eo profecta fuiſſe. Itaque libellum edidit de inveſtigatione Sabbathi. Cui Rivetus reſpondit. Vindicavit ſua Gomarus, reſcripſit Rivetus. Et quamvis ſequaces aut pauciſſimos aut nullos invenerit Gomarus, ne tamen quidam irretiti hærerent, publicis lectionibus

excuſſit

excuſſit Walæus, quæcunque de novo fuiſſe prolata poterant videri: annotavitque quædam ſcripto ſuo in memoriæ ſubſidium, quibus alteram tractatus ſui editionem plenius extendere, & uberiorem decreverat edere: quod verſione Novi teſtamenti nimium impeditus, & morte præventus non potuit præſtare. Editioni tamen alteræ diſſertationis de Sabbatho poſt Walæi obitum adjecta fuere. Ita de rebus obſcurioribus diſſidia non melius, quam magni viri prudentia & Authoritate componuntur.

Quæ hoc pluraque ut diximus Walæi inſtituta interrupit Bibliorum in linguam Belgicam verſio, ea anno ɔIↃ IↃ cxxviii. incepit. Vetus Belgica Verſio à Lovanienſibus profecta exhibuerat Bibliorum libros, immutatos, mutilatos, adauctos. Cujus ſpecimen, ſi bene memini, extat in eo Exemplari, quod Bibliothecæ Middelburgenſi donaverat Walæus Textui inſertum. Cum Cain Abelem occideret in vicino pago Encœnia fuiſſe, eo profectos in jurgia exarſiſſe. Quare reformationis initio neceſſarium quoque videbatur aliam populo verſionem Belgicam dare. Eam exhibuit vir quidam pius, Eccleſiæ Embdenſis Senior, è verſione Germanica Lutheri tranſlatam. Sed cum ignarus eſſet Græcæ Hebreæque linguæ, imo ne Germanicæ quidem peritiſſimus, non potuit ea niſi imperfecta & rudis eſſe.

Quare confirmata utcunque Belgii libertate, hoc egerunt Eccleſiaſtici, ut de novo ex ipſis fontibus, Bibliorum libri in linguam Belgicam transferrentur. Arripueruntque occaſionem Fœderati Ordines, & Philippum Marnixium Sanctæ Aldegundis dominum, dedita urbe Antwerpienſi, in reconciliationem cum Hiſpaniæ Rege proniorem, honeſta à regimine miſſione delegarunt, qui Leydam commigraret & totus Bibliorum Verſioni vacaret, incumberet: quod munus ipſe aptiſſimus lubentiſſime accepit, moliminis jam honoriſque ſatur. Illique uſque ad annum ɔIↃ IↃ cII. vitæ finem vacavit, & varios libros transferre incepit; ſed abſolvit Jobum, Proverbia Salomonis, Pſalmoſque: hoſque tranſlatos edidit. Suffecti in Marnixii locum fuere Arnoldus Cornelii Paſtor Delphenſis, & Warnerus Helmichius Paſtor Amſtelodamenſis qui reliqua Marnixii perſequerentur. Hi in Veteri Teſtamento progreſſi ulterius, impediti vero ſuo Paſtoris munere, & morte præventi, non potuerunt perficere.

Mortes horum Remonſtrantium & Contra-Remonſtrantium excepit diſſidium, quando Eccleſia neglecto ornamento de ſui conſervatione eſſe ſollicita debuit: quare Verſionis negotium penitus intermiſſum eſt.

Conveniente vero Dordraci Nationali Synodo, ad diem conſtitutum Citati Remonſtrantes non adfuere. Non ideo tamen inauditi aut condemnari debuerunt aut negligi, nec Synodus interea debuit diſſolvi: quare dum Præſes circumſpicit quidnam Synodo agendum offerret, conſultationem de verſione Belgica legit. Ita non raro aliquid leve & fortuitum, rei maximæ occaſio exiſtit.

Synodus Verſionem Belgicam unanimi conſenſu decrevit, poſitæque interpretibus leges quas ſequerentur. Electi quoque verſores, & ne quorundam morte totum inſtitutum diſſolveretur, ſubſtituti qui in morientium ſuccederent locum. Quæ omnia in Actis Synodalibus leguntur. Sed accuratæ non conduntur leges quam in ipſo opere: multa demenda ſunt quæ extrinſecus

nequeunt considerari, multa limitanda quæ universalia externe intuentibus videbantur.

Dissoluta Synodo in tuto ponenda Ecclesia erat, nec de ejus ornamento cogitari potuit, antequam satis firmata videretur. Quod demum anno cIↃ IↃ cxxvii. evenit. Quando plerarumque Provinciarum Synodorum deputati petierunt à Fœderatis Ordinibus, novæ Versionis denuo rationem haberent, & id haud difficulter obtinuere: injunctumque deputatis Versorum nominatorum præparare dimissionem. Sed Delegati sunt Walæus & Festus Hommius à Fœderatis Ordinibus, qui impetrarent à Magistratu, ab Ecclesiis, ut Versores Pastoris levarentur onere, aliique in eorum locum substituerentur, qui persequerentur id negotium & deducerent ad finem.

Horum suadela & authoritate effectum est, ut Versores citissime dimitterentur. Et anno cIↃ IↃ cxxviii. Leydam Veteris Testamenti interpretes commigravere: *Johannes Bogermannus*, Pastor Ecclesiæ Leovardiensis, Synodi Dordracenæ Præses, & postea S. Theologiæ in Academia Franequerana Professor. *Wilhelmus Baudartius*, Pastor Ecclesiæ Zutphaniensis. *Gerson Bucerus*, Pastor Ecclesiæ Vrianæ, ad eandem quoque Synodum delegati. Emicuit autem inter eos Hebraeæ linguæ peritia Bucerus, judicio & dexteritate Bogermannus, diligentia in conferendis aliis versionibus Baudartius.

Insequenti anno convenere Novi Testamenti librorumque Apocryphorum Versores. *Antonius Walæus* noster. *Festus Hommius*, Pastor Ecclesiæ Leydensis, & Regens Collegii Theologici Ordinum Hollandiæ, Synodi Dordracenæ Scriba. *Jacobus Rolandus*, Pastor Ecclesiæ Amstelodamensis, Synodi Nationalis Assessor. De judicio Walæus & Rolandus contendebant, ille promptior, hic tardior; sed Græcæ linguæ & Theologiæ peritior Walæus apparebat. At Hommius insignis quoque, in scribendo, distinguendoque accuratior erat.

Hi magno animo, indefesso studio, Bibliorum versionem aggressi fuere. Egerunt autem hoc ut ex ipsis fontibus novam plane versionem darent, accuratam, & quantum permittere linguæ genius posset de verbo ad verbum. Imo ubi in fonte vox aliqua variam admittere significationem videretur, Belgicam illi similem conati sunt substituere. Ne ulli parti addicti viderentur, aut ullis veritati præjudicium adferre. Si quid vero obscurum occurreret, marginalibus Notis conati sunt elucidare: si quid dubium, ibidem dissolvere; in quibus non raro quoque versionis suæ rationem dedere. Notas autem scripserunt præcipuæ in gratiam rudiorum, quibus ejusmodi pauca scripta Belgica supperetent. Non ita tamen se potuerunt inhibere, ut non eorum passim emicet eruditio. Prudentis est non alium cibum debili ventriculo indere, quam qui ab eo potest confici.

Ea peracturi omnes, non eandem prorsus viam ingressi fuere. Veteris Testamenti Versores Mosis libros, Historicos, Agiographos, Prophetas in partes æquas divisere: Primam cujusque partem Bogermannus, Alteram Baudartius, Tertiam Bucerus vertit, commentatus est, & loca adjecit Parallela.

Verum Versores Novi Testamenti, versionem commentationemque totius Novi Testamenti, domi privato studio omnes conscripsere.

Quod versum explicatumque esset, id singulis diebus veteris Testamenti inter-

interpretes examinavere. Novi vero contulerunt primum, inde expenderunt omnia: ab hora nona in duodecimam; ab hora tertia in sextam.

Quod placeret omnibus id demum receptum est. Raritime plurium suffragio rem decidere. Quod approbatum erat, id quisque in assignata sibi parte in Veteri Testamento, Hommius in Novo chartæ consignavit. Atque ita continuo & quotidie prælerunt opus Novi Testamenti interpretes ad Acta usque Apostolorum, quando Jacobus Rolandus suprenium diem obiit. Prælerunt quoque Veteris ad prima capita Ezechielis, & Gerson Bucerus satis essit.

Mortuo Rolando Præpotentes Fœderati Belgii Ordines sunt rogati, illi vellent alium substituere: quod & paulo post Veteris Testamenti interpretes de Bucero fecere. Qui succederet Bucero, jam à Nationali Synodo nominatus erat, Antonius Thysius: sed qui subsequi Rolandum debuerat Jodocus Hoingius, illustris Scholæ Hardervicenæ Rector, esse desierat. Cumque non ita ex ordine alius illi posset substitui, jusserunt Præpotentes Ordines, qui aggressi opus essent, persequerentur id & absolverent.

Itaque Veteris Testamenti interpretes, quod Buceri reliquum erat, itidem partiti fuere: Primam maximamque partem Bogermannus, Alteram Baudartius absolvit: Sed Walæus Hommiusque, urgentibus continuo Ordinibus & Ecclesiis ut opus procederet, solam Commentationem Novi Testamenti in partes divisere. Notas conscripsit Walæus ab octavo in decimum quintum caput Actorum, & à vigesimo secundo ad finem usque, in Epistolas ad Romanos, Corinthios, Ephesios, Colossenses, utramque ad Tessalonicenses, Primam ad Timotheum, ad Hebræos, Primam Petri, in Apocalypsin Johannis. Hommius à decimoquinto usque ad vigesimum secundum Actorum caput, & in Reliquas non nominatas Epistolas. Divisérunt quoque Versionem Librorum Apocryphorum. Vertit Walæus librum tertium & quartum Esdræ, Tobiam, Judith, librum Sapientiæ, dimidiam & postremam partem Jesu Syrach, Baruch, Esther, & librum primum ac secundum Machabæorum. Reliqua Apocrypha Hommius in linguam Belgicam transtulit. Sed quo compensaretur labor, Loca Parallela Novo Testamento adjecit Hommius: Et in novum Testamentum indicem confecit. Omnia tamen Walæus recensuit: Et sua quoque Hommio exhibuit censenda: sed is non raro ne ea quidem inspexit.

Verum enimvero Novi Testamenti versionem, majoris momenti opus, prorsus ut antea sociato labore quotidie persecuti fuere, & perduxerunt ad finem. In qua tam faciles ad concedendum erga Walæum Collegæ fuere, ut sciam illi eam facilitatem sæpissime displicuisse, qui maluisset aliorum dissensu vigorem animi sui amplius excitatum. Tantum collegæ, Hommiusque præsertim, eruditioni Walæi & judicio tidebant. Ut vere dici possit versionem Commentationemque Veteris Testamenti maxima ex parte Bogermanni: Novi Testamenti fere Walæi esse. Evenire enim in communi opere consuevit, multos nomen habere, paucos rem effectam dare.

Absoluto aliquo Veteris Testamenti libro quisque suam partem: Novi vero Testamenti libros ipse Hommius descripsit: descripti Typographo imprimendi dati fuere. Impressi ad Revisores in omnes Provincias transmissi, ut examinarent ea & se ad revidendum concludendumque præpararent in tempus.

Peracta omni versione commentationeque statim & ad primum Julii Anni cIↃ IↃ xxxiv. Veteris Testamenti Revisores à fœderatis Belgii ordinibus Leydam ex omnibus Provinciis convocati fuere. Convenere è Geldria, *Antonius Thysius*. Ex Hollandia, *Johannes Polyander*. Jam sæpius nominati, *Abdias Witmarius*, Pastor Ecclesiæ in Uytgeest, mox Goudanæ, & ex ea ad Professionem Theologicam in Illustri Schola Hardervicena, inde in Academiam Groningensem vocatus. Ex Zelandia, *Jodocus Larenus*, Pastor Ecclesiæ Ulissinganæ. Ultrajecto, *Arnoldus Teeckmannus*, Pastor Ecclesiæ Ultrajectinæ. Ex Frisia, *Bernhardus Fullenius*, Pastor Ecclesiæ Leovardiensis. E Transisulania, *Jacobus Revius*, Pastor Ecclesiæ Daventriensis, nunc Regens Collegii Theologici Ordinum Hollandiæ. Groninga, *Franciscus Gomarus*, tum Academiæ Groningenæ Professor.

Ubi convenissent omnes, Collegii sui Præsidem elegerunt, Johannem Bogermannum. Adsessorem, Antonium Thysium. Scribam, Jacobum Revium. Emicuit autem in dirigendo Bogermanni prudentia, in examinando Witmarii & Teeckmanni sedulitas, in concludendo Polyandri, Thysii & Gomari peritia, & subactum judicium.

Sequenti trimestri Leydam quoque commigravere Novi Testamenti Revisores. E Geldria, *Sebastianus Dammannus*, Pastor Ecclesiæ Zutphaniensis, Synodi Dordracenæ Scriba. Ex Hollandia, *Johannes Arnoldi Lindanus*, Pastor Ecclesiæ Delphensis. *Guilhelmus Nieuhusius*, Rector Scholæ Harlemensis. Ex Zelandia, *Carolus Demaetsius*, Pastor Ecclesiæ Middelburgensis: nunc S. Theologiæ in Academia Ultrajectina Professor. Ultrajecto, *Ludovicus Gerhardus à Reneſſe*, Pastor Ecclesiæ in Maerssen, nunc Ecclesiæ Bredanæ & S. Theologiæ ibidem Professor. E Frisia, *Bernhardus Fullenius*, inter V. Testamenti Revisores nominatus. E Transisulania, *Casparus Sibelius*, Pastor Ecclesiæ Daventriensis. Groninga, *Henricus Altingius*, antea S. Theologiæ in Academia Heidelbergensi, tunc Groningana Professor.

Hi Collegii sui constituerunt Præsidem Antonium Walæum. Adsessorem, Henricum Arnoldi Lindanum. Scribam, Festum Hommium. Excellens fuit in dirigendo Walæi prudentia & dexteritas. In examinando Demaetsii & Sibelii diligentia. In concludendo Walæi & Altingii peritia, & solidius judicium. Sed Fullenius ad utramque revisionem nominatus, paucis tantum septimanis N. Testamento vacavit: quando in suum Ecclesiæque commodum, domum revocatus est.

In domo Præsidum convenerunt hi quotidie, ab hora nona in duodecimam, & ab hora tertia in sextam. Imploratoque semper prius Divini numinis auxilio, rogati sunt ad singulos versus Revisores, eo ordine quo jam nominati fuere, an aliquid in versione putarent immutandum. Quod pluribus Versoribus Revisoribusque placuisset, id receptum est ut in publicum ederetur.

Dicebantur autem faciliores ad immutandum Novi Testamenti Versores quam Veteris Testamenti fuisse: æquitate potissimum Walæi, qui eum honorem putabat maximum, veritatem quærere. Multo minus tamen in Versione Novi Testamenti, quam in Versione Veteris mutatum invenitur. Et vix ad singula Capita duo triave vocabula: quorum multo major pars erat ut communi

communi lingua Belgica verſio ederetur, & hoc niſi ex omnibus Provinciis deputati non æque potuerant pervidere. Adeo ut nullum librum æque communi lingua ac Biblia crediderim extare. Re quidem levi, neceſſaria tamen ut ab omnibus Belgis æque intelligantur. Mutationis quoque non parva pars fuit, quod eandem Paralin, eodem ſenſu prolatam, ubivis iiſdem verbis voluerunt exprimere. Adeo in examinando diligentes, ad editionem accurati fuere. Verum Notæ Marginales ſunt adauctæ pluſculum, & nonnihil immutatæ. Facile Verbi Divini ubertas permiſit, ut pluribus Reviſoribus poſſet ſatisfieri. Loca vero Parallela in Novo Teſtamento, reviderunt tantum Demaetſius & Reneſſe. Qui judicium ſuum conventui retulere: & Collegium horum fere ſententiæ ſtetit. Non debebat enim res levicula, omnium Belgarum expectationem morari.

Ita ingens hoc abſolverunt opus Veteris Teſtamenti Verſores Reviſoreſque, ad decimum Octavum Septembris Anni cIↃ IↃc xxxv. Novi vero Teſtamenti Verſores Reviſoreſque, ad ejuſdem Anni Octobris finem. Memoratu dignum eſt eo tempore reviſionem peractam, quo ſæva peſtis & nunquam Batavis crudelior, Batavtam ſed præcipuæ Leydam vaſtavit. Adeo ut in hac una civitate viginti hominum abſorpſerit millia. Nemo tamen Verſorum Reviſorumque mortuus eſt, imo ne ægrotavit quidem. Ut videatur Deus Optimus Maximus in mediis flammis illæſos conſervaſſe, qui Divinum promoverent opus, ne intermitteretur amplius aut interrumperetur.

Abſoluto opere Reviſores domum & ad conſueta munia regreſſi ſuere, Verſores vero prælo ſubmiſerunt Pauli Ravelſteinii, Typographorum Belgarum accuratiſſimi: qui ob id opus Amſtelodamo Leydam commigravit. Impreſſionis ſpecimina, quas probas appellant, priores Baudartius & Hominius, ultimas Bogermannus in Veteri Teſtamento, Walæus in Novo revidit. Excuderunt autem ſimul duplici forma in folio, cum & ſine notis. Et Novum Teſtamentum quoque in octavo, ut loquuntur, cum omnibus commentariis. Peractum id fuit ad menſem Junium Anni cIↃ IↃc xxxvii. Quando id Præpotentibus fœderati Belgii Ordinibus omnes Verſores obtulere: quibus mire perplacuit, decreverunt que ſtatim ut ea verſio in omnibus Eccleſiis, in omnibus Scholis reciperetur, nec alia amplius uti liceret: quod nullo repugnante ſtatim quoque in uſum traductum eſt.

Remonſtrantes veriti, ne contentionis æſtu nondum ſatis ſedato, aliquod ea verſione illis præjudicium fieret, delegaverant antea quatuor, quorum eruditioni fidebant maxime, qui ad eam verſionem attenderent continuo. Hi edito opere Arnhemum convenere, excuſſerunt id undiquaque: & cum invenire non poſſent verſionem ulli parti magis addictam, non potuerunt eam quoque non admittere.

Equidem ſe efferre hæc inter reliquas verſiones audet. Non ea in Lutheri verſione linguæ peritia conſpicua eſt, non id in Piſcatoris judicium. Gallica non ſatis verbis ſe adſtringit, ſenſum ſequitur. Anglica partibus & præſertim nimium Epiſcopis favet. Nec facile in Belgica inſignem defectum, qui eam penitus excutit, inveniet. Certe in eam omnem ſanitatem, omnem animi vigorem Verſores impenderunt, & in ea perdiderunt quoque. Hominius etiam viridi ſenecta ſilicernium factus eſt, reliqui deſerere mox, & in-

ra triennium omnes obiere: nimis intento studio, nimis continuato labore per novem annos confecti.

Edito Bibliorum opere Professioni tantum Theologicæ Walæus vacavit, quò laxaret animum, & vires retumeret. Sed generosus & assuetus animus semper ultra tendere, vix bonam eirem sibi quietem concessit. Quando ducere cepit lineamenta tractatus de Casibus Conscientiæ. Putabat enim Pontificios indicare sæpe peccandi modum, dum ita ut solent, eam studeant redarguere. Reformatorum non paucos, lectores suos nimium anxios reddere & sollicitos. Id tantum persequendum in quo ordinario peccari consuevit. Id tantum condemnandum, quod Sacra Scriptura peccatum agnoscit. Sed & illis subjiciendum præcautionis modum: nam non omnino malos non tam reprehendi debere, quàm debere emendari.

Institutum vero id interrupit injunctum illi denuo Munus Rectoris Magnifici Academiæ Lugduno Batavæ, quod ut dignitate in Civitate Leidensi primum est, ita cura nulli est secundum. Non enim Regiminis tantum, sed & justitiæ Præsidem largitur.

Inter eas occupationes animadvertit præcipue memoriam labi, naturam fatiscere. Et cum illud scriptum ex quo lectiones haberet subito exaratum esset, breviter & in memoriæ tantum subsidium, ne & ibi tandem deficeret, nec pro more, ex dignitate tandem Locos Theologicæ tradere Communes posset, furtivo tempore incepit omnia plenius signare, & id usque ad locum de Spiritu Sancto peregit, paucis ante mortem diebus. Ita non raro ultimo agimus, dum extendimus spem nostram, quod mallemus primum præstitisse.

Hæc Walæi vita publica fuit. Privata illi similis extitit. Non foris splendidus, domi sordidus: sed ubique sibi fuit æqualis. Homines fere lucro inhiamus, voluptatibus abripimur: gloriæ studemus, vel animi securitati acquiescimus. Walæus deliciis non studuit, & alienissimus fuit à lascivia. Diverticulum & unicum à muneribus laxamentum fuit hortum colere: quo ita delectabatur, ut vel hortulani, de horti constitutione, eum afficeret narratio.

Bonorum suorum minorem rationem habuit, sæpe integro sexennio eorum computum non iniit, sæpe trium quatuorve annorum fructum non exegit: tandem totam eorum curam in Johannem filium natu majorem deposuit. Amplis muneribus insignitus, egregia quoque Honoraria à Magistratibus accepit: unde minus esse sollicitus potuit, nec aquila voluit muscas captare.

De gloria admodum quoque erat securus, in vestitu prorsus non splendidus, negligens potius quam sordidus. Domum habuit semper amplam, commodam potius, quam magnificam. In conversatione nec eruditionis, nec ingenii, nec judicii ostentator. Nunquam nec se exuit, nec alios depressit, ne adversarios quidem: quod in conversatione communi multi quidem observant, qui ingratum id animadvertunt: & impotentis animi indicium æstimant. Sed in scriptis publicis sibi plus eruditi indulgent: quasi vero non præstet publice quam privatim cordatum habari & prudens ideo aliquem turem æstimet, quia canis allatrat: non cordatus terreatur, qui scit in eo se superiorem apparituram, quod honestior & majoris judicii. Quare nec

editis

editis libris convitia unquam Walæus interſperſit, Imo ne ſcribendi materias quidem elegit ad oſtentationem, omnes quas neceſſitudo Eccleſiæ eas exegit. Titulos ambivit nunquam nec uſurpavit. Omnis ea Walæi gloria fuit, eſſe potius, quam videri.

Animi ſecuritatem non affectavit, quod ſæpe ignavorum eſt. Et vehementer ob Eccleſiæ detrimenta Liberorum Adverſa commovebatur. Unice ſtuduit bonam & conſcientiam integram habere. Nullis amicorum precibus aliud quam decuit conſilium dedit, Eccleſiæ aut Magiſtratui offerendum. Nec conſanguineis, nec liberis aliquid petiit quo digni non eſſent: aut quod cum aliorum detrimento obtinere. Domum Civitatis Leydenſis, in qua Arminius ejuſque vidua habitaverant, ſibi a Magiſtratu iterato oblatam inhabitare non voluit, priuſquam & vidua & Arminii liberi Walæo ſignificarent, quando nulla amplius ſpes manendi ſupereſſet, libenter ſe Walæo domum concedere, gratiaſque agerent, quod tandiu diſtuliſſet acceptionem.

Adulando multi magnatum gratiam & quæſtum aucupantur. Walæus hoc tantum apud illos egit quod ſibi honorificum, Eccleſiæ utile foret. Et certe ille ambitus fere eorum eſt, qui cum propria virtute emergere non poſſint, alieno id favore conantur. Si quid eo præſente in præjudicium Eccleſiæ fieret, diceretur; ei ſe & aperte & animoſe oppoſuit: nec veritus eſt eam ob cauſam Magnatum quoque offenſam incurrere: imo in ipſa aula apud ipſos Principes Auriacos non ſuſtinuit, nomen Dei temere uſurpari. Quærebat primum regnum Dei, credebat cætera illi facile eſſe adjicienda.

In Converſatione omnibus fuit affabilis, ſingulis libenter conſilia communicavit, nec vel ambitu vel officiis privatorum unquam gratiam captavit: unico Eccleſiarum commodo ſemper intentus, quibus ſolebat indicare quæ eminuiſſe ingenia in Academia comperiſſet, iis inſciis qui commendabantur.

In amicitiam admiſit pauciſſimos. Ratus id in nihilum fere abire, quod in partes nimis multas ſecaretur. Primi fuere collegæ ejus S. Theologiæ Profeſſores, quos ut fratres dilexit. Conſanguineos multos, dum Leydæ degit, amiſit, fratrem unicum, natum, uxoriſque fratrem & ſororem. Reliquos ſibi ſanguine junctos ſecundo loco complexus eſt. Non minimæ felicitatis eſt, cum quibus ſemper vivere debes, cum iis poſſe vivere ſuaviſſime. Tertio loco fuere commilitones, cum quibus vel ſtuduiſſet in Academia vel eſſet peregrinatus, pauciſſimis additis quos vel commune a Remonſtrantibus periculum, vel Eccleſiæ cura illi conjunxit. Volebat Walæus ſimulare nunquam: imo ne apud amicos quidem diſſimulare, quod animi ecclerum æſtimabat. Noſci autem non melius cujuſque animum quam in juventute, quæ fingere non poſſet: nec nobis melius confidi, quam ab iis qui nos norunt penitiſſime. His amicis non animus tantum Walæi, ſed domus & menſa ſemper patuit: quam liberalitatem cum animadverterent noti quoque, non raro ea abuſi ſunt.

Amicos autem ſemper tenaciſſime retinuit, nec repudiavit etiamſi comperiſſet eos aliquando in eum peccaviſſe, arbitratus neminem omnibus horis ſapere. Quare cum Rivetus in Aulam Principis Auriaci tradederetur, Leonardum ei ſucceſſorem Curatoribus commendavit, ſtudioque ei, præceptori

quondam suo, priorem locum concedere. unde & Gomarus ad revisionem Versionis Belgicæ Leydam delegatus, multis præsentibus fassus est, se à Walæo bonorum iis superatum, petiit condonaret illi quod contra Professionem ejus Theologicam Middelburgi esset molitus: id se præcipue instigatione Ægidii Bursii fecisse. Non enim Gomarus tetricus erat aut malignus, sed iracundus & in re subita haud facile moderator sui.

Cum uxore vixit conjunctissime, nunquam nec in iram nec in rixas exarsere: unicum studium fuit placere mutuo, & mutua desideria factis prævortere. Nec majus quid in vita Walæus metuit, quam ne mors illi uxorem præriperet. Eam enim non ut famuliæ præfectam, sed vitæ sociam habuit: quidquid illi in Republica, Ecclesia, civili conversatione accidit id ei aperuit penitissime: exquisivit ejus consilium, sæpe secutus: erat enim & modesta simul & cordata.

Leydæ natus Walæo adhuc filius est Balduinus, de nata filia Esther. In liberorum autem educatione ambo diligentes fuere. Prima cura fuit pietatem, modestiam instillare, quam ob causam nullus dies transiit quo non aliquot S. Scripturæ capita liberis prælegeret applicaretque. Altera, multifaria eos scientia imbuere: nec id præceptoribus tantum relinquere, ipsi videre an bene instituerentur, bene liberi proficerent; non tamen id anxie præscripserunt, aut exegerunt severe: permiseruntque addiscere, quod aliubescceret animo, & quo id vellent modo. Ita generosi equi & plus itineris absolvunt & minus fatigantur. Quando exorbitarent nonnihil leniter eos in regiam viam direxere. Non voluerunt autem eos tam scientes quam prudentes reddere. Quidquid in communi conversatione, Ecclesia, Republica contigit, liberis pueritiam egressis communicavere, & eorum quæsiverunt de singulis judicium. Id vere est bonos cives Reipublicæ educare, communis vitæ gnaros, honestatis decorique non omnino rudes.

Non studuerunt autem liberos ad summa perducere, ut nimiis periculis exposita: sed moderata tantum, in quibus non minus honeste, suavius quam in reliquis vivitur. Cumulate tamen Deus illis benedixit. Johannem Doctorem Medicinæ vidit: & in Gallias ab illustribus Academiæ Curatoribus delegatum, qui Claudium Salmasium, orbis Eruditi miraculum, vocaret in Academiam Leydensem & adduceret. Mox Medicinæ Professorem, & Ordinarium: in uxorem duxisse Catharinam Vockestaert, lectam dotatamque filiam Gerhardi Vockestaert, Senatoris Delfensis honorati, perpetui Societatis Indiæ occidentalis Præfecti. Margaretam, nuptam Johanni à Breda Juris utriusque Doctori, Civitati imperiali Campensi à Secretis, splendidis natalibus, excitati animi, rerum usu insigni, unde magnæ apud suos authoritatis, ut Rutgerium filium dignitatis suæ designatum viderit successorem. Filio Rutgerii à Breda amplissimi Consulis Campensis. Catharinam nuptam Antonio Clement, Theologo diffusæ & solidæ eruditionis, Ecclesiæ Gallobelgicæ Zirizeensis Concionatori facundo, pio, prudenti, & si ullus unquam apud suos amato: Filio Nicolai Clement, Mercatoris apud Middelburgenses maximi, ditissimi, Ecclesiæ Gallobelgicæ senioris honorati. Secundus Walæi filius Antonius fuit, Juris peritus, Quæstor agri Walachrici spectatissimus, famæ matris consenescentis præsidium manusse maluit. Balduinus Theologiæ

logiæ operam ſuam impendit, magnæ ſpei juvenis. Et eorum nullus ulli probro obnoxius, omnes probitate pietate inſigniti.

Valetudo Walæi Leydæ melior quam Middelburgi fuit, ferme tantum febri tertiana correptus, nunquam Diarrhœis: & Aſthma quod à cauſa calida effet, cum ætatis quoque calore imminutum eſt, unde Walæus habitior evaſit. Sed acceſſit illi jam ſtatim Leydæ eruditorum fere Carnifex, Renum calculus: qui vehementer quidem illum torſit, ſed rarius, & ſingulis quatuor aut quinque demum annis: Nunquam autem eum deſeruit ventriculi & inteſtinorum à flatu tenſio & dolor, quod ſtatim à prandio ſtudia iniret, & ventriculi ſemper turbaret concoctionem: quodque ubi afficeretur mœrore omnis commotus humor in ventriculum laberetur. Hoc emendare non potuit: illud noluit: quod tum temporis ſe ſentiret ad ſtudia alacriorem, ut debiles ſolent, parum curans corpus modo animo bene eſſet. Unde nulla ſeptimana tranſiit qua non colico dolore vehementius affligeretur, quam ſtatim aſſumpta ſeſquiuncia mannæ ſedavit & abegit: non ita tamen quin ſingulis propemodum triennijs vehementer urgeret malum, ut quidquid ventriculo inderet in eruditatem nidorulentam, ut Medici vocant, & flatus verteretur: quæ plures continuabat ſeptimanas, & vires immenſum proſtrabat, uſque dum vehementi purgatione abigeretur.

Similis Paroxyſmus vitæ tandem finem attulit, vacillante nonnihil valetudine xxix Junii Anno cIↃ IↃ cxxxix. ab aliquibus, quibus tantum contulerat beneficii ut eum loco parentis colere debuerant, & ingrate & male exceptus, in cum mœrore correptus incidit. Proſterni tum appetitus, nihil cibi ventriculus perferre, dolore Walæum torquere, ultima minari. Non deſtitit tamen Walæus, Profeſſioni, Regimini Academiæ, imo Synodi Zuidthollandicæ negotiis, tum Leydæ congregatæ, vacare.

Tertio Julii, die Dominico Eccleſiam adiit, in ea gratias Deo egit pro collatis in eum, in ejus familiam, & ejus cura in Eccleſiam beneficiis, & pro eorum impoſterum incolumitate precatus eſt, ut qui ſtatuiſſet ab eo tempore publico abſtinere. Conſueta non proficiebant remedia, morbus increſcebat, & vires proſternebantur: quare & Johannes ejus filius Collegam ſuam Ewaldum Screvelium, Medicum expertiſſimum, vocavit in auxilium. Sed non deſtitit Johannes Bocardus Synodi Præſes, primariique quidam Paſtores ad Synodum deputati Walæum, rogare, precari die Lunæ intereſſe Synodo vellet, magno beneficio Eccleſias affecturus.

Hoc egerant aliquot annis primarii quidam Paſtores, ut denuo controverſia de authoritate Magiſtratus in Rebus Eccleſiaſticis ſuſcitaretur. Suſpicio erat non tam Eccleſiæ bono, quam ut emergentes quoſdam Paſtores illis adverſantes ſentienteſque diverſum, irretirent & ſupprimerent: quare conceperunt ſcriptum ab omnibus Eccleſiis à Synodo approbandum; non poterant autem aliud ſentientes afficere, ob authoris Authoritatem, ut a Synodo rejiceretur: quare aliud ſcriptum Synodo obtulere. Cumque non concederent primi utrumque ſcriptum rejici, reliquum erat ut permitteret Synodus, eam controverſiam ab adverſis partibus ventilari. A qua velitatione expectandum erat, Synodum in partes dividi, & in ſe partes animari.

Illius velitationis hic dies conſtitutus erat Lunæ: quam vel inhibiturus, vel

illi impositurus modum ad Synodum Walæus accessit. Ad ejus autem conspectum omnes continuere, rejectum est utrumque scriptum, & partes à Synodo confactis stare jussæ sunt. Persuasit enim Synodi membris Walæus ea quæ ex Sacris Literis accurate definiri non possant, si tolerabili modo constituta sunt, movenda non esse, & de iis periculose cum iis disputari, qui possent condemnare. Hic posteremus Walæi publicus actus fuit: qui si multorum insculpi animis posset, & pacatior Ecclesia foret, & amplius à supremo Magistratu foveretur.

Insequenti Martis die certatim Pastores advenerunt, gratias egere quod ipsos à molestia, Ecclesiam à periculo liberasset: quos monuit Walæus mutuo dissentientes ferrent, imo diligerent, ambos Ecclesiæ æque necessarios. Moderatos enim futuros omnia collabi, nisi à fervidioribus excitentur; fervidiores turbaturos omnia, nisi eos leniores inhibeant.

Toto illo, ut & Mercurii & Jovis die, dolor tolerabilis extitit, quando nihil ventriculo inderetur. Unde & suavissime cum uxore, liberis, ac plurimis qui cum invisebant collegis confabulatus est. Consilia Synodi Præsidi suggessit, Academiæ regimini vacavit. Imo perseveravit privatim Theologiæ candidatos instituere ad diei Mercurii vesperam, quando & monitis & precibus filii sui Joannis demum victus, desistit. Ratus, Imperatorem stantem mori oportere. Sensim tamen defecere vires, & ad diei Jovis vesperam in soporem incidit, quod catarrhis obnoxius, repletum caput humoribus haberet, iique ab halitibus è ventriculo turmatim assurgentibus adaugerentur, spirituque ex inedia deficerent.

Ab illo sopore excitari non potuit, nisi Veneris die circa vesperam, apposita collo cucurbitula, qua ad se rediit. Quando Johannes filius Matrem, & qui abessent fratres & sorores advocavit, veritus ne statim iterum in soporem laberetur. Indicavit Patri videri jam illi extrema imminere, quæsivit an aliquid esset de quo illos vellet commonitos. Monuit Walæus Deum timerent, Matrem venerarentur, ita Deum illis benedicturum, cæteraque curaturum: singuli omnium curam haberent, nemo tamen aliorum curæ acquiesceret, sed quisque invigilaret sibi. Et ad Johannem filium conversus: Tu, inquit, Matris curam habe, quod & scio te facturum. Inde singulis valedixit, osculatus est, ejulantibus omnibus, nihil commotus ipse. Plura non effatus, avertit ab illis faciem & dormivit, nec iterum potuit excitari, nisi quod recrudescens quandoque dolor, aliquem ejus sensum ostenderet, & ad preces invitatus eos illi gratissimas fore subobscuro nutu visus sit indicare: quibus absolutis, paulo post ad diei Sabbathi horam undecimam, expiravit.

Ea mors vera emigratio est, qua vitæ quis & honorum fatur de suis non sollicitus, non anxietate obruitur, non doloribus divellitur, sed fatiscens dissolvitur: dissolutio plena Divinæ gratiæ omnibus morientibus optanda.

Sepultus est in choro Templi divi Petri, ad partem ejus orientem, appositio sepulchro gentilitio ejus insigni. Sepultura ejus hoc peculiare habuit, quod præter maximum in funus prodeuntium numerum, sua præsentia id cohonestare voluerint, Deputati Ordinum Hollandiæ, & tota Zuyt Hollandiæ Synodus. Theologiæ vero Candidati contenderint inter se acerrime supponere corpus feretro, ut admitti triginta debuerint, innumeris id sibi onus poscentibus.

Com-

Commovebatur Walæi morte Reformatus orbis, prædicabat integræ virtutis virum, nullis siniſtris artibus, nullo ambitu ad Theologiæ culmen graſſatum eſſe & perveniſſe. Lugebat Eccleſia eum ſibi ereptum, quem timerent hoſtes, cujus Doctrinæ acquieſceret, & cui confideret pleniſſime. Illacrymabat Academia, imo illuſtres ejus Curatores, decus ſe Profeſſionis Theologicæ amiſiſſe, qui Theologiæ abdita erueret, exponeret apertiſſime: qui liberrime jus Eccleſiæ defenderet, præcaveret ſimul conſilio ne ea turbaretur. Mœrebant S. Theologiæ Profeſſores: quo & mœrore Thyſius confectus, obiit. Amiſiſſe ſe Collegam ſuaviſſimum, ſine fuco, ſine faſtu, deſtitui ſe ſolida ejus in aſſerenda veritate eruditione, maturo in dandis conſiliis judicio, quo facultas quoque ſolebat eminere. Quod Ampliſſimus Academiæ Lugduno-Batavæ Senatus, publica Oratione omnibus, per Johannem Polyandrum à Kerckhove Profeſſorem Primarium, voluit teſtatum.

VIRI EXIMII
PETRI PUTEANI,
REGI CHRISTIANISSIMO
A
CONSILIIS
ET
BIBLIOTHECIS
VITA.

Cura Nicolai Rigaltii.

Ad Illuſtriſſimum ampliſſimumque *Matthæum Molæum*, Senatus Principem, Franciæ Procancellarium.

VEnit, ecce, Molæe præſtantiſſime, Puteanus. Adeſt manibus tractandus tuis & conſpiciendus oculis ille nuper intimæ admiſſionis & omnium horarum amicus. Sic viſum tibi eſt adferri poſſe tuo ſimul & publico dolori ſolatium. Omneſque adeo boni maxime conſenſu decrevere publicam viro eximio laudationem. Et hæc laudatio Vita eſt, quam mortuis tribuunt benemerentibus literæ. Sed vita hæc Puteanum vixiſſe narrabit, & verius dicetur Hiſtoria viventis inter mortales Puteani. Quale beneficium, naſci mortalem! quem ſic vivere oporteat, ut mortem in horas exſpectet! Magnum ſane beneficium Chriſtiano, cui ſic datum eſt inter mortales vivere, ut mortuus æternum vivat. Talem accipe, ſapientiſſime Molæe, Puteanum huncce meum; in quo tuum ſic agnoſces, ut jam meus dici conſtanter haud queat, niſi me prius per adoptionis alicujus imaginem tuum eſſe jufferis Puteani Rigaltium.

Henrici

Henrici tertii principatu, rebus in Aquitania, factioso per speciem religionis dissidio turbatis, animi gentis illius, Belgis nostratibus acriores, ita se studiis invicem contrariis exasperaverant, ut etiam apud judices illic bipertita classe ex utroque Catholicorum, & Protestantium dogmate lectos sententiis jure dicundo divisis, litigantes crebris ampliationibus incerti ac dubii vexarentur. Cui malo tollendo, Flexana Collatione convenerat, ut ex Senatu Parisiensi mitterentur ab Rege pacis amantes viri, qui de Protestantium causis cognoscerent, & gratia procul, procul odio, nullo partium respectu, suum cuique tribuerent, sive Protestanti, sive Catholico. Itaque, delegatis in eam provinciam ex ordine amplissimo Parisiensi viris quatuordecim, præses impositus à rege Petrus Seguierus, adsumptique ad procurationem publicam sive regiam Petrus Pithœus & Antonius Loisellus. Inter illos quatuordecim lectissimos Senatores Claudius Puteanus tantum collegas suos demonstrabat, quantum ipse collegio suo demonstrabatur. Summam viri prudentiam, doctrinam, solertiam, supraque omnia probitatis integerrimæ constantiam, Scævola Sammarthanus, & ipse inter delegatos spectatissimus Jacobus Augustus Thuanus, laudavere, testimoniis profecto magnis, haud tamen supra veri fidem faventibus. Certe, cum primum ego ad rem literariam accessi, ad quoscumque me conferebam dicendi scribendique peritissimos, apud omnes vigebat Claudii Puteani nomen & gloria, neque ullum attingebam altioris cothurni volumen, quod non plurima mihi de Puteano significaret valde proba. Quinetiam, simul atque innotuit defuncti manus, observabam codices omne genus auctorum vetustissimorum ab ipso notatos, tanto judicio, tanta peritia curaque, ut jam subiret querela, tam felicis ingenii virum, tam multa, tamque præclara, quæ mente conceperat, non protulisse; etenim tantum ferebantur in Velleium Paterculum & Panegyricos notæ, quæ nostræ sitis ardorem vehementer augebant. adeo quidem sibi; adeo vero posteris defuisse videbatur. neque indignando destitissem, nisi me repressissent qui gravibus & assiduis in Senatu curis occupatum fuisse norant; prætereaque difficillimis motuum civilium vorticibus natali solo & studiis amœnioribus abreptum avulsumque; ac tandem obstructis calculosa congerie renibus, ægritudinis diritate eo sæpe redactum ac percitum, ut ipse sibi mortem propinaturus videretur, nisi legis Christianæ fuisset observantissimus. Patrem habuerat Claudius Clementem Puteanum, quem inter nobiles eo seculo causarum in Senatu Parisiensi patronos celeberrimum fuisse Jurisconsultum testatur elegans & erudita Dionysii Lambini ad Joannem Maludanum epistola, & in famosa illa Merindoliorum cognitione, expetitum ab Oppeda Mænerio sub gravissimis criminationibus laborante, Clementis Puteani, & Petri Roberti consilium patrociniumque. Clemens igitur, ut erat juris peritissimus, eodem studio Claudium suum apprime curaverat excolendum. & alterum quidem filium de patris nomine Clementem, qui postea in Jesuitarum sodalitio concionator, summa doctrinæ, pietatis, & eloquentiæ gloria claruit. Sed & Claudius ipse sub Hadriano Turnebo, mox etiam sub Cujacio tantopere profecerat, ut paterna fraternaque luce simul & proprio fulgore splendesceret, accitusque in Senatum Parisiensem, mox inter illos quatuordecim, quos in Aquitaniam delegatos fuisse diximus, spectaretur. Consedere autem illi primo Burdigalæ,

in

in fano Dominicanorum, aperto Senatu, postea vero Aginni Nitiobrigum; dein Vesunæ Petrocoriorum; postremo, Mediolani Santonum. Sic per triennium pacata provincia præpotens, sapientissimorum judicum æquanimitatem experta, didicit, suis illis utrimque pro religione factionibus totam religionis substantiam mutuo sacrilegio profligari; & in proximo fuisse perniciem. Considentibus igitur Aginni delegatis, quinto Cal. Decembr. anni supra millesimum Christianum quingentesimi octogesimi secundi, natus est Claudio Puteano tertius ex Claudia Sanguina filius. Sanguinæ pater erat Jacobus Sanguinus Libriaci dominus, mater Barbara Thuana Christophori Thuani Senatus Principis soror. & Sanguinorum quidem familiam vetustissimæ Parisiorum chartæ inter suas præclaræ nobilitatis origines ostendunt. Infantem in Senatoria purpura genitum ad sacramenta baptismi Christiani suscepere delegatorum præcipui, Seguierus præses & Joannes Tumerius Bossisius, ac de nomine Præsidis appellavere Petrum. Atque hic fuit Petrus Puteanus, cujus vitam constitui tradere posteris; rarum quietæ ac privatæ, sed nihilominus honoratæ, pessimo ac turbulentissimo seculo, virtutis exemplum. Summa curarum fuit optimis conjugibus educatio liberorum, quos habuere complures. Etenim Petrum huncce nostrum, jam ut diximus tertium, secuti sunt quinque; tres fratres & sorores duæ. onus illis temporibus grave, in sanctissima præsertim familiæ Senatoriæ frugalitate, magis attenta damnis evitandis aut saltem levandis, quam lucro captando. Adhibuit Claudius liberorum institutioni Paulum Renealmum Blesensem, literaturæ Græcæ simul & Latinæ bene peritum. quod editæ ab ipso variarum stirpium considerationes firmant. atque hunc domesticum quidem doctorem. Nam & Christophorus & Augustinus, & noster Petrus, publicas præterea exercitationes habuere Theodori Marcilii, & ipsius etiam Casauboni. Satis erat illis domi pater, si non eum penatibus suis quotidianæ Senatorii muneris occupationes abstraxissent. Hunc igitur in modum institutam octo liberorum curam Claudius, acerba morte, petroso illo renum cruciatu raptus, anno ætatis quadragesimo nono nondum exacto, uxoris diligentiæ commisit. Parens octo liberorum vidua marito, desideratissimi memoriam & pignora illa matrimonii sanctissime concepti transactique, per annos prope quadraginta singulari semper fovit affectu: pulchro certamine amoris utrimque & reverentiæ perpetua concordia, felici successu. nam & filii frugi: filiæ honestissime collocatæ; omnes originis suæ decus integrum servavere. Filiorum maximus natu Christophorus ab exordiò juventutis Ecclesiasticam in Regia dignitatem obtinuerat, & ad majores viam sternebant amici. Sed jam aulæ ac seculi molestiarum pertæsus, ad religiosæ vitæ studia se recipere decreverat. neque ultra moratus, Cartusiæ Burgofontanæ sacra suscepit. unde aliquanto post, in Francisci Cardinalis Barberini favorem & gratiam adnuente Ordinis Cartusiorum præposito generali, Romam migravit ad ejusdem disciplinæ Cartusiam, ubi est in hunc usque diem, ob eximiam cum singulari pietate prudentiam, ad officia Prioris & Procuratoris generalis electus, ac per annos jam duos ultra viginti summa cum religiosorum omnium laude ac veneratione continuatus. Secundus à Christophoro Claudii filius Augustinus, vitæ genus Ordini etiam sacro devotum, sed disciplinæ mitioris legibus adstrictum amplex-

us,

us, ſedit inter Canonicos Eccleſiæ Carnutenſis, ubi & Ingreanæ præfecturæ dignitate gaudebat, literaturæ politioris elegantia clarus. Is vitam ſectatus æquabilem magis quam negotioſam, facta cum Petro & Jacobo ſocietate paternæ bibliothecæ communi cura ſumptuque ſervandæ atque amplificandæ, annum agens ſexageſimum febre letali correptus, partem ſuam ſociis, uti pactum conventumque fuerat, tranſcripſit. Alii duo, Clemens & Nicolaus, bellicis artibus dediti. Clemens, militia variis expeditionibus tolerata, prælio ad Avinam in Belgis commiſſo, pro Rege fortiter occubuit, relicto ex Catharina Longovalla filio. Nicolaus, eques Hieroſolymitanus, in atroci triremium Melitenſium adverſus Biſertanas conflictu, quo præfectus triremium Chriſtianarum, Equitesque amplius centum, periere, deſideratus eſt. De Petro jam dicenda ſunt digna ſcitu quamplurima. & in iis frequens erit nobis Jacobus, qui vita, quam vulgari vocabulo ſecularem nuncupamus, de Claudii filiis ſolus eſt hodie ſuperſtes, Petri ſtudiorum comes aſſiduus, particeps conſiliorum & adjutor laboris. hujus nomen, etſi modeſtiæ ac pudori viventis obſecutus reticeam, ſemper intelligi tamen deinceps cum fratre velim, quando nec abſque illo quicquam frater aggreſſus eſt unquam. Petrus igitur Puteanus, per adoleſcentiæ gradus omni literarum ac ſcientiarum genere diligenter imbutus, primo juventutis adhuc flore forenſibus admotus negotiis, cauſam pro ſuo præceptore Paulo Renealmo, jam doctore medico, adverſus Bleſenſes pharmacopolas, ſub Achille Harlæo primario præſide docte ac diſerte peroravit, & vicit. Satis eloquio, ſatis memoria; judicio longe ſupra annos pollebat: valetudo non ſufficiebat. immo, quantulum in ea roboris eſſe videbatur, inter athletica illa fori jurgia firmari aut ſervari poſſe medici negabant. ſed & ingenita juveni gravitas, & verecunda prudentia, mores ſuggerebat ab illa grandium cauſidicorum ferocia valde alienos. Itaque ad munia tranquilliora converſus, in illa ſe potiſſimum juris parte exercuit, quæ ad rempublicam ſpectat; cujus ope regna ſive imperia unius aut plurium legitime tenentur & conſervantur. Partes implere poterat optimi Senatoris digniſſimus hæres Claudii, ſed jam conſtabat ea dignitas pretio, numeroſæ familiæ difficili tunc atque damnoſo. Illa rerum notitia publicarum, ab ipſo pendebat: Omnia domi tranquilla, honeſtatis & modeſtiæ plena: matris liberorum amantiſſimæ pia ſedulitas: fratrum conſenſus in ſtudia fratris, otium illi beatum faciebant. Sic in otio neutiquam ignavo vires idoneæ ſuppetebant ſatagenti: ſic omnes omnium imperiorum hiſtorias evolvit, unde, quæ ad propoſita facerent excerperet. erant ad manum libri, & præſto veterum chartarum ſupellex, unde arcana temporis anteacti paterent: ſumma ſagacitas indagandis veſtigandiſque, ſumma diſcernendis peritia, examinandis penſitandiſque judicium circumſpectiſſimum. Tam claræ indolis juveni latere diu non licuit. ilico fama propinquos & adfines, quos habuit è præcipuis Lutetiæ magiſtratibus complures, excivit. inde ad alios paſſim pervagata, conflavit amicorum copiam tanto paratu ſpectabilem, ut nemo jam in urbe virtutis aut eruditionis gloria cenſeretur, qui Puteano illa jam ætate florentiſſimo non faveret, Scaligeri Lipſiique & cæterorum paternæ memoriæ cultorum commendatione obſervantiaque notiſſimo. Inter cæteros ego tunc Franciſci Pithœi benivolentia fruebar, qui Petro Pithœo fratri jam novennio

ſuperſtes

ſuperſtes maximi viri nomen peculiari ſua laude ſuſtinebat. Is mihi fores ad Jacobum Auguſtum Thuanum aperuit, & gloriari licęat tanto ductore, mox & ad Puteanos. Ac Thuanum quidem jam in ampliſſimo Senatu præſidem de prima illa ſuarum hiſtoriarum editione cogitantem reperi: Puteanos, trina germanitatis ſuæ concordia paternæ bibliothecæ amplificandæ curam concipientes: Petrum ipſum quotidianæ forenſium exercitationum auſcultationi ſtudia illa, quæ regnorum atque populorum jura temperant, ſuperinducentem. Ab eo tempore, quod ſemiſeculum prope decurrit, nobiſcum interceſſit amicitia tam bonis orta principiis, ut etiamnunc Petri obitu, media parte apud Deum tranſlata, non interrupta nec intermiſſa, ſed immortalitati tradita continuare ſentiatur. Illius vero ſemiſeculi annos octodecim ſibi vindicat Jacobus Auguſtus Thuanus. etenim tamdiu ego & Puteanus cum ipſo perpetua familiaritate conjunctiſſimi viximus. Summa illic opinandi, interrogandi ac differendi libertas. ſic tamen ut honoris & modeſtiæ magiſtra ſeveritas ubique præeſſet: ſumma fides, ſummus candor, ſumma ſinceritas. Atque hoc ipſo temporis ſpatio ſuaviſſime ac diligentiſſime, qua litteris, qua conſuetudine, officiis & obſequio, coluimus è magiſtratibus Achillem Harlæum Senatus principem, Thuani ſororium, Jacobum Gillotum, Ludovicum Servinum, Jacobum Gueſlam, ſummos in Senatu viros: Nicolaum Fabrum, Juſtum Lipſium, Joſephum Scaligerum, Joſiam Mercerum, Iſacium Caſaubonum, Bonaventuram Vulcanium, Scævolam Sammarthanum omni doctrinarum genere excellentes, qui ſuometipſi deſiderio compulſi, Claudii Puteani amicitiam ſive memoriam in Petro noſtro revireſcentem jucundiſſime conſpiciebant & amplexabantur. In iſto certe amicorum commercio Petrus, quod ſibi proprium eſſe poterat, maluit mecum eſſe commune. Itaque uberrimam nobis amicorum copiam præſtabant frequentes apud Thuanum coitiones, ad quem ex omnibus Urbis ordinibus & regni provinciis, atque etiam de nationibus exteris honeſtiſſimi ac ſtudioſiſſimi confluebant. Magna illic ſeges & materia noſcendi, quid in Urbe, quid in Senatu, quid in provinciis notabile contigerat, & quid novi de tranſmarinis aut tranſmontanis vela, remiges, curſores attulerant. Et mira inibi fuit ſingulis dijudicandis ac diſtinguendis prudentia Petri: mira comparandis quæ probata fuerant induſtria; ſubnotandis acre judicium, deſcribendis labor indefeſſus. Atque hinc primordia divitis illius memorabilium gazæ, qualem noſtratium hactenus poſſederat nemo: quam tanti plurimi facio, quanti æſtimare par eſt exemplorum acervum ingentem, præſtantiſſimi diſpenſatoris manu liberaliter adminiſtratum. Certe, ſuppetias iſthinc adfuiſſe ſibi non inficiantur viri optime de litteris & rebus noſtris meriti, Jacobus Sirmondus, Ludovicus Chantœrævus Faber, Claudius Salmaſius, Andreas Ducheſnius, Petrus Gaſſendus, Claud. Menagius, Theodorus Gothofredus, Chriſtophorus Juſtellus, Joannes Beſlius, Lucas Holſtenius, & gemella Scævolæ proles, Sammarthani, alii plerique. Adeo, ſi Petrum, unde amicis tanta tam multis adjumenta præbebat, inde ſibimetipſi maxima comparaſſe dixero, fidem facturus videar, toties ab ejus litteraria ſupellectile quæſitiſſimis opibus certior & locupletior factus. Adhuc noſtra, Petre, micabat in herba meſſis, & jam pridem cariſſimus eſſe cœperas ampliſſimo Procuratori regio, Molæo. Huic te ab adoleſcentia ſodalem,

dalem, posthæc amicum assiduissimum vidimus: & mox in ipsius benevolentiam per te sumus adsumpti. quem subinde maximi Senatus principem, hodie vero simul & in aula regia Procancellarium Gallia suspicit: perque hæc miserrima tempora, rebus intricatissimis, Aulam inter & Senatum, reipublicæ pariter & monarchiæ frena summo labore, summo periculo, summa constantia moderantem, admiratur. Interea, Petre, civis optimi partes agis; & ades amico laboranti, fatigatum excipis, alloquio foves, & consilio solaris. digna fortunatiore seculo cura tam amice pro rege, pro patria, proque salute publica conspirantium, tot millibus in mutuam perniciem cœco furore conflictantibus. Petrum itaque nostrum, agens adhuc regiam procurationem Molæus, in eam muneris illius publici partem, quæ circa regni tabularia versatur, adscivit. Ea vero tabularia, quæ visa quidem prius & inspecta Joanni Tilio, Senatus Parisiensis actuario, nec certe perperam, fuerant, Puteanus adeo curiose ac diligenter post Tilium vidit, collegit, descripsit, adnotavit, indicibus laboriose confectis digessit, explicavit, ut jam in aperto sint innumera, quæ mersa tenebris ignorabantur, haud minimo rerum nostrarum atque etiam externarum detrimento. Testis operæ sive industriæ tanto processu navatæ Molæus, amico benemerenti non defuit apud primarios regni ministros, quibus jam erat ipse Puteanus per se notissimus, & facile obtinuit, ut in consilium Regis allectus honoraria pensione sub Sillerio cancellario, dein etiam ampliore sub Seguiero frueretur. Hoc vitæ suavissimæ honestissimæque instituto Puteanus sorte sua contentus studia sic dividebat, ut otii partem veterum scriptorum commentariis evolvendis, partem chartis negotiorum publicorum dispiciendis; interea vero amicorum officiis ultro citroque colendis, horas in dies singulos impenderet. Hanc sibi disciplinam formaverat ad exemplum Thuani, quem imprimis observabat; & vicissim Thuanus cognati sui moribus & consuetudine oblectabatur. Ego quidem certe in utriusque amicitia sic eram, ut quanto magis me Puteanus diligebat, quantoque magis ego Puteanum redamabam, tanto nos Thuanus ambos amabiliore vinculo constringeret. Sic annos egimus aliquammultos, nostrique Thuani casibus consiliisque sive lætis sive tristibus individui, sæpenumero etiam bonis & liquidis cœli tempestatibus in Villabonio suo rusticanti adhæsimus, semper invicem adoptatissimi comites. Historias Thuanus horis ab Senatu subsecivis, & nonnunquam poemata; Puteanus observationes ad regni reique publicæ negotia pertinentes condebat: ego, quæ veterum scriptorum, sed præsertim Christianorum scitis illustrandis ac restituendis olim profutura videbantur, componebam. Magna vero semper & prompta nobiscum fuit communitas omnium quæ notabilia quisque legendo, scribendo, maxime autem audiendo perceperat. Et quamplurimum certe Thuanus, qua dignitate sive auctoritate pollebat, multis quotidie procerum frequentatus, in communitatem conferebat, nec ab eo discessimus unquam nisi doctiores aut meliores. sic omnia castigabat examine sapientissimo. Etenim tempora surrexerant feracia trutinarum in bono æque atque in malo stultissime vel improbissime judicantium. Quæ res viro malitiarum & calumniarum intolerantissimo, etsi vixdum ingredienti senectam, adeo displicuit, ut corporis & animi viribus adhuc integer, nemini quicquam, sed sibimetipsi gravis; accedente, sub initium ægritudinis

clade domeſtica, conjugis amatiſſimæ obitu, poſt menſes inde novem ſtomachico ſcirrho in gangrænam efferato deceſſerit. Hæc vidimus oculis deploranda noſtris. nec fuit nobis aliud luctus ingentis ſolatium, quam perpetua mœſtitiæ præſentia, quæ dolorem continuum boni præteriti recordatione nutriret. Parentes optimi liberos reliquerant, ſpem nobiliſſimæ familiæ continuandæ, ſed ætatis adhuc tenellæ. His teſtamento ſuo pater tutores dignitate ac probitate lectiſſimos providerat. extraque ordinem amica compellatione nobis ambobus filiorum per doctores valde probatos erudiendorum curam, ac præterea ſuarum lucubrationum edendarum arbitrium mandaverat. Cognatis ſuis per utriuſque parentis deſiderium luctu geminato mœſtiſſimis tanto ſtudio tamque aſſidua diligentia ſive cura Puteanus adfuit, ut orbitatis mala ſenſerint multo leviora. Nam & ipſorum inſtitutioni optimos adhibuit præceptores ſive cuſtodes. ſplendorem domus ſervavit, auxit bibliothecam. Mox denique, conductis magni illius habitatoris ædibus hoſpes ita ſucceſſit, ut quaſi Thuano ſuffectus, exhiberet ſeſe amicis, eodem illo conclavi, quo Thuanum adire ſolebant, convenientibus & beatos manes officioſe colentibus. Eo ſe libentiſſime conferebat Tumerius ille Boſſiſius, præcipuus Thuanorum pupillorum tutor, qui Puteano ab infantia prima, uti ſupra memoravimus, adſtiterat, & juvenem magnis virtutibus clarum paterno more diligebat. ambo igitur, communicatis ordinandæ tutelæ conſiliis exſpectabant dum natu major Thuanus adoleſcentiæ ſtudia concluderet. Interea miſſus ab Rege ad Ordines Hollandiæ fœderatos Boſſiſius, populis amicis, aliquid in religionis ſuæ ſtatu reique publicæ regimine turbantibus, concordiam ſuaſurus, obeundæ legationi profectionem adornabat; & factis ſuper ea re ſermonibus ſenſerat haud inſuave fore Puteano perluſtrare oculis regiones amplitudine commerciorum & militari diſciplina, ſed & Scaligeri nuper hoſpitio tumuloque nobiles. Itaque comitem abduxit ſibi, perſpectaque amici prudentia, quamdiu legationis ordo proceſſit, conſiliorum & ſecreti participem habuit. Hujuſce autem peregrinationis occaſione Puteanus Hugonem Grotium, Danielem Heinſium, & alios eruditionis gloria celebres amicitiæ fœdere ſibi devinxit; notitia nominis & fama ſui conciliatrice. Grotium quidem, merito jam ſuo commentatiſſimum, quem diſſidia quarundam è Batavis civitatum traxerant in partes Barneveldii, Boſſiſius ſecundum mandata regia ſalvo Barneveldio partium duce, ſalvum & incolumem cupiebat. Verum, Barneveldio criminationibus oppreſſo, Grotio Barneveldianæ cauſæ nexibus intricato, factio præpotens utrumque damnavit; ac paulo poſt reditum Boſſiſii Barneveldio caput abſtulit, Grotio libertatem. Puteanum reducem amici excepere confertim gratulantes precanteſque omnia fauſta felicia fortunata. Biennio poſt, mortuo Franciſco Pithœo, Auguſtobonam Tricaſſium regio diplomate miſſus eſt, repetitum & recognitum chartas ad jura regia pertinentes, quæ penes Pithœum illum Petri fratrem, etiam rerum noſtrarum externarumque bene peritum, depoſitæ fuerant pro finibus regundis conſtituendiſque limitibus agrorum, de quibus erant inter Regem & finitimos Principes haud levis momenti controverſiæ. Amico ad amici heredes intranti patuit tablinum, & exhibita omnis chartea ſupellex. bona fide cuncta perſcrutatus, confecit repertorum indices, & quicquid erat regii ſive publici, permittentibus

defuncti

defuncti cognatis absportari Lutetiam jussit ad Regium Procuratorem, ab eoque sibi & heredibus Pithœi cautiones dari curavit. Anno sequenti exortis super Arverniæ comitatu, superque Turris baronatu quæstionibus, ad regia jura pernoscenda visum est negotia publica ministrantibus inspici veteres tabulas, quas in arce Mercurolina servari sciebant. eo missus à Rege Puteanus, qua solebat industria diligentiaque cuncta pervidit, collegit, & in Regium tabularium retulit, explicatis, quæ pro Rege Regnoque justissima & firmissima comperit, instrumentis, testimoniis, argumentis. Vix elapso posthæc triennio, majus obtigit negotium, finitimis ad Mosam & Mosellam populis adversus Franciæ jura contra veterum tabularum fidem, contraque longissimi temporis possessionem nova molientibus, multa etiam indies circa conditiones agrorum, sive communium sive ambiguorum, inverecunde tentantibus. Ea res Belgii principatum, Burgundiæ, Barri, Bullionii ducatus pertingebat, nec erat mediocriter examinanda. Itaque delegati ab Rege tres viri, Cardinus Lebrettus, Joannes Delonius Lorma, Petrus Puteanus. Huic, etsi per delegationis ordinem postremo, primas tamen industriæ sive laboris partes collegæ concesserant. Adeo, cuncta quæ ad rem facere videbantur suis ipse librata ponderibus expendit atque digessit, ut quid fundorum, quidve agrorum; quid oppidorum, quidve civitatum de Lotaringia regali, ætatibus anteactis vel ambitiose extortum, vel callide subtractum, vel negligenter omissum, sive perfide confusum fuerat, id quo jure quibus indiciis aut argumentis recuperari, defendi, retineri quiret ac deberet, manifestissimum fecerit. Recuperatoribus ad Regem reversis dato consilio, Lebrettus orationem habuit plenam solidi ac generosi spiritus, suamque & collegarum operam regiarum curarum ministris approbavit. Ab eo tempore Puteanus in Urbe mansit, nisi quod brevibus interdum excursionibus in Camplatrosum Molæi sui prætorium rebus prolatis rusticandi gratia secedebat, unde mox recurreret ad nota vitæ officia privatæ; per quæ nihilominus publicis utilitatibus ita serviebat, ut penes eum perpetuus esse videretur in privati persona magistratus. Hæc vero tunc fuit ævi conditio. Excusso de regni gubernaculis Concinio nebulone, obtritis nimio Conestabilitatis pondere Luinæis, subrepserat inusitatæ audaciæ genius, qui Rege non improbante, aut non sentiente, despecto pegmate suggestus episcopalis, non regiæ quidem, sed infinitæ potentiæ clavum arripuit, tenuitque imperiosissime, usque dum per annos amplius viginti orbe Christiano furoribus internecinis quassato, Gallia partim dirupta luxu, partim emaciata tributis, ipse curis ingentibus exesus, cadaverosa tabe dilaberetur. Magna præstitit, sed quicquid erat in omni Gallia roboris prodegit, & propositum facinus, quamvis immane, admistione virtutis adumbrari, summam credidit esse virtutem. Galliæ proceres aut cohibuit carcere, aut bellicis adversus finitimos expeditionibus distinuit, ut aula vacua solus Regem haberet. Haud ignoravit Puteani nomen, nec parum sibi fore ad gloriam ratus si laudatissimo viro uteretur, studiorum ejus fautor haberi, & honoraria quotannis præstari voluit, admisit ad colloquium, consuluit per epistolas, perque suos, super negotiorum casibus plerumque veris, aliquando etiam quæsitis in speciem figuris; nunquam tamen frivolis aut vanis, sed regimini populorum ad cæcos & subitos eventus exempla sive præcepta daturis. Fecit huic genio Puteanus

quod optimi viri fuit. reſpondit, ſive conſuluit quod rectum honeſtumque eſſe exiſtimavit. nihil adulatus eſt unquam, nihil ementitus. Sciebat, vim illam, fati alicujus fuiſſe neceſſitatem. ea vero quæ auderet facere ve, non fuiſſe auſuram neque facturam, ſi Chriſtiani principes, quæ ſuarum erant partium, ſciſſent ſive feciſſent. Hujuſce igitur ævi curriculo Puteanus quamplurima condidit pro negotiis à primario miniſtro propoſitis, plurima etiam quæ per ſe ipſe arbitratu ſuo tractanda ſuſceperat. Quæ quoniam de rebus noſtris, pro Gallia ſcilicet, conſcribebat, ut facilius & promtius ab noſtris hominibus perciperentur, ſermone Gallico cudi & concipi oportere cenſuit, Latinæ linguæ jamdiu ſepultæ, ac de veteribus monumentis excitandæ, vocabulis peregrinis ſegniter ferientibus aures minus aſſuetas. Atque hoc, de publico ſive communi omnium gentium ſenſu. Et memini me, cum inter nos hac de re ſermones haberemus, amici conſilium valde probantem, adjeciſſe, male de ingenio ſuo meritos mihi videri, qui doctrinæ adfectatione res hodiernas & vernaculas priſco ritu, aut Romano ſermone tractarent. etenim facere ſe ſibimetipſis & aliis gratuito moleſtos atque difficiles. pravum invaluiſſe tam in Eccleſia quam in Senatu morem. patronos & concionatores adductis idiomate Græco Latinove ſententiis orationes ſuas corrumpere. teſſellati operis lenocinio eloquentiæ legitimæ gratiam frangi, vires debilitari; auditorum, ſive judicum attentionem docilitatemque apud ignaros plerumque linguarum vaneſcere: denique, maximos oratores, quorum ſcripta legendo non ſatiamur, Græcos ſive Latinos, actionibus ſuis nihil unquam ſermonis exotici miſcuiſſe. hoc tantum epiſtolis indulſiſſe Latinos. at Græcos, ne quidem epiſtolis. Plutarchum, facta mentione verſuum Horatianorum de magnificentia Luculli, mentem edidiſſe poetæ fideliter; Latina verba diligentiſſime ſuppreſſiſſe. Una fortean Romanenſibus hodie nobis excuſatio proſit, quod linguam uſurpantes de Græca ſimul & Latina prognatam, noſtrorum ſcilicet auctorum recordatione verba etiam ipſiſſima citantes, non videmur ingrati. Quantula pars exercitationum, quæ vehemens animis incutiant Puteani deſiderium noſtris! Jure optimo tanti viri laboribus Gallia gloriabitur, & erit quod maximas nobis gratias habeant exteri, quibus eſt humanæ vitæ ſapienter inſtituendæ cura. Puteani prudentiam, æquitatem, conſtantiam declarant Conſiderationes, Commentarii, Conſilia varia, ſive Reſponſa magnis de rebus elaborata. quantæque apud probos & graves eſſe debeant exſpectationis, oſtendunt edita nuper de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ volumina, quæ jam veritatis hoſtibus tantum attulere faſtidii nauſeæque. Horum calumnias ipſe Puteanus proprio volumine confutavit. quod ſuo quidem ordine apparebit, cum ceteris, quorum editionem fratri præſtantiſſimo commiſit. Penes eum ſunt etiam diplomata, declarationes, edicta, ſuper arduis lucubrata negotiis; quibuſcum una ſervantur autographa pittacia, epiſtolæ variæ, quas ad Puteanum ſcriptitabant proceres manus Richelii, Seguieri, Bullionis & Joſephi, illius nimirum Capucini. Earum vero nonnullis ſuperſcribitur & Gothofredi nomen, talium etiam rerum ſcientiſſimi, quem noſter ſibi ſocium adhibuerat eruderandis illis occiduæ ſenectæ chartis, optimum & ſpectatæ fidei virum, etſi minime ſtilo pollentem. Hoc præſtabat Puteanus; ſuperaſque omnia quæ labore ac ſtudio communi conquiſita & congeſta fuerant,

fuerant, ſolus digerebat & mandabat literis. Porro, dicendi ſcribendique genere utebatur promto & facili; hoc præſertim accurans, ſignificanter & dilucide proferre quæ ſentiret. neque alium certe amant characterem monita ſive reſponſa prudentium. docent, explicant, oſtendunt; rationibus, exemplis, ipſarumque adeo rerum momentis, aut negotiorum inſtrumentis: rhetorum tropos & ſchemata non admittunt. ceterum, idiomatis Gallici nitorem minime reſpuebat: & eſſe partem ſeculi noſtri non ingloriam cenſebat hominum illud genus elegans facetum diſertumque. Mirifice autem capiebatur eruditis urbanitatum ſalibus & aculeis, ſi non impiis, neque ad calumnias aut maledicta probroſis. Amicos fide perpetua conſervavit, neque eſt ab ullo divulſus unquam, niſi morte. ac mortui quidem cineres & reliquias, puta liberos, agnatos, adfines, benigno proſecutus eſt adfectu. Gratiam magnatum nunquam ambitioſe aut importune eſt adſectatus; oblatam ſtudioſe ac reverenter coluit, qua nimirum prodeſſet quamplurimis opem ſuam poſcentibus, magis quam ſibi. Nullis unquam ſe partibus addixit; tantæ compos æquabilitatis, ut conſtantia ſua, venientes ad ſe quandoque partium ferventiſſimos, tacito intra ſinum ipſorum pudore aut frigore feriret. legitimæ ſemper majeſtatis ac publicæ tranquillitatis amantiſſimus. Oderat rixas & jurgia, præſertimque inter eruditos. ac turpe eſſe dicebat, viros indubitate doctos canina rabie famam viciſſim ſuam rodere ac lacerare ſcriptis trucibus, tanquam viliſſimos de plebe cerdones in angiportis ſeſe luto ac ſtercore conſpurcantes. Aiebat, rem eſſe omnium peſſimam, hominis improbi literaturam. ſententiæ bonis ſemel rationibus ſtabilitæ, ſi quis factioſa contumacia contradiceret, prudentis eſſe non altercari, ſed poſteritatis arbitrio rem integram permittere. Vir attentiſſimus operi, etiam cum otiari modica relaxatione videbatur, aliquid animo providebat quod ad publicam faceret utilitatem. adeoque laboribus etiam alienis adfavebat, ut quemque, qua dote valere judicaret, ea prodeſſe aliis ne pigeret, hortaretur: aut ſi quid ad ſtudia literarum, ſive ad rerum gerendarum peritiam, geſtarumve notitiam, boni commatis apud heredes imperitos premi ſentiret, id pretio vel precibus eruebat, ut fieret olim publici juris. Ea cura ſervavit epiſtolas Foxii, itemque Oſſati. de quibus certe ſcriptionibus hoc veriſſime prædicabitur, poſt illam Pauli Sarpii Tridentinam, nihil exſtare, unde queant aulæ Romanæ artes pernoſci clarius aut certius. Servavit etiam Cambdeni partem alteram Elizabethæ Britannorum reginæ, quam auctor ſe vivo edere non auſus, penes Puteanum deponi mandaverat. Collegit & Joſephi Scaligeri Epiſtolas, multiplici eruditione locupletiſſimas, ejuſdemque Opuſcula inſigni præfatione Caſauboni maximo Thuano nuncupata. Præterea ſervavit Nicolai Fabri Pereſcii Senatoris Aquenſis Epiſtolarum ad ſe atque ad Jacobum fratrem, volumina duo grandia, quibus continentur ad Naturalis hiſtoriæ, totiuſque literaturæ notitiam obſervationes elegantiſſimæ. Eademque opera Puteanus ipſum Pereſcium, atque de Juſſionum regiarum quatuor viris Antonium Lomenium Villoclarium, arctiſſimo ſecum invicem amicitiæ nexu conjunctos, fecit ut enixe conſpirarent, qua pollebant gratia, requirendis undique arcanæ memoriæ chartis, curioſa rerum noſtrarum externarumque ſtudia valde juvantibus. Habentur illic Principum & Legatorum, viciſſimque ad Principes & Legatos literæ, Inſtructiones,

ones, Mandata, & hujuſcemodi alia innumera: quibus odorandis veſtigandiſque mira fuit Lomenii Pereſciique ſagacitas, magna felicitas ſive auctoritas obtinendis; maxima vero Puteani ſedulitas & induſtria ſingulis ordine ac tempore diſtinguendis & componendis. Exinde autem vidimus inſtauratam bibliothecam voluminum amplius quadringentorum, quæ Lomenius noſter ſumptu liberali, multo labore tranſcripta, magnificoque opere compacta, ſuis ædibus officioſiſſimè habuit ad varios amicorum uſus. Eo decedente, ex ærario regio librarum millibus quadraginta perſolutis, regiam plane ſupellectilem Luparanis armariis cuſtodiri placuit, donec accederet bibliothecæ omnium toto orbe bibliothecarum copioſiſſimæ, unde eſt tandem in Regiarum Chartarum theſaurum comportata. Hoc etiam vero Puteanum permultis beatiorem fuiſſe exiſtimo, quod ſero ſe permiſit typographis, quorum opera præſeſtinata pœnitentiam nonnullis induxit, & conſervavit ridenda ſenibus cunabula. Jam in limine ſenectutis erat, cum editioni Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ manus primas admovit. Opus antea tentatum pluribus, nulli felicius ceſſerat, quam Petro Pithœo. Is tantum capita quædam tribus & octoginta conſtituerat articulis, ſummo judicio formatis. Ad ea igitur capita Puteanus collimavit, conjecitque probationes, ex ampliſſimis undique tribunalibus & variis Eccleſiarum chartulariis, atque ipſo Chartarum regni Theſauro collectas, unde, communi gentium ſenſu, continuatoque uſu, decreta manaverant, quæ Pithœanas poſitiones conſtabilirent. Hoc una quidem & altera editione præſtitit. ac ſubinde repetita lectione adjecit ad omnes ſingulatim articulos commentaria, doctiſſimas obſervationes, quæ citatis variorum ſcriptorum teſtimoniis Gallicani juris æquitatem confirmant. Adverſus hæc tanti momenti ſtudia, quæ pro Regis & Cleri dignitate certabant, Clerus ipſe Gallicanus, inſtigantibus aulæ tranſalpinæ mancipiis, jam commotior accendi atque inflammari cœperat. & atrocia fulguraſſet, ſi non ipſa vitæ ſanctiſſime tranſactæ quaſi majeſtas texiſſet auctorem. Durat operi fama, geminata jam editione diſcurrens, durabitque olim venientibus ſeculis ubicumque ſapientia vigebit. Sed nihilominus ægre Puteanus attentatum facinus diſſimulavit. Tam neminem ſenſerat injuriæ regni legibus illatæ vindicem. Ergo hic incipiunt perpetuo triſtia. Franciſci Thuani exitium indigniſſime tulit, atque inter triſtiſſima ſua duxit. Juvenis minime ſontis memoriam, cognitione diſpuncta, purgari ac redintegrari debere: rem æquiſſimam non abſque injuria differri, magnis rationibus peculiari volumine demonſtravit. Interdum erumpebant imo de pectore viri cordatiſſimi graves querelæ. Multiplicibus triumphis ampliſſimas Gallicanæ majeſtatis facultates decoqui. Sub triumphali conturbatore annos aliquando cenſeri, forſitan viginti, beatos & locupletes: poſthæc vero, ſequente peſſimo neceſſariæ fraudationis conſilio, facile extitiſſe publicos prædatores; & ſubinde concurſum populorum repoſcentium ablata, rapta, extorta. Plus auri argentique fuiſſe corraſum poſtremo vicennio tributis, quam ſeculis antecedentibus univerſim cunctis; nec impenſum militaribus ſtipendiis, niſi tantillum; milites ad omne nefas auctoratos: ducentas plus minus in Urbe grypotigres, nuper omnium egenas, hodie regifico luxu diſſolutas, monſtroſa rapacitate ſanctam alias Regii nominis poteſtatem cæteris urbibus, oppidis, agris horribilem feciſſe paſſim. Sic

Urbem

Urbem ipſam, ſic provincias, in apertam rabiem converſas. Et miramur annoſiſſimam orbe toto monarchiam delirare, deſipere, ineptire? aut tale quid pati, quod paſſam fuiſſe Romanam legimus? An miſereſcimus toties ac tandiu repueraſcentis! Nimirum, continuante fraudatorum impunitate atque licentia, gaza regia repente exaruit, & fides publica collabi viſa; & abrupta ſive negata ſubſidiorum etiam tolerabilium præſtatione, rerum gerendarum nervi omnes ubique ſucciſi. Quartus nunc agitur annus cum hæc deplorare & lamentari videbam Lutetiæ Puteanum, jam ægreſcentem. Aderam amico: & præcipiebamus animo quæ ſubinde acciderunt triſtiora. Vir optimus, communis amici noſtri ſortem miſeratus, quod, rebus adeo turbatis afflictiſque, teneret in Senatu locum tot ſententiarum converſionibus ac difficultatibus obnoxium, felices affirmabat, quibus latebras Deus honeſtas conceſſerat. grates Numini maximas habebat, quod eo ſe vitæ genere continuiſſet. Atque hoc impreſſerat cordi ſuo tantopere, ut adjungi conſilio Legatis ad pacem publicam ab Rege miſſis, quod poterat etiam ab modeſtiſſimis ambitioſe expeti, oblatum ſibi repetitis magnatum obteſtationibus munus, defugerit, ipſiſque etiam Legatis amice atque enixe ſibi hoc ab ipſo officium poſtulantibus reſtiterit pertinaciter, atque in Gothofredum ſuum tranſmiſerit. Annuit tamen, & fideliter præſtitit, ut ſuper accidentibus negotiorum quæſtionibus conſultus, ex animi ſui ſententia reſponderet; inſtrumenta, teſtimonia, exempla ſubminiſtraret. Mentis argutiſſimæ ſenex, præſagiebat fruſtra illos ire, quum exirent domo. nec obſcure per literas ante ſignificaverat amicis. Etenim ſatis intelligebat, illa Regis adhuc ætatula, novis regni miniſtris, æque ac deceſſoribus ſuis neceſſarias eſſe pacis differendæ moras, aut evitandæ, rationes. Inter hæc Puteanus noſter conſenuit. fatigatum nimia ſcribendi, legendi, meditandi contentione corpus, impar animi viribus, hoſpitem admonuit migrationis. Hanc ſibi tota vita ſua proſpexerat. quare, nihil quicquam monitu confuſus; placide cuncta diſpoſuit. fratrem à teneris annis optime ſemper abſque ulla offenſa dilectum inſtituit rerum omnium ſuarum heredem, & amicis intime commendatum hortatus eſt, ne ſolitudine triſtiore maceraretur, adhiberet ſibi Iſmaelem Bullialdum aſtronomiæ ſimul & literaturæ exquiſitioris apprime gnarum, jam longa ſatis aſſuetudine perſpectum, cujus familiaritate ſuaviter uteretur. Eodem teſtamento paucula, quæ petitu ejus delineaveram, adſcribi tumulo mandavit. Ab ſeſquianno priuſquam abiret, literas ad me dabat frequentes, mentis indices Deo Chriſtoque domino devotiſſimæ. Interque officia reſcribendi, ſic adficiebar amici pietate, ut agi mecum inclementius arbitrarer, ſi provectior ætate non anteirem, aut non ſaltem conſequerer abeuntem, ne ſuperſtes animæ quæ me totum animabat, iners ego hic præ tædio mœſtitiaque ignavus jacerem. & continuo tanquam ad me reverſus, memetipſum redarguebam erroris, qui divina reſpexiſſem ſicut humana: cum illa ſint ab iſtis omnino diverſa. etenim facile concipi divinis humana. contra, non item. ſed caritate Chriſtiana, cujus æterna eſt utilitas, receptum cœlo Puteanum ſic apud Deum in Chriſto vivere, ut Chriſtianus ego, tantiſper adhuc agens in terris, vivam nihilo ſecius cum Puteano apud Deum in Chriſto. Hac vero nos invicem ſapientia ſolabamur, & Cypriani ad Cornelium ſuum ſcribentis admonitu, paciſcebar ab amico, ſemiſecularis

amicitiæ

amicitiæ jure, caritate mutua, reciprocas ad Domini noſtri miſericordiam preces. Hoc agebat epiſtolæ meæ ad Puteanum ſupremæ ſtilus; & quo momento curſori perferendæ literæ tradebantur, vir immortali gloria digniſſimus animam Domino Servatori mandabat, ſacris Catholicis procuratam per ſacerdotem optimum, Curatorem Eccleſiæ Sancti Coſmæ nomini ſacratæ. Ea ſcilicet Urbis regione habitabat in ædibus Regiæ Bibliothecæ ſervandæ comparatis, quas ego vicennio plus habitaveram, cum Senatorii muneris hoc Mediomatricum Parlamento ſtudioſius obeundi conſilium cepi, ſimul & Bibliothecæ regiæ Curam tradidi viris amiciſſimis poſſidendam ſicut à me fuerat decedente Caſaubono poſſeſſa. Huic vero maximum ornamentum contulere invecta ſua ipſorum bibliotheca ſumptu elegantiſſimo ſplendida, æmula Thuaneæ. Etenim capit voluminum typis editorum millia novem, omnes auctorum cujuſque linguæ, cujuſcumque diſciplinæ, non ævi illius duntaxat veteris, ſed etiam deſcendentium in hæc uſque tempora ſeculorum ſelectiſſimas editiones. Præterea vetuſtiſſimos codices manuſcriptos CCC. Memorialium ſeptingenta & ſexaginta quinque volumina, ſcripta manu plerumque ipſius Puteani. Juvat hæc etiam minuta perſequi. Quanto videlicet honeſtius, quam condere annalibus cædes & bella, urbes everſas, oppida capta, provincias deſolatas. Et quam putidum Chriſtiano tantorum ſcelerum duces honoribus adfici, per eoſque geſta poſteris tradi, ut nobiles & generoſi & magnanimi prædicentur qui tantis mactant innocentiſſimos malis. Abeant illi cum ſuis illuc, quo nemo pius ire non exhorrebit. At recta nobis & pia mente liceat de noſtro Puteano bene ſperantibus, bene de bonis omnibus merito, bene adprecari. Vitam ejus me ſcripturum pollicebar. & ſum ego polliciti reus, ſi non præſtiterim hactenus, qui menſes & annos ejus ab infante ad nonum & ſexageſimum perduxerim. Supereſt tamen, quas poſteritati reliquias dicavit, adnumerare cumulatius. hoc itaque deinceps catalogo citabuntur, & univerſa defuncti vita, per ipſum ſcilicet, perque res ab ipſo geſtas replicabitur. Occurrit ecce inprimis, Hiſtoria damnationis Templariorum. Sequitur, Hiſtoria ſchiſmatis eccleſiaſtici ab anno 1378, ad 1428.

III. Hiſtoria pragmaticæ ſanctionis Biturigibus conditæ, an. 1439. quemadmodum ſtabilita, obſervata: quibus à Rom. Pontifice artibus oppugnata.

IV. De Concordatis Bononiæ inter Leonem X. & Franciſcum I. quo pacto ſtabilita & uſitata.

V. Ordinationes Antiſtitum Eccleſiæ.

VI. Controverſia inter Pontificem & Imperatorem ſuperInveſtituris.

VII. Quas ob cauſas Concilium Tridentinum Gallia non receperit. & quare ſit repudianda Cleri Gallicani ſuper hac re ſententia promulgata anno 1615.

VIII. Programma ſub nomine Epiſcopi Carnutenſis in cauſa Cenſuræ per eum propoſitæ ſub nomine Cleri Gallicani, anno 1626.

IX. Hiſtoria perſonarum ſex & viginti, Regio ſive Principali favore potentium. Volu m. iv.

X. De regis Franciæ jure ad regnum Navarræ adverſus Hiſp.

XI. De regis Franciæ jure ad regnum Arrag.

XII. De regis Franciæ jure in Rempublicam Genuenſem.
XIII. Pro regno Franciæ & quibuſdam provinciis adverſus Anglos.
XIV. De Lege Salica.
XV. De jure confiſcandi in crimine Majeſtatis.
XVI. De regis Franciæ jure ad regnum Angliæ.
XVII. De jure regis Franciæ ad regnum Caſtellæ.
XVIII. De regis Franciæ jure adverſus Sabaudum, circa Foſſiniacum, Nicæam, & Coniacum.
XIX. De regis Franciæ jure in Comitatu Flandriæ, & de pactis Madriti, Cameraci & Crepiaci.
XX. Regis Franciæ dominium alienari non poſſe.
XXI. De regis Franciæ jure in Comitatu Arteſiano.
XXII. De regis Franciæ jure ad Inſulam Flandr. Duacum & Orchias.
XXIII. De regis Franciæ jure ad Tornacum, Santamandum & Mortaniam.
XXIV. De Comitatu Sancti Pauli. Unde moveat.
XXV. De regis Franciæ jure ad regnum Burgundiæ adverſus Imp. Germ. &, Legitimo titulo poſſideri agrum Lugdunenſem, Delphinatum, Provinciam, Breſciam, &c.
XXVI. An ſit præſcriptioni locus inter ſupremæ poteſtatis Principes.
XXVII. Pro rege Franciæ, adverſus Lotaringiæ Ducem, ſuper Ducatu Andegavenſi.
XXVIII. De controverſia inter Franciæ regem, & Lotaringiæ Ducem ſuper Comitatu Provinciæ, Forcalqueri & agris adjacentibus.
XXIX. De regis Franciæ jure ſuper Avenione, & Comitatu Venaſcinenſi.
XXX. Unde moveat Principatus Aurangiæ.
XXXI. Confutatio quarumdam objectionum in cauſa Ducatus Britanniæ.
XXXII. Pro Rege Franciæ adverſus Hiſpanum, in cauſa Ducatus Burgundiæ.
XXXIII. De Infantium Franciæ Apanagiis.
XXXIV. Jura Regis Franciæ ad Comitatum Altiſiodorenſem, Matiſconenſem, & Barrenſem Seq.
XXXV. Conſideratio pactorum Atrebati, ann. 1435. & Peronæ, an. 1468.
XXXVI. De Regis Franciæ jure in Comitatu Auxonenſi, & Sanlaurentii dominio.
XXXVII. De Ducatu Guiſæ.
XXXVIII. Inſtrumenta probationum in cauſa Regis Franciæ pro regionibus Epiſcopatuum Mediomatricum, Tulli & Veroduni.
XXXIX. Beneficentiæ, ſive donationes regum Franciæ Pontificibus Romanis.
XL. Apologia pro libris Hiſtoriarum Jacobi Auguſti Thuani.
XLI. De Regentibus Franciæ, & quando Reges Franciæ cenſeantur annis majores.

XLII. De quæſtione habenda ſuper vita, & moribus eorum qui ab Regibus proponuntur ad Epiſcopatus & Abbat.

XLIII. De contributionibus Eccleſiaſticis ad ſubſidia regia rebus urgentibus.

XLIV. Pacis ineundæ rationes inter Franciæ Regem, & Principes vicinos in conventu Colonienſi.

XLV. Argumenta, ſive rationes, purgandæ memoriæ Franciſci Aug. Thuani.

XLVI. De regis Franciæ jure ad Principatum Mediolanenſem.

XLVII. Commentaria in Petri Pithœi librum de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ.

XLVIII. De Interdictis Eccleſiaſticis.

XLIX. De Parlamento Pariſienſi.

L. Obſervationes & Exempla juriſdictionis regiorum magiſtratuum in Epiſcopos, & alios clericos criminis poſtulatos.

LI. Documenta varia pro jure dominico Franciæ in varias Urbes & Provincias.

LII. De jure Advenatus in Franc. An locum habeat adverſus Principes extraneos, quibus eſt juriſdictio ſuprema. & An Francigenis parentibus competat portio hereditatis adverſus parentes non Francigenas excluſo rege.

LIII. Hiſtoria cognitionum criminalium adverſus Joannem Alenconii Ducem, & Borbonium Coneſtabilem, & Mareſchallum Biezium.

LIV. Hiſtoria controverſiæ inter Bonifacium Pontif. VIII. & Regem Philippum Pulcrum. ex ipſiſſimis Actis ab ann. 1296. ad an. 1305. & ſub Pontificatu Clementis V. volum. II.

LV. Conſultationes, Epiſtolæ, & hujuſmodi alia ad Concilium Tridentinum ſpectantia, quorum pleraque hactenus non edita.

Indicavi titulos tantum & lemmata; qui volumina conſpexerit, mirabitur, talia tanta ſcripſiſſe hominem tot amicis quotidie vacantem. Hemicranicam valetudinem, vitæ cœlibis æquabilitate ac lenitate abſtemius toleravit uſque, donec alvi profluvio, ſeptimeſtris languor, aſthma cum febre, menſis unus, anni novem ſupra ſexaginta, corpus exanimum tradidere ſepulcro. Exſequias funeris ad ædem Sancti Coſmæ proſecuti ſunt parentes, amici, conventu luctuque maximo. Exceſſit omnem doloris modum etiam cognationis neceſſitudini datum, Jacobi Auguſti Thuani, primæ poſt ampliſſimam in Senatu Pariſienſi curiæ Præſidis, pietas & animus erga Puteani memoriam gratiſſimus. adeo quem à pupillo patris vice habuit & coluit, huncce ademtum tanquam filius parentem ſuſpirat atque deſiderat. Habet doloris in ſolidum participes illuſtriſſimos, affinitatis ſive cognationis prærogativa commemorandos, Jacobum Daneſium, quondam in Rationum regiarum curia Præſidem, nunc epiſcopum Tolonenſem, & Arnaldum Pontacum in Senatu Burdigalenſi Præſidem, ſororios ſuos. Et Daneſius quidem, Puteanum biduo prius quam decederet, Chriſtianis adjutans conſolanſque alloquiis, perſpexerat in amico ſpem optimam, fidem rectiſſimam, mentem ad Dominum toto

corde

corde geſtientem. Luxere Puteanum præſtantiſſimi Regiæ procurationis Advocati Audomarus Talonius & Hieronymus Bignonius. Atque ut uno tandem verbo cuncta complectar; optimum virum, optimum civem, optimum Regis conſiliarium, quotquot ubique ſunt optimates luxere. Tumulo frater titulum poſuit mœſtiſſimus. Tituli autem verba ſunt hæc. *Petrus Puteanus Claudii Puteani Senatoris Ampliſſimi Filius ex Claudia Sanguina Filia Barbaræ Thuanæ, Quæ Fuit Chriſtophori Thuani Senatus Principis Soror, Clementis Puteani Juris Ævo Suo Peritiſſimi Nepos. Optimis Parentibus Optime Reſpondit: Doctrina Pietate Prudentia Fide Gravitate Conſtantia Probatiſſimus: Regi à Conſiliis & Bibliothecis: Imperii Gallicani Jura, Exemplis Summo Labore Proviſis, Rempublicam Miniſtrantibus Conſultiſſime Suggeſſit: Procerum & Clariſſimorum ubique Virorum Officiis, Obſervantia, Frequenti Conventu Celebratiſſimus. Vixit Annos Sexaginta Novem, Menſem Unum. Hic Situs XIX. Cal. Jan. An. Chr. M. DCLII. Immortalis per Chriſtum Vitæ Gratiam Exſpectat. Jacobus Puteanus Fraternæ Gloriæ Conſors, Orbitatis Suæ Mœſtitiam. Nicolai Rigaltii Verbis Amicitiæ Veteris Honorem Teſtantibus, Quanto per Chriſtianæ Modeſtiæ Præcepta Fas eſt Solatio, Conſolatur.* Calentibus adhuc exſequiarum lacrimis epicedia ſcripſere, amica ſimul & vera, fratres omnifariam doctiſſimi, Henricus & Hadrianus Valeſii. Et adventare audio Lud. Guezii Balzacii, Nicolai Heinſii Dan. F. Caroli Feramuſii, Petri Halleii, Caroli Ogerii, & aliorum, digna tanti viri meritis, digniſſima famæ clariſſimæ ſcriptoribus officia: quibus ego ſpectandis legendiſque locum cedo libens quærenti efficaciora in luctu, quo nemini cedam, conſilia. Scrib. Tulli Leucor. Calend. Martiis Anni M. DC. LII.

HENRICI VALESII ORATIO

In Obitum

PETRI PUTEANI VIRI CLARISSIMI.

PRæclare à veteribus inſtitutum accepimus (Auditores ornatiſſimi) ut quæ quiſque in vita maxime adamaſſet, iiſdem etiam poſt mortem ornamentis funeris donaretur. Quod etiam à principibus Poetarum in Patrocli & Pallantis exequiis obſervatum videmus, quos exuviis militaribus, armiſque inſtructos, à ſuis in rogum inferri finxerunt. Itaque cum *Petrus Puteanus* quandiu in vivis fuit, ſingulari ſemper amore literas proſecutus ſit, nec ſolum hereditario quodam, ſed proprio ac peculiari affectu ſtudioſos omnes fuerit amplexus, non dolore nec lacrimis, quæ caſſa ſunt & inania, ſed literarum quas coluit, immortalibus monumentis ac titulis poſt obitum decorandus videtur. Ac cæteris quidem, quibus major eloquentiæ copia, aut facultas carminum ſuppetit, curæ erit laudes ejus Viri partim vincta, partim ſoluta numeris oratione prædicare. Neque enim fas eſt nomen tanti Viri, & de literis ac de patria optime meriti, abſque ullo Muſarum præconio inhonoratum tranſmittere. Me vero non ambitio laudis, nec fiducia facundiæ, à qua me adhuc remotiſſimum eſſe & profiteor & ſentio, ſed ſola beneficiorum illius recordatio ad dicendum impellit. Juvat optimo Viro, & de me privatim bene merito has laudis inferias mittere, & hanc ſeram licet ac triſtem, piam tamen nobiſque honeſtam imprimis, nec ipſi, ut arbitror, ingratam mortuo gratiam referre. Itaque hoc à vobis poſtulo (Auditores ornatiſſimi) ut hoc grati animi noſtri obſequium æqui bonique conſulere, & quantum nobis deeſt aut ingenii, aut eloquentiæ, tantum favore veſtro, ac benevolentia ſupplere velitis.

Ac principio quidem cogitanti mihi, & univerſas ſimul Petri Puteani virtutes animo perluſtranti, & quandam velut imaginem vitæ ipſius ob oculos proponere inſtituenti, non mediocris occurrit difficultas ac perturbatio, undenam potiſſimum orationis noſtræ ducamus exordium. Hinc ſe prudentia ingerit atque ſapientia, quibus ille Vir tantum præſtitit, ut omnium conſenſu ſummis quibuſque muneribus, Regiſque ipſius conſiliis digniſſimus habere-

tur,

tur. Illinc morum integritas, ac vitæ innocentia non dicam ſine noxa, ſed ſine ullius querela tranſactæ. hinc ſingularis temperantia nos ad ſe vocat: illinc animi magnitudo atque conſtantia, qua veritatem atque intimos animi ſui ſenſus de Rep. coram Magnatibus ſemper libere eſt prolocutus. Nec ſe præteriri patitur beneficentia, quæ in illo Viro tam prolixa inerat, ut in hac tanta honeſtiſſimorum hominum multitudine vix ullus poſſit reperiri, qui non aliquo beneficio ei ſe devinctum eſſe fateatur. Tot igitur tantæque virtutes, ſeorſim ſingulæ & cum cura dicendæ, onerant potius dicentem quam juvant Atque ut in opiparo convivio exquiſitis dapibus referto ſingula prope fercula ſingulorum inſtar ſunt conviviorum, ſic in hoc argumento ſingulæ Petri Puteani virtutes juſtarum nobis orationum materiam ſubminiſtrant. Sed neſcio quomodo me quidem minime invitum ad ſe allicit beata tranquillitas, quam cum ille tantopere adamaverit, ac perpetuo quodam nexu ſibi mancipaverit, propriam ac familiarem ipſius virtutem merito poſſumus appellare. Itaque cum ipſe hanc totius vitæ ſuæ quaſi fundamentum eſſe voluerit, non aliud nos ſermonis noſtri fundamentum ponere debemus, ſed hanc tanquam tabulam ſubſternentes, reliquarum deinde virtutum colores ad exprimendam vitæ illius imaginem illinere.

Magnum profecto & illuſtre exemplum tranquillioris vitæ his perturbatiſſimis temporibus extitiſſe mihi videtur Petrus Puteanus. Multi quidem antea Philoſophi multa in ſuis libris de tranquillitate animi præclare ſcripſerunt, & ad eam omnibus votis, omnique animorum contentione adſpirarunt. Verum unus propemodum hac ætate eam & optime intellexiſſe, & feliciter aſſecutus eſſe Puteanus videtur. In quo tamen utrum prudentior fuerit an felicior, equidem affirmare non poſſum. Nam quod à prima ſtatim adoleſcentia ad tranquillitatis amorem vehementer incitatus, eademque per totum deinceps vitæ tempus potitus eſt, felicitati adſcribendum puto. Neque enim ſine divino quodam inſtinctu, & auxilio id aut cogitare aut conſequi unquam potuiſſet. Quod vero id vitæ genus omnibus rebus anteponendum eſſe judicavit, ſummæ profecto prudentiæ eſt. An eſſe ulla major prudentia unquam poteſt, quam vindicare ſe ſibi, nec alienis negotiis diſtentum ſe duntaxat ac ſua curare, ſeſe in arctum cogere, & minimam ſui partem nudatam præbere fortunæ? Sed quibus gradibus ad hoc beatæ tranquillitatis culmen Puteanus pervenerit, videamus. Duas res potiſſimum in vita tranquillitati obſtare nemo eſt qui neſciat, ambitionem & avaritiam: geminas quaſdam peſtes ac furias generis humani. Quarum utra tetrior ſit ac violentior, difficile eſt dicere: ſed ubi ambæ ſimul junctæ animum cujuſpiam occuparunt, tum vero incredibiles excitant æſtus ac tempeſtates. Ceterum quicunque ad ipſum tranquillitatis portum cupit appellere, ſic clavum prudentiæ moderari illum oportet, ut inter hos duos ſcopulos rectum ſemper navigationis curſum teneat, nec ſe Sirenum cantu deliniri patiatur: ſed ut quondam Ulyſſes prætervehi debet, non quidem auribus cera oblitis, ſed animo adverſus cupiditatum illecebras obfirmato atque invicto. Id vero à Puteano egregie præſtitum eſſe teſtes mihi eſtis. Qui cum ad ſummos honores merito adſpirare poſſet, utpote clariſſimi Senatoris Claudii Puteani filius, cujus vivit adhuc immortalis

memoria atque fama; nec materno genere minus nobilis: cumque esset ipse eximia indole præditus, & liberalibus disciplinis non vulgariter institutus, quæ omnia ambitionem juventutis stimuli quibusdam incitare solent, tamen spretis honoribus, nobile quoddam ac liberale otium præoptavit. Ac principio quidem foro nomen dederat, morem secutus nobilium adolescentum, qui in hoc stadium laudis & gloriæ, atque honorum vestibulum ingredi consueverunt. Sed eo hactenus adspecto & salutato, ut morem atque ordinem judiciorum cognosceret, utque gravissimum illum cœtum videret, in quo & pater ipsius, & ex materna stirpe quamplurimi summa cum laude consederant, recta se in domum, atque in ipsum tranquillitatis contulit sinum, à quo tota deinceps vita divelli non potuit unquam, nec voluit. Eodem animi impetu quo honores contempserat, conjugalibus etiam vinculis repudiatis, utraque simul cupiditate superiorem se præstitit.

Sed erit fortasse quispiam qui non magnopere mirandum esse dicet honores à Puteano spretos fuisse, ad quos in numerosa præsertim & frugi familia adspirare vix posset. Quid tu mihi labem atque infamiam temporum nostrorum commemoras, quam ego de industria tacitus dissimulare volueram? An si jus & ratio in legendis magistratibus valeret, non existimas P. Puteanum, & alios ejus similes ultro ad tribunalia invitandos fuisse? Ego vero ob id ipsum maxime honores à Puteano spretos dico, quod venales esse eos videbat. Vile enim profecto sit necesse est, quicquid pecunia comparatur. Neque enim merx ulla quæ venum exponitur, pecunia ipsa multo pretiosior potest esse. Quod si pecuniam, qua res omnes ipsique adeo honores parantur, non solum fastidio, sed etiam contemptu dignam sapientes viri semper judicaverunt, certe nec magistratus ipsi qui tanquam in auctione pretio addicuntur, eo quidem nomine magni faciendi sunt. Verum concedamus, si placet, arctiorem censum fuisse Puteano, quam ut ad Senatoriam dignitatem comparandam sufficere valeret. Quæ interim non minima laus est patris ipsius Claudii Puteani, qui in summo magistratu summa cum integritate versatus, plus gloriæ liberis suis quam pecuniæ reliquit. At si minus sua pecunia, gratia certe, atque amicorum subsidio potuit facile Petrus Puteanus ad honores pervenire. Potuit suffragantibus viris potentissimis, quibus aut notus erat aut affinis, honores saltem ecclesiasticos adipisci. Quos tamen ille nunquam concupivit, sed aliis potius quam sibi mandari voluit, ut sui semper juris tranquilliore otio frueretur. Atque ut scias non ex æris inopia, sed certo ac fixo proposito, & constanti animi inductione honores à Puteano contemptos fuisse, unico eoque illustrissimo argumento rem evincam. Meministis, ut opinor, cum ei ante hos decem circiter annos ob egregia ipsius in remp. merita, Comitiva sacri consistorii à Rege delata fuisset, quanta cum animi magnitudine oblatum sibi in illo Regis consistorio consessum, solo Comitivæ titulo contentus repudiavit: idque non fastu aut arrogantia, à qua vir ille maxime semper alienus fuit, sed amore otii ac tranquillitatis, à cujus complexu & contubernio ut discederet, nulla unquam conditione poterat adduci.

Otium porro cum dico, ne quis mihi molle quoddam ac delicatum otium suspicetur, cujusmodi est hominum luxu ac deliciis diffluentium; nec languidum

guidum pigrumque, quale ſervulorum eſſe, ac nullius pretii hominum ſolet. Longe aliud eſt otium ſapientum virorum, quos nunquam minus otioſos videas, quam dum ſunt otioſi, quippe qui probe intelligunt non ſolum negotii ſui, ſed etiam otii reddendam eſſe rationem. Itaque illorum otium aliorum negotiis longe antepono. Nec ſine cauſa Socrates dicere ſolebat non cujuſvis eſſe hominis in otio agere, ſed ſolius ſapientis, qui cum omnia rectiſſime faciat, tum belle inprimis otio uti novit. Hujuſmodi igitur otium Petri Puteani fuiſſe dico, quod ille totum in literis, & pulcherrimarum rerum cognitione conſumpſit. Et cum in quacunque diſciplina ad quam animum applicare voluiſſet, primas poſſet ſine controverſia obtinere, tamen promiſcuæ eruditionis gloriam aliis conceſſit: ipſe ad hiſtoriæ, rerumque Gallicanarum notitiam converſus, otium ſuum patriæ utilitatibus & gloriæ conſecravit. Nec contentus vulgarium librorum lectione, ingentem præterea numerum Epiſtolarum, Actorum, Legationum, Chartarum, atque hujuſmodi monumentorum publicorum undique conquiſivit. Quæ omnia, ut erat elegantiæ ac nitoris ſtudioſiſſimus, pulcherrimo ordine digeſta, non ſine maximis ſumptibus in libros redigi ac compingi curaverat. Diceres novam quandam bibliothecam ab illo eſſe compoſitam, paternæ illi atque hereditariæ nihilo poſtponendam, Quam tamen ille non ad privatum duntaxat uſum ſibi retinendam putavit ſed ut erat bono publico natus, omnium uſui & commodis publicavit. Itaque nemo fere erat in civitate, qui non ejus domum libentiſſime frequentaret. Conveniebatur quotidie à Senatoribus, à Legatis, à Principibus, ab omnibus omnium ordinum viris, partim ut eum conſulerent, quem unum rerum noſtrarum peritiſſimum eſſe cognoverant: partim ut libros illos, quibus tot recondita monumenta continebantur, ab illo commodatos acciperent. Nec quicquam gratius accidere poterat Puteano, quam cum cujuſpiam hominis eruditi laborem ſuis illis monumentis adjuvari poſſe intellexerat; quippe qui hunc unum fructum eſſe cenſebat tot ſumptuum ac laborum ſuorum, ut hiſtoriam patriæ aliqua ex parte illuſtrare poſſet.

Atque hoc primum mihi videtur fundamentum fuiſſe Muſei illius toto orbe celeberrimi: de quo ſiquid impræſentiarum dicere aggreſſus fuero, vereor ne infra ejus dignitatem mea eſſe videatur oratio. Sed tamen cum quemadmodum olim M. Cicero quicquid in eloquentiæ ſtudio profecerat, id totum Academiæ ſpatiis acceptum referre ſolitus erat, ſic ego Academiæ illi fratrum Puteanorum ſtudia noſtra plurimum debere profitear, nefas mihi eſſe arbitror de ejus inſtitutione nunc ſilere. Malo enim ut de ejus gloria aliquid oratione noſtra imminutum eſſe videatur, quam ut ſilentium noſtrum ingrati animi reprehenſione non careat. Igitur cum apud alias nationes, ac præſertim in Italia pleraſque Academias ridiculis quibuſdam atque abſurdis nuncupatas nominibus Puteanus videret, eiſque certas leges deſcriptas eſſe intelligeret, certaque argumenta de quibus illic eſſet colloquendum, definita, nec in eas præter homines ingenuis diſciplinis excultos quemquam admitti, plane diverſum iter in Academia ſua inſtituenda ſequi maluit. Neque enim ullum ei nomen impoſuit, nec ſermones qui in ea eſſent habendi, ullis legum vinculis aſtrinxit, nec ab ejus aditu quemquam ſubmovit, niſi qui ſua ipſe infamia

aditum

aditum ſibi ad eandem intercluſiſſet. Quod cuidam notiſſimo ætatis noſtræ paraſito non ſemel eveniſſe meminimus; cui Muſarum illud ſacrarium ingredienti in ipſo ſtatim limine occurrens Puteanus, nunquam hominem ulterius progredi paſſus eſt, nec in ornatiſſimo cœtu illo conſidere. Omnes igitur omnium ordinum viri non ſolum togati, ſed etiam militares eo conveniebant: nec tantum Senatus, ſed etiam eccleſiæ Proceres hoc Muſcum frequentabant. Vix in tota civitate domus erat ulla, cujus limen tot honeſtiſſimorum virorum veſtigiis tereretur; ad cujus veſtibulum tot equi, tot currus, tot famuli quotidie præſtolarentur. Tanta porro hujus Muſei fama non modo per univerſam Galliam, ſed per omnem fere Europam longe lateque diffuſa eſt, ut quicunque ex Italia, Germania, & ab ultimis uſque Septentrionis nationibus huc advenerunt, nequaquam exiſtiment omnia hujus civitatis ornamenta ac decora ab ſe eſſe viſa, niſi in hoc præſtantiſſimum Muſeum ingreſſi ſint. Quod quidem vocare ſoleo aſylum ac perfugium literarum. Nec falletur meo quidem judicio, quiſquis illud appellare voluerit commune quoddam vinculum omnium eruditorum. Etenim homines in omni genere doctrinæ præſtantiſſimi, Philoſophi, ac Mathematici, Theologi quoque, & Philologi, hiſtoriæque & antiquitatis peritiſſimi ibi quotidie conſpiciuntur. Nec ad formanda hominum ingenia quidquam excogitari poſſe utilius hoc conſeſſu puto. Quid enim aptius ad judicii vim exacuendam, quam multiplices de qualibet re propoſita audire ſententias hominum doctiſſimorum, & qua quiſque via ac ratione ad veritatem inveſtigandam feratur, inſpicere, & ubi aliorum ſermones ac ſententias cum tua ipſius ratiocinatione contuleris, quantum tibi adhuc ad perfectam intelligentiam deſit, videre? Olim à Ptolemæis Ægypti Regibus Muſeum cum locupletiſſima bibliotheca Alexandriæ exſtructum eſſe legimus, in quo homines eruditi Regiis ſtipendiis alerentur. Itaque hanc Muſarum caveam non inſcite Timon Philoſophus appellavit, quod in eo loco doctiſſimi viri tanquam altiles aves in cavea ſaginarentur. Sed hoc Puteanorum Muſeum Alexandrino illo longe præſtantius mihi videtur, tum quod multo majore doctorum hominum frequentia celebretur, tum præcipue quod non modo omnis eruditionis copia, ſed etiam rerum civilium non vulgaris notitia ex hoc noſtro percipi poſſit.

Quod igitur otium (Auditores ornatiſſimi) hoc Petri Puteani otio amœnius unquam fuit, quæ tranquillitas beatior, quis feceſſus felicior? Mihi certe ne ipſæ quidem ſi uſquam ſunt, fortunatorum inſulæ fortunatiores videntur. Conferat nunc qui volet aliorum, atque inprimis Senatorum inquietiſſimas occupationes cum hoc otio Petri Puteani, & quantum interſit inter utrumque vivendi genus, intelligat. Illi totos pæne dies in curia ſedent audiendis litigantium clamoribus occupati: Hic doctorum hominum ſermonibus quotidie fruebatur. Illi contractuum, teſtamentorum, & hujuſmodi inſtrumentorum exemplaria, & tædioſiſſima cauſidicorum ſcripta aſſidue in manibus habent: Hic vetera hiſtoriæ noſtræ monumenta cum ſumma voluptate lectitabat. Illi litigantium jurgia diſceptant: Hic de libris & operibus eruditorum virorum ſincere atque integerrime judicabat. Illi ex aliorum controverſiis privatum ſibi quæſtum comparant: Hic ex ſtudiis ſuis nihil præter decus & gloriam patriæ captabat. Illorum domus procuratorum, & litigantium turba: hujus

lectiſſi-

lectiſſimorum hominum frequentia redundabat. Quod ſi fortaſſe penes illos gratiam, auctoritatem, potentiam reſidere quis dixerit, ne hæc quidem omnia Petro Puteano defuerunt. Vixit enim tanta auctoritate privatus, quanta vix unquam ullis in ſummo magiſtratu conſtitutis fuit. Itaque qui honores initio refugerat, ab honore ultro ambiri videbatur. Cujus commendatio apud Judices, & tam Senatus quam eccleſiæ Proceres plus valuit, quam ſuffragatio Petri Puteani? Quis ex ipſis aulæ Proceribus ejus notitiam non appetivit? amicitiam ſummo honori non duxit? Verum ille tanta gratia atque auctoritate nunquam ad ullius noxam atque injuriam, ſed ad aliorum commodum atque utilitatem ſemper eſt uſus. Poſſem plurima hic exempla prolixæ illius erga amicos beneficentiæ vobis commemorare, niſi hoc facto plurimorum qui hic adſunt onerare verecundiam viderer. Præſtat igitur ut privata unicuique beneficia narranda relinquamus, maxime cum in referenda gratia nihil ſit grato animo eloquentius. Illud autem inſigne beneficium, quo me privatim ei obſtrictum eſſe in ipſo orationis exordio ſum profeſſus, à me ſi lubet, accipite. Meminiſtis adhuc temporis illius acerbiſſimi, cum Publicani genus hominum rapaciſſimum, & alienis opibus inhiare ſolitum, novum atque inauditum quoddam exactionis genus excogitarunt, quod collationem divitum appellabant. In hunc divitum numerum relatus eſt inter ceteros Carolus Valeſius pater meus, vir qui ſuo ſemper patrimonio contentus vixerat, nec nummum ullum Regiæ pecuniæ contrectaverat. Imperata eſt ei non modica vis pecuniæ, quam intra pauciſſimos dies ſolvere jubebatur. Ea res non mediocriter animos noſtros conturbabat. Itaque ego & Hadrianus Valeſius frater meus quod unum poteramus, querelas noſtras ad amicos detulimus, inter quos Puteani fratres principem locum obtinebant. Ægre inprimis hunc caſum tulit Petrus Puteanus, & tum quidem nihil dixit. Sed craſtino Illuſtriſſimum Senatus Principem Matthæum Molæum adiit, quocum ipſi ſumma familiaritas intercedebat; virum in tantum prudentiæ, reliquarumque virtutum faſtigium evectum, in quantum ſeſe efferre humana mens poteſt. Cauſam ei ſui adventus aperit, facinus indignum eſſe inquit, nos, quos literarum merito tutos eſſe atque immunes decuerat, hoc calumniæ genere vexari: depellendam eſſe à nobis hanc injuriam. Tum Molæus, ut eſt ad bene de literis merendum promptiſſimus, id ſe effecturum pollicetur. Nec mora Puteanus famulum cum epiſtola ad nos mittit, monens ut ſtatim à prandio ego, & frater ad Prætorium illuſtriſſimi Præſidis pergeremus. Excepti à Molæo cum ſumma humanitate, indictionis noſtræ libellum, cujus exemplar ab apparitore nobis editum fuerat, ipſi obtulimus, patrocinium ejus implorantes. Ille accepto libello nos bono animo jubet eſſe, ſe id quod poſcebamus, à Præfecto Regalis ærarii facile impetraturum. Vix biduum interceſſerat, cum Puteanus libellum illum ad nos remittit, Præfecti ærarii manu ſubnotatum, mandantis uni è judicibus, quibus ea juriſdictio à Rege commiſſa fuerat, ut nos hac indictione liberaret. Idque intra paucos dies incredibili celeritate completum eſt: tantum pondus habuit commendatio Petri Puteani. Et magnam quidem eo nomine gratiam illuſtriſſimo Molæo, non minorem tamen Puteano debemus, qui nobis præſentiſſimum illud ac potentiſſimum Molæi patrocinium conciliavit.

Quemnam igitur Puteano noſtro parem unquam extitiſſe cenſetis, quem tot tantiſque animi dotibus ornatum? Niſi forte Pomponium Atticum conferre lubet. Hic enim perinde nobili loco natus, cum nullos non magiſtratus Romæ aſſequi poſſet, tamen ab honoribus conſtanter abſtinuit, & otium ſuum in literis, & in hiſtoriæ Romanæ, nobiliumque familiarum cognitione traduxit. Par etiam in utroque beneficentia, niſi quod Atticus plures pecunia ſublevavit, Puteanus vero tantum gratia. Eſt autem tanto majus gratia quemquam adjuvare, quanto plus plerumque gratia efficitur quam pecunia. Et pecunia quidem adjuvare inferior ſuperiorem poteſt: gratia niſi ſuperior non poteſt. Ceterum neuter beneficia ſua venditare ſolitus: malebantque præſtare operam amicis, quam polliceri. Verumtamen hoc mihi ſuperior Attico Puteanus videtur, quod nec conjugalibus vinculis, nec tanta rei familiaris cura diſtrictus fuit, nec priſtinam vitæ tranquillitatem violento, ut ille, exitu maculavit: ſed cum in ſumma innocentia vixiſſet, tandem perceptis omnibus religionis noſtræ ſacramentis, ſpem æternæ tranquillitatis jam animo præcipiens, placidiſſima morte deceſſit. Vir profecto immortali memoria, & hoc, quem ei nunc habemus, honore digniſſimus: optimus civis, patriæque amantiſſimus, qui ſemper utiliſſima Reipublicæ & ſenſit & dixit: Amicus fideliſſimus: fautor & propugnator acerrimus literarum: ſummis juxta ac mediis carus: ſui ſemper ſimilis & conſtans, nec tenuitate rei familiaris infractus, nec affluentibus poſtmodum opibus elatus, eodem ſemper tenore æquabilem curſum à carceribus uſque ad metam peregit. Habetis imaginem vitæ Petri Puteani (Auditores) eamque non fucatis adumbratam coloribus, ſed veritatis ipſius penicillo delineatam. In quam quoties oculos conjeceritis, non mediocre levamentum doloris veſtri percipietis: & quam deinde, ſi placet, ad poſteros tranſmittentes, immortalem, quantum in vobis erit, memoriam nominis Puteani conſervabitis. Supereſt vobis etiam altera ejus imago, atque utinam diu ſuperſit: fratrem intelligo, veram effigiem oris illius, modeſtiæ, probitatis. Quo quidem ſuperſtite tantam hanc jacturam moderatius ferre debetis. Tibi vero Jacobe Puteane, jam enim ad te noſtra ſe convertit oratio, cujuſmodi conſolationis fomentum ad molliendum ſolitudinis tuæ dolorem adhibebimus? Amiſiſti quidem fratrem optimum, atque amantiſſimum tui, cum quo ſexaginta fere annos ſine ulla offenſione vixiſti. Sed habes amicos fratris tuique communes, ut omnia ſemper vobis fuere communia, qui ſicut clariſſimi viri fratris tui exitum acerbiſſime lugent, ita omnem cultum ac benevolentiam, quam nuper in duos partiebantur, nunc in te unum conferunt atque convertunt. Noli igitur horum mœrorem tuo mœrore exaggerare. Tot tibi fratres adeſſe exiſtima, quot hic amicos circumſtantes vides. Quamquam ſi fratrem adhuc deſideras, habes Chriſtophorum Puteanum, virum ſumma doctrina, prudentia, ſanctitate. Qui tametſi locorum ſpatiis longiſſime abeſt, adeſt animo, adeſt creberrimis literis & nuntiis. Quare abſterſo doloris nubilo animum erige, & ad majora te negotia accinge. An non ſentis majus nunc tibi eſſe onus impoſitum morte fratris tui? Suſcipias oportet patrocinium literarum. Non potes hanc hereditatem repudiare, quam Vir clariſſimus pater, quam fratertuus tibi reliquerunt. Et quemad-

modum

modum quoties ad unum quempiam nomen atque hereditas ſplendidiſſimæ familiæ pervenit, totum gentis decus in illo uno periclitatur, ſic tibi elaborandum eſt, ne ab illa paterna, fraternaque gloria degeneraſſe videare. Omnes in te oculos nunc defixos habent, & abs te contendunt, ut quam perſonam vivo fratre in ſecundis partibus conſtitutus gerebas, eam nunc mortuo ſolus velis ſuſtinere. Quod ſi feceris, ut facturum te omnes confidimus, & pulcherrimum pietatis tuæ monumentum fratri ſtatues, & tibi ipſi immortalem gloriam comparabis.

HENRICI VALESII
ORATIO
In Obitum
DIONYSII PETAVII
SOCIETATIS JESU
Theologi.

CUm primum doctiſſimorum hominum exequias oratione funebri decorare inſtitui, Auditores ornatiſſimi, incredibile dictu eſt quo quantoque animi ardore ad hoc munus obeundum acceſſerim. Sic enim apud me reputabam, cum hoc munus plenum eſſe officioſiſſimæ pietatis, quam nullus in me jure merito poſſet reprehendere: tum id ipſum mihi quandoque laudi fore, qui viros doctrina ac virtute præſtantes ejuſmodi honore affeciſſem, meoque exemplo cunctos noſtri temporis eruditos ad hoc genus dicendi excitaſſem, ut ſummorum virorum laudes juſtis potius orationibus & ad veterum formam elaboratis, quam nudis & aridis elogiis deinceps prædicarent. Verum nunc priſtinus ille impetus paulatim in me progreſſu temporis intepeſcit, ſive hoc tot illuſtrium funerum crebritas facit, ſive operis ipſius difficultas. Neque enim ignoro quam hoc dicendi genus arduum ſit atque impeditum, præcipue cum idem argumentum in quo jam antea verſatus fis, iterum ac ſæpius tractandum offertur, de privati hominis moribus atque doctrina: qui profecto locus parum illuſtris ad exaggerandum, parum copioſus ad ornandum, nec ſatis amplus ad exſpatiandum videtur. Simul etiam intelligo quantis moleſtiis ac diſcriminibus totum hoc laudandi munus ſit obnoxium. Nam qui de orationibus noſtris judicant, ſi quidem amici ſunt ejus qui laudatur, eorum deſiderio ac cupiditati quantacumque laudum magnitudine nunquam ſatisfacturus ſis. Sin ignoti, nullaque cum eo neceſſitudine ac familiaritate conjuncti, iis vel mediocris laudatio fines veritatis exceſſiſſe videbitur. Sic enim fere fit, ut aliorum laudes ſuo quiſque captu ac modulo metiatur, nec plus de altero facile homines ſibi perſuadeant, quam quantum ſe ipſi præſtare poſſe arbitrantur. Nam de malevolis atque invidis nihil dico, quorum nun-

quam

quam rationem adeo habendam eſſe duxi, ut eorum cauſa aut intermittendum officium noſtrum aut omnino deſerendum putarem. Ad hæc cum omnis fere laudatio ex aliorum comparatione ducatur, aliter fieri, meo quidem judicio, vix poteſt, quin is qui aliquem laudando ceteris omnibus præfert, in cujuſpiam odium atque offenſionem incurrat. Hæc ſunt quæ dum animo meo obverſarentur, non modo impetum noſtrum retardare & ardorem imminuere, ſed me penitus à dicendo deterrere merito videbantur. Verumtamen his omnibus poſthabitis, priſtini officij mei rationem duas potiſſimum ob cauſas etiamnum mihi retinendam eſſe exiſtimavi. Primum quod hoc meum inſtitutum veſtro ſuffragio ac judicio comprobari intelligo: Cujus apud me tantum valet auctoritas, ut quidquid veſtro calculo probatum fuerit, id bonorum omnium conſenſu facile confirmatum iri confidam. Deinde ejuſmodi ſunt Dionyſii Petavii erga me privatim beneficia, ut, ſi nullum antea laudatione funebri commendare inſtituiſſem hunc certe eo genere officii proſequi omnino debuerim. Nam cum ſub ejus diſciplina prima quondam eloquentiæ rudimenta perceperim, rationi conſentaneum eſt, ut ea facultate quæ illius præceptis inſtitutiſque primum in me informata eſt, funus ejus decorare, & memoriam nominis, quantum in me ſitum eſt, illuſtrare ac propagare contendam. Quamobrem peto à vobis, Auditores ornatiſſimi, ut eadem humanitate ac benevolentia, qua me de aliorum laudibus antea dicentem proſecuti eſtis, nunc de Dionyſio Petavio perorantem audire ac proſequi velitis.

Et Homerus quidem cum omnium animos ad audiendum allicere vellet, in ipſo carminis veſtibulo pollicetur dicturum ſe de homine multiformi morum varietate prædito, qui multas urbes regioneſque peragraſſet, qui plurimorum hominum mores atque inſtituta penitus cognoviſſet. Quippe ille vatum prudentiſſimus optime norat, cunctos mortales plurimarum rerum notitia imprimis delectari: eamque ob cauſam aut ipſos peregrinari maxime velle, aut certe eorum qui peregrinati ſunt caſus varios atque eventus libenter audire. Ego vero non minori cum favore ac ſtudio, ut opinor, omnium veſtrum, hodie dicturus ſum de viro, non quidem multiformi morum varietate, id enim Ulyſſi relinquimus, ſed multiplici doctrina prædito, qui non terras & maria, ſed diſciplinas omnes feliciſſimo curſu pervagatus, non mores tantum & ingenia plurimorum hominum introſpexit, ſed omnium humanarum divinarumque rerum cumulatiſſimam ſibi notitiam comparavit. Quæ enim inter homines eſt ars ac diſciplina liberalis, quam Petavius noſter, non dico non attigerit ac delibaverit, ſed non penitus animo imbiberit atque hauſerit? Aut quis tantum in uno genere doctrinæ, quantum ille in omnibus ſimul excelluit? Neque enim Grammaticam & Criticam probe calluit, artem vero dicendi ignoravit. Nec rurſus in hac quidem arte exercitatiſſimus, in poetica vero haud parem gloriam adeptus eſt. Non ille Latine quidem doctiſſimus, Græce autem & Hebraice neſcivit. Nec rerum quidem Græcarum & Romanarum hiſtoriam omnem evolverat: Eccleſiaſticam vero antiquitatem & Chriſtianæ religionis hiſtoriam neglexerat. Non denique hæc quidem univerſa quæ dixi, diuturno ſtudio ac meditatione perceperat: Mathematicas autem diſciplinas cum pleriſque doctis hominibus ignorabat: Sed omnes omnino liberales artes capaciſſimo mentis ſinu complexus, ita ſingulas excoluit, ut dubium

vobis

nobis reliquerit in qua potissimum excelleret. Ac difficile quidem est dicere quid ille nesciverit. Quid vero & quantum sciverit, multo difficilius est exponere. Ceteri fere mortales, quorum ingenia certis iisque angustis finibus circumscripta sunt, ad unum genus doctrinæ sese applicare solent: In quo postquam diutissime elaboraverint, omnesque ingenii nervos intenderint, pauci tamen ex omnibus ad summum ejus fastigium valent pervenire. Nemoque adhuc repertus est, qui cum plures disciplinas animo percepisset, simul in omnibus principatum citra controversiam obtineret. Idem etiam in sellulariis artibus usu venire videmus, ut si quis multas simul artes exercere voluerit, in nulla unquam summus artifex evadat. Adeo in multis excellere natura nobis negavit: sed suam cuique nascenti veluti sortem ac provinciam attribuit, quam excolere deinceps opera nostra atque ornare possemus. Hic inter Grammaticos palmam tulit: sed in eloquentia haudquaquam parem gloriam est consecutus. Illum facundia Latini sermonis ornavit; sed Græcæ linguæ peritia destituit. Quotusquisque ab omni hominum memoria, idem summus orator ac poeta unquam extitit? Itaque Marci Tullii versus multorum judicio exploduntur. Quinetiam in una eademque disciplina alius hanc, alius illam partem sibi vendicat. Alius in Geometricis eminet: alium Astronomiæ notitia commendat. Multiplici doctrina olim præditus fuisse dicitur Eratosthenes, quem in temporum ratione secutum se esse testatur Diodorus, & quem Strabo in Geographicis auctorem sæpius laudat, & virum haudquaquam spernendum appellat. Idem tamen cum in omni genere literarum infra primos semper substitisset, βῆτα cognominatus est. Democritum Abderitem illum philosophum quinquertionem dictum esse perhibent, quod quinque partes Philosophiæ, naturalium scilicet rerum, & morum scientiam, & Mathematicas ac liberales disciplinas, omnium denique artium rationes apprime calleret. Verum Petavius & hunc, & si qui alii promiscuæ eruditionis causa celebres extiterunt, non æquavit modo, verumetiam longissimo intervallo superavit. Quod quidem ex iis, quæ proxime dicturus sum, manifestissimum fiet.

Quæret hic à me fortasse quispiam, qua tandem via ac ratione potuerit Petavius ad tantæ eruditionis culmen pervenire. Enimvero homines incredibili quodam acumine ingenii & excellenti natura præditos, cujusmodi Petavium fuisse constat, supra alios eminere, & ad summa quæque eniti, nemini mirum videri debet. Accessit ad tantam vim ingenii, vehemens studium, & assidua contentio laboris. His enim duabus, ut ita dicam, alis subvectæ magnorum hominum mentes cæteros mortales longe prætervolant, & aureum Jovis currum, ut ait divinus Plato, indefesso volatu comitantur. His igitur præsidiis succinctus Petavius, ea præstitit in omni genere literarum, quæ omnis nobiscum posteritas admiratura est. Sed est aliud præterea quidpiam, quo maxime adjutus & difficultates omnes oppositas facile superavit, & palmam veræ solidæque doctrinæ celeriter est consecutus. Quidnam vero illud est? Ordo scilicet, & certa ratio instituendorum studiorum, quam Græci μέθοδο appellant. Quod cum leve quiddam & exiguum prima fronte appareat, est tamen ejusmodi, ut omnis fructus eventusque studiorum ex eo propemodum uno pendere videatur. Ut enim absque acus nauticæ præsidio longinquam

quam navigationem ſuſcipere, nihil aliud eſt quam ad certiſſimum naufragium properare: ſic qui ordine ac methodo deſtituti vaſtiſſimum illum diſciplinarum oceanum ingrediuntur, ii nunquam ſperare debent ſe ad deſideratum ſapientiæ portum navem eſſe appulſuros. Unde enim, quæſo, fieri exiſtimatis, ut cum multi reperiantur & ingenio præſtantes & laboris patientiſſimi, pauci tamen magnos progreſſus in literis faciant, niſi ex eo quod ſtudia noſtra temere ac fortuito, non certa ratione diſponimus, & deſultoria quadam levitate per omnes diſciplinas volitamus potius quam decurrimus. Itaque inordinate properantes id tantum aſſequimur, ut à propoſito itinere longius aberremus. Non ita Petavius: qui ſtudia ſua certo ſemper ordine dimenſus eſt; quippe qui intelligeret, ea quæ ordine inſtituuntur, minore laboris ac temporis impendio perfici, nec ſolum citius & commodius abſolvi ſolere, verumetiam rectius. Primum itaque à Grammatica, tanquam à Veſta, quod aiunt, exorſus, linguæ Græcæ ac Latinæ ſingularem ſibi peritiam comparavit. Idque ex plurimis veterum ſcriptorum libris, quos partim ex Græco in Latinum, partim ex Latino in Græcum ſermonem tranſtulit, perſpicue apparet. Græce quidem adeo expedite loquebatur, ut Athenis natum eſſe diceres. Latine vero loquentem & in ſchola publice docentem quiſquis audivit, fateatur neceſſe eſt nihil audiri potuiſſe jucundius. Nam præter illum Romani eloquii nitorem aderat diſtincta pronuntiatio, & gratiſſimus quidam vocis ſonus. A Grammatica prono curſu ad Rhetoricam ſe contulit. Quam quidem artem ad omnia maxime utilem, nec iis ſolum qui in foro & in Republica verſantur, ſed omnibus literatis prorſus neceſſariam, à cunctis tamen, ac præcipue à Philologis noſtris, maximo ipſorum damno ac dedecore, negligi videbat. Itaque illi in epiſtolis quibus libros ſuos alicui nuncupant, in prætationibus, in quovis denique argumento quod tractandum ſuſceperint, rudes fere atque infantes deprehenduntur. Porro quantus dicendi artifex fuerit Petavius, tum ex plurimis orationibus, quas nobis ſcriptas reliquit, tum ex aliis ejus libris liquido perſpici poteſt. Neque enim in oratoriis duntaxat declamationibus, ſed in omni fere genere ſcriptionis eloquentiæ vis ac ſplendor elucet. Hinc ad poeticen tranſgreſſus, pari quoque ſucceſſu in hac ſe exercuit: eamque deinceps ad extremum uſque ſpatium vitæ, velut oblectamentum graviorum ſtudiorum, & piorum animi ſenſuum fidam interpretem, Gregorii Nazianzeni exemplum ſecutus, retinuit. Extat denique pulcherrimum ejus carmen, quod diuturno pæne conſumptus morbo, integris tamen adhuc ingenii viribus paulo ante obitum effudit: in quo publicas temporis noſtri calamitates quibus rempublicam ſimul & Eccleſiam conflictari cernimus, cygneo quodam cantu deplorat. Nec ullum fere eſt carminis genus in quo non feliciter luſerit: quippe qui tragœdias etiam ſcriptitarit, nec Latinos modo, verum etiam Græcos atque Hebraicos verſus ſcitiſſime procuderit. Certe Hugo Grotius, hujuſmodi operum judex ſimul atque artifex peritiſſimus, Dionyſii Petavii carmina magnopere probare & laudare conſueverat. Quod quidem non tam Petavii cauſa, cujus opera extra omnem judicii aleam poſita ſunt, quam in gratiam ipſius Grotii velim à me dictum putetis. Jam vero cum verborum delectum, & ſermonis ornatum, quem earum, quas dixi, artium beneficio paraverat, abſque rerum & ſententiarum copia rem caſſam atque inanem eſſe intelligeret, ad

Phi-

Philosophiam animum applicuit. Non eam dico barbaram atque horridam, quæ vulgo in scholis traditur: sed illam ingenuam atque liberalem, quæ ex Aristotelis ac Platonis limpidissimis fontibus hauritur. Huic deinde comitem adjunxit historiam rerum gestarum. Cumque duo ejus quasi lumina esse sciret, Geographiam scilicet quæ urbium ac regionum situm; & Chronologiam quæ temporum seriem exponit; sine quarum præsidio quisquis ad universalis historiæ lectionem accesserit, in densissimis tenebris versetur necesse est; utriusque non vulgarem notitiam studuit adipisci. Ac Geographiam quidem ex Strabonis & Ptolemæi veterumque Geographorum libris percepisse minime contentus, recentium quoque scriptorum tabulas adjecit, à quibus hæc ars non illustrata modo, verumetiam consummata est. Chronologiam vero aggressus, arduum opus & multis maximisque difficultatibus implicatum, ante omnia Astronomiæ subsidium sibi comparavit, sine qua parum firmas esse demonstrationes Chronologicas perspiciebat. Maximam laudem & gloriam in omni fere genere literarum patrum memoria retulit Josephus Scaliger. Sed in Chronologia solus quodammodo regnare omnibus videbatur: adeo ut Scaligero in hac parte refragari, idem fere esse crederetur quod cum Hercule lucta certare. Veruntamen tanta ejus viri auctoritas omnium prope præjudicio roborata Petavium nostrum à scribendo minime deterruit. Immo vero ipsum eo magis impulit, ut quæ ab illo emendatore temporum peccata fuerant, ipse in suis de doctrina temporum libris emendaret. Non quod illius viri gloriæ obtrectaret; sed ne plerique forte auctoritate Scaligeri inducti, minime discussa rei veritate, in errorem præcipites laberentur. Quocirca si Scaligero laudi fuit, quod sacræ ac profanæ historiæ chronologiam multis in locis (quod profecto fatendum est) illustravit: Petavius quoque qui & errores Scaligeri correxit plurimos, & præterea multa ad historiæ illustrationem suo labore atque industria contulit, non minorem, meo quidem judicio, gloriam meretur.

Hac igitur via progressus Petavius, vastissimum illum disciplinarum orbem feliciter emensus est. Et in singulis quidem disciplinis sic excelluit, quasi ceteras omnes neglexisset: in omnibus vero perinde eminuit, ac si unam quandam ex pluribus conflatam partibus disciplinam, non plures argumento ac toto docendi genere inter se distantes animo percepisset. Quæ laus quasi eximia & propria Petavii, aut certe cum paucis admodum ei communis, sola ad summam gloriam sufficere potuisset. Nunc vero ea laus in illo non sola, sed prima est. Nam cum vir sanctissimus tantam humanioris doctrinæ supellectilem collegisset, ea non ad oblectationem animi, aut ad pompam, & inanem ostentationem voluit abuti, sed totam ad divini numinis gloriam, & Ecclesiæ utilitatem consecravit. Idque tum ex instituto religiosissimæ Sodalitatis, in quam se nondum virilem ætatem ingressus dicaverat; tum exemplo Origenis, Clementis, Basilii atque Gregorii, aliorumque sanctissimorum Ecclesiæ scriptorum videtur præstitisse: qui cum omnibus Gentilium disciplinis ingenium suum instruxissent, postmodum suis ipsos telis Gentiles aggredi, eorumque spoliis Ecclesiam Dei ornare studuerunt. Itaque omni virium nisu, omnique animi contentione ad Theologiam conversus, peragratis jam cæteris, eo quem diximus ordine, disciplinis, in ea deinceps, tanquam in portu tranquillissimo ac beatissimo, sibi conquiescendum putavit. In hoc vero excellen-

cellentissimo genere doctrinæ quantopere excellucrit, quidve & quantum præstiterit, paucis, si lubet, expendamus.

Duæ sunt Theologiæ partes, quarum prior in sacrorum librorum expositione versatur, quæ Græco vocabulo exegetice dici potest. Altera est dogmatice, tota fere in disputatione posita, ad adstruendam maxime adversus hæreticos Ecclesiasticorum dogmatum veritatem. Et ad priorem quidem partem maxima sibi adjumenta atque adminicula Petavius comparaverat, linguæ scilicet Græcæ, Latinæque, & Hebraici sermonis peritiam non vulgarem: quibus præsidiis munitus, in intimos & abditissimos quosque sacrorum voluminum sensus facile penetravit. Nihil quidem in eo genere doctrinæ ab illo in lucem editum est. Quo magis laudanda est hominis modestia, qui cum hæc etiam in parte multa commode posset afferre, tamen veterum Patrum expositione contentus, quos solos veros ac sinceros sacrarum literarum interpretes esse norat, sua premere maluit, quam aut illorum serinia compilare, aut cum illis ambitiosius contendere. Ceterum quanta cum laude, & quam frequenti hominum concursu sacros utriusque instrumenti libros in Claromontano auditorio viva voce diutissime exposuerit, omnes mecum meminisse potestis. Quod vero ad posteriorem attinet Theologiæ partem, quid opus est rem per se notam pluribus verbis ac testimoniis confirmare? Cum versentur in omnium manibus Theologicorum dogmatum libri ab illo conscripti. Quibus in libris quid prius mireris nescias: an copiam diffusæ lectionis, an sermonis nitorem & elegantiam, an ordinem rerum ac distinctionem, an in exscribendis Patrum testimoniis fidem ac diligentiam, an denique adversus hæreticos Christiani spiritus ardorem. Nam quis non miretur ab uno homine, eoque piis professionis suæ exercitationibus dedito, tot volumina perlegi, tot versuum millia perscribi potuisse? Neque enim sicut Origenes ac Hieronymus, usus est opera notariorum qui verba dictantis exciperent; sed omnia sua ipsius manu exarata ad Typographorum præla mittebat. Quis non obstupescat, cum inter legendum viderit res tam arduas & obscuras & à communi hominum intelligentia remotas, tanta verborum luce ornari, tamque distincto ordine explicari. Hæc enim vel maxima Petavii laus est, quod Theologiam quæ antehac rude quiddam & barbarum timebat, totamque Dialecticæ fæcem & colluviem ex philosophorum scholis traxerat, ipse sua cura atque industria perpolivit. Itaque hi libri, ut equidem auguror, magis magisque splendescent indies: & quantum iis nunc detrahere conatur obtrectatorum quorundam invidia, tanto plus laudis judicio incorruptæ posteritatis iisdem accedet. Porro ardor adversus hæreticos, quem vulgo zelum vocamus, in eo fuit incredibilis, ut ex iisdem libris perspici potest. Etenim tanquam in sublimi specula constitutus, si quem nostræ ætatis hæreticum commovisse se, atque in religionem nostram impetum fecisse prospexerat, illico velut silvestrem feram prosequebatur, telisque responsionis suæ confossum redire eciis ad latibula sua cogebat. Et quemadmodum apud Homerum Achilles imperat Græcis, ne quis præter se Hectorem feriat, hanc sibi uni laudem deberi existimans: sic fere Petavius noster, non ambitione quadam, & cupiditate laudis, sed divino quodam mentis æstu, & pietatis ardore incitatus, hanc sibi pugnam cum hæreticis quicumque insurgerent,

gerent deposcebat. Nec his contentus, humaniorum quoque literarum gloriam, quam illi præ nostræ communionis hominibus sibi vindicare conantur, eripere ipsis omni cura ac studio satagebat. Quocirca si quem è nostris ingenio & doctrina præditum animadverterat, cum quasi admotis stimulis urgere & ad scribendum incitare non desinebat, ut haberet quos adversariis nostris etiam in hoc genere studiorum opponeret. Quod quidem ejus studium atque institutum erunt fortasse qui improbabunt: adeo extraneis potius quam nostris præpostero quodam judicio favere assuevimus. Verum quoties penitus introspicio, qua mente, quove consilio id Petavius ageret, equidem mihi videor satis eum laudare ac mirari non posse. Ceterum hunc animi ardorem adversus hæreticos ita temperabat, ut non homines ipsos infesto prosequeretur odio, sed errorem dogmatum aversaretur: quo liberari illos, & Ecclesiæ corpori tandem adjungi votis omnibus expetebat. Quid non præstitit, ut clarissimum virum Hugonem Grotium ad Catholicam communionem adduceret? Erat ille quidem minime à nobis alienus, ac pæne noster: quippe qui doctrinam Tridentini Concilii in omnibus sese amplecti palam profiteretur. Id unum supererat, ut Ecclesiæ sacrarium ingressus communioni nostræ sociaretur. Quod ille nescio quas ob causas, dum ad Catholicæ fidei unitatem plurimos secum sperat adducere, consulto differebat. Possem hoc loco sermones illos vobis commemorare, quibus Petavius cum adortus est, tunc cum ille Lutetia excedens post legationis Suedicæ munus expletum, Petavium valedicturus invisit. Verum in aliud tempus hæc seponere satius fuerit, ne tædium vobis longior fortasse faceſſat oratio. Hujusmodi ergo adversus hæreticos affectus animo fuit Petavius. Quonam autem modo se gesserit erga quosdam nostræ communionis homines, qui novam quandam doctrinam invehere conabantur, nequaquam silentio prætereundum esse arbitror. Tulit ætas nostra viros graves & severos atque eruditos, qui non contenti disciplina sæculi sui, dum pœnitentiæ regulas aut antiquas revocare, aut novas condere conantur, gravissimos ubique motus & tempestates excitarunt. Qui profecto longe consultius fecissent, si proposito veteris Ecclesiæ ritu ac vigore, in danda & accipienda pœnitentia; ad id tantum nos cohortari voluissent, ut severioribus deinceps legibus pœnitentes astringerentur, ne forte ex nimia indulgentia ac veniæ facilitate nasci peccandi licentia videretur. Nunc vero studio artioris disciplinæ, cui se deditos esse profitentur, in transversum abrepti, vulgatum in omnibus Ecclesiis absolutionis ritum improbare, damnare, & contumelioſe traducere pessimo exemplo instituerunt. Porro librum suum, quo hujusmodi doctrina continebatur, multorum Antistitum subscriptionibus callide munierunt; eo scilicet consilio, ut auctoritate Sacerdotalis nominis oculos omnium præstringerent atque ora obturarent. Extitit tamen Petavius noster, qui ne hac occasione ia malum latius serperet veritus, salva Pontificalis gradus reverentia, eorum errorem atque audaciam doctissima responsione coarguit, adeo ut ipsos distinctius posthac & modestius loqui cogeret. Hic liber est ab illo Gallice conscriptus; eo tamen nitore atque ornatu sermonis, ut nihil non merito videatur, hominem Græcæ, Latinæ, Hebraicæque linguæ tanta peritia instructum, vernacula etiam lingua tam diserte ac commode scribere potuisse. Post hæc excepit eum gravior & difficilior pugna, de gratia scilicet, adversus eosdem

eosdem homines, qui Augustino, aut potius Jansenio nimium addicti, non minorem ejus scriptis quam authenticis Evangeliorum libris fidem atque auctoritatem adstruere nituntur. Primus enim hujus novæ opinionis auctor & signifer nostra ætate fuit Jansenius, qui variis Augustini sententiis hinc inde excerptis, & quo voluit ordine digestis, ingratissimam quandam de gratia opinionem in Theologiæ scholas invexit. Quo quidem facto longe plus Galliæ nocuit, quam famoso illo libello qui Mars Gallicus inscribitur, quo belli hujus diuturni tot jam annorum spatio in Europa sævientis auctores fuisse Gallos criminatus est: ipse auctor pestiferi belli, quo nunc Gallicana ardet Ecclesia. Atque utinam intra hos fines vis tanti mali subsistat, nec reliquas Ecclesias quadam contagione corripiat. Hunc Belgam Gallici nominis hostem acerrimum Theologi isti ducem habent, & pro Hipponensi Episcopo Iprensem sequuntur. Nec intelligunt se de Augustino male mereri, qui prætermissis tot egregiis ejus verbis, atque sententiis, quibus mores hominum ad virtutem informari possunt, ea sola rimantur in illius libris, quæ Augustino ipsi invidiam faciant, & quæ Calvino potius quam Catholicis favere videantur. Cum si Augustino, si sibimet ipsis, si Ecclesiæ denique consulerent, hæc aut benigna interpretatione mollire, aut in suis, ut jacent, locis relinquere, & silentio præterire debuissent. Itaque Augustinus, si viveret, his eos verbis allocuturus videtur. Quid agitis viri boni, quo tenditis, quodnam consilium, quis est scopus altercationum vestrarum? quid meum nomen discidiis vestris prætenditis, meque Calvino adstipulatorem & patronum paratis? Calviniani certe idem vos secum de gratia sentire gloriantur. Ipsi illi qui à Calvinianis ad Ecclesiam transeunt, hanc ipsam esse Calvini sententiam quam vos defenditis, asseverant. Atqui ego non ea mente scripsi ut hæreticos patrocinio meo adjuvarem, sed potius ut eos retunderem. Frustra sub umbra nominis mei latere cupitis, & doctrinæ vestræ novitatem auctoritate mea firmare contenditis. Ego me in Jansenio non agnosco; nec ex Afro Belgam factum iri credideram. Si me amatis eam potius sententiam sequimini, quam totius Ecclesiæ probat assensus, quam ante Jansenium in scholis vestris omnes Theologi docuerunt. Nolite pacem Ecclesiæ violare, tunicam Christi discindere, ignem denique mutuæ caritatis extinguere. Certe plus odiis quam rationum copia certatis. Hæc discidia ex odio partium nata sunt, quæ coitionibus fovetis, dum multos partim pollicitationibus, partim blanditiis in vestram sententiam traducere tentatis. Hæc exprobranti Augustino quid habent quod respondeant? Quod si forte hæc oratorio more à me fingi dicent, eorum conscientiam appello: Ipsos in sua causa testes, ipsos judices fero, annon ea quæ dixi certissima sint atque verissima. Igitur adversus illos Petavius pro recepta opinione, quam ante Jansenium omnes vulgo Theologi docuerant, & quam ipse Petavius olim in Sorbonensibus scholis, cum Duvallii auditor esset, acceperat, fortissime propugnavit. Hoc illi post tot Herculeos labores certamen ultimum fuit. Cui licet immortuus, nihilominus ut ille quondam apud Olympiam pugil, victor post obitum, Dei ipsius, ut opinamur, dextra coronatus est. Vir certe Hieronymo, Basilio atque Gregorio, & summis quibusque Ecclesiæ scriptoribus merito conferendus: Quippe qui eximiam eruditionem cum pari vitæ sanctitate conjunxerit. Vixit enim summa innocentia in illo Claro-

montani Collegii vertice, studiis duntaxat literarum, & cœlestium rerum meditationi deditus. Adeo ab omni ambitione, & inanis gloriæ cupiditate alienus, ut cum hinc ab Urbano Summo Pontifice, inde à Philippo Hispaniarum Rege expetitus atque evocatus fuisset, tamen in nidulo illo Claromontani Collegii consenescere maluerit, quam Regalis & Pontificalis alloquii honore decorari.

Hunc ergo talem ac tantum virum, vindicem ac columen literarum, quamvis matura morte nobis ereptum, merito lugemus: & post tot doctissimorum virorum continua prope funera, hanc acerbissimam literarum cladem non injuria existimamus. Etenim hoc sublato, qui studia nostra inclinata jam ac pœne labentia solus fulcire adhuc videbatur, quis deinceps in ejus locum sufficiendus est? Sed fortasse ego imprudens, qui de ingeniis hominum nostrorum male sentiam ac desperem. Supersunt enim satis multi, atque utinam diu supersint, qui pro virili parte literarum gloriam sustinere, eamque Gallis asserere possint. Maximum tamen ac splendidissimum inter omnes semper habebitur Dionysii Petavii nomen; ejusque excellens ingenium, & singularem doctrinam tot illustribus cognitam lucubrationibus omnes posteri amoto livore invidiæ mirabuntur. Simulque nos recte atque ordine fecisse judicabunt, qui maximum virum, de literis, de patria, deque Ecclesia optime meritum, hac qualicumque laudatione, & grati animi testificatione mortuum prosecuti sumus.

HENRICI

HENRICI VALESII

ORATIO

In Obitum

JACOBI SIRMONDI

Societ. Jeſu Presbyteri.

QUicunque magnorum Virorum laudes oratione funebri prædicare inſtituerunt, *Auditores Ornatiſſimi*, hoc potiſſimum conſilio id præſtitiſſe mihi videntur, ut vel mortuorum nomen ad æternam poſteritatis memoriam conſecrarent, vel præſtantibus hominum meritis hanc velut honoris & gloriæ mercedem perſolverent, vel certe ut privatum aut publicum dolorem hujuſmodi ſolatio mitigarent. Nobis vero inpræſentia quidem non magnopere laborandum eſſe video, ut ejus viri, cujus exequias honoramus, nomen à ſitu & tenebris vindicatum æternitati commendemus. Id enim ipſe dum vixit, publicatis ingenii ſui monimentis adeo cumulate præſtitit, ut jam nos hoc labore prorſus levati ac liberati eſſe videamur. Nec dubium eſt quin quandiu ſuus honor literis ſiabit, quandiu hiſtoriæ, quandiu antiquitatis & humaniorum artium ſtudioſi ſupererunt, tandiu Jacobi Sirmondi nomen celebre atque illuſtre inter eruditos futurum ſit. Quod igitur reſtat, ut memoriæ hominis præſtantiſſimi, ac de literis optime meriti honos habeatur, utque mœrorem veſtrum, qui tanto lumine orbati eſtis, oratione noſtra mollire ac lenire ſtudeamus, id cunctis ut equidem ſpero faventibus aggrediemur. Hoc enim & illius viri amplitudo, & amicitiæ vinculum quæ mihi cum ſuperſtite intercedit, & veſtra omnium vota poſtulare mihi videntur, ut homini quoad vixit, optimo, humaniſſimo, atque amiciſſimo, debita laudis, humanitatis, atque amicitiæ officia impendamus. Neque vero committendum eſt, ut cum Regum, Principum, & Magnatum funera ejuſmodi orationibus celebrari conſueverint, viris doctrina, atque eruditione excellentibus idem honos à nobis denegetur. Quippe abſurdiſſimum meo judicio fuerit, illiteratis quidem hominibus honorem ex literis haberi: eos vero qui totam ætatem literis juvandis ac promovendis impenderunt, qui dum viverent reipublicæ literariæ decus atque ornamentum fuerunt, hos literarum munere atque officio minime exornari.

Ac

Ac principium quidem ejusmodi orationum fere ex majoribus ducitur, ut & is, cujus exequiæ celebrantur, majorum suorum illustretur laudibus, & vicissim ex nepotis laudatione non mediocris gloriæ pars ad majores redundet. Nobis vero qui religiosi propositi hominem prædicare suscepimus, hic nobilitatis locus parum necessarius videtur. Non quod ejusmodi ornamentum nobis desit, quippe qui vetustissimam ac nobilissimam apud Arvernos Sirmondorum familiam fuisse non ignoramus. Sed quoniam ipse ejusmodi natalium ornamenta contempsit, nos quoque æquum est, iis neglectis ac prætermissis, ad alia longe potiora orationis cursum promovere. Liceat illis qui in seipsis nihil laude dignum habent, ex majorum laude ac nobilitate gloriam captare. Quos equidem Lunæ comparare soleo, quæ cum propria luce careat, lumen suum à Sole mutuatur. Sic isti cum proprio splendore destituti sint, ad majorum virtutem confugiunt, qua vitia sua contegi, ac seipsos illustrari posse arbitrantur. Hi vero qui sua ipsi virtute nituntur, & qui suo labore famam sibi decusque pepererunt, nullum extrinsecus adminiculum, nullum adscititium splendorem desiderant. Porro cum omnes homines animo constemus & corpore, quorum alterum commune cum brutis, alterum spiritalis cujusdam, divinæque naturæ particeps habemus, duplicem quoque nobilitatem in singulis hominibus spectare debemus. Quarum altera, quæ ex corpore ducitur, deterior ac vilior sit necesse est, quippe quæ ex deteriore atque ignobiliore hominis parte descendat. Itaque plurimi sapientia ac virtute excellentes viri hanc nobilitatem utpote nocti ac tenebris addictam, & sanguini tanquam luto penitus affixam atque immersam merito spreverunt. Nec qui, aut unde essent, quibusve parentibus prognati, familiaribus suis commemorare voluerunt. Altera nobilitatis species ex animo petitur, quæ sola non dicam meo, sed omnium prudentum judicio nobilitatis nomen meretur. Nam illa quidem caduca ac mortalis, in terram abjecta ac depressa, fluxa atque instabilis, quippe quæ dari adimique possit. Ad hæc incerta ac dubia, testibus & tabulis plerunque confictis ac suppositis comprobatur. Hæc vero perinde ac animus ipse immortalis est, nec morti, nec Principum violentiæ obnoxia, ipsa per se sine alterius testimonio elucescit. Hanc ergo mihi præcipue nobilitatem in Jacobo Sirmondo considera, quam ille solam concupivit, quæ sola digna est homine, digna christiano, digna religiosæ professionis viro. Quænam vero sunt hujus nobilitatis insignia, dicet aliquis, ex quibus nobilem ab obscuro & ignobili dignoscere valeamus? Non alia certe quam quibus solertem à stupido, doctum ab imperito, virum bonum ab improbo discernere solemus. Etenim si rem ipsam attentius perpendere voluerimus, tribus maxime rebus homines aliis hominibus præcellere, & supra ceteros eminere reperiemus; ingenio scilicet, doctrina atque virtute. Hæc sunt quæ viros claros & spectabiles & illustres efficiunt, potius quam Principum codicilli aut insulæ dignitatum. Nam hujusmodi codicilli & insignia, umbram tantum honoris circundant hominibus, idque modico temporis spatio, quandiu aut in vivis agunt, aut magistratu sibi delato funguntur. Hæc vero animi insignia solidam gloriam non modo superstitibus, sed etiam mortuis omnium judicio ac consensu præstant. Quæ quidem omnia in Jacobo Sirmondo non vulgaria, sed eximia ac singularia fuisse, omnes ut opinor, mihi facile assensuri estis. Nam qui id negare voluerit,

rit, tot ilico argumentis ac teſtimoniis obruetur, ut aut imperitiam ſuam, aut quod turpius eſt, malevolentiam fateri cogatur.

Atque ut primo loco de ejus ingenio dicam, idem certe de illo, quod de Hortenſio dici poteſt: Sirmondi ingenium ſimul agnitum, ſimul probatum fuiſſe. Ingenium autem appello lumen quoddam mentibus à natura inditum: ſeu potius vividum quemdam impetum, atque igneum vigorem ad ſumma quæque tendentem: aut ſi mavis, generoſam indolem & ſagacitatem, qua qui præditus eſt ad abditiſſimarum rerum atque rationum cubilia penetrat, & veritatem facile odoratur ac veſtigat, nec abſiſtit priuſquam illam tanquam prædam ſuam comprehenderit. Hæc porro vis quam dixi, emicat atque elucet plerumque in adoleſcentibus, corroboratur in viris, langueſcit in ſenibus. Sed in Jacobo Sirmondo eadem quæ in adoleſcentia fuerat, in ultima etiam ſenectute vis ingenii permanſit. Adeo ut quæ corporis animique vires infringere conſuevit ætas, robur ingenii non fregiſſe in eo, ſed potius confirmaſſe videretur. Tanto igitur tamque felici præditus ingenio Sirmondus, non quemadmodum plerique adoleſcentum ſolent, illud aut deſidia deteri, aut voluptatibus corrumpi paſſus eſt: Sed velut optimum ac ferax ſolum aſſiduo labore ſibi excolendum putavit. Et quo quidem pacto adoleſcens inter æquales in ſcholis eminuerit, atque ipſa magiſtrorum præcepta pæne priuſquam eſſent tradita, comprehenderit, nihil hic attinet dicere, cum alia longe majora, ac plus admirationis habitura nobis ad dicendum ſuperſint. Cum vero ex ephebis exceſſiſſet, nec minore virtutis quam diſciplinarum amore flagraret, in eam ſe ſodalitatem dicare conſtituit, in qua utriuſque, tam doctrinæ ſcilicet quam virtutis ſtudia ex æquo vigere ac florere animadverterat. Sic enim exiſtimabat doctrinam quidem abſque virtute, rem caſſam atque umbratilem eſſe, & quæ plus interdum noxæ afferat quam utilitatis: virtutem vero doctrinæ conſortio deſtitutam, prorſus imperfectam ac mancam videri, quippe quæ aliis prodeſſe vix poſſit: ceterum ambas ſimul junctas plus ponderis atque auctoritatis habere. Hæc ille animo perpendens, illud etiam ſodalitiorum commodum cogitabat, quod homines eodem ſacramento adſtricti, abdicatis rerum humanarum curis perfectæ ſapientiæ ſtudiis vacantes, mutuis ſe hortationibus atque exemplis viciſſim adjuvare poſſunt. Proinde ex omnibus ſodalitiis, illud maxime expetivit, quod ab S. Ignatio primum inſtitutum, & virtutis gymnaſium, & diſciplinarum quoddam quaſi domicilium eſſe norat.

Tali collegio adſcriptus Sirmondus primum quidem linguarum & antiquitatis tam Græcæ quam Latinæ tantam ſibi peritiam comparavit, quantam ex ejus ſcriptis perſpicere poteſtis. His deinde quaſi fundamentis poſitis cum doctrinæ vaſtos eſſe limites & in immenſum diffuſos intelligeret, iis maxime ſtudiis ſeſe includere ſtatuit, quæ & profeſſionis religioſæ viro convenire, & plurimum utilitatis allatura eſſe cenſebat. Itaque ad hiſtoriæ & antiquitatis Eccleſiaſticæ notitiam totum ſe penitus applicuit atque addixit, ut non ſibi ſolum, ſed etiam patriæ atque univerſæ Eccleſiæ prodeſſet. Quo quidem in genere ſtudiorum tantopere profecit, ut pares admodum paucos, ſuperiorem vero ætate ſua neminem habuerit. Cum vero partim felicitate ingenii, partim laboris aſſid[illegible] ingentes doctrinæ meſſes, ac theſauros collegiſſet, primum

nam quidem patriam suam, ac deinde totum orbem Christianum pretiosis ingenii sui monumentis illustravit. In quo singularem ejus prudentiam ac modestiam mirari subit, qui cum eximiam doctrinam citissime esset adeptus, sero tamen opera ingenii sui publicare in animum induxit. Quod quidem tanti viri consilium atque exemplum, utinam tam nostri quam exteri sequerentur, qui vixdum è scholis egressi indigesta adhuc studia in publicum extrudunt, & præmaturæ editionis famam potius quam solidam consummatamque doctrinam concupiscunt. Longum esset hic percensere, quot ille libros partim vetustiorum scriptorum in lucem primus ediderit, partim Latino sermone interpretatus sit, partim etiam suo marte compositos nobis reliquerit. Neque enim piget inter Sirmondi opera numerare libros optimorum scriptorum, quos ille à situ & tenebris vindicatos publica tandem luce donavit. Nam & ejus diligentia atque industria laudanda est, qui tot antiquitatis monumenta undique conquisivit, & benignitas prædicanda est, quod publico eos libros maxime invidit, sed exscribendi edendique laborem ultro suscepit. Quod vero summa fide eosdem edidit, notasque omnibus, aut Præfationes adjecit eruditissimas, eo etiam nomine maximas illi gratias universi habere debemus. Ceterum inter hujus generis libros primas sibi merito vindicat editio Conciliorum Gallicanæ Ecclesiæ. Quæ non sine ingenti quodam labore à se collecta & pulcherrimo ordine digesta atque illustrata cum felicis memoriæ Ludovico Regi Christianissimo offerret, Eminentissimi Cardinalis Armandi Richelii honorificentissimo testimonio est exornatus. Quod quidem testimonium non tam ipsius Cardinalis Richelii, ut sentio, quam totius Galliæ commune suffragium debet videri. Ex alterius vero generis libris, primum occurrunt Commentarii, quos in varios auctores ille tanta elegantia, tantoque cum judicio conscripsit, ut nihil in eo genere perfectius esse possit. Atque ut vel una ab Apelle ducta linea, manum præstantissimi artificis olim indicasse dicitur, sic unica Jacobi Sirmondi quantumvis brevis nota, ad doctrinam ejus declarandam abunde sufficerit. Sed celeberrimi & præstantissimi omnium judicio sunt ii libri, qui in contentioso & pugnaci scribendi genere versantur. Fuerunt enim illi non semel discidia ac certamina cum viris doctissimis, de literariis quibusdam quæstionibus, ex quibus ille semper superior victorque omnium eruditorum consensu discessit. Sentio me in ancipitem ac difficillimum locum incidisse, ut verendum mihi sit, ne dum Jacobi Sirmondi laudes persequor, de eruditissimorum hominum fama aliquid videar detraxisse. Sed tamen obsequendum est veritati, parendumque jussibus vestris, Auditores, qui me ad pergendum cum attentione vestra, tum benevolis nutibus invitatis. Neque enim vereor, ne hanc obtrectandi viris clarissimis occasionem de industria arripuisse videar, cum præsertim in hunc sermonem pæne invitus descenderim, quo non mea me voluntas, sed ipsa laudationis series necessitasque conjecit. Huc accedit, quod hæc oratio nullam contumeliam, nullam ignominiæ labem aspergere potest viris, & omnium sermone & merito suo celeberrimis. Qui si in hoc stadio ac pulvere literarum victi sunt semel à Jacobo Sirmondo, non id illis inhonestum ac probrosum debet videri. Neque enim ut in acie aut in lucta, sic in his studiorum concertationibus aut victor efferre se debet jactantius, aut victus præ pudore erubescere. Sed utrumque hieran, ut

veteres

veteres aiebant, facere convenit, & palmam ac coronam veritati utpote victrici consecrare. Quippe fieri potest, fitque sæpissime, ut is qui modo victor fuit, statim in alio opere cadat & corruat: is vero qui inferior prius fuerat, in aliis postea conflictibus superior evadat. Denique non ex unius certaminis eventu, sed ex omnium scriptorum atque operum comparatione, hominum laus famaque æstimanda est. Igitur ut ad Sirmondum redeamus, primum illi certamen fuit de regionibus suburbicariis, cum viro ætatis nostræ longe doctissimo, qui ex loco Rufini tanquam ex arce quadam auctoritatem Romani Pontificis impugnabat. Confecta res omnibus videbatur. Tam validis quippe argumentis ac rationibus sententiam suam vir ille firmaverat, ut non dicam vulgus imperitorum, sed Cardinalis ipse Perronius, vir omnium consensu rerum Ecclesiasticarum peritissimus, neminem crederet posse reperiri, qui tantæ machinæ impetum retunderet. Sed continuo extitit Jacobus Sirmondus, qui pro Rom. Pontificis auctoritate, id est pro veritate ipsa propugnans tribus libellis, quasi totidem præliis sic adversarium superavit, ut jam nemo sit inter eruditos, qui non Sirmondi sententiam ambabus, quod aiunt, ulnis amplectatur.

Secundum illi certamen fuit cum Petro Aurelio magni nominis Theologo, de Canone quodam, ut vocant, Arausicani Concilii. Quæ quidem contentio longe gravior ac periculosior extitit quam prima. Nam in priore quidem conflictu omnes Catholicæ professionis homines à suis stantes partibus Sirmondus habuerat. Sed in hoc posteriore res erat cum homine versuto & callido, qui Episcoporum causam defendendam susceperat, totamque Theologiæ scholam opinioni suæ subscribentem velut auxiliares copias secum trahebat. Accusabatur falsitatis ab homine, qui nomen sibi ipse falsum adscripserat; & falsitatis illius, non quæ levis momenti esset sed in re sacrosancta commissæ: neque in uno duntaxat Canone, sed in tota mole, ipso enim verbo utar Aurelii Gallicanorum Conciliorum. Quid ageret Sirmondus? An accusationem illam silentio dissimularet? Id vero erat crimen fateri, & existimationem suam prodere. Causam-ne suam defenderet? ilico omnes prope Episcopos ac Theologos, & nonnullos ex sodalibus suis adversos erat habiturus. In hac difficultate positus ita causam suam defendere statuit, ut nec Episcoporum jurisdictionem, nec receptam in scholis opinionem læderet, & negativam particulam, de qua sola erat controversia, ex fide manuscriptorum Codicum, & cum ratione ab se adpositam esse monstraret. Quod certe tam luculente præstitit primum in Epistola, deinde duobus Antirrheticis libris, quorum ultimum factione Aureliana diu suppressum esse meminimus, ut quicunque eos absque ullo partium studio legerit, Sirmondo victoriam adjudicare cogatur. Pudet me profecto interpretationis Aurelianæ: adeo ab omni sensu ac ratione, & ab ipsis verbis Arausicani Canonis abhorret. Itaque fremant licet atque obstrepant Aurelianarum partium sectatores, semper vera habebitur Canonis illius editio & interpretatio, quæ à Sirmondo prolata est. Aurelii autem lectio & explicatio ab omnibus doctis bonisque repudiabitur.

Omitto reliquas ejus velitationes, cujusmodi fuit illa de duobus Dionysiis, & aliæ quædam, quas consulto prætereo, ex quibus omnibus eandem, quam ex prioribus, gloriam reportavit. Quod equidem non tam illius doctrinæ quam

acerrimo judicio adscribendum puto. Etenim in illo viro tanta judicii vis, quanta vix unquam in alio fuit: hancque propriam & præcipuam ejus dotem esse omnes consentiebamus. Itaque cum ad maximum ingenium par judicii robur adjunxisset, illudque longo usu ac diuturna meditatione confirmasset, non mirum videri debet, si invictus hoc tandem modo luctator evaserit. Etenim in nulla operis parte aberrare, supra humanam sortem positum prorsusque divinum est. Sed quicunque judicio præ ceteris pollent, id saltem assequuntur, ut aut quam rarissime, aut quam levissime peccent. Cum enim ad scribendum non levitate sed consilio ferantur, hinc fit ut minimam reprehendendi ansam adversariis suis præbeant. Sed erit fortasse quispiam, qui Jacobum Sirmondum contentiosum ac rixosum hominem fuisse ex eo colliget, quod de re literaria tot controversiis, ad extremam usque senectutem, tot jurgiis districtus atque exercitus fuit. Eos vero qui ita sentiunt, animadvertere oportet, Sirmondum, utpote quietis & otii amantissimum, semper invitum ac nolentem ad hæc certamina descendisse. Certe si rem attentius inquirere velimus, eum aut depellendæ calumniæ, aut propugnandæ veritatis religionisque causa in hanc arenam prodiisse deprehendemus. Verum quando casu quodam, aut potius tractu ipso progressuque orationis ad locum de moribus devenimus, pauca etiam de virtutibus illius dicenda sunt, ut totius orationis continuus cursus ad metam usque tandem perducatur.

Ac ceteras quidem virtutes, quibus interior ejus vita ornata est, sodalibus illius commemorandas relinquo, eas duntaxat hic relaturus, quæ in omnium conspectu ac publica luce fulserunt. Mira in illo comitas & humanitas, qua omnes adeuntes complectebatur. Ad hæc modesta gravitas, & ingenuus quidam pudor in ore senis emicabat, prorsus ut Proculum illum, quem virginis senectæ Tertullianus appellat, referre mihi videretur. Nunquam ille obscœnum aliquod verbum aut turpiorem sensum ne inter legendum quidem ferre poterat. Mulierum colloquia, quæ alii appetere solent, studiose vitabat. Neque vero illum senectus morosum reddiderat. Juvenilis quædam hilaritas in senis ore perpetuo residebat, adeo ut ex illius sermonibus non doctiores modo, verum etiam lætiores rediremus. Animi æquabilitas & tranquillitas erat admirabilis, quippe qui nihil præter virtutem atque doctrinam ac cœlestia concupiscret: ab omni ambitione & inanis gloriæ cupiditate penitus alienus. Itaque in quibusdam libris nomen suum minime inscripsit. Et cum inter sodales suos maxima quæque officia summa cum laude gessisset, cum in aula Regis Christianissimi versatus fuisset, tamen privatum otium cum literis semper honoribus antepositum. Evocatus Romam olim fuit ab Urbano beatæ memoriæ Pontifice Maximo suffragatione Eminentissimi Cardinalis Barberini, qui eximias Sirmondi dotes optime cognoverat. Sed Rex Christianissimus Ludovicus suasu quorundam virorum cum Gallia excedere vetuit, ne tantus vir ad illustrandam Gallicanæ Ecclesiæ antiquitatem natus, Gallæ eriperetur. Renuntiatum est illi non multo postea ab hominibus ride dignissimis eo consilio in sum Romam accitum fuisse, ut in sacrum Purpuratorum ordinem adscriberetur. Memoria teneo id ab illo, cum hæc mihi narraret, additum fuisse, se si in ipso Romanæ urbis introitu hoc summi Pontificis consilium resciviſſet, statim eadem via in patriam fuisse rediturum. Quod equidem

dem tanti viri de ſeipſo teſtimonio facile credo. Idem multis poſt annis cum in aulam Regiam ad audiendas Principis Confeſſiones adſcitus fuiſſet, & in eo munere prudentiſſime ac religioſiſſime ſe geſſit, & tandem factione quorundam dimiſſus ex Palatio, tanta animi moderatione & conſtantia id factum tulit, ut eum in aula nunquam omnino vixiſſe diceres. Adeo omnem aulicæ illius pompæ memoriam penitus ex animo deleverat. Quid dicam de eximia illius frugalitate ac temperantia, cui acceptum referre ſolebat, quod integros corporis ſenſus firmamque valetudinem ad extremam uſque ætatem retinuerat. Quid de ſingulari prudentia, de amore in patriam, de ſtudio in Regem, de eximia erga Deum pietate? Qui cum difficillimis Reipublicæ noſtræ temporibus Romæ eſſet, quæ urbs tunc temporis ob religionis diſſenſionem Regis Henrici partibus minime favebat, nihilominus Regiæ Majeſtati ſemper addictus devotuſque permanſit, ſolam in Henrico religionis Catholicæ profeſſionem requirens. Quam tamen non armorum vi extorquendam, ſed votis ac precibus tum à Deo tum à Rege ipſo expoſcendam putabat. Dies me deficiet, ſi univerſas ejus virtutes oratione velim percenſere. His tot tantiſque animi dotibus ſummorum virorum amicitiam ſibi conciliavit. Uſus eſt primum familiaritate Petri Pithœi, & Nicolai Fabri, ex quorum colloquiis nunquam ſe niſi doctiorem diſceſſiſſe ſæpenumero mihi teſtatus eſt. Baronio quoque, Bellarmino, Oſſato, & Barberino Cardinalibus Eminentiſſimis inprimis acceptus fuit. Brularij etiam & Marilliaci, qui apud nos ſumma auctoritate & dignitate conſpicui fuerunt, amicitiam ipſe, ut memini, præ ſe ferebat. Denique ab omnibus, quotquot in Europa ejus ætate vixerunt, eruditis hominibus & cultus eſt & amatus. Quid igitur ei viro ad ſummam felicitatem defuiſſe dicemus? Qui & ingenium uberrimum ſortitus fuerat, cunctis, ad quæ eum vocaſſes, negotiis idoneum: & multiplicem rerum divinarum humanarumque notitiam, ac poſtremo omnium virtutum apicem erat conſecutus. Cui vita longiſſima, cum firma corporis valetudine, nullis unquam morborum moleſtiis interrupta, cui otium & quies non ſine honore ac dignitate, cui ſummorum virorum amicitia laudeſque affatim contigerunt: qui Regum, & Principum, qui tot Eminentiſſimorum Cardinalium judicia promeruit. Hunc ergo talem ac tantum virum, inter præcipua Galliæ noſtræ ornamenta numerandum, ex cujus uberrimis ſcriptis ac ſermonibus tantam doctrinam diutiſſime hauſimus, ingrati profecto fuerimus, niſi mortuum omni officio & exequiarum honore celebremus. Nec noſtra ipſi bona & decora ſatis noſſe dicemur, ſi, quem exteri mirati ſunt, nos vulgari ac tacito funere efferri patiamur. Itaque hoc à nobis, Jacobe Sirmonde, extremi honoris officium habeto. Quod tum meo, tum patriæ nomine libens quidem tibi, ſed non ſine acerbiſſimo doloris ſenſu perſolvo. Intelligo enim quantam literæ noſtræ jacturam interitu tuo fecerint. Te quidem tuæ virtutes, vitaque ſanctiſſime acta, divina favente clementia, ut ſperamus, cœlo adſcribent: & libri ſingulari eruditione referti famam tibi nullis intermorituram ſæculis comparabunt. Nos vero ex obitu tuo conceptum dolorem, tum ſermonum, tum virtutum tuarum aſſidua recordatione ſolabimur.

IN TUMULUM
JACOBI SIRMONDI
EPIGRAMMA.

SI tibi quis dignum vellet, Sirmonde, ſepulcrum
Condere, vix operi marmora ſufficerent.
Sunt ſcripti potiora tibi monumenta libelli,
Quos nec livor edax rodere dente queat.
Saxa quidem, & tumulos conſumit longa vetuſtas:
Nil tamen in libros tempora juris habent.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΙΑΚΩΒΟΥ ΤΟΥ ΣΙΡΜΩΝΔΟΥ ΤΑΦΟΝ

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

Πολλὰ βιοὺς, ϗ πολλὰ μαθὼν, ϗ πολλὰ διδάξας,
Καὶ σοφίης κ' ἀρετῆς ἔξοχ' ἐνεγκάμενος
Ἐν τούτῳ κεῖται τῷ μνήματι πιῶμι δ' αὐτῷ
Μὴ γνοὺς μηδ' ἴγνω τὰς Ελικωνιάδας.

HENRICUS VALESIUS.

Catalogus

Catalogus Operum P. Jacobi Sirmondi, digestus in ordinem temporum, quo sunt excusa sumptibus Sebastiani Cramoisy.

Gosridi *Abbatis Vindocinensis Opera*, edita anno 1610
Ennodii Episcopi Ticinensis Opera 1611
Flodoardi Presbyteri Remensis Ecclesiæ Historia 1611
Fulgentii Episcopi Opuscula quædam 1612
Valeriani Episcopi Homiliæ viginti 1612
Petri Cellensis Epistolæ, & Alexandri III. Papæ 1613
Sidonii Apollinaris Opera primum excusa anno 1614, *tum majori forma recusa* 1652
Vita S. Caroli Comitis Flandriæ 1615
Vita Leonis IX. *Papæ* 1615
Paschasii Ratberti Opera 1618
Censura de Suburbicariis 1618
Eugenii Toletani Opuscula 1619
Idatii Episcopi Chronicon 1619
Marcellini Comitis Chronicon 1619
Adventoria Causidico Divionensi de Suburbicariis 1620
Anastasii Bibliothecarii Collectanea 1620
Propempticum Claudio Salmasio de Suburbicariis 1622
Caroli Calvi Capitula 1623
Conciliorum Galliæ tomi tres 1629
Facundus Hermianensis 1629
Opuscula dogmatica quinque veterum Scriptorum 1630
Appendix Codicis Theodosiani 1631
S. Augustini Sermones quadraginta 1631
Antirrheticus I. *de Canone Arausicano* 1633
Antirrheticus II. *de eodem Canone* 1634
De duobus Dionysiis Dissertatio 1641
Theodoreti Opera Græco-Latina, tomis quatuor 1642
Quæstio triplex. De Lege Celebrandis. *De Paragrapho* Duorum fratrum. *De Codice Alarici Regis* 1642
Aviti Viennensis Opera 1643
Eusebii Cæsariensis Opuscula 1643
Fulgentii excerpta ex libris contra Julianum 1643
Prædestinatus 1643
Hincmari Remensis Archiepiscopi Opera, duobus tomis 1645
Theodulphi Episcopi Aurelianensis Opuscula 1646
Rhabani Archiepiscopi Moguntini adversus Godescalcum 1647
Historia Prædestinatiana 1649
Amolonis Archiepisc. Lugdunensis Epist. 1649

S. Au-

S. Augustini Sententiæ 1649
Servati Lupi de tribus Quæstionibus liber 1650
Rufini Palæstini de Fide 1650
Marcellini & Faustini Libellus precum 1650
Triplex nummus 1650
Anti-Tristani duo 1650
Historia publicæ Pœnitentiæ, & de Azymo 1651

Inscriptiones tam multas publici juris fecit, ut ex iis justum volumen excudi possit; quas tamen aliis Scriptoribus edendas dedit, quibus præcellit,

Antiquæ inscriptionis, qua L. Scipionis Barbati F. expressum est elogium, Explanatio.

PETRI

PETRI MOLINÆI VITA.

GEns Molinæa à Dionyſio de Molendino originem traxit, qui à Rege Carolo vi. maximis regni negotiis admotus, ex uxore Maria Courtenaya Regii ſanguinis femina filium Johannem ſuſcepit, & ea defuncta ad Eccleſiaſticas dignitates promotus, factus eſt Archiepiſcopus Toloſanus, mox Epiſcopus Pariſienſis, Cardinalis etiam, & nomine tenus Patriarcha Antiochenus: mortem obiit Lutetiæ an. 1447. & ad dextrum latus Altaris, Cathedralis Eccleſiæ ſepultus jacet. Denys du Moulin.

Ex ejus ſtirpe cum multæ illuſtres familiæ, tum duo inſignia literarum lumina prodierunt, Carolus Molinæus, magnus ille Juriſconſultus, qui jura Regum contra Paparum uſurpationes ſingulari ingenio & eruditione vindicavit.

Circa ejus obitus tempus, ex eadem familia ſucceſſit alter Paparum malleus, Petrus Molinæus, natus anno 1568. Oct. 18. in agro Vexinati in cubiculo quod magni illius Philippi Mornayi ortu nobilitatum fuerat. Cum enim Petri noſtri Pater cum uxore pregnante ſanctæ Religionis hoſtes infenſiſſimos fugeret, à fratre Philippi Mornayi maximo natu comiter excepti fuerunt, & in ejus caſtello *Buhi* Petrus Molinæus primam lucem aſpexit.

Parentes habuit Joachimum Molinæum, virum magis etiam virtute quam genere nobilem. Matrem Franciſcam Innocentii Gabeti Primarii Judicis Viennæ Delphinatus filiam, Illuſtris Viri qui ſtrage Bartholomæana an. 1572. per univerſam Galliam ſæviente, pro Chriſti teſtimonio animam conſtanter profudit.

Pontificii quidam fabulantur Joachimum Petri noſtri Patrem fuiſſe Monachum, deinde Monaſtici voti deſertorem: Quod commentum noſter ſic confutat in libro cui titulus eſt *Novitas Papiſmi. Si pater meus Monachus fuiſſet, & mox Reformatam Religionem amplexus, uxorem duxiſſet, nullam inde ſanguini meo maculam aſpergi putaverim. At id falſum eſſe populares ejus Aurelianenſes norunt. Tum erectus ejus in adverſis animus, affabilis convictus, morumque gravis & amœna facilitas, tantum à clauſtrali genio diſtabant, quantum Cœlum à Terra, & Miſſa ab Evangelio.*

Pace ut videbatur conſtituta anno 1570. Joachimo integram fuit domum redire & familiam ſuam recolligere, Sed brevia fuerunt illa Halcyonia. Nam anno 1572. cum Carolus IX. Proteſtantes Proceres nuptiis ſororis ſuæ Margaretæ cum Henrico Navarræ Principe delinitos convocaſſet, & convocatos trucidaſſet, confeſtim famoſa illa Bartholomæana internecio Galliam Univerſam

ſam pervaſit. Joachimo interfectores fugienti vix licuit liberos ſuos quatuor, infantes Ruffinæ cuidam è vicinia Romanæ Religionis mulieri, quæ famula ejus quondam fuerat, ſervandos committere Ruffina infantes ſub lecti lodice occultavit. Petrus nondum quadrimulus loci incommoda ægre ferens, ejulavit, Statimque percuſſores juſſi neque ſexui neque ætati parcere infantes perquiſitum venerunt. Ruffina ne pueruli ejulatus audiretur ſtanneam & æream ſupellectilem, quaſi aliud agens, de ſorulis dejecit, ſtrepitum clamoſa vociferatione augens, & vaſa colliſa ita recolligens ut magis collideret, donec ſicarii abſcederent. Vix pedem domo extulerant quum ad infantes Ruffina accucurrit, Petrumque ſenſim necem à certiſſima morte liberavit. Quippe Hefteræ ſeptennis, periculi ab iſtis hominibus gnara, Petri ejulantis os manu occludens paulum abfuit quin ſedulitate ſua præfocaſſet. Atque hanc Hefteram ſervabat Providentia Divina ex qua uxore Nobiliſſimus Vir Renatus Bochartus illuſtrem Samuelem Bochartum ſuſciperet.

Parentes Muretum confugerunt, Principis Condæi tunc Proteſtantis oppidum. Inde Sedanum; ubi Petrus Molinæus literarum rudimenta auſpicatus eſt. Condiſcipulum habuit Jacobum Capellum, virum cui literæ plurimum debent. Ambo ſimul cum laude Collegio egreſſi. Molinæus primo præmio donatus, Capellus ſecundo.

Anno æræ Chriſtianæ 1588. Petrus Molinæus annos natus viginti à Patre ad Academias Angliæ miſſus fuit. Poſt aliquam Londini moram, Cantabrigiam petiit, & in Collegio Corporis Chriſti ſubſtitit; Profeſſorum, Whitakeri potiſſimum, ſedulus auditor. Feriis æſtivis quam longam Vacationem appellant Londini concionandi progymnaſmata inter Gallo-londinenſes paſtores exercebat. Quibus cum interfuiſſet Reverendus Vir Fayus Eccleſiæ Pariſienſis tunc diſſolutæ Paſtor, admiratus adoleſcentis ingenium, & maturos progreſſus, ab eo poposcit an Eccleſiæ Pariſienſis Paſtor eſſe vellet. Reſpondit Molinæus non poſſe ſe de paſcendo grege qui nuſquam erat cogitare. At erit brevi, inquit Fayus. Quum mihi in mandatis ab Eccleſia datum ſit ut virum ejus Miniſterio idoneum deligam. Ego igitur te deligo, omnium quos novi ad id muneris aptiſſimum. Gratias Fayo egit Molinæus; & Fayus propoſiti ſui memor, non ante deſtitit Molinæum Eccleſiæ Pariſienſi commendare quam Eccleſia illum poſtulaſſet & accerſiviſſet. Sed id demum poſt ſeptem annos factum eſt.

Non abs re erit hic honeſti & generoſi ejus ingenii exemplum apponere. Londini agens cum in difficillimis temporibus conſuetum ſubſidium à parentibus non acceperat, & ſuperius cubiculi ſui tabulatum cogitabundus ſuſpiceret, obſervavit in angulo obſcuro inter duo tigna extans linteolum: eo cum laboriose conſcendiſſet extraxit ſudarium ſummam non contemnendam aureorum nummorum continens. Id an ad hoſpitem aut aliquem contubernalium ſuorum pertineret ſedulo inquiſivit. Cumque in iis ædibus nemo id ſuum eſſe agnoſceret, quæſivit cui ante conductum fuiſſet cubiculum quam ipſe in eo hoſpitaretur. Audivit Italum hominem in eo cubiculo diem obiiſſe. Quæſivit ulterius an defuncti conſanguineus aliquis Londini habitaret. Tum certior factus Italum quendam mortui agnatum ab eo hæredem ſcriptum fuiſſe

fuiſſe nunquam deſiit quin homine indagato illi totum aurum numeraviſſet, quanquam incertus erat an ad defunctum aurum illud pertinuiſſet.

At tanta ingenuitas, & in Deo fiducia, non fruſtra fuit. Brevi enim pecuniam à ſuis accepit. Nec poſtea deſierunt ſui tempeſtive mittere, donec eos literis monuit ne amplius mitterent.

Poſt quatuor annorum in Anglia moram, audiens Franciſcum Junium Lugdunum Batavorum eo veniſſe ut Theologiæ Profeſſionem ſuſciperet, eo proficiſci ſtatuit; & à Duce Wirtenbergenſi in Zelandiam navigante comes aſcitus fuit; ea navigatio fuit pleniſſima periculi. Coegit enim tempeſtas nautas tormenta & navis onus in mare projicere. Ibi Molinæi libri & ſarcinæ perierunt, nave circa Rammekin caſtellum Zelandiæ fracta.

Hinc data fuit Molinæo occaſio carmen condendi cui titulus eſt *Votiva tabella*, Poema ditiſſimæ venæ, quod famam ipſi & amicos peperit.

In Batavia amicorum coryphæum habuit Buzenvallium, Franciæ Legatum; tunc enim Henricus IV. Proteſtantibus Legatis ad Proteſtantes Principes & Provincias utebatur. Is ſemper Molinæum familiariter habuit, eique Gulielmi Auriaci viduæ, Henrici Matris, benevolentiam conciliavit.

Hac in re ſane Principis matronæ favor ei profuit quod, Philoſophicæ profeſſionis cathedra vacante, licuit illi pro cathedra cum æmulis diſputare, eamque diſputatione adeptus eſt, hoc tantum eo favore conſecutus ut merito ſuo poſſet ad id quo dignus erat aſſurgere.

Jamque Doctor in Cathedra, annos natus viginti quatuor, prælegebat Organum Græcum Ariſtotelis, mox libros Phyſicorum, De Cœlo, De Generatione & Corruptione, De Anima, De Meteoris, frequentibus diſputationibus Diſcipulos exercebat, in magna ſemper Auditorum frequentia. Plerique autem eorum qui Leydæ in Cathedras ſucceſſerunt, aut inſignes in ea Schola literis claruerunt, ejus fuerunt diſcipuli: inter cæteros Hugo Grotius, & ſane in iſto Philoſophico, tanquam gladiatorio Ludo rudibus batuendo per quinque aut ſex annos didicit arma decretoria tractare in totius Europæ Theatro eminentiſſimo, & ſacram veritatem feliciter propugnare innumeris prope congreſſibus cum hoſtibus Pontificiis. Molinæus quidem multis artibus pollebat: Sed omnium eminentiſſima fuit diſputandi peritia, multo uſu confirmata, mirum Ingenii acumen, ferenum judicium non unquam ira aut impatientia obturbatum, quæ diſputationes graviſſime inſtitutas ſolent abrumpere.

Leydæ magni Scaligeri menſa utebatur qui eum faciebat maximi. Quando Molinæus Logicam ſuam Leydæ edidit anno 1596. Scaliger, perlecta ejus præfatione ad Juventutem ſtudioſam, de ea pronuntiavit, *hæc Epiſtola non eſt hujus ævi.* Fuitque Logica iſta tredecies intra paucos annos prelo commiſſa, & in plurimis Academiis publice prælecta; utpote intimam rationalis Philoſophiæ medullam, in Topicis præſertim aperiens.

Scaliger plurimos convictores præcipuæ nobilitatis habebat, cum Pontificios tum Proteſtantes. Unde Molinæo oblata fuit occaſio multos inſignioris notæ amicos comparandi. Ex hoc numero fuit Caſtanæus Rupipolæus, ſcriptis ſuis notus, & ad Epiſcopatum Pictavienſem demum promotus, Gourguelius præſes Burdegalenſis, & tertius, cujus nomen nos fugit, illuſtris Abbas. Hi cum eo conſuetudinem in Gallia cupide renovaverunt. Qua libenter uſus eſt,

ſumma tamen cautione adjuncta. Nam Fidei ſuæ inſidias ſtrui ab iis expertus eſt quo honoribus atque divitis oblatiis ad Reformatas partes deferendum pelliceretur.

Præter Philoſophicam Profeſſionem Græcam linguam in Collegio Theologico docuit; cujus linguæ erat apprime peritus. In libro cui titulus eſt *Novitas Papiſmi* ſuam in Græcis literis peritiam ſimul & Perronii ignorantiam ſatis oſtendit.

Propter ejus Græce ſcribendi & loquendi peritiam, & Italicæ linguæ uſum, invitatus fuit à Legato quem Henricus IV. ad Turcicum Imperatorem mittebat, ut cum Græca natione & mercatoribus qui plurimum Italica lingua utuntur, haberet commercium. Suadebat Buzenvallius ut paupertate Miniſterii Evangelici valere juſſa ad Seculi negotia tranſiret. Ejus tum ingenii tum corporis elegantiam, in convictu ſuavitatem, ad res gerendas induſtriam id plurimum ſuadere: cogitaret Miniſterii in ampliſſima civitate laborem graviſſimum, ſuperbiam Cleri, proterviam Monachorum, ronchos vulgi, omnia quæ veritas parit odia: ne ſciens & volens tot mala capiti atque exiſtimationi ſuæ acceſſeret. Hæc incaſſum, quanquam ab amiciſſimo viro profecta. Omnia hæc præceperat atque animo ante peregerat Molinæus. Potior apud eum voluntas Deo ſemet conſecrandi, & pro Deo nullos labores recuſandi, omnia pericula adeundi fuit.

Magna cum jucunditate & exiſtimatione in Batavia vixit, quam alteram ſuam patriam ſolebat appellare. Tandem ab Eccleſia Pariſienſi diu efflagitatus, ab Academiæ Curatoribus miſſionem obtinuit. Abiens Bataviæ in ſigni Poemate valedixit, cui titulus eſt *Panegyricus Bataviæ*. At Batavia dimiſſum ita dilexit, ut poſt annos duodecim omni opera & ſtudio ad Theologiæ cathedram Leyda vocaverit, mox etiam Groninga. Sed irrito conatu; citius enim oculos ſuos à Pariſienſibus quam Molinæum ſuum impetraſſent.

In Galliam profecturus in animo habuit trans Hiſpanicæ ditionis Belgium iter facere ut Antwerpiam & Bruxellas videret. Huic conſilio favens Buzenvallius procuravit ei literas ad Petrum Mexiam Antuerpiæ Præfectum ab mercatore cui Mexias plurimum debebat. Hæ literæ erant illi pro commeatu, quo inſtructus per hoſtile ſolum tutus iter faceret. Navem igitur conſcendit conſuetam cum Antuerpia, negotiari. Ea anchoram juxta Ordam pro more fixit, dum milites Antuerpiani expectabantur ſingulorum commeatus inſpecturi. Jam accedebat ſcapha militaris Antuerpiana quum Navarchus vectores ſuos monuit ut quiſque commeatum ſuum promeret. Molinæus dixit ſe pro commeatu habere literas ad Petrum Mexiam. Ilicet periiſti, inquit Navarchus; Nam antequam anchoram hic figeremus, ab Antuerpiana nave præternavigante audivimus milites arcis cuſtodes tumultuantes Mexiam in vincula compegiſſe. Proculdubio milites qui ad nos properant ejus gratia te male mulctabunt, præſertim cum te qui ſis cognoverint.

At in tam præſenti periculo præſentius fuit Molinæo Dei Opt. Max. auxilium. Statim enim acceſſit navis Zelandica in qua Molinæus amicum agnovit, eique periculum ſuum expoſuit. Nihil periculi eſt (inquit amicus) ſi confeſtim ad nos tranſieris. Hic enim Germanus nobilis duos habet commeatus, ſibimet unum, alterum pro famulo ſuo quem ægrum hodie in Zelandia reliquit.

quit Tu famuli ſago indutus (quod herus penes ſe habet) famuli commeatu frueris. Dictum factum. Molinæus in Zelandicam navem tranſiit, famuli ſagum variegatum induit, & ſub ſervili veſte libertatem tuitus eſt. Hanc liberationem quandiu vixit Molinæus grato in Deum animo recoluit.

Lutetiam venit Molinæus Feb. 28. 1599. Sed antequam tanti oneris & periculi munus aggrederetur, Patrem ſuum in oppido Jargeo adiit, & tres menſes orationi & ſtudio aſſiduo dedit. Circa id tempus Catharina Regis Henrici ſoror eo jubente Duci Barriæ Ducis Lotharingiæ filio nupta fuit. Ea in Reformata Religione invito fratre conſtanter perſeverabat, eique miniſtrabant per vices Eccleſiæ Pariſienſis Paſtores, in Regiis ædibus, ibique coram ea Dominicis diebus concionabantur, profecturæ Regis ſorori cum viro in Lotharingiam aſſignaverunt Paſtores Montignium ſeniorem Paſtorem Eccleſiæ, qui Principi fœmine in eo itinere miniſtraret. Recuſabat provinciam Montignius ſenio fractus & emeritus, rogabatque ut ſibi ſubſtitueretur Molinæus juvenis, & ad itinera obeunda expeditus. Hoc conſilium adjuvabat Regia ſoror quæ Molinæo præcipue favebat.

Paruit jubenti Molinæus, cumque in itinere Princeps exciperetur in Epiſcoporum & Abbatum Palatiis, Molinæus in Meldenſis Epiſcopi Palatio concionatus eſt; mox in Catalaunenſis, & in Jovarrenſi Abbatia.

Vitriaci in Campania cum Regii hoſpitiorum deſignatores expectarentur, Vidua forma bona atque ætate integra agnatum ſuum primarium civitatis Magiſtratum adiit, rogavitque ut Regis ſororis Paſtorem hoſpitem haberet, verita nempe ne quis importunus hoſpes ſibi aſſignaretur. Quippe audiverat ſenem Montignium ad id Officii ab Eccleſia Pariſienſi fuiſſe deſignatum. Melius quam rogaverat obtinuit vidua, egregium juvenem Molinæum, quicum poſt menſem unum aut alterum felici conjugio copulata fuit.

Quandiu Regia ſoror vixit (nempe quinque annis poſt nuptias ſuas) quotannis è Gallia vere novo iter in Lotharingiam faciebat, & cum ea Molinæus. Cum enim quatuor Paſtores ita annum inter ſe diviſiſſent ut per vices ſinguli quarta anni parte Regiæ ſorori miniſtrarent, ſors Molinæi ſemper in itinerans illud Miniſterium, incidebat. Quinimo extra Molinæi ſortem quotidie ferme Regia ſoror eum ſecum habebat, ejuſque filiolum ſinu fovebat. Atque eo favore vir ſanctus non ad rei domeſticæ incrementum ſed ad Principis feminæ in ſacra Religione confirmationem utebatur. Quod ſane erat ſumme neceſſarium. Urgebat enim Regem Papa ut ſororem ſuam ad Eccleſiam Romanam perduceret. Idque Rex ſedulo adnitebatur; doctiſſimos & vaferrimos totius Cleri immittens Perronium & Cottonum. Iſti quidem Molinæum acriter adoriebantur antequam eum bene noſſent. Sed cito ſubſedit illa pugnacitas. Nam ſacræ veritatis robore & vivido Molinæi ingenio cum pari eruditione conjuncto, ab eo poſtea laceſſendo caute abſtinuerunt & aliis minus cautis arduum illud tentamentum reliquerunt. Nec fere unus abibat dies quin ab hoſtibus impeteretur, quos Deo adjuvante ita retundebat ut cum expertis conſultiſſimum videretur Molinæum intactum relinquere.

At ſemel quoſdam utriuſque religionis proceres cupido incepit Perronium & Molinæum diſputantes audiendi. Quod quanquam Perronio maxime diſplicebat, non ſivit eum pudor id detrectare. Convenerunt ergo à turba remoti.

moti. Is fuit disputationis exitus ut Perronio rogante tota res gesta utrinque silentio premeretur.

Exinde Perronius cum laude de Molinæo loquebatur. Semel cum Perronius in prædio suo Nobiles vicinos invitasset, tum Romanæ tum Reformatæ Confessionis, & sermo de Molinæo incidisset; quidam *Presidens Chevelier* dixit eum esse asinum. Commotus Perronius, Minime (inquit) censendus est inter asinos Molinæus; nullus sese illi asino affricuit qui non ab eo calce percussus abierit. Molinæus quoque de Perronio loquens agnoscebat eum omnium Adversariorum longe subtilissimum.

Rex Henricus IV. ut Papæ & Clero Gallico de cura sua circa sororis suæ conversionem constaret, sæpenumero eam obsecravit ut Sacellanorum suorum conciones audiret. Illa tandem cogitans quantum Regis interesset ut semel saltem eos audiret, promisit se Patrem Cottonum audituram; qui idcirco jussus fuit ut coram Rege & Regis sorore concionaretur, statim post Molinæi concionem eodem in loco. Nam eodem in loco duo illi cultus oppositi singulis diebus Dominicis continuo celebrabantur, dum Regis soror vixit, nisi quum ipsa domo abesset.

Illa ut se contra oppugnationem istam muniret post Molinæi concionem ipsum in secretum conclave deduxit, ubi delitescens posset Jesuitæ facundia frui.

Cottoni concionis argumentum fuit de Spiritus Sancti in hominum mentibus inhabitatione. Eam ille ita exorsus est:

'Semel me cupido incessit Nosocomium insanorum visendi. Ingressum me 'comiter excepit multæ gravitatis senex; Me deduxit ad omnes insanientes, '& singulorum diversas insanias mihi exposuit. Iste, inquit, sese existimat 'totum esse nivem concretam & ad ignem timet accedere ne dissolvatur. Ille se 'putat in urnam fictilem transformatum; quare parietes vitat, nec quemquam 'patitur ad se accedere ne allisione frangatur. Quatuor isti graviore insania 'laborant; enimvero se putant spiritu prophetiæ afflatos. Hic se putat esse 'Eliam, Alter iste se esse Jeremiam, Tertius Danielem, Quartus S. Paulum: 'Ego vero qui sum Spiritus Sanctus novi eos omnes esse insanos aut impostores, 'nam nunquam à me missi fuerunt. Sic Reverendus Senex postquam mihi 'aliorum insanorum morbos exposuisset, tandem & suum explicuit. Neque 'micam unam insaniæ in eo observavi, adeo sobrie loquebatur multa cum gra-'vitate & fide, donec se professus est esse Spiritum Sanctum.

'Consimilem desipientiam videre est in Reformatam (scilicet) Religionem 'profitentibus. Inter eos videas sapientes & religiosas Principes fœminas, '[*innuebat Cottonus Regis sororem*] sapientes & fideles Quæstores Fisci [*innuebat Sullium Ducem*] fortes & prudentes exercituum Duces [*innuebat Bullionium Ducem*] Sapientes & eruditos Senatores Regios [*innuebat Plessæum Mornayum*], omnes omnibus in rebus sapientes, nisi quod se putant habere 'Spiritum sanctum quem non habent. Concionis materia suppar proœmio, supparem effectum in audientium animis edidit. Omnes hilares effecit, neminem in fide aut moribus meliorem.

Anno 1602. celebris disputatio habita fuit, juxta Regiæ Sororis ædes, inter Cayerum & Molinæum, Cayero provocante, quondam Evangelii Ministro, tunc

tunc Sorbonenſi Doctore. Quæſtiones agitatæ fuerunt de Miſſæ ſacrificio, de Adoratione Papæ, & de Imaginum cultu. Cayerus duos comites Carmelitas Doctores, Molinæus ſibi nullum adjunxit. Scribæ utrinque aſſignati, Auditorium ingens, Diſputandi non interruptus ordo per dies quindecim. Quanquam poſt primum octiduum Sorbona Cayerum graviter objurgavit, ut Catholicam cauſam male defendentem & Adverſario indulgentem, ut profundius quam conducebat in quæſtiones deſcenderet. Et Epiſcopus Pariſienſis Cayerum vetuit Acta Diſputationis ſubſcriptione ſua confirmare. Hinc factum ut Cayerus exinde timide diſputaret, & ſæpius profiteretur ſe nulla authoritate munitum ad hanc diſputationem veniſſe. At totum Sorbonæ corpus Regium Advocatum adivit, conquerens illam diſputationem pleniſſimam eſſe periculi, & non ſine ſeditione deſituram, niſi publica authoritate diſſolveretur. Quid magiſtratus authoritate conſtitutum fuerit ſilentio preſſum fuit. Sane Molinæo ad ædes conſuetas venienti fores occluſæ fuerunt, ſed mox Cayero apertæ. Molinæo tandem cum turba ingreſſo, literæ ſine ſcribentis nomine ad dominum ædium, exhibitæ fuerunt, ſuadentes ut diſputationi aulas ſuas ulterius non commodaret, & carceris periculum commodanti interminantes. Hinc ſpes adempta aliam domum pro diſputatione nanciſcendi. Cayerus rogatus Actis diſputationis ſubſcribere abnuit, & tergum obvertens dixit, *Tu de me alias audies:* ſed nihil ab eo de iteranda diſputatione auditum fuit. Sed de eo poſt aliquot annos audita fuit infamis & nimis vera hiſtoria; cum à Diabolo necatum, & membranas inventas quibus cum Dæmone Terrier fœdus percuſſerat.

Hæc cum Cayero collatio in clariſſimo Franciæ lumine, ſub ipſa Aulæ limina, & cum accurato ordine per octo dies acta, merito illuſtris fuit. Inde enim plurimi ad Reformatam Eccleſiam adducti ſunt. Ejus narrationem venerandus vir Archibaldus Adaire Epiſcopus Scotus, omnium ultro citroque actorum oculatus teſtis, multa cum gravitate & fide conſcripſit & publicam fecit.

Exitum hujus Collationis Reformatis commodum Sorboniſtæ non ferentes, ſecundam Collationem inſtituerunt, eamque tota Pariſienſis Academia & univerſus Clerus promoverant, quippe quorum inprimis res agebatur. Conventum fuit ut Sorbonenſes continuo triduo ſuper quæſtionibus quas ipſis deligere liberet opponerent, Molinæus reſponderet; Mox alio triduo Molinæus, eadem cum libertate, opponeret, Sorbonenſes reſponderent.

Triduo igitur Molinæus reſpondens expertus eſt in eo certamine Dei Opt. Max. auxilium, quod ipſi nunquam in cauſa Dei defuit. Poſt triduî laborem exantlatum cum ſolus ſero veſpere in muſæo ſuo ſederet Molinæus, Ecce quidam in ſacrificuli habitu muſæi oſtium pulſavit. Cum Molinæus oſtium adaperuiſſet homo magno impetu ingredi adnixus eſt. Molinæus totis viribus nitentem repulit. Dum uterque robore contendit, ille impellendo hic depellendo, homo accurrentium ſtrepitu territus, quos alta voce ad auxilium Molinæus vocabat, ſeſe celerrime foras proripuit. Nempe cum ex diſputationis pacto poſtridie Molinæus opponentis partes agere debuiſſet non temere noſtri exiſtimaverant percuſſorem à Sorbonenſibus immiſſum fuiſſe qui formidandum opponentem de medio tolleret. Sane eos noluiſſe ut Molinæus ex Collationis

lationis pacto opponeret, patuit proxima die. Cum enim Molinæus ad conſtitutum diſputationis locum veniſſet opponens futurus, exceptus fuit Regis mandato diſputationem prohibente.

Ex his adverſariorum ſtrophis detectis ſacra veritas plurimum confirmata fuit, & ſacræ veritatis aſſertoris Molinæi fama percrebuit.

Sub idem tempus diverſi generis occaſio aliam laudem Molinæo conciliavit. Cum uxor ejus graviſſimo morbo laboraret, Medicos Regios quibuſcum magna ei intercedebat neceſſitudo, rogavit ut eam inviſerent & ſuper ea conſultarent. Tunc florebant in Aula maximi nominis medici, Duretus, Quercetanus, Gerrhæus, Laurentius. Moris eſt in Gallia conſultantibus Medicis ut Latine de morbo ægri verba faciant. Conſultaverunt igitur de more Medici quatuor ſuper matronæ morbo. Rogavit Molinæus ut ſibi liceret ægræ marito, cui ægrotæ valetudo imprimis cognita erat quid de ea ſentiret ediſſerere. Tunc ille Latina ſua facilitate uſus ex intima Anatomica Philoſophice de indicationibus & cura morbi diſſeruit. Medici admirati juvenis Theologi tantam in re medica peritiam, ejus ſententiæ acceſſerunt, & ejus laudes in Aula & paſſim in civitate diſſeminaverunt.

Huic affine eſt quod Jacobum Primiroſium inſignem Medicum memorantem audivi ſibi Lutetiam ad Scholas Medicinæ miſſo, anno 1615. Molinæum prælegiſſe Aphoriſmos Hippocratis multa cum eruditione. Hæc temporibus longe disjuncta ſimul poſui propter argumenti cognationem. Sed eo unde digreſſus ſum redeo.

Poſtremus Regiæ ſororis morbus multum & diu exercitam Molinæi pietatem & induſtriam tenuit. Enimvero ejus fidei perpetuus firme confirmator, nec minis, nec vi quidem, potuit ab officio dimoveri. Moribundæ adſtantem Perronius violenter depellere ſemel aggreſſus eſt, dicens ſe ab Rege miſſum, & ejus eſſe dignitatis cui loco cedere Molinæus ubique deberet. Molinæus vim vi depellens & lecti columnam prehendens, reſpondit ſibi primum locum ad Regiæ ſororis lectum deberi: Sibi non veriſimile videri Regem velle ſororis ſuæ conſcientiæ vim inferre. Denique velle ſe ægrotantis ſententiæ parere, edicat Regia ſoror ſuam de ea re voluntatem: Nec defuit ſibi pia Princeps, ſed aperte & ſine circuitione locuta eſt, Velle ſe in Reformata Religione mori, & Molinæum uſque ad mortem ſibi adeſſe. Adfuit igitus ſedulus & aſſiduus, donec à Chriſto redemptam animam in manus Redemptoris ſui reddidiſſet. Rex ſane Papæ & Clero Romano placere cupiens, quantum ſine aperta vi potuit adnixus eſt ut in Romana profeſſione moreretur: Regemque ſibi eo nomine infenſum fuiſſe Molinæus opinatus eſt.

Præter diſputationes quibus ſæpiſſime à doctis & indoctis coram in os obtundebatur, adverſariorum quinetiam ſcriptis indeſinenter laceſſebatur. Unde perpetua illa ſcribendi neceſſitas, & libros edendi. Quos ob Gallicam puritatem, & amœni ſtyli ingenioſam facilitatem, amici juxta & inimici avide perlegebant, unde aliud agentibus veritatis lux affulſit, & plurimos nec opinantes in viam reduxit.

Quid memorem Cleri Romani iras, Monachorum petulantiam, Jeſuitarum technas? Quicquid apud eos erat eruditionis & ingenii præpoſitorum authoritate conquirebatur, & ſale nigro conditum in Molinæi ſinum effundebatur.

Ipſe

Ipſe vix ullam ſibi requiem indulgebat ab confutando ſi quid à malis mentibus malis animis in ſacram veritatem confutatione dignum prodiret. Nam atrocia in ſe maledicta inſuper habebat; ſatis beatum ſe exiſtimans ſi Dei veritas ſarta tecta maneret.

Cum unum ex ſuis controverſiarum libris Patri ſuo venerando ſeni tali filio digno dedicaſſet, Amicus quidam appoſite in calce Epiſtolæ aſcripſit hos Virgilianos verſus:

Et nos tela pater, ferrumque haud debile dextra
Spargimus, & noſtro ſequitur de vulnere ſanguis.

Quomodo inter tot avocamenta, tot conciones conſuetas elaborare potuerit, quæ totum hominem poſtulant, eaſque facundas & eruditas, nemo ſatis mirabitur: Idque omnem fidem ſuperaret, niſi quis apud animum ſuum reputet quantum Dei Opt. max. interſit ut cauſam ſuam tuentibus addat animos, vireſque ſuppeditet.

Cum vir ingenio & eloquentia inſignis Cuffetellus librum edidiſſet contra Sereniſſimi Regis Jacobi fidei Confeſſionem, Molinæus Regiæ Confeſſionis Defenſionem libro ſingulari ſuſcepit. Liber Regi & Clero Anglicano fuit acceptiſſimus; Rexque ſuper hac occaſione cœpit ad Molinæum ſcribere, & eum poſtea literis ſuis ſæpius dignatus eſt, mutuas ab eo literas poſtulans. Aſſervatur in Regis ſcriniis, quem ego me vidiſſe memini, Molinæi ad Regem Epiſtolarum Codex.

Quanquam Rex Henricus IV. infenſus erat Molinæo quod in ſororis ſuæ religione tuenda ſuis conatibus obſtitiſſet, tamen eum faciebat maximi, quod ſic Molinæo innotuit. Cum expeditionem in Flandriam pararet, Nobilem Proteſtantem Cheſneum cui maxime confidebat his mandatis inſtruxit. Cum diutius ſim domo abſuturus, id magnopere mihi curæ eſt ut dum abſuero in regno meo quieta ſint omnia. Timeo autem ab duobus inquietis hominum ordinibus ne turbas cient, Jeſuitis & Miniſtris junioribus. Idoneos homines mihi delegi qui cum Jeſuitis agant. Te qui cum Miniſtris agas deligo. Tu quum abiero Molinæum convenito. Dicito meminiſſe me quacum cura & fide ſorori meæ in vivis agenti miniſtraverit. Rogare me ut pro incolumitate mea & expeditionis meæ felici ſucceſſu precetur. Me abſente ad quietem ſe componat, neminem provocet, nemini provocanti reſpondeat. Interim à me hanc crumenam accipiat.

Rege poſt paucos dies interempto, Cheſneus Molinæum convenit, eique hæc Regis tulit mandata, crumenam quoque obtulit. Quid pecuniæ crumena continuerit non rogavit Molinæus, nec eam accipere voluit; Nimia forſan religione.

Poſt nefariam magni Regis cædem Molinæus librum edidit cui titulus eſt *Antiotton*, in quo probat Cottonum & totum adeo Jeſuitarum ordinem Regiæ cædis reos teneri. Libro nomen ſuum non appoſuit Molinæus. Eum tamen libri Authorem fuiſſe nemo dubitavit. In eo Anagramma Cottoni

PIERRE

PIERRE COTTON

PERCE TON ROY.

adversarios provocavit ut sic in Molinæi nomine luderent

PETRUS DU MOULIN

ERIT MUNDO LUPUS.

Cum hoc Epigrammate.

Petri hostis Petrus Christi insidiatur ovili,
Quo deglubere, quo dilaniare queat,
More lupi, & vere lupus est cui nomen & omen
Et mores insunt ingeniumque lupi.

Quem lusum hoc lusu ultus est Molinæus
Quisquis es insulso qui fundis acumine versus,
Hellespontiaco victima digna Deo.
Quam frustra vacuum scalpsisti sinciput? O quos
Risus hybrida vox semilatina movet.
Dum tua mens varie turbata elementa pererrat,
Et spargis virus nomen in innocuum.
Quin & in hoc casu quædam est industria, dum tu
In laudem imprudens nomina nostra trahis.
Namque *lupo* cohibemus equos; agitator equorum
Improbioris equi comprimit ora *lupo*.
Qui in gyrum cogit, facilique peritus habena
Compositos gressus agglomerare docet.
Ergo *lupus* mundo est qui frænans ora lupato
Dura, per errorum devia monstrat iter.
Nec mirum si nos Papalis verna culinæ
Si ciniflo Satanæ, dixerit esse lupos.
Cum Christum Satanam Pharisæus dicat apella
Nemo bonus secum mitius optet agi.
Ergo Dei servum vanis latratibus urgens
Meque *lupum* appellans desinat esse *canis*.

Cum Serenissimi Jacobi Regis amor erga Molinæum indies augeretur, eum videre bonus Rex voluit; & anno 1615. ut ad se veniret serio invitavit. Intercessit Parisiensis Ecclesia, nec ante permisit Pastorem suum in Angliam proficisci, quam coram universo Ecclesiæ conventu sancte promisisset se post tres menses rediturum. Transfretavit igitur cum inclyto Theodoro Mayernio Regis Jacobi Medico, & fratrem suum Johannem Molinæum comitem assumpsit.

Duobus

Duobus menſibus ante Molinæi profectionem acta fuerant Blæſis totius Franciæ Comitia. In quibus Perronius Cardinalis orationem habuerat qua Papæ poteſtatem attribuerat Reges regnis ſuis exuendi. Eamque orationem ad Regem Jacobum miſerat. Commodum advenerat ad Regem Molinæus qui Regis ad illam Orationem animadverſiones Gallice verteret. Titulus Regii libri fuit *Vindiciæ Juris Regum*; fuitque Gallice primum editus Londini, an. 1615. mox Anglice.

Accerſitum ergo Molinæum, & opportune advenientem, Rex ſumma cum benevolentia excepit: Prandens ſolebat cum Molinæo ſermones habere; Pranſus eum adſtantium Magnatum alicui commendare, quicum pranderet. Quandoque etiam cum Molinæo & Mayernio remotis arbitris animum curis gravem colloquio ſuavi relaxabat: Nec ſane potuiſſet in orbe terrarum duos amœnioris ingenii viros quibuſcum familiarius verſaretur ſibi deligere.

Ad Comitia Cantabrigienſia Rex proficiſcens Molinæum eo deduxit. Qui ab Academia oblatum Doctoratus gradum gratiſſimo animo accepit. Inde cum Rege reverſum Rex voluit Gallice concionantem audire. Paruit Molinæus, & in Sacello Palatii Grenovicenſis coram Rege concionatus eſt; Textus fuit Rom. 1. 16. *Non me pudet Evangelii Chriſti.*

Poſt trimeſtrem in Anglia moram, ab optimo Rege dimitti obſecravit, & ad gregem ſuum remitti cui reditum ſuum pollicitus erat: Rex ſumma opera adnixus eſt eum perpetuo ſecum habere.

Nec defuerunt honorum & opum pollicitationes, quibus cum obfirmatum animum & promiſſi tenacem non poſſet expugnare, ſubiratus dimiſit, cum indignum Regis amicitia pronuntians. Abeuntem tamen muneratus eſt Prebenda Cantuarienſi, fratrem ejus torque aureo. Poſt aliquot annos Præbendæ addidit Rectoriam ſine Cura. Proventus utriuſque ducentæ libræ.

Relicta Anglia Molinæus Bononiam appulit. Appulſo Campaniolus Bolonæi Præfectus milites duos cuſtodes aſſignavit, dum ipſe ejus ſcrinia ſcrutabatur. Enimvero id quod juſſus erat facere faciebat. Cum enim Condæus Princeps Proteſtantium Gallorum tunc temporis gratiam ambiret ut ab iis adjutus Mariæ Regis Matri arma inferret, ſuſpicabantur Regii Molinæum in Angliam à Proteſtantibus miſſum fuiſſe, ut auxiliares copias à Rege Jacobo impetraret. Poſtquam vero Præfectus in Molinæi ſchedis nullum ejus rei indicium invenit, liberum eum cum ſuis impedimentis dimiſit, rogatum ut nemini de hac injuria conquereretur. Quam indignus fuerit ea ſuſpicione Molinæus, mox patebit.

Domum reverſus Molinæus multo cum dolore vidit Proteſtantes partes Condæi adverſus Regis Matrem amplecti; quod quidem erat adverſus Regem ipſum bellum movere quippe quem Parlamentum ſui eſſe juris & tutela egreſſum pridem agnoverat. Illos igitur tum concionibus tum Epiſtolis à tam illicito ſtudio dimovere conabatur; Deo non tempori ſerviens. Ipſique debebant Regiæ partes, quod ne unum quidem Proteſtantium oppidum cis Ligerim ſeſe Principum partibus adjunxerit.

Huic bonæ operæ ut bonam gratiam referret Regina miſit eundem Cheſneum, (quem ante Rex Henricus, ad Molinæum miſerat) qui eum gratiis actis, & pecunia data rogaret ut ſe Regi fidelem & benevolum præſtare pergeret.

Munus recusavit Molinæus dicens se non eum esse qui pecunia emendus sit ut Regi suo fidem servet. Institit Mhesneus non posse eum sine contemptus nota Regiam liberalitatem recusare. Si mihi vis (inquit noster) pecuniam istam coram Consistorio nostro dare, accipiam. Negavit Chesneus id sibi in mandatis datum esse.

Fuit sane publica illa Conventus nostri Politici cum Conædo contra Regem conjunctio, maxima coram Deo & hominibus Protestantium labes. Illa erat quæ sequentibus annis eorum partes & infelices Ecclesias pessumdedit. Idque fore Molinæus prædixerat quamprimum Rex adoleverit.

Longum fuerit innumeras disputationes quibus Molinæus vexatus fuit numerare. Hæc ultima fuit Jesuitarum stropha, ut postquam nobilem aliquem virum, in Reformata Religione educatum ignarum sed indoctum, & opibus inhiantem pollicitationibus corruperant, cum eo paciscerentur ne Reformatorum partes aperte desereret, nisi post disputationem ipsius rogatu habitam ut inde major ipsis & Catholicæ Religioni gloria accederet.

Sed sæpissime hæc decipula decipientes fefellit. Nam vel ille quem corruperant ex rationum Conflictatione veritatem edoctus resipuit, aut etiam ex iis suarum partium hominibus quos victoriæ testes futuros adduxerant aliquos cum ignominia amiserunt.

Hujus rei exemplum illustre præbuit Liemburnus à Gontiero Jesuita corruptus, jussus ab eo disputationem postulare ut conscientiæ suæ dubitanti satisfieret. Postulavit; & ut voti compos fieret hospitium in Molinæi vicinia conduxit, seque cousque in ejus consuetudinem insinuavit ut eum ad cubiculum suum perduxerit, ubi multos ad disputationem audiendam convocaverat. Ibi mulier à Gontiero prius edocta Molinæum rogavit ut vocationis suæ rationem ederet; Vix fermonem ea de re occeperant quum Gontierus vehiculo advectus libris onusto ingressus est, dicens. Qua de re hic agitur? Obsecraveram Molinæum (inquit mulier) ut me de Vocatione sua certam faceret. Ego quoque (inquit Jesuita) idem ab eo postulo. Ego vero (inquit Molinæus) aio hominem tui ordinis qui quæstionem de alicujus vocatione movet, certum esse debere de sua. Cum ergo sacerdotis in Ecclesia Romana vocatio sit ad corpus Christi conficiendum, rogo te ut mihi commonstres in quo Scripturæ loco Deus jubeat corpus filii sui sacrificari. Id vero perfacile est, inquit Jesuita, jussitque Biblia & Concordantiam afferri. Allati sunt libri quos Jesuita diu volvit & revolvit. Tandem id invenire impos quod nullibi erat, secessit silens & anxius in angulum cubiculi. Liemburnus ira percitus Gontiero dixit, Tune is es Pater qui Ministros omnes te tuo halitu dissaturum aiebas? At ecce tute coram Ministro uno stas mutus. Hæc Jesuitæ tergiversatio Liemburnum ad veram Religionem retraxit.

In alio congressu cum Jesuita minime muto, postquam de religionis negotio diu actum fuit, Monginotus Pontificius, medicus celebris, veritatis lumine & rationum pondere eo adductus fuit ut veritati non modo manus daret, sed & eam insigni libro propugnaret.

Ægrotabat ultimum Nobilissima femina Fervacii Franciæ Marescalli vidua ditissima Principi Joinvilleo Pontificio desponsata. Ille morituræ adfuit cum Salleo, Genevæ nomine tenus Episcopo, & plurimis præcipuæ Nobilitatis viris

viris & feminis. Omnium una opera erat ut moribunda Romanam fidem amplecteretur. Aderat ægrotæ Molinæus quem dignitate ſua protelare, & ab ejus lecto ſummovere fruſtra tentavit Epiſcopus.

Hanc litem diremit Vir gravis & ingenuus Boiſſiſius, qui morituram utrique comem, & nimis ambignum, ſic compellavit, Non eſt nunc tempus diſſimulandi Domina, aperte loquere, elige utrum mavelis in noviſſimo hoc agone tibi adeſſe, Epiſcopum an Molinæum? Molinæum, inquit illa. Abſceſſit ergo Epiſcopus & cum eo omnes melioris notæ. Pauci maleferiati manſerunt, Molinæum interturbaturi; quibus invitis Molinæus ægrotam precando, conſolando, hortando, confirmavit.

Poſt horæ dimidiæ moram, Tres Optimates qui prius egreſſi fuerant, regreſſi Molinæum ſic affati ſunt: Infra præſtolantur Illuſtriſſimæ Principum uxores & viduæ percupientes audire te cum Epiſcopo ſuper Religione conferentem. Ad eam rem (inquit Molinæus) in me mora non erit ulla. Vereor tamen, Domini mei, ne iſta arte ab ægrota divellar & poſtea ad eam redire prohibear. At illi, Nos vero tibi liberum fore ad eam poſt diſputationem reditum ſancte pollicemur. Secutus eos Molinæus illuſtres feminas rogavit ſuper quo Religionis capite vellent diſputari. Super verbis Chriſti *Hoc eſt corpus meum*, inquit Longavillæa Princeps.

Molinæus dixit genuinum ſenſum harum vocum dari à S. Paulo 1 Cor. 10. 16. *Panis quem frangimus eſt Participatio corporis Domini.*

At (inquit Epiſcopus) idem Apoſtolus affirmat verum corpus Chriſti in illa participatione edi, & allegavit 1 *Cor.* 11. 24. Chriſtus diſcipulis ſuis dixit *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum.*

Miror (inquit Molinæus) te textum iſtum allegare quem Eccleſia tua turpiter corrupit; Nam cum Paulus narret Chriſtum dixiſſe *Accipite, manducate, hoc eſt corpus meum quod pro vobis frangitur*; Romana Eccleſia vertit *quod pro vobis tradetur.* Nempe ne intelligant legentes Chriſtum ibi loqui de eo corpore quod poteſt in Sacramento frangi, quod non poteſt de vero Chriſti corpore dici.

Hic Epiſcopus Molinæum calumniæ accerſivit, aſſerens in vulgata Romanæ Eccleſiæ verſione legi *quod pro vobis frangitur.* Conquiſita igitur & prolata fuerunt vulgatæ verſionis Romana Biblia, & ex inſpectione patuit Molinæum verum dixiſſe, Epiſcopum hallucinatum fuiſſe. Hinc ſilentium Epiſcopo impoſitum, & diſputationi finis.

Longavillæ Princeps Molinæum ſevocavit & multa (inquit) Molinæe bona de te ante fama acceperam. Nunc poſtquam te ipſum vidi & audivi, mirum in modum cupio te Catholicum verum videre. Molinæus ſe id quoque cupere profeſſus eſt, & ſecundum ejus ſenſum, ſi aliquod ex Scriptura mandatum ſibi exhiberetur ut ſacerdos corpus Chriſti ſacrificet. Statimque illuſtri cœtui valedicens ad ægrotam regreſſus eſt quæ paulo poſt Spiritum Deo reddidit.

Paucos ex innumeris ejus cum hoſtibus ſacræ veritatis congreſſus, vel ipſe vel familiares ejus deſcripſerunt. Omnes ſimul magna volumina conficerent. Vix enim dum Lutetiæ vixit una hebdomas ſine diſputatione abiit. Quædam diſputationes longiſſimæ fuerunt. Nos tantum breviſſimas delegimus. Molinæus erat Romanenſibus publice exoſus: Maledictis in eum perſonabant Cathedræ, Schola, Fora, Compita, catuli qui hunc clonem comminus adoriri

non audebant eminus allatrabant. Nemo magis expertus est quantum *Veritas odium parit*. Cum eum disputando superare inimici non possent duas alias vias tentaverunt.

Una ut eum divitiis & honoribus ad Papicolarum partes pellicerent. Curia Romana & Aula Gallica huic operæ non defuerunt. Unum ab civibus Parisiensibus tentamentum notabo. Eum vir plebeius hujusmodi verbis aggressus est. Mihi nomen est *N. N.* quod nomen ignorare non potes esse inter cives Parisienses præcipuum. Te nosse volui, Molinæe, quam me tui misereat; Tene sublimis ingenii & eruditionis virum in Hugonotorum luto hærere! Inter quos post multos labores pro iis exantlatos non potes expectare paria virtuti tuæ præmia. At tu si Catholicam causam amplecteris; (Quid alii pro te præstituri sint prætereo) ego tibi & familiæ tuæ prospiciam. Ego inquam qui te alloquor octo millium librarum proventum annuum tibi & liberis tuis perpetuum præstabo. Molinæus paucis contemptim respondit; Tu me homo vili æstimas. Si in me ista quam suades perfidiæ cadere posse plus vicies quam offers mea defectione mihi compararem. Cum hæc non succederet, Romanenses alia eum aggressi sunt via; Eum de medio tollere sæpius tentaverunt. Quid tentaverint quando in publica disputatione opponens expectabatur ante dixi. Alio etiam tempore duo homines longis & nigris vestibus amicti post cœnam domum ejus ingressi sunt. Altero ad ostium stante, ut egressus ingresso pateret: Alter in cœnaculum ingressus ad Molinæum recta perrexit, quiddam veste occultans. Molinæus malam ejus mentem gestu & oris asperitate conjiciens, celerius accedenti cathedram opposuit. Dum homo circum cathedram & mensam viam sibi facit Molinæum persequens, in cœnaculum intravit Molinæi famulus juvenis robustus & strenuus qui percussorem extrusit foras.

Alius prandente Molinæo ad eum accessit brachia pallio obvolvens. Famulus pugionis vaginam quæ homini exciderat collegit & ei tradidit, & Abi, dixit, si quid moliebaris, hodie perdidisti operam.

Alius item cum eadem mente sero vespere in Molinæi cœnaculum irrupit. Rogatus quid ei negotii esset, cum palleret, sileret, tremeret; Molinæi uxor, Abi hinc, dixit, in malam rem, cum mala tua mente. Abiit homo & verbum unum non reposuit.

Melius animatus alius quidam intempesta nocte Molinæi fores multo cum impetu pulsavit. Rogatus de fenestra quid vellet, Volo inquit Molinæum alloqui. Audiens Molinæum & totam familiam dormire & rogatus mane redire. Volo inquit dormientem excitare; & jamjam alloqui & acrius fores pulsavit jussit Molinæus homini fores aperiri, cumque ad lectum suum adduci. Adductus Ego ad te, inquit, Vir Clarissime, tempestive licet intempesta nocte accedo, ut te adversus inimicorum tuorum insidias præmuniam. Hac nocte in Monteri si cymba Lutetiam devectus sum. In cymba comitem habui monoculum nebulonem notum plus satis; nam ille mihi, quem oculis suis nunquam viderat, suum horribile dictu consilium revelavit, te nempe de medio tollendi pyxidibus prunorum venenatorum quas ad te cras deferet quasi ab amico tibi noto ad te missus. Tu monitus à prunis abstine. Vive & Vale. Postridie pyxides attulit monoculus latro, quas Molinæus nec accipere voluit, nec afferentem videre.

A

A fæce plebis ſclopis & vectibus armatæ Molinæi domus bis obſeſſa fuit, & fores tantum non effractæ.

His periculis permoti amici Molinæo ut ſibi & domui ſuæ cuſtodes validos apponeret authores fuerunt, nec foras incomitatus prodiret. Paruit conſilio, & duos *cuſtodes* viribus integros & militiæ peritos domi & foris habuit. Quod tamen tam diu ſoſpes inter atrociſſimas belluas vitam traxit, *factum eſt à Domino, & eſt mirabile in oculis noſtris.*

Anno 1617. cum Fœderatarum Belgii provinciarum Ordines Eccleſias Reformatas Angliæ, Franciæ & Germaniæ obſecraſſent, ut ſuorum Theologorum aliquos ad Synodum Dordracenam mitterent, Gallicæ Eccleſiæ quatuor ad Synodum mittendos deſignaverunt; Molinæum, Rivetum, Chamierum, & Calvum. At hi ne eo irent à Rege prohibiti ſunt necem cuntibus interminante. Quam quidem prohibitionem Molinæus ægerrime tulit. At ejus benevolentia permoti Ordines idem ei præmium tribuerunt quod iis qui in Synodo ſederant.

Anno 1618. Ordines Molinæum iterum ut Profeſſionem Theologicam Leydæ ſuſciperet ambierunt. Ut eum à Gallicis Eccleſiis impetrarent bis Clariſſimum virum erpenium ad eas miſerunt. Et cum Molinæum obtinere non poſſent, Rivetum petierunt, & obtinuerunt.

At tempus appetebat quum Pariſienſis Eccleſia quantumcunque invita dilecto ſuo Molinæo erat caritura; Eratque ingruens Eccleſiarum clades in caput ejus primum eruptura. Anno 1620. cum Nationalis Galliæ Synodus Aleſii apud Tectoſages indicta fuiſſet, Molinæus ad eam ab Eccleſia ſua delegatus fuit. Eo igitur ire conſtituit, & inde rediens Rupellam videre.

Antequam ad Synodum iter inſtitueret, rogaverat cum D. Herbertus Baro Cherburienſis Regis Britanniæ in Aula Gallica Legatus, ut Regem ſuum literis ad Generi ſui Bohemiæ Regis defenſionem ſuſcipiendam hortaretur.

Molinæus illud negotium ut homini ſuæ ſortis minime congruens & quidem fruſtra futurum detrectavit. Legatus vero contra, ejus literas ſemper fuiſſe Regi acceptiſſimas & plurimum apud eum valituras inſtabat. Adductus Legati authoritate Molinæus literas poſtulatas ſcriplit, & Legati Tabellario tradidit.

Literæ autem quas ad Regem Jacobum ſcripſerat ad Regis Galliæ conſilium quod vocarat privatum delatæ fuerunt. Quomodo, aut à quo, aut an ad Regem Jacobum unquam pervenerint Molinæo nunquam compertum fuit. Quocunque modo id factum fuerit, vix Molinæus Aleſium pervenerat, quum in Regio Franciæ Senatu ſtatutum fuit, ut Molinæus comprehenderetur & in carcerem conjiceretur, quod Regem extraneum ſollicitaſſet ad arma pro Reformatis Eccleſiis ſumenda. Quia vero poſt ſolutam Synodum Molinæum Rupellam iturum eſſe Senatus Regius audiverat, noluerunt eum comprehendere priuſquam Rupella exiviſſet, ut ejus Rupellam profectio eum magis reum faceret. Rupellæ enim conventus Proteſtantium Politicus quem Rex Edicto diſſolverat, contra voluntatem Regis etiamnum ſedebat. Poſt ſolutam Aleſianam Synodum, Molinæus quanquam periculi ſui inſcius, facie tamen rerum perſpecta, conſilium Rupellam eundi mutavit, & Lugdunum profectus eſt, Lugduni à Drelincurtio Eccleſiæ Pariſienſis Paſtore literas accepit: Quibus periculi

periculi ſui certior factus à via Regia deflexit, Lutetiam tamen noctu venit, ſtatimque ad Legatum Herbertum ſe contulit. Ille eum vitæ ſuæ fuga quamprimum conſulere juſſit, ex ejus literarum ad Regem Jacobum interceptione periclitanti.

Paruit Molinæus & eadem nocte cum fratre Joanne Molinæo Luminium profectus eſt Comitis Suzes palatium, à civitate decem milliaribus diſtans: Ibi poſtridie convenerunt eum Eccleſiæ Pariſienſis Seniores, adhortantes ut ab eorum ditione abſcederet qui vitæ ejus inſidiabantur. Igitur nocte proxima Sedanum verſus iter fecit, oppidum quod Ducem Bullonium Proteſtantem ſupremum Principem agnoſcebat. Quo Dei Opt. Max. ope incolumis pervenit, & à Duce domo & menſa benigne exceptus eſt.

Poſtquam Molinæum ab Eccleſiæ Pariſienſi divulſum & ad eam non unquam rediturum vidimus, libet hic aliquantiſper morari, & in ejus per annos 21 tranſactam Lutetiæ vitam oculos obvertere. Vitam quam omnibus gloriæ lubus quæ ejus ſortis & officii virum ornare poterant Deus Opt. Max. illuſtravit. (In maximo Galliæ & totius Europæ theatro præcipuum illum honorem adeptus eſt quod Deum præcipue honoravit; per ſacræ veritatis ejus ore & calamo victorias, bonorum amore, & adverſariorum odio quotidie magis magiſque in eum exæſtuantibus) Quot hoſtes debellavi! tQuot fratres vacillantes confirmavit! Quot errantes Chriſto lucri fecit! Quot ejus facundia & ingenio deliniti ad ſacræ doctrinæ medullam penitius imbibendam adducti fuerunt! His adde inſignem ejus erga Regem ſuum fidem, qua immorigeros in obſequio continuit, Regiſque & Reginæ, ſi non amorem, ſane gratias & demeruit & obtinuit. Quid memorem à Curia Romana & Clero Gallicano invitationes eum maximis præmiis ad partes ſuas pellicientibus. Quicquid habebat Nobilitatis Reformata Gallia; quicquid eximium ex Proteſtante Germania, Britannia, Polonia, Dania & Suecia Lutetiæ peregrinabatur, ad Molinæum confluebat. Raro pomeridianis horis carebant Molinæi fores nobilium vehiculis. Ab magni nominis mercatoribus peregrinis, & ab remotiſſimis Reformatæ religionis Principibus literas & munera accepit. Inter quos eminebat Celſiſſimus Princeps Radzeullus. Vivebatque in re utcunque laute, quandiu Lutetiæ manere permiſſum eſt. Inde digreſſum, per ejus abſentiam, multa eum in re familiari incommoda exceperunt.

Sedani Profeſſionem Theologicam & ſacrum Eccleſiæ Miniſterium exercuit.

Sedani prima ejus cura fuit literas ad Conventum Politicum Rupellæ ſedentem ſcribere, quarum hic exemplum appoſui, quæ quantum abhorruit ab eorum ſententia qui Religionem contra legitimum Principem armata manu tuendam exiſtimant, ſatis oſtendunt.

Non ideo (Domini) vos ſcribo ut dolorem meum in ſinum veſtrum effundam; & querelis meis aures veſtras obtundam. In quibus Conſolatorem non requiro, mihi non parvo honori ducens quod tempeſtatis in Eccleſiam ingruentis primi ictus in meum caput detonuerint. Meque beatum exiſtimaverim ſi tota in me ſolum procella rueret & Dei Eccleſia quieta & incolumis ſtaret. Sed me acrior cura urit, & ad vos coegit ſcribere, quantumvis abhorrentem à publicis negotiis & iis quæ ad ſacrum munus meum minus pertinent. Cum enim Eccleſiam periclitantem & in præcipiit ſtantem aſpiciam ſilere non potui,

potui, imo nec debui, ne ſciens ac volens in re omnium graviſſima negligentiæ, imo & in Eccleſiam impietatis crimen incurram. Spero quoque dum meum ſenſum circa publica negotia vobis expono, fore ut domeſtica mea ærumna me omni ſuſpicione liberabit & hoc ſaltem perficiet, ut ſi ſententiam meam minus probetis, benevolentiam tamen agnoſcatis. Non me quidem decet virorum conventui ex toto regno delectorum quibus in tam difficili tempore publici negotii onus incumbat, conſilium dare. Eſt tamen vobis utile quis ſit noſtrarum Eccleſiarum ſenſus ab iis qui eum intime norunt edoceri.

Cum quæratur utrum conventus veſter diſſolvi rege jubente debeat, an eo nolente ſimul manere, Ego mei officii eſſe duxi ut per me cognoſcatis omnes noſtras Eccleſias id unice in votis habere ut Regi obſequentes pace qua nunc fruuntur ſemper frui poſſint. Cumque videant Regi conſtitutum eſſe ſui in nos Imperii Majeſtatem armis aſſerere, vos pro ſapientia veſtra procellam tantam capitibus noſtris imminentem declinaturos confidunt, & neceſſitati potius ceſſuros quam nos bello implicituros, quod certo certius maximam Eccleſiarum noſtrarum partem peſſumdabit, noſque in eas turbas præcipites dabit quarum initium quidem omnes jam perſentiſcimus, ſed finem nemo poteſt videre. Regi obſequentes, ab iis qui ei authores ſunt ut nos opprimat omnem prætextum auferetis. At ſi nos extrema perpeti oportet, omnes qui Deum timent non alia de cauſa quam Evangelii profeſſione perpeti volunt; & ut perſecutio noſtra ſit genuina crux Chriſti. Optima certe & potiſſima noſtrarum Eccleſiarum pars veſtri diſceſſionem ex animo optat. Imo partium Pontificiarum plurimi pacis publicæ ſtudioſi nos ſollicitant, orant, obſecrant, ne dum noſmetipſos perditum imus, illos etiam eadem ruina involvamus.

Non opus eſt, Domini, ut vobis ob oculos ponam mœſtam illam & lugubrem gregum noſtrorum omnium faciem, in vos oculos conjicientium, vos inquam in quorum manu eſt neceſſitati cedendo ingruentem tempeſtatem prævertere. Plurimi jam ſolum verterunt, Plures religionem ſuam abjecerunt. Hinc æſtimate quanta diſſipatio futura ſit ſi animum Regis adverſus nos exacerbare perrexeritis.

Vos non eos eſſe autumo quos hortari neceſſe ſit ut miſerarum Eccleſiarum cura tangamini, nec dubito quin vobis mori ſit optabilius quam hoc opprobrium nomini & memoriæ veſtræ inuſſiſſe, per vos perſecutionem Eccleſiæ fuiſſe accerſitam, per vos patriam veſtram turbis dilaceratam, & id quod patrum noſtrorum zelus plantaverat eradicatum.

Non me fugit multas rationes prætexi quibus ad veſtram ſeſſionem continuandam adducamini. Aiunt Regem eam conceſſiſſe; Sed ejus conceſſionis nullum exhibere poteſtis exemplar, ſine quo promiſſa ſunt voces in aerem evaneſcentes. Reges enim poteſtatem ſe habere credunt id quod permiſerunt denuo prohibendi, & id quod conceſſerunt revocandi, quoties id ſibi conducere & publicam utilitatem id poſtulare exiſtimaverint. Neque quiſquam eſt veſtrum qui cum famulum ſuum miſerit, aut aliquo ire juſſerit, non putet ſui eſſe arbitrii eum revocare. Summi Principes præſertim promiſſis ſuis teneri non amant quando ab ipſis extorta fuerunt.

Plurimæquoque Libertatis veſtræ Oppreſſiones & Regiorum edictorum violationes in aures veſtras quotidie ingeruntur, quæ nimium vera eſſe un-

vobiſcum

vobiſcum conquerimur. Prætereo quod iſtis injuriis ipſi nos cauſam ſæpe præbuimus. At hoc tempore non ea res agitur, non eſt in eo ſita difficultas, ut gravaminum fontes oſtendantur, ſed ut eorum adhibeantur remedia. Expendite igitur an veſtri conventus ſeſſio poſſit iſtis malis medelam afferre; An conſidendo poſſitis Eccleſiis perfugium præbere, tam impari conditione exercitus conſcribere, ærarium ad ſtipendia copiarum inſtruere, & omnia ad bellum neceſſaria comparare. Æſtimate num id boni quod ſedentes conficere ſperatis, tot Eccleſiarum furori hoſtili expoſitarum, devaſtationem compenſare queat. Cogitate an everſas poſſitis erigere? An in manifeſta diſſenſione qua partes noſtræ laborant poſſitis diſperſas, diſtractas male cohærentis corporis partes coagmentare; quæ vel maxime unitæ immenſum quantum infirmiores forent quam ut poſſent ſeſe bello & armis tueri.

Liceat mihi dicere omnes noſtræ Religionis homines non futuros veſtris decretis audientes, & vos in belli incendio fore imbelles ſpectatores ſtragium quas ipſi concitaveritis.

Nec vos neſcire poteſtis noſtrorum Optimatium plures, & ii in quibus vires noſtræ ſitæ ſunt palam veſtras agendi rationes condemnare, dicere eos pro Dei cauſa non pati qui pro hac cauſa patiuntur. His non reſiſtentibus, ſed oppidorum ſuorum portas Regi aperientibus, & arma ſua cum Regiis armis conjungentibus quantum inde veſtræ partes debilitabuntur? Quam multi vos præcipui viri deſerent? Alii ex infidelitate, plures ex timore & debilitate. Quin in veſtro conventu præfervidi homines qui ut gratiam aucupentur violentiam maxime probent, ii ſunt ſæpenumero qui fratres ſuos prodituri ſunt. Miſeras Eccleſias in ſumma diſcrimina adducunt, ut eas mox in periculo deſerant, inſtar hominum facinoroſorum qui ex ædibus profugiunt poſtquam eas ipſi incenderint & compilarint.

Si res eo devenerit ut prælium committatur aut oppida obſideantur, qualiſcunque prælii aut obſidionis exitus fuerit, vulgus infenſum pleriſque in locis contineri non poterit quin Eccleſias noſtras, nullis propugnaculis munitas cædibus & direptionibus impleant. Neque id Magiſtratus quantumvis cupientes, prohibere poterunt.

Poſſim vobis ob oculos ponere Reformatarum Eccleſiarum conditionem tum intra tum extra hoc regnum, unde luce meridiana clarius pateret veſtram iſtam molitionem prorſus eſſe intempeſtivam, & vos adverſo vento & æſtu navigationem inſtituere. Circumſpicite quo in ſtatu vicinorum noſtrorum res ſitæ ſint, & unde poſſitis auxilium ſperare. Notate an apud nos virtus, concordia, & Ducum noſtrorum præſtantia creverint an diminutæ ſint. Profecto hoc non eſt tempus quo ex piſcinæ hujus commotione medicina noſtris morbis poſſit ſperari.

Si quidquam in hac debilitate vires nobis poſſet addere, à Zelo Religionis expectandum foret, qui Patrum noſtrorum tempore nos ſuſtinuit, quando minus etiam virium, plus virtutis habebamus. Sed zelum iſtum in hac cauſa frigere comperitis. Nam noſtrorum plurimi opinantur hoc quodcunque eſt mali, ſalva conſcientia vitari potuiſſe. Proculdubio nos diſcordia laborabimus quoties de civilibus cauſis lis erit & non unice de cauſa Evangelii.

Contra objicitur inimicos noſtros exitium noſtrum meditari; Eos cuneculis

ſenſim

ſenſum rem gerere. Melius eſſe initiis reſiſtere quam expectare dum res minus ſit integra. Sane amens fuerit qui de eorum odio dubitaverit. Tamen dum damna noſtra recognoſco circa Lectoram Privaſium & Benearnenſes, invenio noſmet magna ex parte malum nobis accerſiviſſe. Nec mirum eſt inimicos noſtros eo operam ſuam non adhibuiſſe ut erroribus noſtris mederentur; quodque eos & qui ſemet perdebant ut funditus perirent adjuverunt. At non ideo oportet nos id quod nobis reſtat ſponte perdere; domum noſtram incendere quia inimici eam incendere ſtatuerunt, & ad damna privata reſarcienda iis remediis uti quæ non ſolum nequicquam iis profutura ſunt, ſed etiam Reipublicæ certiſſimum exitium allatura. Deus qui toties conſilia ad noſtram perniciem inſtituta divertit, nec poteſtatem ſuam perdidit nec mutavit voluntatem. Deum ſemper eundem experiemur, ejus opem, expectare velimus, non præ impatientia præcipites acti, ut noſmet ipſos perdamus, aut animum circa impoſſibilia obfirmemus.

Id vos certiſſimum tenete. Quanquam inimici noſtri nobis exitium meditantur, id nunquam Religionis cauſa inferre palam profitebuntur. Aliam cauſam aliquam magis ſpecioſam habebunt aut invenient aut comminiſcentur; quam ne nos ipſis præbeamus ſumma opera nobis eſt cavendum. Si in obſequio quod ſubditi ſupremo magiſtratui debent noſmet ſedulo contineamus, fiet ut dum nos inimici ſub obtentu perduellionis inimici fruſtra perdere ſperant, Deus ipſis alia exhibebit negotia, nobiſque occaſionem miniſtrabit noſmet utiles regno ſubditos approbandi, Regique in memoriam revocabit inſignia noſtra erga Henricum glorioſæ memoriæ parentem ſuum officia. Sin autem tam grave eſt noſtrum infortunium, ut dum quieti & morigeri ſumus, calumniis adverſariorum opprimamur, teſtes Deum & homines innocentiæ noſtræ & erga patriæ noſtræ pacem ſtudii habebimus.

Neque hæc conſilia obſtiterint quin veſtræ ſingulorum ſaluti proſpiciatis. Cum enim Rex in Regio ſuo Senatu ſæpe dixerit ſi vos conventum veſtrum ſolveritis Eccleſias veſtras pace & edictorum ſuorum beneficio fruituras, non æquum eſt ut veſtro periculo alii hoc beneficio fuantur. Nec dubitandum eſt quin Rex ſubmiſſe rogatus ut vobis abſque periculo veſtro diſcedere liceat incolumitati veſtræ edicto proſpiciat, modo ea quæ fieri poſſunt quæque præſens rerum neceſſitas fert, poſtuletis.

Antequam diſceſſeritis operæ pretium fuerit cogitare quid conſilii capiendum ſit ſi diſceſſione veſtra non obſtante ſimus perſecutionem paſſuri. Quod quidem conſilium veſtræ prudentiæ relinquo: Nec meum eſt id vobis ſuggerere.

Si iſta vobis exponens modeſtiæ limites tranſgreſſus ſum, id vos pro veſtra æquitate, meo pro Eccleſia Zelo tribuetis. At ſi hoc conſilium quaſi veſtra conſideratione indignum repudiabitur, hoc ego ſolatio fruar, me id quod conſcientia mea à me exigebat præſtitiſſe; Et alicubi in exteris regionibus paucis qui huic ætati etiamnum ſuperſunt vitam degam Eccleſiæ deſolationem lugens & Templi ruinis illachrymans, ad cujus ædificationem majore cum zelo & fide quam ſucceſſu laboravi. Deus iram ſuam à nobis avertat, veſtra conſilia dirigat, & vos ſingulos tueatur. Valete.

His literis in Conventu perlectis ingens ſuper eis orta eſt contentio. Tan-

dem *violenta* parte ſuperante decretum fuit ut Milleterius ad Molinæum Conventus nomine ſcriberet, diceret ſententiam ejus minime probatam fuiſſe, rogaret ut nomini Epiſtolam iſtam impertiret.

Tantopere tamen aliquibus Conventus membris placuit hæc ſententia, ut ſtatim ſurrexerint e Conventu valere juſſo nunquam redituri diſceſſerint.

Veriſimile aliquibus viſum fuit hanc Molinæi Epiſtolam ad Rupellenſem Conventum pacem & obſequium erga Regem ſuadentem præcipuè futuram apud Regium Senatum momenti, ut eum à crimine confiſto abſolverent. At contra exiſtimavit Molinæus, inde Regium Senatum magis adverſus eum obfirmatum iri. Nam in Rupellenſi Conventu violenti homines per iſtam ferociam ſuam commodis Aulæ ſerviebant; erantque Aulæ ſtipendiarii, ut fratres ſuos in pernicicm præcipites darent, procurarentque Regi optatam occaſionem privilegia quæ ipſis à Regis Patre conceſſa fuerant adimendi. Horum primipilus fuit Milleterius, qui poſtmodum Reformatorum partes deſeruit, & Religionem, (ſi unquam habebat) ejuravit, & verſatili ſuo & improbo ingenio multis Eccleſiis moleſtias faceſſivit.

Neque vero potiore de cauſa Jeſuitæ Molinæi expulſionem obtinuerunt, quam quod obſequium erga Regem in concionibus ſuis commendando, longa Jeſuitarum machinamenta demoliebatur. Gallicis Eccleſiis violenta conſilia quibus perderentur, per ſubornatos & pecunia corruptos Zelotas inſinuantium. Quorum Zelotarum nonnulli præfecturas oppidorum adepti ea mox vendebant, & defectione ſua illis tandem aperte quibus prius clanculum ſervicbant.

Sedani oblatam ſibi S. Theologiæ Cathedram & Eccleſiæ Miniſterium Molinæus ſuſcepit, ibi manſurus donec ſibi ad Pariſienſem Eccleſiam reditus aperiretur. At reditus ille nunquam ei datus eſt. Quanquam enim poſt multos demum annos ſibi per Regem licuit in Galliam venire, cautum tamen fuit ne Lutetiam rediret; Patuitque litem illam quæ illi à Senatu Regio intendebatur fictitiam fuiſſe & ideo tantum motam ut ab Eccleſia Pariſienſi removeretur.

Circa annum 1623. prodiit Cardinalis Perronii liber contra Sereniſſimum Regem Jacobum. Liber quem Pontificii immenſum quantum laudibus extollunt. Et eſt ſane omnium qui Romanam fidem Gallice propugnaverunt eruditiſſimus & ſubtiliſſimus. Regis multum intererat ut libro tam inſigni maturaretur Reſponſio, cum Regis de jure Regum liber huic Reſponſioni occaſionem præbuiſſet. Quem vero Rex in rebus regni occupatiſſimus ſibi Defenſorem deligeret alium ab eo cujus felicem operam in ſimili negotio non ſemel expertus fuerat?

Id vero animo præcipiens Perronius librum quem contra Regem paraverat non ante voluit in lucem prodire quam ipſe ex vita migraſſet. Nam ſibi, ſi eum vivus edidiſſet cum Molinæo (cujus ingenium expertus formidabat) de eo litem fore minime dubitabat. Quare poſtquam deſiit vivere Perronius, fœtus quem multis annis parturiverat, in parentis funere, quaſi ἐκτρωμα, lucem aſpexit.

Advocatus igitur fuit Molinæus qui Dei & Regis defenſionem ſuſciperet, & ut otium tanto operi neceſſarium haberet, à Rege invitatus iterum in Angliam tranſiit.

A Rege ſumma cum benevolentia exceptus, operi ad quod accerſitus fuerat ſe totum applicuit; Bibliotheca Regia uſus, quam Doctiſſimus Patricius Junius ei aperiebat, ad omnes ejus uſus promptiſſimus.

Optimus Rex adverſorum Molinæi miſertus Hoſpitio quod Sabaudiæ nomen præfert cum præfecit, munus apprime opimum, & Rege donante dignum. Jam ſigilla parabantur quum Regii Sacellani Scoti Regi ſupplicaverunt ut Hoſpitium cum eſſet Aulæ vicinum Regiis Sacellanis tribueretur; Molinæo Rectoriam quandam ſine Cura Rex daret quam ipſi affirmabant non minoris eſſe quam Hoſpitium proventus. Rex hac ratione inductus Hoſpitium Balcumquello dedit, Rectoriam autem Molinæus accipere noluit, utpote & dante & accipiente minorem; mox tamen filio ſuo Dunkerkeo carcere & Jeſuitarum manibus per Dei inſigne miraculum elapſo eam Rectoriam à Rege obtinuit.

Interim Molinæus hypochondriorum oppreſſione & atræbilis inflammatione laborare cœpit, & multas noctes inſomnis agere, privatis & publicis Eccleſiæ malis exercitus, quibus ita colluctabatur ut opus inceptum non intermitteret, imo in labore ægritudinis levamentum experiretur.

Vix annum unum Londini vixerat quum magnum Molinæi patronum Regem Jacobum orbi ademit, ſibi aſſumpſit Deus. Nec multo poſt Molinæus ad reditum Sedanum ſe compoſuit. Cum duobus comitibus Dieppam appulit in veſte cineracei coloris ne noſceretur. Agnitus tamen in nave Rhotomagi juſſu Ducis Longavillæi Normanniæ Præfecti ab Accenſis Præſidis Rotomagenſis conquiſitus fuit. At Præſes ita eum quæſivit ut qui noluerit invenire. Cum enim Molinæus neptim Rhotomagi haberet Langleo inclyto Eccleſiæ Rhotomagenſis Paſtori nuptam, in cujus domo cum diverſari erat veriſimilius, eo non miſit ſed ad unum aut alterum diverſorium. Monitus Molinæus ſe perquiri in villa ſuburbana pernoctavit, & vias privatas edoctus Sedanum incolumis venit.

Biduo poſt ejus abſceſſum Langlæum Præſes convenit dixitque ſe cupidum fuiſſe Molinæum Rhotomagi videndi, ſi id ſine ejus periculo fieri potuiſſet. Hic divina illa veritas affulſit. *Quum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem. Domine Deus virtutum, beatus homo qui ſperat in te.*

Sedanum reverſus Molinæus ad munera conſueta ſe contulit, Eccleſiæ Miniſterium & Theologicam Profeſſionem quæ munera 33 annos ab reditu ſuo exercuit, quanquam æger & invalidus. Multos Theologos feliciter erudivit, qui poſtea conſpicua fuerunt Eccleſiæ lumina. Libros Theologicos quamplurimos edidit, quorum primus ab ejus reditu fuit *Novitas Papiſmi*, ſive Perronii confutatio, Regiſque Jacobi, ſed magis ſacræ veritatis Defenſio.

Erat Sedanum afflictorum Religionis ergo Aſylum, per Molinæi famam factum incolis & ſtudioſis frequentius: & Reformato Principe gaudebat quem incolæ ut Patrem patriæ colebant. Nec deerant divitiæ à perſecutionem fugientibus eo congeſtæ. At hæc læta rerum facies luctu obnubilata fuit, Principis à Reformata Religione defectione, qua ſemetipſum potiſſimum perdidit. Sed non meum eſt negotium hiſtoriam ejus texere. Duo tantum quæ Molinæum ſpectant notabo. Unum quod in Principis apoſtaſia Molinæus alloquio, precibus, ſcriptis eruditionis & facundiæ pleniſſimis, opportune, importune, ut

Princeps in Dei viam rediret fidelem operam adhibuit, Heu fruſtra! Alterum quod cum Rex Galliæ Sedanum ſui juris feciſſet pulſo Principe qui ad Hiſpanicas partes tranſierat; Molinæus ſub Gallico regimine quietus vixit. Nec ulla ultra inquiſitio veteris confícti criminis, & factus eſt abſque abſolutione inſons.

Cum zelo, eruditione & induſtria tantas res ad Dei gloriam & hominum ſalutem patraſſet, ſæpenumero hominum duritiei & imperii Satanæ progreſſibus ingemiſcebat. Memini me audire eum acri cum judicio ſic loquentem.

Conſiderantem me temporum iſtorum faciem timor ingens percellit, mortiferum vulnus Beſtiæ ſanatum iri, aut ſaltem ulceris labra coalitura. At certe in intima belluæ illæ nos tam alte ferrum adegimus, ut ſerius ocyus ſit ex vulnere interitura. Hæret lateri lethalis arundo.

Ad annum ætatis nonageſimum vitam protraxit, Eccleſiæ & Scholæ Theologiæ pro more miniſtrans, niſi quod uno vel altero ante obitum anno propter vocis debilitatem non die Dominica ſed tertia hebdomadis feria concionabatur, & quod Theologiam diſcipulis domi prælegebat.

Feb. 20. 1658. ultimam concionem ad populum habuit. Textus Pſ. 16. v. 7. *Caro mea requieſcet in ſpe*, argumentum fidei & ſpei ſuæ accommodum, quas ex intimo ſenſu ſuo religioſas animas docuit, & ſibimet funebri oratione parentavit.

Domum reverſus decubuit, non amplius in hoc ævo ſurrecturus. Ex lecto ſemet & adſtantes docebat & ſolabatur, Scripturam in ore perpetuo habens, & preces ardentiſſimas fundens. Pſalmos identidem recitabat; in his verbis potiſſimum hærens; *Deus, docuiſti me à pueritia mea, & hucuſque indicavi mirabilia tua. Quare etiam tantiſper, dum ſenex & canus ſum, Deus ne derelinquas me.*

Perpetuas viri ſancti ad cœlum aſpirationes diebus octodecim quibus ultimum ægrotavit longum fuerit enumerare. Iſta cœlum fide & amore præcipientis inſtar omnium eſto. *Ad Deum & Patrem meum feſtino —— Deum meum video —— O quam forma ſpetioſus eſt!* Hæc dicebat acres intendens oculos & brachia tendens, quaſi Dilectum illum forma ſpetioſum jamjam amplexaturus. Nec multo poſt anhelantem & abiturientem ad Chriſtum animam in ejus ſinum fide firmus & amore ardens exhalavit.

Obiit Mart. 10. 1658. *anno ætatis ſuæ nonageſimo.*

HADRIANI VALESII
HISTORIOGRAPHI REGII
DE VITA
HENRICI VALESII
HISTORIOGRAPHI REGII
LIBER.

PErlectis quæ de libris Henrici Valeſii nomine Petiti Typographi ſcripſeram paucis; hortatus es me, clariſſime Nublæe, ut de vita ejus librum componerem. Et tum quidem quid tibi reſponderim non recordor. Verum poſteaquam à te digreſſus ſum, dicta mecum volvens erubeſcere, ac ſic increpare meipſum cœpi. An oblivíſci me poſſe Henrici Valeſii, artiſſimis ſanguinis vinculis, amore literarum, & tam diuturna vel potius fere perpetua vitæ ac victus communitate conjuncti? An illaudatum & tacitum relinquere me poſſe clariſſimum virum, qui amicos aut vivos epiſtolis librorum fronti præfixis, aut mortuos laudationibus celebravit? An denique me fraudaturum vero teſtimonio fratrem meum, quod plerique ſcriptores ultro etiam alienis honorificum reddiderunt? Si Suetonius Tranquillus de illuſtribus Grammaticis librum, de claris quoque Rhetoribus volumen compoſuit: quanto magis dicendus eſt mihi Valeſius, qui ſcholaſticos iſtos mercenarioſque profeſſores longo intervallo ſuperavit, & omnes Grammatici partes, omnes Rhetoris vel potius oratoris numeros dum vixit implevit? Certe quum Latinos Hiſtoricos doctis & laborioſis commentariis expoſuit; quum Græcorum ſcripta convertit, & commentando notiora ſtudioſis reddidit; quum variorum auctorum volumina contractis priſcis exemplaribus diligenter emendavit, diſtinxit & adnotavit; quum epigrammata & poemata ſcripſit ipſe, aut vetera interpretatus eſt: quid aliud fecit, quam quod illuſtres olim Grammatici factitaverunt? Jam vero orationes ejus elegantes, copioſæ atque perſpicuæ, laudationeſque clariſſimorum virorum nonne ſatis indicant, omnibus artis Rhetoricæ præceptis inſtructum, atque etiam claris oratoribus adnumerandum fuiſſe? Sed vir ſummus ſummos Grammaticos & Rhetoras atque adeo oratores ipſos plurimum ſupergreſſus eſt: quippe qui Græcas, Romanas & barbaras notas habebat antiquitates, cui erat Hiſtoria ſacra profanaque comperta, qui Græcum Latinumque ſermonem tanquam patrium noverat,

rat, qui denique ad magnitudinem ingenii, vimque & acrimoniam judicii, assidua lectione, ac meditatione variam & interminatam in omni literarum genere doctrinam adjunxerat. Dicam igitur de Valesio quæ vidi: quæ ex ipso per tot annos in cotidianis colloquiis & familiari consuetudine cognovi, quæ de ipso sæpe ex communibus amicis audivi. Dicam, quæ observavi; quæ notata inhærent animo: (Omnium enim meminisse non possum) nec committam ut mihi valeat imputare posteritas fratrem debito testimonio privatum.

Natus est Lutetiæ Parisiorum Henricus Valesius anno Christi MDCIII. iv. Idus Septembreis, die Mercurii. Patrem habuit Carolum Valesium, qui patrimonio suo contentus, honestum otium negotiosæ vitæ præposuit; & anno ætatis septimo & septuagesimo decessit: avum Johannem Valesium, qui Maria Uvæa genitus, Contios de Monte-Glandifero, Marescotos, Macaltos, Passartos, & Robinellos materno genere contingebat: quorum filii & nepotes plerique ad splendidas dignitates pervenere, & pars in supremis curiis Parisiacis, pars etiam in sacro Consistorio floruere. Johannes Valesius mercaturam instituit: in quo se à nobilitate majorum degenerasse, ingenue fatebatur. Patrem enim suum coactum lege patria, potiorem patrimonii partem ad majorem natu deferente, ex inferiore Nortmannia migrasse Lutetiam, ibique subsedisse, sæpe narrabat. Certe est hodieque in pago Bajocassino atque in Lexoviis vetus & nobilis Gens Valesia. Sed nobilitate sanguinis censeri non debet Valesius noster: quem sua virtus, quæ sola & unica est nobilitas, & eximia doctrina, ac tot libri editi & edendi satis superque clarant ac illustrant. Mater Valesio fuit Claudia Morleria, Claudii Morlerii Consiliarii Regii ac Notarii filia, viri dum vixit Lutetiæ non obscuri; Hadriani Morlerii soror, speciosissimi hominis, qui sub Comite Stabuli splendidum Præpositi officium gessit: mulier nasuta, macilentis genis, vultu ruboris pleno. Matrem Valesius ore moribusque referebat: quæ anno Domini MDCLXXI. ætatis xciv. mense ix. xii. Kalendas Decembris maturam mortem obiit in villa sua apud Calveriacum, cujus usum fructum ante annos fere vi. sibi retinuerat, cum filiis bona relinqueret. Est autem Gens Morleria vetus & honorata, in plures familias divisa. Morleriorum alii in municipio Ambianorum Monte Desiderii dicto etiamnum habitant: alii in castro pagi Vadensis Crispiaco consedere; quidam in Atrebatibus sedes habent. Ex his nonnulli in Schola Parisiaca Magisterio Theologiæ; aliqui etiam libris compositis inclaruerunt. Nemo enim nescit, Morlerium ante annos circiter quadraginta de antiquitatibus Ambianorum scripsisse.

Puer admodum cum fratre Carolo natu majore missus est Henricus Valesius Verodunum, ut liberalibus disciplinis erudiretur. Ea in urbe celebres Scholas & Parisiacis adolescentibus tritas habebant Jesuitæ: quibus tum Lutetiæ ex Senatusconsulto docere non licebat. Ibi Valesius tanto ardore, tanta cum animi voluptate in libros incubuit, ut jam tum quantus in literis evasurus esset appareret. Mira in eo docilitas ingenii, indoles supra ætatem singularis. Facile ac celeriter cuncta quæ tradebantur accipiebat, suæque alte infigebat memoriæ: sic dictata reddebat; sic quæ dicuntur themata componebat, ut præceptoribus ac præfectis amori simul admirationique, æqualibus esset exemplo.

plo. Nec incitandus puer erat sed reprimendus, ne in morbum incideret. Quare unam ei horam plusquam reliquis condiscipulis Praefectus cubiculi indulgebat ad somnum. Æquum quippe erat, eum qui citius melliusque ceteris Scholasticum pensum absolveret, qui plus ceteris laboraret atque proficeret, ad reficiendas corporis animique vires plus etiam dormire quam ceteros. Erant Veroduni plura auditoria humaniorum artium, suo singula professore instructa (vulgo classes vocitant.) In singulis auditoriis, sicut fieri solet, quædam dignitatum civilium Imperii Romani in Orientem Occidentemque divisi imago cernebatur: utrumque Imperium optime meritis & qui elegantissime omnium aliquid composuissent, deferebatur ad tempus. Ibidem quotannis adolescentulis præmia Græci Latinique sermonis ex more proponebantur. Valesius scholasticas dignitates, sed primas & maximas semper consequebatur, semper Imperator, aut Consul, aut Prætor: nec unquam infra Præturam descendebat: libros inauratos, classica præmia solutæ orationis & carminum quotannis pleraque victor auferebat. Ejus in schola Rhetoricæ amplificationes & declamationes, ac carmina præceptor laudabat, condiscipuli mirabantur. Præceptor ille Russellus vocabatur, homo minime malus, sed admodum imperitus, & artis quam profitebatur plane rudis ac ignarus: qui in prosa eloquentia verba grandia & bene sonantia, orationem in re vel levissima numerosam, plenam pompæ & majestatis, descriptionesque ne in carmine quidem tolerabiles affectabat: qualis est hæc primæ lucis descriptio, quam Valesius à ludo recens nobis sæpe recitantis more graviter pronuntiabat. *Diluceſcebat: & emiſſa jam uberioris affuturæ lucis quaſi præcone Aurora, flaveſcentem auro cæſariem pulſulantibus in altum radiis Sol matutinus depectebat.* Actum erat de Valesio, si talem præceptorem esset imitatus: sed exemplis Magistri malis atque vitiosis judicium discipuli prævaluit, qui cuncta ludi Veroducensis auditoria intra quinquennium feliciter emensus est.

Interea anno MDCXVIII. Jesuitæ Ludovici Regis beneficio Lutetiæ suas scholas aperiunt, quas pridem claudere jussi erant. Revocatus igitur à patre Valesius, redit cum fratre Lutetiam, & ad scholas eorum Parisiacas, quas Claromontanas appellant, se confert. Ibi florebant eminebantque Jacobus Sirmundus Ricomagensis, & Dionysius Petavius Aurelianensis, duo Societatis Jesu lumina ac ornamenta: ex quibus Petavium Rhetoricæ professorem uno anno audivit; Sirmundum sæpe quoque convenit: quos ambos postea constanter coluit simul & amavit. Eodem in ludo sub Bruano Lotharienſi, doctissimo professore, in philosophiæ studia triennium impendit, ita ut Græcos ac Latinos poetas, oratores, historicos avidius quam philosophos toto eo tempore lectitaret. Cum nihilominus de philosophia publice disputaturus esset, quæ triennio exceperat, Bruani dictata cursim ac brevi transcripsit pæne ad verbum: ratus memoriæ tenacius inhæsura, quæ paulo ante legisset ac scripsisset. Nec spes eum sua fefellit. Nam theses ex universa philosophia depromtas egregie & magna cum ingenii laude judiciique defendit. Mirabar minutissimas literas, pedum muscarum similes, manu ejus scriptas, quæ à nemine legi posse videbantur; & pagellas semipedales centenum versuum capaces, totam denique philosophiam tam celeriter tantas in angustias contractam.

Egressus Claromontano ludo Valesius anno ætatis undevicesimo, Christi DCXXII.

DCXXII. jus civile Avarici Biturigum biennio didicit, ac post reditum, in summa Curia Parisiaca numero Advocatorum adscriptus est. Forum per annos amplius septem togatus frequentavit, magis ut patri satisfaceret, quam ut sibi. Tædebat enim hominem jacturæ temporis, & operæ perditæ. Oneri erat, pudori erat toga tamdiu frustra gestata. Videbat enim eum qui à nemine advocaretur, patrocinaretur nemini, causam nullam ageret aut diceret, Advocati, Patroni, ac Causidici nominibus jure gloriari non posse. Interea quantum ei erat otii, (plurimum autem erat otii) literis impertiebat. Ab Advocatis Græce doctissimus habebatur. At ipse intelligens quantum sibi deesset ad plenam linguæ Græcæ notitiam, ita Græca legit ac didicit, ut famæ de se sparsæ abunde responderet. Habebat tum præter ceteros collegam Michaelem Anglum, à condiscipulatu notissimum sibi ac carissimum: quem cum prensatis à patre suo Procuratoribus niti, eaque ratione causas agere ac litigantium jura voce scriptisque defendere animadverteret; dolens se tali auxilio destitutum algere, togam cum spe deposuit, renuntiavit foro, multum dissuadente patre, ac frustra ut perseveraret hortante, ac liberalibus studiis, quæ nec sponte unquam nec ex toto reliquerat, totum sponte se dedidit.

Memoriæ prodit Marcus Tullius, se cum *venisset in villam pueri Luculli, M. Catonem vidisse in bibliotheca ejus sedentem, multis circumfusum libris: fuisse enim in eo inexhaustam aviditatem legendi, nec satiari potuisse: & tum in summo otio maximaque copia quasi helluonem librorum visum esse.* Hæc imago Valesii. Quod à Tullio de Marco Catone dictum est; mutato nomine id à me de Valesio narratum puta. Veteres scriptores Græcos & Latinos quotidie evolvebat; nec recentiores Criticos, Turnebum, Lipsium, Lambinum, ac similes alios aspernabatur. E bibliothecis amicorum libris utebatur: notas habebat bibliothecas, unde promeret quos vellet, & quos filius familias minime pecuniosus emere non posset. Solebat dicere Valesius, nullis se melius libris, usum umquam esse quam commodatis: hos enim se exactissime legere, adnotare, atque excerpere semper consuevisse, tamquam qui in manus suas numquam essent redituri. Die Dominico conveniebat in Ecclesiam: die Saturni pomeridianis horis amicos visitabat; reliquos cujusque hebdomadis dies plerumque studiis impertiebat, ac sedebat domi. Amici tum Valesii erant Sirmundus, Petavius, Hieronymus Bignonius, Patronus fisci, vel ut vulgari utar appellatione, Advocatus Generalis, Puteani, Nicolaus Rigaltius, Michael Anglus, Franciscus Florens Jurisconsultus, Bosquetus Narbonensis, Johannes Tristanus Sanctamantius, qui in veteribus nomismatis præsertim Græcis legendis commentandisque ab ipso non mediocriter est adjutus. Ex his Sirmundus callidus & astutus senex, cum observavisset, certo semper hebdomadis die ac eadem pæne hora se ac Petavium à Valesio conveniri, ejus rei causam ex ipso quæsivit: & sereno ut erat vultu, Quid tu (inquit) Valesi constanter ad nos sabbatis ventitas? Hic subridens Valesius: Vin' dicam, mi Pater? Ne à studiis avocer, plusquam semel quaque hebdomade cubiculum meum verri, & supellectilem mundari non patior. Itaque septimo quoque die mihi Judæorum more otiandum est atque cessandum: eo die, quod possum, amicos meos viso. Tum Sirmundus exclamat. Magnæ plane ancillæ tuæ habendæ sunt gratiæ, per quam nobis Valesio nostro aliquando frui contingit. Ultinam te sæpius paternis

nis ædibus extruderet, atque Clarummontem versus everreret. Nam in omnibus, ut tute nosti, servandus est modus; nec minus etiam in ista ætate valetudinis tuæ quam studiorum debes habere rationem. Sirmundi, Petavii, Rigaltii, doctorum hominum apud Puteanos toti plerumque sermones de literis erant: his Valesius summopere delectabatur: inde sero, ac solito lætior domum reverti consueverat, præsertim si magnum & præclarum aliquid aut dixisset ipse, aut dicentes audisset.

Jam in notitia Græcarum ac Latinarum antiquitatum tantum profecerat Valesius, ut edere doctrinæ suæ publicum specimen posset. Ejus rei nec opinanti data est occasio. Nicolaus Fabricius Peirescius, in suprema Curia Aquisextiensi Consiliarius Regius, vir doctus fautorque doctorum, ac locuples, veteres libros à Monachis Græcis qui vulgo Calogeri vocitantur, nonnumquam emendos curabat. Hos inter à mercatore Massilienſi advectus erat ex insula Cypro Aquas Sextias codex priscus, Constantini Porphyrogennæti nomen ferens. Nimirum Imperator Constantinus, Leonis Aug. filius, Basilii Macedonis nepos, collectanea historica ex variis auctoribus, tribus & quinquaginta titulis inclusérat, ac singulos titulos vel tractatus in 11. libros divisérat. Ex hisce titulis jampridem unus de legationibus extabat: alius tractatus περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας inscribebatur: quem Peirescius emtum, ut dixi, Lutetiam Parisiorum ad amicos miserat. Ibi cum diu neglectus jacuisset, hortante Petro Puteano Regiæ Bibliothicæ custode, laboriosum opus & à cunctis recusatum Valesius audacter suscepit. Ex Polybio igitur, è Diodoro Siculo, è Nicolao Damasceno, & Appiano Alexandrino, ex Dione Cocceiano & Johanne Antiochensi excerpta præclara quotquot nondum publicata erant, in linguam Latinam eleganter transtulit, adnotationibusque multiplici ac varia eruditione refertis illustravit, dicavitque Peirescio anno Domini MDCXXXIV. ætatis xxxi. nondum impleto: quem *primum studiorum suorum fœtum* ipsemet in epistola appellat. Circa idem tempus cum apud veterem auctorem de portu Smyrnæ clarissimæ urbis Ioniæ legisset aliqua, quæ non facile possent intelligi nisi ab eo qui locum vidisset; ac ea de re Fabricio Peirescio scripsisset: Peirescius una cum negotiatore Massilienſi pictorem ex Provincia Smyrnam proficisci jussit, qui de ipsa navi portum Smyrnæum diligentissime perspiceret ac delinearet, portumque penicillo expressum in membrana ad Valesium mitsit. Ex quo apparet hinc Valesii in commentandis auctoribus cura atque diligentia, inde Peirescii in juvandis ac promovendis ejus studiis benignitas singularis. Egit gratias Peirescio Valesius, sic tamen ut ingenue fateretur aliqua superesse, de quibus dubitandi causas haberet. At Peirescius graviter ferens nihil actum tanta impensa missi in Asiam pictoris, rescripsit Valesio, omnia se facienda fecisse, quibus deberet esse contentus: quod si exactissimæ delineationi portus non acquiescceret, non pictoris, non suam, sed ipsius plane culpam esse, cui nihil satisfacere posset. Ad opera Valesii revertor. Græcis historicis Latinus successit Ammianus Marcellinus. Latinum historicum appello Marcellinum, hominem natione Græcum & domo Antiochensem; propterea quod latine scripsit historiam, & res Romanas ab exortu Nervæ ad Valentis Aug. mortem xxxi. libris expositi. Igitur Valesius septem & amplius veterrimas editiones Marcellini, & codicem Bibliothecæ Regiæ, ac varias lectiones, ex quatuor

MSS. membranis excerptas, inter se diligentissime contulit; atque hisce instructus auxiliis historicum celebrem, à mendis quamplurimis vindicatum, in suum nitorem ac velut in integrum restituit: addidit & uberes adnotationes, quibus emendationum suarum rationem redderet, & difficiles quosque auctoris locos, antiquitates Romanas, dignitates Palatinas, civiles ac militares explicaret. Anno Christi nati M. DC. XXXVI. ætatis tertio ac tricesimo Ammianum Marcellinum Henrico Memmio, supremæ Curiæ Parisiacæ majori Præsidi nuncupavit: quem nobilissimum virum, dignitate & hereditario amore literarum ex æquo clarissimum, plurimum colebat. Mirabantur multi, tam laboriosum ac scrupulosum opus tam feliciter ac bene ab uno homine intra biennium absolvi potuisse: quod artum temporis spatium vix perlegendis adnotandisque priscis Ammiani libris cum editis tum scriptis, nedum componendis notis sufficeturum videbatur.

Sed assidua lectio librorum ac præcipue veterum membranarum oculis Valesii quorum aciem à prima infantia hebetiorem habebat, plurimum nocuit. Ex eo quippe minus quam antea utroque oculo videre cœpit; dextrum etiam non multo post ex suffusione amisit. Quamobrem cum nec legere commode posset, nec scribere, rarius studere coactus est, & tædia molestissimi otii jucunda amicorum consuetudine & crebra allocutione levare. Observabat autem Memmium Prætidem inprimis, qui ipsum secum habere frustra concupivit, præterea Amelotum primum Curiæ vectigalium Præsidem, Petrum de Marca Archiepiscopum Tolosanum, Hieronymum Bignonium Advocatum Generalem, Claudium Sarravium Consiliarium regium, Hugonem Grotium, qui postea Serenissimæ Reginæ Christinæ legatus fuit, Galminum libellorum supplicum Magistrum. Amicos habebat præter eos quorum supra memini, Johannem Launoium Theologum, Ludovicum Nublæum Advocatum in Curia Parisiaca, Ægidium Menagium, Carolum & Franciscum Ogerios, Ludovicum Cantarellum Fabrum, Rollandum Marcsium, & quotquot Lutetiæ liberalibus studiis doctrinaque eminebant: è quibus Nublæo suam de populis fundis sententiam exposuit Epistola, quæ una cum Bullialdi aliorumque de eadem re libellis Divione edita est. Amicorum numero postea accesserunt externi, ex urbe Roma Franciscus Barberinus Ecclesiæ Romanæ Presbyter Cardinalis, Lucas Holstenius Hammaburgensis, & Leo Allatius: è Batavia, Claudius Salmasius Diviodunensis, Fridericus Gronovius, Isaacius Vossius, ac Nicolaus Heinsius: ex insula Britannia, Jacobus Usserius Armachanus: è nostris Lucas Acherius, Cantalupus, Johannes Mabillonius, Sanctigermanenses Monachi pissimi atque eruditissimi.

Ita transacto septennio, deficientibus indies oculis, intellexit Valesius necessario sibi aut renuntiandum studiis; aut habendum esse lectorem: quem à patre præparco nec petere audebat, nec etiamsi maxime petiisset, impetraturus videbatur. Cum ea de re sæpe apud amicos sermonem habuisset, sæpe quæstus esset: Michael Anglus celeberrimus Cautidicus, cujus intima familiaritate utebatur, obtulit ipsi nomine Henrici Memmii bina librarum millia annua, si studia sua suasque observationes cum eo communicare vellet: hoc si feciisset, amplissimi Præsidis gratiam maxime initurum, & anagnostæ opera paternis in ædibus libere studiis vacaturum. Valesius qui semper antea ejusmodi studia

ad

ad alienos usus accommodata aversatus erat, ac grave servitutis genus appellitaverat; amici verbis & rationibus, sed multo magis condicionis æquitate victus, dedit manus, ac tandem expugnari se passus est. Annorum tum erat circiter quadraginta. Nanctus igitur lectorem eumdemque scriptorem sive librarium, præter ceteros quorum non memini, Eusebium, Socratem, Sozomenum, Theodoritum, ac Evagrium legit, adnotavit, excerpsit. Quo facilius ei fuit, postea novæ translationi veterum historiæ Ecclesiasticæ scriptorum vacare, quos jam antea exactissime perlegisset. Sæpe miratus sum ejus animi præsentiam, semper his solis quæ legerentur intenti; ab anagnoste indocto perperam pronuntiata græca & latina cito ac facile intelligentis; nunc sedendo, nunc ambulando dictantis ex tempore, & cuncta quæ dictaret, recte atque emendate scribenda curantis, denique inter monitus ac reprehensiones neque lecta obliviscentis neque dictanda, ut apte prioribus posteriora jungerentur. Tum libros emit Valesius & multos, & bonos, sed eos maxime, quos sibi præcipuo usui fore judicabat, ne sæpe ad amicos decurrere cogeretur. Tum quoque multas & varias variis fictisque de rebus orationes, velut ad Regem aut in curia habendas, patrio sermone composuit, & manu sua utcumque scriptitavit: quæ ipsum magno opere fatigaverunt, cum propter laborem scripti nis ægro oculo intolerabilem, tum vel maxime propter exactionem celeritatis. Aliæ enim super alias ei orationes injungebantur, bene, secreto, ac cito elucubrandæ.

Anno MDCL. post Christum natum xiii. Kalendas Augustas patrem amisit: & interjectis paucis mensibus Memmius amplissimus Præses decessit. Eodem anno Christina Serenissima Suedorum Regina unanimi omnium Regni ordinum consensu consecrata est & coronata: cujus de laudibus ita orationem scripsit Valesius, ut ab ipso in Suedia ad Reginam habitam putes. Ob id nomine Reginæ & torques aureus ei promissus est, & ipse cum viro doctissimo Samuele Bocharto Cadomensi, commendatione Isaacii Vossii amici sui in Suediam invitatus. Neutra tamen res bonum ac felicem eventum habuit; neutra Valesio utiliter cessit. Nam nec torquem umquam istum, qui ipsum diu multumque torserat, nec Suediam umquam vidit, plane quasi honore contentus, impensam remisisset. Jactaverat non semel Valesius, qui alioquin paucorum verborum erat, daturum se operam in Suedia, ne Christina in Regnum suum pro doctis indoctos & aretalogos invitaret. Quæ ventosa comminatio occultam & magnam ei conciliavit invidiam. Nam qui se designari sentiebant, clam missis trans mare literis obtrectationis & maledictorum plenis effecere, ut vice versa eo domi remanente, ipsi Holmiam navigarent. Sic dum alios excludere vult Suedia, semet exclusit. Sed hanc injuriam sibi malis falsorum amicorum & invidorum artibus factam forti animo tulit. Profuit certe ei, à navigatione Suedica avocari, ne à studiis avocaretur.

Carolus Montchallus Archiepiscopus Tolosanus, vir doctus, cui veteris historiæ Ecclesiasticæ editio mandata fuerat à Clero Gallicano, Socratem & Philostorgium cum duobus priscis codicibus Romæ à Luca Holstenio conferendos curaverat, & Valesium secum Tolosam abducere frustra tentaverat, ut magna in re magno adjutore tacitus uteretur. Sed cum postea propter nimias occupationes suas huic se editioni vacare non posse animadvertisset; Petri Puteani

literis inciſatus, rogavit abſens per epiſtolam Antiſtites Galliarum, ut Henricum Valeſium ultro ſe ipſis offerentem ac humeros tanto oneri ſupponentem, ſuum in locum ſubſtituerent: quo doctior & magis idoneus ſuſcipiendo operi non poſſet inveniri. Epiſcopi Regni Francorum, qui anno MDCL. Lutetiæ Pariſiorum erant congregati, lectis Montchalli literis, ejus conſilium ſecuti ſunt, & Valeſio curam atque onus novæ editionis priſcæ hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ad unum omnes una voce delegavere. Aſſignatæ ſunt ei in annos ſingulos libræ ſexcentæ: cui ſummæ ducentas libras anno MDCLXX. addidere. Secutum eſt triennium, Valeſio infelix ac infortunatum: intra quod temporis ſpatium tribus veterrimis & maximis optimiſque amicis privatus eſt. Quippe anno MDCLI. Jacobus Sirmundus, inſequenti anno Petrus Puteanus cuſtos Bibliothecæ Regiæ, anno demum MDCLIII. Dionyſius Petavius, virtute & doctrina clariſſimi ac eminentiſſimi viri deceſſere: quos Valeſius ſua quemque oratione laudavit, & eorum memoriæ extremum hoc & quaſi debitum munus exſolvit. Extant laudationes, ad quas lectorem remitto. De Sirmundo & Petavio in tranſcurſu dicam, cum ut ſolet doctis accidere, nonnumquam alter ab altero diſſentirent, alter etiam adverſus alterum ſcribere parati eſſent; Valeſium communem amicum amborum, hominem ab adulatione ac diſſimulatione alienum, libere quæ ſentiret dixiſſe; & licet utrimque traheretur, alterius probaviſſe ſententiam, alterius nequidquam repugnantis palam damnaviſſe: tam ſapienter denique, tam modeſte ac ſincere juvenem inter conſummatos ſenes de re controverſa, videlicet de Synodo Sirmienſi judicaviſſe, ut nihilominus utriuſque uſum amicitiamque retinuerit. Eadem ratione ſe geſſit in contentione Sirmundi atque Triſtani de nummo Hanniballiani Regis, de Anaſtaſi, aliiſque. Cum in quibuſdam ab utroque diſſentiret; neutrum tamen libertate ſua læſit, neutrum offendit. Exiſtimabas tum tamen, mi Nublæe, non bene feciſſe Valeſium, quod ſuam de Anaſtaſi diſſertationem Triſtano adverſus Sirmundum ſcribenti publicandam dediſſet: quaſi Triſtani partes quam Sirmundi ſequi mallet, firmioreſque duceret.

Interea Valeſii opus procedebat: qui Euſebii Cæſarienſis Epiſcopi Eccleſiaſticam hiſtoriam, ejuſdem de vita Imperatoris Conſtantini libros iv. ac Panegyricum, atque orationem Conſtantini ad Sanctos cum iv. veteribus codicibus exacte contulit emendavitque, in linguam Latinam pari fide elegantiaque convertit, ac doctiſſimis commentariis ad priſcos Eccleſiæ mores ac ritus explicandos illuſtravit. His ſubjunxit iv. diſſertationes: primam de origine & progreſſu Donatianorum, quos non ſervata lege analogiæ vulgo Donatiſtas vocant: alteram de Anaſtaſi, in qua Sirmundum & Triſtanum reprehendit: tertiam de tranſlatione ſeptuaginta interpretum: ultimam de Martyrologio quod Romanum cognominavit atque edidit Roſweidus. Dum ſub prælo gemit Euſebius, Valeſius Julii Mazarini Cardinalis liberalitate auctus eſt, allatis ipſi inopinanti ſub finem anni MDCLVIII. libris mille quingentis: quod congiarum poſtea quotannis ad finem vitæ, tam vivo Mazarino quam mortuo ex ejus teſtamento percepit. Publicata eſt Euſebii hiſtoria anno MDCLIX. menſe Julio: quam Valeſius Archiepiſcopis & Epiſcopis Eccleſiæ Francicæ, quorum auſpiciis in lucem prodibat, Epiſtola ac Præfatione nuncupavit. Accepit poſtea

stea ex nonnullis, melius atque adeo utilius se facturum fuisse, si Eusebium Julio Mazarino dicavisset; quod grati animi testimonium ab ipso Cardinalis expectarat.

Anno MDCLX. rex optimus ac munificentissimus Henricum Valesium, meque una in numerum Historiographorum suorum retulit. Utrique separatis literis seorsum attributæ annuæ libræ mille ducentæ. Datum id (quantum ad fratrem attinet) novæ Eusebii emendatæque editioni; quantum ad me, Historiæ Francicæ xxv. libris plurimisque observationibus illustratæ.

Anno Domini MDCLXII. ætatis LIX. Valesius sinistrum oculum amisit, sicut pridem amiserat dextrum; & circiter tres menses in cæcitate quantum fieri potuit dissimulata permansit: donec quidam genere Lingon, medicus ocularius, cataractam ab utroque oculo ejus amovit. Sed cataracta iterum pupillam dextram obtegente, cogitur ut prius uno oculo qualicumque esset contentus: cujus auxilio, quoties opus erat, subscribere solebat, agnoscebat etiam circumstantes, & adnotabat ora, vestes gestusque singulorum. Præcipue cum domi, tum etiam foris per vicos urbis, equis & carrucis ac bajulis onera transversa ferentibus plenos, celeri pede, recto vultu ac toto corpore, confidentissime incedebat, sine duce, sine baculo: plane quasi bene oculatus haberi vellet. Quinetiam cum antea foris famulum nunc lateri suo adjunctum, nunc prævium habere consuevisset: postea tale auxilium fastidivit, nec aut præire eum aut lateri suo adhærere passus est: tamquam oculorum aciem recuperavisset, ac nullo amplius egeret auxilio. Quosdam ex amicis vidi, tam firmo & tam audaci hominis incessu deceptos, mirabundos, & quod de ipsius oculis audiverant, verum esse non credentes.

Anno Domini MDCLXIII. Ludovicus Rex, virtute, animo, fortunaque maximus, pro solita magnitudine cogitationum suarum, & pro innata ipsi bonitate atque cura litterarum, doctis cum popularibus tum etiam externis late per Europam sparsis liberalitatem exhibuit: quos inter Valesius, curante amplissimo Colberto regii ærarii præfecto, iii. Nonas Junii mille ducentas libras accepit: parem summam ad exitum vitæ singulis annis percepturus. Accidit tum mihi, ut quamquam minor majori adæquarer fratri, & pari præmio donarer.

Tot prosperis supra vota confluentibus, uxorem ducere constituit. Amabat pridem puellam formosam ac ingenuam Margaritam Casinellam. Igitur anno MDCLXIV. pridie Kalendas Novembreis relicta domo paterna, in qua cum matre & fratribus habitabat, ædes conductas festinanter instruxit, ac ibi virginem xiv. Kalendas Decembris in matrimonium accepit. Annum primum & sexagesimum transgressus tum erat. Fuere multi, etiam amici & noti, (quibus autem notus non erat Valesius?) qui eum reprehenderent: fuere & qui veluti parum sanum irriderent. Hos inter epigrammatarius senex, qui valde acutus sibi videbatur, distichon triviale composuit, de cæco sene uxorem ducente, ut ab ipsa duceretur. Quod ne in Valesium dictum crederetur, idem poetica licentia mihi & communibus amicis confidenter asserebat, epigramma multo ante hasce nuptias scriptum ac editum fuisse. Nimirum sunt homines ad vituperandum atque damnandum quam ad laudandum multo

natura;

natura proniores. Equidem Valesium, si sexaginta annis major sibi necessarium credidit uxoris solatium, si confidere & se ac sua committere conjugi quam famulis maluit; si mensæ ac lecti, vitæ atque fortunæ fidelem sociam habere, si solitudinis tædia finire voluit; Valesium inquam nihil inusitatum fecisse, nec propterea carpendum aut traducendum judico. Factum multis maximorum & sapientissimorum virorum, veterum ac recentiorum exemplis defendi potest. Solet fieri: fieri licet. Habuit Valesius, quos sequeretur: habebit qui imitabuntur. Vulgare proverbium est, ejus qui valeat annos numerari non oportere. Senex quidem erat Valesius, quum uxorem duxit: sed erat vegetæ ac viridis & incipientis senectutis; supra ætatem robustus erat, prosperrima valetudine utebatur; intra annos undecim ac menses fere sex, ex conjuge septem liberos tulit, quatuor mares, tres sexus feminini; maritus studiis vacavit ut cælebs, dictavit ut cælebs, mutua cum amicis officia exercuit ut cælebs; magnum lienis dolorem quo tandem consumtus est, diu fortiter tulit. Quid amplius juvenis facere potuisset? At male oculatus puellam formosam duxit! Oculis Valesii nil jam metuendum erat, cum altero pridem captus esset, altero tam maritus viderit quam cælebs. Puellam venustam duxit! An melius & prudentius facturus fuit, si anum deformem duxisset? formosam sibi conjunxit, ut eam magis & perseverantius amaret; puellam, ut ex ea generaret heredes, quos ab anu exspectare non potuit. Nam matrimonium liberum quærendorum causa contrahitur. Puellam inquam accepit, ut ea obsequentiore uteretur, ut quasi tenellam arbusculam flecteret qua vellet, vel quasi mollem ceram pro libitu duceret atque formaret. Vetulis quippe virginibus nihil durius & intractabilius, nihil pervicacius, nihil morum plerumque pessimorum tenacius, nihil ridicula prudentiæ affectatione putidius potest reperiri. Quare non Valesius, sed ipsi censores qui eum damnaverunt, risu digni fuerunt atque damnandi.

Post ductam uxorem nihilo segnius studebat Valesius, libroque componebat. Socrates & Hermias Sozomenus Scholastici seu Advocati à Constantini Maximi professione Christianæ religionis ad septimum decimum Consulatum Theodosii junioris Aug. centum & viginti octo annorum historiam perduxere. Hosce ambos ope priscorum codicum emendatos, in sermonem Latinum transtulit, & doctis adnotationibus exposuit. Adjecit & tres libros observationum; unum de rebus magni Athanasii Antistitis Alexandrini, alterum de Pauli Constantinopolitani Episcopi exsiliis ac restitutionibus, tertium ultimumque de sexto Canone Concilii Nicensis. Hunc secundum historiæ Ecclesiasticæ tomum Ludovico Francorum & Navarrorum Regi maximo ac Christianissimo dedicavit anno MDCLXXVIII. obtulitque. Tertio observationum libello Johannes Launoius Theologus, adversus quem scriptus erat, utcumque cavillando respondit: quam defensionem Valesius sibi legi noluit, affirmans consumtam esse materiam, & persuasissimum habens, sua scripta ab Launoio nulla ratione refelli posse atque convelli. Supererant corrigendi, transferendi, exponendique Theodoritus Episcopus Cyri, & Evagrius Scholasticus, ut totum veteris Ecclesiasticæ historiæ corpus, usque ad annum natalis Domini DXCIV. Mauricii Tiberii principatus duodecimum, uno stilo, pari

fide

fide elegantiaque conversum haberemus. Quod anno demum MDC LXXIII. factum est: quum Theodoritus & Evagrius, unaque excerpta è Philostorgio & Theodoro Byzantio Lectore prodierunt in lucem, cum accuratis adnotationibus & duobus observationum Ecclesiasticarum libris: quod opus Valesius J. B. Colberto illustrissimo literarum fautori nuncupavit, ut esset suæ erga ipsum observantiæ gratique animi perenne monumentum. Sacræ historiæ Græcis auctoribus Latinos, Sulpicium Severum, Turanium Rufinum, Cassiodori Senatoris historiam tripertitam, Liberatum Diaconum, nonnullosque alios cum priscis membranis collatos, & opera sua emendatos commentariisque expositos adjungere constituerat, si ei diutius vivere contigisset. Præterea carmina, quæ ex occasione composuit: qualia sunt, Soteria pro Ludovico Magno Rege Christianissimo, versibus hexametris stilo Horatiano anno MDC-LXIII. condita: item insequenti anno lucubrata, ad Regem de victoria ejus Maurica & Turcica ode elegantissima.

Hi sunt libri quos scripsit atque publicavit. Sed multa in scriniis volumina moriens reliquit, partim absoluta, partim imperfecta: quæ cum in manus meas non venerint, à me indicari commemorarique non possunt. Nota posteris faciam ea, quæ recordor. Inprimis suis ad Ammianum Marcellinum, & ad totam historiam Ecclesiasticam adnotationibus multas observationes addidit, nova editione dignissimas. Quod ad Ammianum attinet, Elavius Batavus typographus cum historicum editurus erat, & de numero exemplarium cum Valesio convenerat: sed bellum repente superveniens omnia editionis in hostico consilia discussit. *De legibus Atticis* scripsit Valesius: & jam opus suum edere parabat, quum est à Samuele Petito Nemausensi præventus, qui de eadem materia opus ingens Luteciæ typis imprimendum curavit. De Critica, quæ pars est Grammaticæ utilissima, volumen composuit, sed non absolvit: in quo enumerat, qui sint à veteribus Critici appellati. Aristarchum etiam, philosophorum facile primum atque doctissimum, Criticum esse cognominatum docet. Hoc notetur, quod non semel observavi, ab his qui patria lingua versiculos factitant, aut soluta oratione aliquid scribunt, viros doctos & antiquitatis ac linguarum peritos contumeliæ causa *criticos* appellari: quos nimirum ineptiarum suarum censores, & insciliæ suæ judices metuunt ac aversantur. Valesius ipse cum jaceret in lecto, & intra paucos dies moriturus falso crederetur, mihi opera sua commendans, asserebat se Libanii sophistæ orationes quindecim, ad historiam pertinentes, ex priscis membranis eruisse, ac in linguam Latinam convertisse, commentariisque exposuisse. At ipso mortuo, Græcas orationes Libanii quatuor tantum aut quinque, ac ne eas quidem historicas, in Latinum sermonem translatas, ejus in scriniis reperi: ceteras, si quæ sunt, haudquaquam vidi. Multa in varios auctores, diversos, diversos vulgo dicto, eximia Valesium observaviſſe, communes amici, Aimericus Bigotius, Hieronymus à S. Bova, & Johannes Cotelerius, viri clarissimi, doctissimique asserunt: quæ digerenda in ordinem, & Miscellanea vel Collectanea inscribenda esse, mihi suavissimus Bigotius post fratris obitum scripsit. Sed hæc mihi videre, & scrinia ejus excutere ac evolvere quæ ibi latent non licuit. Ita omnia magno Reipublicæ literariæ damno haud dubie sunt peritura, aut fraude intercipienda

vel

vel supprimenda: nisi à viro aliquo non minus probo quam docto secernantur quæ jam sunt edita, & quæ supervacanea ac inutilia videbuntur; reliqua autem quæ sunt inedita, diligenter emendentur digeranturque, ac bene ordinata auctoris nomine vulgentur. Alioquin scripta Valesii in manus indoctorum hominum venient: qui nec etiamsi maxime voluerint, eis uti ipsi poterunt, nec alios etiam uti patientur. Et hactenus de libris Valesii.

Post editam totam Ecclesiasticam historiam vix novem menses effluxerant, quum circa mensem Martium Valesius in morbum incidit: quem ipsemet initio contemsit, & celeriter ac facile sanari posse credidit, propterea quod eum variantem, & nunc graviorem, nunc leviorem, interdum etiam velut ex toto decedentem videbat. Sed postea cum indies dolores accrescerent, animadvertit totam vim morbi in lienem proximasque partes corporis prorupisse. Tum fere quotidie, interdum etiam intra unum diem non semel magnis & acutis doloribus cruciabatur, ita ut sæpissime ejulare & clamare cogeretur. Sublato ad tempus dolore, statim redibat ad sese: alium crederes, cum suis, cum amicis colloquebatur; ambulabat modo domi, modo etiam foris; studebat quoque ac dictabat; petebat Ecclesias, & omnes Christiani partes implebat. Sic biennium ac duos menses consumsit. Jamque melius se habere, & veris beneficio convaliturus putabatur, quum subito ingravescente vi morbi tandem succubuit, & peractis quæ virum pium atque Christianum facere oportebat, Nonis Maii anno Christi MDC LXXVI. exspiravit, cum sæpius intra horas quatuordecim ore cruorem effudisset. Tanta quidem ei fuit ad extremum spiritum animi præsentia, ut circumstantes alloqueretur, responderet interrogantibus, & cum Presbyteris Deum precantibus preces suas jungeret. Vixit annis duobus & septuaginta, mensibus octo, biduo minus. Elatus est modica pompa funeris, maxima doctorum frequentia: sepultus est in Campensi Basilica S. Nicolai, in monumento avito. Ex septem liberis quos sustulerat, moriens tres filios superstites reliquit, maximum natu Hadrianum, quem rogatus à patre infantis, de sacro fonte excepi, & cui meum Hadriani nomen dedi; Henricum, & Carolum: è quibus Hadrianus duodecimum annum agit, Henricus xi.

Heic referenda sunt aliqua, suis locis præterita, quoniam quibus singula annis contigerint, meminisse non potui. Choræ Abbas, re & nomine Amabilis Burzæus cum viris doctis de sacra scriptura & de veteri Ecclesiæ disciplina stato cujusque hebdomadis die domi sermones habere concupivit, favente votis ejus Colberto; & primum, aut unum de primis Valesium invitavit, uti his collationibus quæ tamen paucis mensibus duraverunt, interesset. Interfuit igitur unus pæne inter Presbyteros ac Theologos laicus, inter togatos palliolatus, & interrogatus, docte ac graviter sententiam dixit. Ipse mihi narrabat, ibi se aliquando longo sermone docuisse, viros bonos ac pios, *filios Dei*; malos atque impios *filios hominum* in sacris libris appellitari. Idem Abbas, inter tres de una juris Canonici cathedra Parisiaca contendentes, propter dissensionem Professorum judex ab amplissimo Colberto, Mæcenate suo electus, assessorem sibi præ ceteris Valesium nostrum adjunxit, & post auditas singulorum competitorum orationes ac disputationes publicas, de consilii sententia digniori vacantem

cantem cathedram adjudicavit. Emendandis amicorum ſcriptis non parum temporis Valeſius rogatus impendit. Inprimis, ut leviora omittam, quoſdam rerum Byzantinarum ſcriptores Græcos à Combefiſio Dominicano repertos, & in linguam Latinam converſos, curante Carcavio ſedulo relegit, correxitque ac illuſtravit notis: quos hiſtoricos diligentiſſimos & maximi faciendos, ac digniſſimos eſſe qui ederentur, non ſemel mihi affirmavit. Præterea Græcos auctores Mechanicos, è bibliotheca Regia à viro clariſſimo doctiſſimoque Carcavio, ejus cuſtode erutos, in Latinum ſermonem tranſtulit, ut eſſent cui tum parari dicebantur editioni maturi. Diebus Lunæ poſt meridiem huic interpretationi vacabat, legente codicem ac dictata excipiente Cotelerio.

Nunc de moribus ac de interiore vita hominis pauca dicenda ſunt. Quod ad pietatem pertinet, Valeſius ſollennes dies feſtos, Paſcha, Pentecoſten, Aſſumptionem S. Mariæ, feſtum omnium Sanctorum, & Natalem Domini, raro elabi paſſus eſt, quin à Presbytero pœnitentiam & ſacram communionem acciperet. Dominicis ac feſtis diebus, quoties ei per oculos & per valetudinem licuit, una cum populo Baſilicas frequentavit. Ante annos tres vel quatuor quam decederet, quoties feſtis diebus morbo vexatus, domi ſe tenere cogebatur; Bernardi Claravallenſis Abbatis Sermones ab anagnoſte ſuo ſibi legi jubebat, attenteque eos audiebat, & avidis auribus hauriebat. Quippe exiſtimabat, & amicis etiam dicere conſueverat, dies Dominicos ac feſtos Dei laudibus, non ſtudiis literarum impendi oportere: Sermones autem Bernardi quibuſlibet veterum Patrum cum Græcorum tum Latinorum homiliis ac Sermonibus multo eſſe ad excitandam in animis noſtris accendendamque pietatem aptiores. Id notandum duxi, propterea quod religio & exacta dierum feſtorum obſervatio raro creditur in eruditis reperiri: de quibus joci cauſſa dictitant, *ſtudere, Deo ſervire eſt.* Presbyteris magnum ſemper honorem habuit. Hoc nonnumquam amicis ſanus, hoc Presbyteris ipſis adſtantibus moriens aſſerebat, Presbyteros ſummæ ſibi ſemper fuiſſe venerationi. Adeo verum eſt, quod ait Symmachus, *qui bona fide Deum colit, hunc amare & Sacerdotes.*

Erat ſomni plerumque alti atque diuturni, ac ne inter tonitrua quidem tempeſtateſque deſerentis, matutinum tempus ſtudiis impertiebat: poſt meridiem & prandium audiebat aliquid & dictabat aliquando, ſed non diu. Nox ſtudiis eximebatur. Vigilias enim pati non poterat, nec unquam niſi extraordinaria aliqua neceſſitate coactus lucubrabat. Plerumque ſolitudine ac ſecreto delectabatur, ut quæ legerat aut ſcripſerat, ſcripturuſque erat, ſecum tacitus meditaretur ac veluti ruminaret. Negabat enim ſine meditatione utilem eſſe lectionem. Quare & amicis ipſum quærentibus haud raro dici jubebat, ſe domi non eſſe. Hac contentione animi tot iſta ac tanta volumina peregit. Cum eſſet igitur, ita ut decui, ſtudioſus ac laborioſus, nihilominus tamen dictitabat parum ſe ac pauculis horis ſtudere. Tantopere libris evolvendis ac componendis intentus, nihilo ſegnius rei familiaris curam agebat: quam non ſervare ſolum parcimonia, verumetiam omni bono modo augere conabatur. Libros ſuos non libenter amicis commodabat, præſertim indoctis, quibus nulli uſui futuros ſciebat, cum his ipſe carere non poſſet. Plagiarios, quales inter eruditos ſunt plurimi, plurimum oderat: & ſi qui obſervationes ſuas fraude aliqua, aut ſe inconſulto nec permittente, ſibi vindicaviſſent, libriſque ſuis inſeruiſſent, plane

 nafecbatur.

iraſcebatur, & querebatur palam. Quinetiam ſi vel leve aliquid ad literas pertinens cuiquam dixiſſet; in voluminibus editis aut rem totam ſupprimi atque præteriri, aut gratam ſui mentionem fieri volebat, & ſe inhonoratum tranſmitti, ac honore qualiſcumque obſervationis fraudari indignabatur. Suum quidem eſſe, quod ſibi aliquando viſum eſſet ac veniſſet in mentem; res autem ſuas ubicumque aut à quocumque interceptæ eſſent, jure ab ſe repeti poſſe arbitrabatur. In quo ſane accidit aliquando, ut amicos & quoſvis alios eruditos ſcriptores falſo ac ſine cauſa ſuſpectos habeamus, accuſemuſque plagii. Quis enim quantumvis doctus negare auſit, id quod obſervavit, aut à nemine antea obſervatum fuiſſe, aut ab aliquo alio ſibi incognito eodem tempore obſervari potuiſſe? Ita de ſui ſimilibus judicare, eſt hominis aut nimium ingenio ſuo confidentis, aut nimium diffidentis alieno. Parcus erat ſermonis, parcus & laudum: & niſi ſi quid amicitiæ dabat, (quod rarum erat) pauca ætatis ſuæ probabat ſcripta, pauca laudabat: quod non multa laude digna aut multi æſtimanda edi videret; laudari autem ac magni fieri nefas duceret, quæ laudem & gloriam minime merebantur. Cum de alienis operibus tam libere judicium ferret, ipſe in libris ſuis aliqua reprehendi haud æquo animo patiebatur: non tam quod quemquam contemneret, ut ingenio inferiorem atque doctrina, aut ſe unum ceteris omnibus anteferret; quam quod intolerabile judicaret, indoctos de rebus ſibi ignotis audacter & impudenter ferre ſententiam, & palam ea improbare ac maligne damnare, quæ non intelligerent. In re ſeria, in luſu etiam (nam juvenis non raro nec male aut infeliciter luſit) ſiqua eſſet orta contentio, omnes ſibi, nemini ipſe cedere volebat: volebat vincere, vinci nolebat, quæ pervicacia paullatim provecta ætate deferbuit. Nimirum, ut ait Tullius in libro de officiis, *in elatione & magnitudine animi facillime pertinacia & nimia cupiditas principatus innaſcitur.* Quum proſpera valetudine utebatur, fratres & propinquos ſuos, ſi forte ægrotarent, morbis obnoxios, infirmos, lecto gaudentes appellabat, ac ſui diſſimiles eſſe dicebat. At ſi ipſe in morbum incidiſſet, clauſo undique cubiculo nec lumen, nec amicos, ac ne proximos quidem admittebat, ſed in ſolitudine & ſilentio permanebat, ac modo dolores ſuos ejulatu ac clamoribus, modo febrim crebro atque ſublimi anhelitu teſtabatur, ita dolorem levari, febrilem ardorem minui ratus. Poſtquam autem convaluerat, velut præteritorum oblitus, leve ac contemnendum fuiſſe quidquid tuliſſet, aiebat: vix ac ne vix quidem ægrotaviſſe videri volebat: moleſtus ei erat, qui mentionem morbi faciebat; gratiſſimus contra, qui de proſpera ejus ac juvenili valetudine, de viribus mirabundus loquebatur. Natus annis ſeptuaginta, nec ſibi ipſe videbatur ſenex, nec aliis videri volebat, qui mala & incommoda ſenectutis nulla ſentiret. In literis quas ad eum miſerat Gronovius Gronovii filius, longam & felicem ſenectutem ei precatus erat. Senectutis nomine offenſus eſt Valeſius, epiſtolamque ceu à juvene juveniliter & inepte ſcriptam projecit, tamquam ſibi dedecus aliquod falſo exprobraretur. Id mihi poſt, ſed ridens referebat: ita ut appareret ipſum in ſe poſtea deſcendiſſe, & annorum ſuorum magis quam firmæ valetudinis & virium habita ratione, dictum Gronovii probaviſſe. Adjiciebat inſuper, ante acceptas haſce à Gronovio literas, ſe de ſenectute ſua numquam cogitaviſſe.

Hæc

Hæc ſunt quæ de Henrico Valeſio fratre meo ſcribenda duxi: non ut libello meo quidquam gloriæ ejus adderem, quem abunde ſua ſcripta commendant, ſed ut in ipſo reperiant eruditi atque ſtudioſi, quod imitentur.

At tu, mi frater, (extremum te alloquor,) ſiqua etiamnum tibi ſuperest memoria rerum humanarum, ſiqua te adhuc tangit cura operum & ſcriptorum tuorum, hoc à me habe ſupremum munus: hoc elogio, qualecumque & quantulumcumque eſt, hoc honorifico teſtimonio contentus eſto. Hoc à me accipe, quod forſitan ne exſpectaveras quidem, religioſum fraterni amoris monumentum. Tu me ut naſcendo, ſic & moriendo præceſſiſti: nunc exſpecta, ſimul ac Deus juſſerit, ſecuturum, ut qua in terris potiri non poſſum, felicitate fruar tecum in cœlo.

Hoc à me, Valeſi, ſupremum munus habeto:
Quo bene te meritum frater honoro libens.
Accipe ſinceri monumentum & pignus amoris:
Quod tibi me præter nemo daturus erat.
Regibus exſtruxere alii ſua Mauſolea:
Clarius eſt, mea nunc quod tibi dextra facit.
Marmora Pyramidum conſumſit tempus: in illum
Quem ſtatuo tumulum nil ſibi juris habet.

DE VITA
JACOBI USSERII

Archiepiſcopi Armachani

E V. V.

NICOLAI BERNARDI,

Aliorumque ſcriptis Collectanea.

PLurimum certe intereſt Eccleſiæ Dei, cum ad præconium virtutis tum ad exemplar morum, ut, qui pietate conſpicui, doctrina illuſtres, rebuſque geſtis inſignes ſuis aliquando temporibus extiterunt, horum nomen & vivendi ratio ad ſeros uſque nepotes transferantur. Quocirca operæ pretium me facturum eſſe arbitrabar, ſi Jacobi Uſſerii, Reverendiſſimi illius Archiepiſcopi Armachani totiuſque Hiberniæ Primatis vitam literis conſignarem; & quidem quantumvis ab aliis viris doctiſſimis integerrimiſque hoc idem jam antea factum eſſe non ignorarem: non quod eorum fidei aut diligentiæ quicquam ego detractum velim, aut quæ ab illis jam ſcripta ſunt, hæc eadem à me aut copioſius aut luculentius exponi poſſe putem: verum ut magnum illud inſtar pietatis & literarum, cujus nomen & fama apud exteros omnes, quam late patet orbis literarius, dum viveret adhuc increbuerat, ne noſtrorum ſolum hominum conſcientia & memoria contineretur. Enimvero indignum mihi videbatur, qui tot linguarum peritiam complexus eſt, ejus hiſtoriam intra unius ſermonis Anglicani cancellos coerceri. Neque ſane ullus dubito quin Eccleſiæ Chriſtii univerſæ gratum imprimis futurum ſit, viri ſummi, ac de ſe optime meriti effigiem contueri, hærere in vultu, vitam contemplari, ac præſenti, quoad ejus fieri poteſt, cogitatione complecti. Quod quidem ego ut aliqua ſaltem ex parte præſtare poſſim, quoniam mihi non contigerit tanti viri tam eximiæ virtutis teſtem αὐτόπτην admoveri, in eam mihi curam maxime incumbendum eſſe ſentio ut ejuſmodi huc afferam quæ viri docti, ſummæque fidei, longaque Reverendiſſimi viri conſuetudine uſi aut viderunt ipſi, aut hauſerunt ab ipſius narrantis ore, aut ab aliis denique fide dignis acceperunt & in ſcripta ſua contulerunt.

Inter quos quidem facile primas tenet vir imprimis doctus & reverendus *Nicolaus Bernardus* S. T. P. & Eccleſiæ Dredenſis in Hibernia Decanus; qui

quum

quum Reverendiſſimo viro à Sacris fuerit, ac triginta deinceps annorum conſuetudine probe cognitus & perſpectus. multa ſubinde illum audivit de vitæ ſuæ anteactæ ratione diſſerentem. Hujus ergo præcipue veſtigia premens ac temporis filum legens aliorum ſpicilegia ſuis quæque locis intertexam, quæ incerti ſunt temporis cum aliis nonnullis ad calcem rejiciens.

Jacobus Uſſerius editus in lucem eſt Dublinii (quæ Hiberniæ urbs eſt principalis) anno poſt natam ſalutem octogeſimo ſupra quingenteſimum, pridie nonarum, ſive triduo poſt Calendas Januarii, quaſi ſtrenæ loco in orbem miſſus; magnum certe quidem futurus, cum Patriæ ſuæ decus, tum Eccleſiæ Dei beneficium.

Ex utroque parente familia ortus eſt haud ignobili; ſiquidem pater ei fuit *Arnoldus Uſſerius* V. C. qui ſolerti ingenio præditus, ac legum ſtudiis educatus, in Cancellariæ curia munus obiit non obſcurum. Patruum autem habuit *Henricum Uſſerium*, virum doctum & prudentem Cantabrigiæ quidem in Anglia bonarum literarum ſtudiis inſtitutum, ad Archiepiſcopatum Armachanum deinceps provectum; qui dum adhuc Dublinii eſſet Archidiaconus legationes in Angliam ad Elizabetham Reginam obivit duas; alteram ut Eccleſiam Sancti Patricii (quæ eſt Dublinii Cathedralis) è Sacrilegii faucibus, adeoque ab interitu vindicaret: alteram quo Collegii & Academiæ Dublinenſis fundationem ab Regina impetraret, quibus utriſque ſucceſſus non defuit luculentus. Ita ſcilicet providentia divina procurante, ut *Uſſerio* noſtro (cui ſolicite viſa eſt invigilare) nec deeſſet Academia patria, quæ inſtitueret juvenem, nec Eccleſia, quæ ornaret virum. Mater huic erat *Margareta* V. C. *Jacobi Stanihurſtii* filia; qui, quum eſſet civitati Dublinii à memoria, & è Cancellariæ (ut vocantur) Magiſtris unus, ita prudentia, integritate, ac rerum uſu inclaruit, ut in ſupremo totius Hiberniæ Senatu ſecundi ordinis ſenatores oratorem illum, atque adeo moderatorem ſuum collatis ſuffragiis ſemel, iterum, ac tertia demum vice, multis annis interjectis, perquam honorifice renunciarint. Hujus filius erat *Richardus Stanihurſtius*, Uſſerii noſtri avunculus, vir ſane haud vulgariter doctus (uti è ſcriptis ejus poeticis, hiſtoricis, Philoſophicis conſtare poteſt à Camdeno, Campiano, & Ferrario laudatis) cui cum nepote hoc ſuo epiſtolare commercium aliquandiu interceſſit.

Quid autem attinet huc afferre amitas *Uſſerii* duas, cæcas illas quidem ab incunabulis, at in ſcripturis Sacris ſupra fidem perſpicaces, niti ut intelligamus eas primum literarum uſum huic nepoti ſuo indicaſſe, & quas ipſæ nunquam conſpexerant ille ut videret ac legeret effeciſſe. Fratrem denique habuit *Ambroſium Uſſerium*, vitæ quidem brevioris, at præſtantis ingenii juvenem, & Hebrææ linguæ peritiſſimum; uti ſatis arguit V. T. ad Jobum uſque ab illo Anglice redditum ex Hebræo. Cujus exemplar ipſius manu deſcriptum etiamnum extare dicitur, quod quo minus abſolveret in cauſa fuit novæ illius verſionis Anglicanæ publicatio, quæ Jacobi Regis auſpiciis eſt adornata.

Hanc *Uſſerii* noſtri genus vidimus. Et quamvis lubricum admodum ac incertum ſit à Majoribus ductum argumentum virtutis, plus tamen gratiæ ac auctoritatis habere ſolet, quæ in ſobole conſpicitur, avita, hæreditaria, & quaſi à Majoribus traducta virtus. Verum ad ipſum aliquando veniamus. Qui octo jam tum annorum puer præceptoribus traditus eſt viris eximiis & apprime

prime doctis *Jacoborum* pari; *Fullertono* nempe & *Hamiltono*, qui è Scotia ſua Dublinium miſſi *Jacobi Regis* ſui conſilia & negotia ſub hujuſmodi profeſſionis larva diſſimulabant. A quo & magnis honoribus auctos, & rebus magnis in Republica gerendis poſtmodum admotos legimus. Præclare interim, & non ſine ſingulari Dei providentia comparatum eſt, ut in Hibernia, tunc temporis ab ejuſmodi viris ſatis inopi, opportune exiſterent, qui Uſſerii mores ac ſtudia formarent, idonei artifices, in quo ſane ſolebat ipſe divinæ providentiæ manum ſæpius agnoſcere & exoſculari. Horum opera jacta ſunt illa literaturæ fundamenta quibus poſtea ſuperſtructum eſt tam magnificum totique orbi ſtupendum ædificium; quod quo ſplendidius eſſet ac utilius, voluit Deus ut una cum eruditione co-æva pietas adoleſceret. Siquidem decimum ætatis annum vix attigerat cum Deus illi ſerium religionis ſenſum indidit, dum audiret quendam de verbis Sancti Pauli ad Romanos, initio capitis duodecimi concionantem. Quin & hæſerunt animo quædam è Perkinſii concionantis ore calamo excepta, illique lecta, de die dominico ſanctificando. O præclaram illam vivendi methodum, qua quis à teneris unguiculis pietate imbutus & obſequio Dei ita addictus eſt, ut conſtanti propoſito ac pertinaci ſtudio gloriæ Dei promovendæ omnia vitæ ſuæ munia deinceps adminiſtret.

At ſenſit Diabolus quam regno ſuo periculoſa forent tam feſtinæ pietatis primordia, ac metuens quorſum tandem evaderent minæ illæ, ni tempeſtive reprimerentur, terroribus illum ſuis die noctuque exagitabat, ut eum à pietatis ſtudio ac officiis deturbaret: verum adfuit Deus invocanti ſervulo, & à ſatanæ illum terroribus liberavit. Iſta conſilia cum videret ſatanas parum è ſententia & voto ſuo ſucceſſiſſe, aliam ſibi rationem ineundam eſſe ſtatuebat. Chartarum pictarum luſu à pietatis & literarum ſtudiis avocare illum ſatagebat; ut, quem non vi à propoſito dimovere poterat, eum ſaltem dulci voluptatis eſca illectum irretiret. Verum ut primum ſenſit *Uſſerius* quantis præſtigiis ludendi amor illius animum occuparat, diaboli verſutia ſubolfacta, ab eo ludendi genere de cætero penitus abſtinuit.

Exacto jam tyrocinii ſui quinquennio, in quo Grammaticæ, Rhetoricæ & Poeticæ (quam amabat unice) Chronologiæ inſuper ſtudium adjunxerat, annos jam natus tredecim ſubduxit manum ferulæ, ac in Collegium Dublinenſe, (fælici omine) primus omnium ſcholaris inſcriptus eſt, & *Jacobi Hamiltoni*, ſupra laudati, fidei ac tutelæ concreditus; qui è ludi literarii hypodidaſcalo nunc in Collegii ſocium eſt adoptatus. Quem ſæpius audivi (inquit Bernardus) ſtupendum Uſſerii cum ingenii acumen, tum in ſtudiis profectum, non ſine admiratione multa, commemorantem.

Biennium inde efluxit, in quo non ſolum Artibus liberalibus adjunxit animum, verum & Græcæ Linguæ ac Hebrææ peritiam adeptus eſt, Chronologiam vero ita excoluit, ut conficeret S. Scripturæ Chronicon, quod uſque ad Regum librospertinebat, Annalium idem poſtea ſuorum non contemnendum rudimentum. Crevit interim ejus ex parallelo pietas; accidit enim ut dum ſe ad ſacræ Synaxeos participationem accommodaret, hoc inter alia profuſis defleret lacrymis, quod ſtudiorum tempora recurſura, quam diem dominicum ardentiore deſiderio expectaret. Neque parum angebant pium animum de paterno Dei in ſe amore ſcrupulus, quod nondum ejus caſtigantem manum ſuiſſet

expertus

expertus, de quo certe in ætate provectiore non habebat quod quereretur.

Nondum in Artibus evaſerat Baccalaureus cum jam percurrerat Stapiltoni *Fortalitium fidei*; ubi cum vidiſſet immanem hominis confidentiam Eccleſiæ noſtræ doctrinam novitatis inſimulantem, ſuam autem antiquitate venditantem, commotus animo continuo ſecum ſtatuebat (Deo vitæ uſuram concedente) omnia veterum Patrum monumenta evolvere, ac penitius excutere, quo tantæ confidentiæ quid ſubeſſet veri exploraret. Quod quidem ille penſum annorum octodecim curriculo, intra viceſimum nempe ac triceſimum octavum ætatis ſuæ annum, poſtmodum abſolvit. Cujus tam ſingularis induſtriæ ac diligentiæ fructum non parvum hodie capit Eccleſia Dei, uberiorem certe perceptura cum Bibliotheca ejus Theologica & veterum Scriptorum Eccleſiaſticorum criticum, quos ardentibus votis exoptamus, obſtetriciis doctorum manibus in lucem publicam proferentur.

Baccaaureatum adeptus adeo diligenter Artium ſtudiis inſudabat, ut coram Eſſexiæ comite, eodemque Prorege Hiberniæ, ac Dublinenſis Academiæ Cancellario, in Philoſophia publice cum ſumma ſua laude diſputaret. Verum inter ea ſtudia non continuit ſe, ſed multos veterum Patrum libros, quin & polemica Pontificiorum ſimul & noſtrorum ſcripta interim percurrebat, atque ita quidem ut cum ſacerdotum Romanenſium primipilis diſputationem deinceps nunquam detrectaret. Imo cum Henrico Simondio Jeſuita, poſcente ſibi dari adverſarios in caſtro Dublinenſi de arce cauſæ ſuæ (ſcil. Antichriſto) ſæpius ita conflixit, imberbis juvenis cum veterano milite, ut & provocationis eum ſuæ peniteret, & ſatis antagoniſtarum in uno hoc octodenario tyrone experiretur. Ipſum audite Jeſuitam in præfatione libri ſui quem de Britannomachia miniſtrorum placuit inſcribere. *Prodiit quidem ſemel, (inquit) octodenarius præcocis ſapientiæ juvenis, de abſtruſiſſimis rebus Theologicis, cum adhuc Philoſophica ſtudia non eſſet emenſus, nec ephebis egreſſus, diſputandi avidus*, &c. Quem poſtea cum adoleverat *Acatholicorum doctiſſimum* idem ille pronunciabat, amplum ſane & inſolitum ex id genus adverſarii ore teſtimonium.

Sed dum *Uſſerius* noſter adeo avide inſtaret Theologiæ ſtudiis, ecce remora, quæ tam feſtinantem ejus curſum ſufflaminaret. Siquidem illud tempus jam ſupervenerat quo Pater illum voluit ad juris Anglicani ſtudium, uti olim conſtituerat, applicare, qua in re, vincente animum reluctantem pietate, morem parenti gerere paratus erat, niſi Patris mors interveniſſet ac debitum Theologiæ ingenium tam ardenti ſuo deſiderio reſtituiſſet. Veruntamen nova illi exinde difficultas & ſolicitudo exorta eſt; ne ſcilicet ampla illa quæ Pater reliquerat latifundia curis illum & ſpinoſis controverſiis, literarum ſtudiis quam maxime inimicis, implicarent, has ille quo facilius devitaret, exuebat ſe patrimonio ſuo; illudque fratribus ac ſororibus ſuis herciſcundum permiſit, ſeipſum interim Dei providentiæ reſignans, cujus miniſterio ſe jam devoverat. Verum ne vel temere vel ex animi imbecillitate potius quam prudenti ac deliberato conſilio ceſſiſſe forte putaretur, patrimonii ſui ſtatum ipſe prius accurate deſcripſit, tum vero quibus illud applicari voluit uſibus, prudenter quidem, indicabat. Hac ille ratione ex impedimentis illis veluti extricatus, acriore jam animo urgebat inſtitutum ſuum; atque annum ætatis viceſimum aſſecutus, magiſter Artium renun-

renunciatus, ac diſputatione Philoſophica in publicis Comitiis defunctus eſt.

Non ita multo poſt electus eſt Collegii Catechiſta; quod ille munus adeo diligenter adminiſtravit, ut magnam totius Theologiæ partem tractaret & abſolveret; atque hoc quidem didactice, ac intra Collegii ſacellum peragebatur, poſtmodum vero idem delectus eſt, qui in publico urbis templo ea religionis capita pro concione tractaret, de quibus inter nos & Pontificios interceſſerat controverſia, eo nempe conſilio, ut firmaret noſtrorum animos in fide ac profeſſione veritatis, illos autem ab errore, ſi fieri poſſet, revocaret. In illo opere poſtquam aliquandiu feliciter, & cum ſumma omnium utilitate proceſſerat (quantum ſcilicet experimento ſui videbatur illi ſufficere poſſe) non ulterius ſibi in eo ſtadio pergendum eſſe ſtatuebat, donec ſacris ordinibus eſſet initiatus, quod brevi poſtea (anno ſcilicet 1601.) effectum eſt, patruo ipſius *Henrico Uſſerio* Archiepiſcopo Armachano ordinante, licet nondum juſtam ætatem conſecutum neque enim æquum, aut è re Eccleſiæ videbatur; ut qui doctrina, prudentia, ac pietate annos præverterat, cunctantis ætatis legibus obſtringeretur. Neque eum à ſacerdotali munere ſuſcipiendo deterrere potuit præſens periculum, quod verbi præcipue miniſtris tunc temporis imminebat; ſi nempe Hiſpanorum arma, quæ de ſumma rerum Hibernicarum, ac Poteſtantium jugulis decernebant, ex votis ſuis ſucceſſiſſent. Quin eo potius capeſſendum ſibi eſſe illud munus exiſtimabat, quoniam, ſi ſtrage illa, quam deſignarant papiſtæ, involveretur; propius ad martyrium hac ratione acceſſurum ſe arbitrabatur. Verum percuſſo eo prælio Kinſalenſi, fuſiſque Hiſpanorum copiis, ſpe itidem ſua ſanguinolenta iſta papiſtæ exciderunt; quapropter diſſimulatis odiis, ac meditatam ſtragem in tempus opportunum differentes, cœperunt exinde tractari poſſe, ſtatuto regni morem gerere, ſacra Proteſtantium frequentare, & ſpes haud exigua gliſcebat fore ut in veritatis caſtra tranſirent eorum plurimi, & in puræ religionis profeſſione cum noſtris aliquando coaleſcerent. Verum, legis illius vi & efficacia de ſubito per ſuſpenſionem ſublata, & reſciſſa, omnia deinceps in pejus ruere, ac retro ſublapſa referri; tum Papiſmus, veluti repetito ad ſaltum ſpatio, & quaſi diluvio quodam, omnes ripas ſuperante, totam illam Gentem inundabat. Quo ſane facto adeo graviter commotus eſt *Uſſerius* noſter, ut publice coram Optimatibus concione habita illud Prophetæ Ezekielis quarto ſexto ad rem Hibernicam accommodaret; atque inde ſibi eliceret Patriæ ſuæ ruinam poſt quadraginta annos imminere. Quod quidem ejus ſeu pronunciatum, ſeu vaticinium, utinam eventus rerum non ita nimium comprobaſſet; certe quod eo tempore illi præſagiebat animus adeo ſolicite ac intente deinceps expectabat, ut quo magis tempus illud propinquaret, eo majorem indies haberet de re futura confidentiam; prout ipſe per annos plus ſedecim teſtari poſſum (inquit Bernardus) ut qui ſæpius illum (nec ſine ſumma admiratione mea) audiverim expectationem hanc ſuam profitentem.

Illa autem quam modo memoravimus Papiſtarum inſtructio occaſionem illi præbuit totum doctrinæ corpus in illum Catechiſmum reducendi, qui nuper ſub ejus nomine aliquoties excuſus eſt, quanquam ipſe pro ſuo opere non agnovit eo quod ci[illegible]nus tantum eſſet è Cartwrighto, Crookio, aliiſque Theologis Anglicanis [illegible] excerptus & conſarcinatus, iſque dimidia jam parte mancus,

cus, nec ipsius sententiæ ubique concors, uti ipse literis ad Downhamum scriptis aperte testatus est.

Paulo post victoriam illam Kinsalensem, qui in exercitu nostro cum imperio erant, spectabiles viri, quo palam fieret quanta esset inter arma & artes necessitudo, quamque in promptu esset viris de patria sua optime meritis de republica etiam literaria bene mereri, mille octingentas libras Bibliothecæ publicæ Collegii Dublinensis instruendæ magnifice contulerunt. Libros igitur coemendi provinciæ Usserio nostro cum Challonero communis est delegata; Qui eo consilio continuo in Angliam trajecit; ubi Thomam Bodleium militem reperit idem prorsus volventem saxum in gratiam Bibliothecæ suæ Oxoniensis. Quamobrem in fœdus coeuntes in negotio non absimili mutuas operas quam amicissime præbuerunt. Ex illo tempore factum est ut Usserius quovis triennio Angliam inviseret; ubi mensem unum Cantabrigiæ, alterum Oxoniis, utriusque Academiæ libris, manuscriptis imprimis, excutiendis insumebat; in quibus, iis qui in Collegio Corporis Christi Cantabrigiæ asservantur, facile primas tribuebat. Tertium vero mensem Londino assignavit, ut Bibliothecam Cottonianam scrutaretur, & doctorum quorundam virorum consuetudine uteretur.

Primus illum dignitate Ecclesiastica ornavit Loftusius Archiepiscopus Armachanus, Sancti nempe Patricii Dublinii Cancellariatu, quo honore jam tum indutum Wilhelmus Camdenus eum commemorat quam honorifice.

Anno hujus seculi septimo gradum suscepit Baccalaurei in S. Theologia, & modico spatio interjecto Theologiæ Professor publicus Dublinii electus est, quo ille munere dum per annos tredecim, aut eo amplius exequeretur, magnam controversiarum Bellarmini partem ad examen revocabat; quarum prælectionum volumina tria, ipsius descripta manu, se vidisse refert ac perlegisse Bernardus, quæ si quis in lucem publicam edenda procuraverit, rem procul-dubio facturus est non minus Ecclesiæ Dei gratam & proficuam, quam Usserio debitam, & Academiæ illi honorificam. Biennium inde effluxerat, cum de fundis quibusdam Ecclesiasticis controversia quædam exorta est; qua de re librum scripsit Usserius eruditum, eoque magis liberum à studii partium suspicione, quod nulla ei exinde messis succrescere posse videretur. Cujus quidem scripti res præcipuas Glossario suo inseruit Henricus Spelmannus Eques, ac doctissimus idem antiquarius, easque autori fert acceptas.

Post exiguum inde temporis intervallum natos jam annos præter-propter triginta Collegii Dublinensis Præpositus unanimi sociorum consensu eligebatur, quod ille munus, utut satis in se honorificum, &, si emolumentum spectes, non contemnendum; cum tamen facile prævideret quanta sibi studiorum impedimenta exinde essent enascitura, continuo detrectabat, quo expeditior foret ad institutum sibi cursum peragendum. Tantilla res pecunia videbatur animo ad sublimiora aspiranti! Altero biennio hinc elapso Doctoris laurea ab Hamptone Archiepiscopo mactus est; cujus dum esset candidatus de 70 hebdomadis Danielis, ac de millennio Apocalyptico doctissime prælegebat.

Anno proximo librum illum in lucem edidit, quem *De Ecclesiarum Christianarum successione & statu* indigitavit. Anno vero seculi hujus decimo quinto prodierunt Articuli illi Ecclesiæ Hibernicæ, quos publicus Episcoporum totiusque

cleri conventus, quæ Convocatio dicitur, tamquam religionis ac doctrinæ quam profitebantur ſummulam, extare voluit, in quibus quidem deſcribendis digerendiſque Synodus Uſſerii operam adhibebat.

Verum non potuit diutius tanta viri virtus invidia & detractione carere, quæ, velut umbra quædam maligna, ſolent eminentiorem virtutem comitari. Non defuerunt ergo qui illum apud Jacobum Regem veluti Puritanum calumniabantur quaſi Epiſcoporum regimini iniquiorem; quod nonnulli amabant ea voce ſignificare; quamvis apud profanam plebem nihil ſolennius quam eam fabam cudere in omnes ſerio & ſine fuco pios; verum ad Regis prudentiſſimi colloquium admiſſus Uſſerius ita à ſe accuſationem iſtam depulit, ut & ſe, & pietatem ſuam deinde haberet apud Regem probatiſſimum, quod quidem ſuum de illo judicium quo Rex omnibus teſtaretur, ſponte ſua, & ex mero (quod dicitur) motu illum Midenſi Epiſcopatu jam tum vacante condecoravit. Ita nempe bonus & ſapientiſſimus Deus adverſariorum malitia & petulantia ad ſervorum ſuorum proſperitatem ſæpe abutitur.

Electus jam Epiſcopus, poſtquam ad Parlamenti Anglicani inferioris ordinis ſenatores concionem habuerat eruditam, (quæ poſtea typis tradita eſt ex illorum mandato) ac in Hiberniam erat reverſus ab Hamptono Primate, duobus Epiſcopis Suffraganeis, pro more & præſcripto illius Eccleſiæ, aſſiſtentibus, Epiſcopus Midenſis conſecratus eſt. Neque porro deſtitit à vetere ſua concionandi diligentia, verum quo arctius ſe ad eam obſtringeret Epiſcopali ſuo ſigillo inſcribi voluit illud Pauli effatum, *Væ mihi ſi non Evangelizavero*; ut vere de illo dici poſſit quod de Auguſtino in ejus vita Poſidonius. *Atque Epiſcopatu ſuſcepto, multo inſtantius ac ferventius majore auctoritate, non in una tantum regione, ſed ubicunque rogatus, verbum ſalutis æternæ alacriter & ſuaviter, pullulante atque creſcente Domini Eccleſia, prædicabat.* Quocirca cum multos haberet in Diœceſi ſua pontificios, primo certè colloquiis privatis cum eis egit, quibus profecto tantum effectum eſt ut concionantem illum audire deinceps non recuſarent, modo ne in templo tamen quod ipſum iis condonandum putavit, ac proinde in foro juridiciali concionem habuit; qua ſane nonnullorum animos ita flectebat, ut nunquam in poſterum à ſacrificulis ſuis ullibi cum concionantem audire permitterentur; nihilominus poſtea multos, qua concione, qua colloquio, ad agnitionem perduxit Evangelicæ veritatis.

Circa idem tempus cum in Papiſtas nonnullos ſententia in camera ſtellata ferenda eſſet, quod juramentum de ſuprematu Regis agnoſcendo recuſarent, ei partes datæ ſunt eos prius inſtruendi, ac de juramento illo commonefaciendi quod anſam præbuit eruditæ illi quam de ea re habuit orationi, quæ in operibus ejus Anglicanis hodie conſpicitur. Eccleſiæ adhuc Midenſis Epiſcopus Malonei Jeſuitæ provocationi ſcripto reſpondit, quod dum edendi cauſa in Anglia commoraretur de Eccleſiæ Chriſti univerſalitate coram Jacobo Rege eruditam habuit concionem, quæ etiam publici juris facta eſt. Sed ecce dum vindicandæ veritati ſedulo incumberet ad Armachanam ſedem, Hamptono demortuo, evectus eſt, centeſimus à Patricio illius Cathedræ Epiſcopus, qui Auguſtini coævus, primus ibidem ſediſſe perhibetur; & eandem ibi doctrinam quam nos hodie profitemur prædicaſſe, prout Uſſerius alicubi de veriſimili ſaltem commonſtravit.

Summum

Summum jam Eccleſiaſtici honoris apicem, in eo quidem regno, conſecutus de ſolita tamen ſua in concionando diligentia nihil quicquam remittebat. Ita ſummus honos, qui nonnullorum animos corrumpere ſolet, & vel elevare ſuperbia, vel otio diſcingere, huic certe quidem & humilitatem auxit & acuit induſtriam, verum dum ſupra quam quod vires ferrent concionando incumberet, accidit ut febri quartana correptus per novem menſes detineretur, qua tamen (favente Deo) feliciter tandem defunctus eſt.

Vix à morbo illo convaluerat cum Mordantius Baro (qui idem poſtea Petropolitanus comes) Fide ac profeſſione pontificius uxorem ſuam ad eaſdem partes traducendi cupidus, id non alia ratione commodius aut certius fieri poſſe putabat, quam ſi duos doctos & primarios viros, alterum ex altera parte, audiret diſputantes, quo circa cauſæ ſuæ pugilem delegit Beaumontium Jeſuitam, cui verum nomen ſuberat Rookwoodus, utpote illius Rookwoodi frater qui ob conſpirationem ſulfuream capite pœnas dedit. Hunc contra antagoniſtam elegit pia Domina Primatem hunc noſtrum, qui reformatæ fidei partes diſputando tueretur. Is, quamvis eſſet haud ſatis adhuc confirmatæ valetudinis, aut tanto itineri viribus idoneis, pro eo tamen quo ſemper fuerat veritatis propugnandæ & animas lucrifaciendi ſtudio, rogatus id munus non detrectabat. Locus diſputationi aſſignatus erant ipſius Baronis ædes, quæ hodie Draitoniæ conſpiciuntur in agro Northamptonienſi, eo certe huic negotio magis accommodæ, quod Bibliothecam continerent veterum Patrum ſcriptis inſtructiſſimam, quæ ibi in promptu erant, ſi ad ea forte (quod fere fit) inter diſputandum fieret provocatio. Diſputationi capita proponebantur *De tranſubſtantione*; *De Sanctorum invocatione*, *De imaginibus*, atque de *perpetua Eccleſiæ viſibilitate*; Poſtquam triduum fuiſſet diſputationi datum (ſingulis nempe diebus horæ quinque) in quibus Reverendiſſimus Primas reſpondentis partes ſuſtinuerat, die quarto Jeſuitæ idem munus ex optione propria incumbebat; qui ad horam condictam non comparuit, verum ſcriptis ad Baronem literis ſe excuſavit, quod omnia quæ excogitarat argumenta è memoria prorſus excidiſſent, nec revocanda; cujus infortunii cauſam in juſtum Dei judicium rejiciebat, quod ſponte ſua, abſque licentia ſuperiorum, cum viro tantæ eminentiæ ac eruditionis auſus fuiſſet in arenam deſcendere; quæ tam turpis ejus tergiverſatio tantum ſane valuit apud Baronis animum, ut poſtquam ſermones cum Primate ulterius conſeruerat, Pontificiorum partibus nuncium remitteret, & in Evangelicæ veritatis profeſſione ad finem uſque vitæ perſeveraret. Atque hæc quidem accepi (inquit Bernardus) ab oculato & aurito teſte, quibus & fidem aliquam afferre poſſit illa Chaloneri, ſacerdotis ſecularis, exprobratio, qua in libro contra Beaumontium edito, eum ut caveat porro monet ab ædibus illis Draitonianis, ne forte in Uſſerium alium incidat, qui illum denuo in fugam agat, non ſine ſui ipſius & profeſſionis ſuæ ignominia. Quæ omnia ſi quis diligenter animo ſecum perpenderit, non mirabitur quod Pia Domina tam inſigni pietate ac reverentia Reverendiſſimum hunc Primatem, quoad viveret, proſequeretur. Qui in Hiberniam reverſus incredibili omnium gaudio exceptus eſt; ac in autumno ejuſdem anni, (qui erat 1626.) cum in publico Gentis illius confluxu id à Falklandio ageretur (ſummus is erat ſub Jacobo Rege Hiberniæ moderator) ut ſi modo milites alerent ſuis ſumptibus Pontificii,

religionis ſuæ publice exercendæ ampliorem facultatem conſequerentur; Reverendiſſimus Primas facile perſpiciens ea res quam fatalis Hiberniæ futura eſſet, omnes ditionis ſuæ Epiſcopos convocavit, qui ejuſmodi indulgentiæ impietatem, ſubſcriptis nominibus, unanimi conſenſu in hanc fere ſententiam teſtati ſunt. Quod quum Papiſtarum religio ſuperſtitioſa eſſet ac idololatrica, fides erronea ac hæretica, Eccleſia utriuſque reſpectu Apoſtatica, liberum iis religionis ſuæ exercitium libertamque fidei ſuæ ac doctrinæ profeſſionem indulgere grave peccatum foret; tum quod hac ratione omnium Papiſmi ſuperſtitionum, idololatriarum, hæreſium, ac uno verbo abominationum ejus omnium, quin & perditionis omnium, quotquot in illius apoſtatiæ diluvio perirent, culpa & reatu nos (aiunt) involveret, tum vero etiam quoniam hoc facere pecuniæ gratia nil aliud foret quam religionem vænum exponere, imo & animas pretio prodere quas ſalvator noſter Jeſus Chriſtus precioſo ſuo ſanguine redimere non dubitavit. Deum propterea veritatis comprecantes, ut vellet omnes, qui cum imperio erant, zelo Dei gloriæ & veræ religionis propagandæ ſtudio imbuere & contra Papiſmum, Superſtitionem, ac Idololatriam omnem fortes eos reddere, zelo affectos, & animo quam maxime obfirmatos. Epiſcopi duodecim omnino erant qui huic proteſtationi ſubſcripſerunt; quam Downhamus Derrienſis Epiſcopus, cum poſtea coram Falklandio & concilio prædicaret, media concione publice recitavit; quin & Reverendiſſimus Primas eandem proximo die Dominico coram eiſdem inter concionandum comprobavit; una innuens quam gravis ira Dei ob talem animorum propenſionem ei genti imponderet. Unde tandem effectum eſt ut ad alia conſilia deflecterent, nec ita multo poſt Falklandius in Angliam rediturus, dimiſſis primum cæteris, qui illum honoris cauſa fuiſſent ad littus comitati, tandem in genua procidens ac Reverendiſſimi Primatis complexus genua benedictionem ejus humillime petiit & accepit.

Paulo antequam conveniret Hiberniæ Parlamentum Anno 1634. tranſmiſſæ ſunt ex Anglia à Regia Majeſtate ad Dominum ejus vices gerentem & concilium literæ, ut ſententiam ferrent judicialem, utrum ſedi Archiepiſcopali Dublinienſi, an vero Armachanæ, prioritas & præcedentia de jure deberetur; qua de re nuper exorta fuerat controverſia. Armachanus pro ſumma ſua modeſtia ac humilitate ægre tandem induci potuit ut in eam arenam deſcenderet, verum juſſus cauſam dicere, id tanta cum eruditione fecit, tamque luculenta adduxit ex ultima antiquitate teſtimonia, ut ſecundum illum à judicibus cauſa data ſit. Non abſimiles poſtea literæ (clam Uſſerio) allatæ ſunt, quæ Primatem priore ante Dominum Cancellarium loco habendum eſſe, decernebant. Qui tunc honores ita ejus animum minime efferebant, ut oneris potius apud ipſum, & gravaminis loco haberentur. Poſtquam autem jam coierant ſenatores, Uſſerius concionem doctam & piam apud eos habuit: quin & ſimili concione poſt quinquennium inde ad Parlamentum auſpicatus eſt.

Anno vero 1640. ex Hibernia in Angliam, principum quorundam virorum hortatu, evocatus eſt, ut conſiliis ſuis pacificis, ſi fieri potuiſſet, illorum temporum diſſidia conſopiret, ac animos hominum conciliaret; obtulit quidem ille tunc temporis ſuum de Epiſcopali regimine retinendo ac ad primitivum ſtatum reducendo conſilium: at —— *quem tum vates Caſſandra movebat!*

verum

verum ita certe providentia divina effectum est, ut ille interim è patriæ suæ conflagratione ac sævissima laniena eriperetur, hanc illi cladem ante quadraginta annos circa hoc tempus eventuram denunciaverat, ac sæpius exinde labentibus annis prænonuerat (ut superius dictum est) & probe memini (inquit Bernardus) cum in Angliam proficiscerer, valedicerem, quam solenniter monuerit de imminentibus jam tum ærumnis, & tristissima illa calamitate, quarum me dixit testem futurum esse priusquam denuo ad illius conspectum devenirem; brevi post tempore ille malorum Ilias miseræ illius Gentis viscera invasit. enimvero Jesuitarum & Sacrificulorum rabies in Protestantes eousque exarserat, ut plebem pontificiam in immanem sævitiam ac feritatem inflammarent, qualem haud scio an ulla unquam ætas post homines natos experta sit. Siquidem ad dictum diem Protestantium jugulis sicas suas intenderunt ac intra paucos menses ducenta hominum millia infanda strage, nulla vel sexus vel ætatis ratione habita, nihil quicquam tale vel somniantes interfecerunt, nec alia de causa quam quod religionem reformatam profiterentur.

Ex hoc patriæ suæ naufragio, & quasi παλιγγενεσία, Usserius quidem ipse vivus, ac sane nudus, emersit, non sine rerum omnium jactura & dispendio; neque quidquam habebat reliqui quod victum illi suppeditaret. Sola supererat libraria supellex, quam, undecunque locorum conquisitam, selectissimam habuit, & quantivis pretii. Hoc studiorum solatium erat & adminiculum, nec sine publico rei literariæ damno perire potuit; verum postquam quatuor jam menses in urbe Drogheda obsessa fuerat à rebellibus pontificiis, tam opimæ prædæ imminentibus ac inhiantibus, tandem Dei beneficio & misericordia effectum est, ut, urbe ipsa ab obsidione liberata, Bibliotheca una cum Bernardo, (cujus tutelæ fuerat à Primate commissa) è Jesuitarum & Sacrificulorum faucibus erepta fuerit & conservata, ac integre demum, una cum codicibus omnibus Manuscriptis, ad Cestriam in Anglia ejusdem anni æstate transmissa; non sine magno illius gaudio, & Ecclesiæ Dei emolumento.

In hisce tantis rei familiaris angustiis, & rebus suis tam alienis constitutus, concionatoris munus obeundo vitam aliquandiu tolerabat. Accidit autem circa id tempus ut Wentworthius Straffordiæ comes, tanquam Majestatis reus, in judicium capitis vocaretur, in quem sententiam ferre Rex serenissimus magnis de causis cum dubitaret. Reverendissimum hunc Primatem ac alios Episcopos nonnullos in consilium adhibuit. Exinde nonnullorum hominum seu temeritas sive malitia ansam arripuit Primatem calumniandi, acsi suasor Regi fuisset illius sententiæ ferendo cujus cum postea pœnitebat latæ, verum hujus calumniæ falsitas abunde satis arguitur ex Usserii narratione à Bernardo publicata, qua rem totam prout gesta est exponit; tum vero præcipue ex omni exceptione majore ipsius Regis testimonio, qui cum Oxoniis falsum de Usserii morte rumorem accepisset, doloremque suum de tanto tum Ecclesiæ tum suo damno conceptum testaretur, cuidam pravum illud consilium memoriæ viri objectanti, fallicate ac indignitate rei commotus Primatis in eo negotio innocentiam, addito juramento, vindicavit, uti retulerunt viri summæ & notæ & fidei, qui tunc intererant auriti testes.

Biennio vero post ejus in Angliam adventum, scintillante jam tum civili bello, ac mox (uti videbatur) sævituro impetrata prius à Parlamento venia, studendi

ſtudendi gratia Oxonium ſe contulit, florentiſſimæ ibidem Bibliothecæ uſurus beneficio. Quo cum poſt biennium alterum Rex adveniſſet, coram eo concionem habuit Reverendiſſimus Primas piam ſane ac eruditam, ab illo ſcripturæ loco Nehemiæ quarto undecimo auſpicatus, quem dum tractaret auditores monuit, quam periculoſa res foret, ac aleæ plena, Papiſtis fidem ullam adhibere, ut qui primam quamque opportunitatem arrepturi eſſent eodem plane modo nobiſcum agendi, quo jam nuper tractaverant in Hibernia Proteſtantes, quo ille dicto ut nonnullorum animos lætiſſe dicitur, ita ſuam ipſius animam liberaſſe.

Martio proxime inſequente Oxonio valedicens in Cambriam ſeceſſit, apud filiam, quam habebat unicam, aliquandiu commoraturus; quæ Timotheo Tyrello antea nupſerat, equeſtris dignitatis viro, ac tunc temporis Cardiffæ cum marito ſuo, (qui eam urbem ſub Rege Carolo præſidio tenebat) habitabat. Quem cum Rex alio ſecum abduxiſſet, Uſſerius, neque caſtra ſequi valens, nec locum habens in quo conſiſteret, à Selectiſſima Domina Stradlinga ad caſtellum ſuum quod Sancti Donati dicitur ad lapidem exinde duodecimum humaniſſime invitatus eſt. Verum dum itineri ſe accingeret, planitiem illam, qua eundum erat, ab armato milite de ſubito confluente occupatam eſſe intellexit, quocirca, conductis peritis viæ ducibus, occulto itinere præterlabi militem conatus eſt; neque ſic tamen evitare potuit, quo minus ipſe cum filia & Bibliotheca portatili (quam ſex ille ciſtis incluſam habebat ſelectiſſimam, ſtudiorum ac peregrinationis ſuæ dulcem comitem) in milites ſeu palantes ſive exploratores inciderent, qui continuo illum cum filia & modico ſuo famulitio equis detractos ad exercitum rapiebant, libros autem atque chartas, maximam partem ipſius manu exaratas, in centum manus momento temporis non ſine ludibrio quodam diſſeminabant. Ipſe interim, pro ea qua erat mirabili animi humilitate & patientia, ſtabat pedes, ac taciturnus, neque ullum commoti animi indicium aut verbo aut vultu ſpectantibus exhibebat. Suppuduit autem nonnullos melioris commatis viros tam rudis ac plane barbaræ viri tam ſancti tractationis; quocirca illum ad Johannis Auberii Equitis aurati ædes non longe diſtantes deduxerunt; à quo humaniſſime ea nocte acceptus eſt.

Proximo die cum omnes librorum & ſcriptorum damnum inæſtimabile juxta ac irreparabile impatienter ſatis deplorarent; Ipſe interim, quieſcite inquit, providentiæ divinæ manum exoſculemur, quæ quid nobis apportet nondum ſatis fortaſſe intelligimus: Ego autem hoc unum dico, quæcunque ego longo ſtudio & labore meo in uſum ac bonum publicum congeſſeram, iis omnibus nos rudem militem diſpoliaſſe, neque aliud quidquam habeo quod Chronologiam meam (jam quidem prope conſummatam) exſpectantibus deinceps poſſim reponere, niſi operis materiam ac apparatum omnem interiiſſe: Verum ecce θεὸς ἀπὸ μηχανῆς! Siquidem cura & induſtria Generoſorum illius regionis hominum, ac verbi Dei miniſtorum, tam irreparabili Eccleſiæ damno indolentium effectum eſt, ut intra trimeſtre ſpatium omnes illi libri chartæque hinc inde comportati ſint ac reſtituti; neque ullum deeſſe compertum eſt præter Ciceronis opera, & duos de Waldenſibus codices calamo deſcriptos, quantivis certe pretii, ac operi de eccleſiarum Chriſtianarum ſucceſſione & ſtatu perficiendo utiles ac neceſſarios: quos Romanenſium certe intererat non comparere.

Dum autem ageret Sancti Donati gravi morbo correptus eſt, qui medicis Dyſuria

Dyſuria videbatur. Hic illum quam ſeveris torminibus exercebat, in quibus mediis patientiſſime ſe geſſit, Deum laudans ac ejuſdem voluntati ſe totum reſignans; piis conſiliis circumſtantes hortatus reſipiſcentiam ne differrent, ac piam vitam ad extrema rejicerent. Sed huic morbo acceſſerat per nares fluxus ſanguinis, qui durabat horas quadraginta continuas nulla quidem arte ſiſtendus, adeo ut nulla ſpes vitæ ſupereſſet. Cum autem jaceret jam expiranti ſimilis, ſponte ſua ſubſiſtente ſanguine, aliquantiſper mentis exceſſum paſſus eſt; quem aſtantes quidem mortem interpretati ſunt. Verum reſpexit Deus languentem ſervum, eumque velut ex umbra mortis reſuſcitavit, qui ſenſim vires, & quaſi è poſtliminio recipiens pergebat deinceps in tela ordita pertexenda.

Rebus autem Regiis ubique jam proſtratis & conclamatis, cum nullus ei locus ſupereſſe videbatur, ubi tuto poſſet conquieſcere; conſilium cepit de partes aliquas tranſmarinas adeundo, ubi nec Pelopidarum nomen, nec facta audire poſſet. Verum cum tranſitum omnem ſibi intercluſum eſſe intelligeret eam cogitationem depoſuit. Neq; multum inde temporis interceſſerat cum Petriburgenſis Comitiſſa, jam tum vidua, inſtanter eum ac humaniſſime invitavit, ut ſuarum ædiam hoſpitio uteretur, præſtans interim ac in ſe recipiens eum tutum apud ſe receptum ac conditionem ipſo non indignam conſecuturum. Cupiebat ſiquidem pia & grata fœmina acceptum olim beneficium officio aliquo ſuo in tam opportuno ac neceſſario ejus tempore compenſare. Quocirca Uſſerius poſtquam ſuper ea re aliquandiu deliberaverat, Rege imprimis annuente, oblatum beneficium in ſe admiſit.

In eo receſſu deflebat nefandum illud ac infame Regicidium, quod poſt aliquot menſes patratum eſt; de quo nunquam potuit ſine ſummo dolore meminiſſe. Non multum inde temporis elapſum eſt, cum publicis Hoſpicii Lincolnienſis ſuffragiis invitatus concionatoris apud eos munus capeſſebat, quod quidem ille, ſumma auditorum benevolentia ac honore acceptus, cumplures annos exequebatur; donec tandem, viribus ſimul & oculis deficientibus, amici illum hortati ſunt, ut quod reliquum erat ſpirituum Scriptis ſuis (quæ jamdudum à multis expectabantur) perficiendis reſervaret. Quorum ille precibus auſcultandum eſſe ratus munere illo concionatorio ceſſit. A quo tamen in poſterum ſe vix abſtinuit, ſiquidem de illo etiam per inſomnia cogitabat (uti Bernardo dixit) ac de eo in privato aliquo ſacello proxima æſtate reſumendo apud ſe ſtatuerat, ſi mors conſilia ejus non amputaſſet. Nullum interim tempus à ſtudiis & laboribus ſuis vacuum effluere unquam paſſus eſt: Cumque nullum ei ſubſidium amplius afferre potuit ſpecillorum uſus, ſplendorem ſolis undecunque captans inſequebatur, eoque modo hanc modo illam feneſtram ſubintrante ad legendum ſcribendumque utebatur, verum aliud ei lumen paraverat cœleſtis pater, cujus brevi poſt tempore particeps factus eſt.

Sex ante obitum ſeptimanis (aut præterpropter) accidit ut concionantem audiret virum pium ac eruditum, qui illi tum temporis à ſacris erat, fueratque per multos annos ejus in adverſis comes & conſiliorum particeps (quique nos omnes hic multum habet debendi reos) Huic Primas, cum de verbis Paulinis initio Capitis tertii ad Coloſſenſes concionem (uti dicere occœperam) habuiſſet, "Me, inquit, imprimis ſpectat hæc tua concio, qui modò ſum è mundo "abiturus.

"abiturus. O, quam cupiam mihi cor in cœlis eſſe, animæ meæ rationes "nunc exutio, ſi omnia in vado atque tuto ſint. Deinde cum intimos animi ſui ſenſus eidem ſermone aperuiſſet, ecquid inquit obſecro de me judicas? Cumque is nullum eſſe dubitandi locum reſpondiſſet, ah! (inquiebat) tu quidem pro charitate tua pronuncias, Deus autem ſcrutatur cor. Non abſimile quid poſtea, in ultimo ſuo à Londino deceſſu Bernardo valedicens, habuit, de ſeipſo loquens tanquam de ſanctorum minimo, nec ſine lacrymarum utrobique profuſione; circa idem tempus, uti antea ſæpius, inquit Bernardus, ingentem animi ſui ſenſum aperuit de impendente Eccleſiis reformatis à papiſtis ſæviſſima perſecutione.

Dies viceſimus ſupervenerat menſis Martii Anno 1655. cujus luce cum Chronologiæ ſuæ ſacræ prope totam impendiſſet, ac deindæ fœminam quandam morti tum proximam conſiliis ſuis & conſolationibus communiviſſet, ipſe dolore coxendicis correptus eſt, qui iſchiadis poſt triginta quinque annos recurſus aliquis videbatur; verum is, quicunque fuerit unguentorum uſu eſt profligatus, adeo ut ipſe eam noctem quieti daret, aurora autem ſubſequente de gravi lateris dolore coi queſtus eſt, qui cum nullis medicamentis cederet, viribus etiam flaccefcentibus, continuo ille ad preces ſe recepit; & quidem quoties tormina ſe remitterent aliquantulum, ſubinde aſtantes monuit, ut dum adhuc valetudine fruerentur morti ſe paratos redderent, ut ea tandem ſuperveniens, nec imparatos eos nec aliis rebus impeditos deprehenderet. Cujus ille adventum (compoſitis brevi rebus ſuis) lubens jam lætuſque expectabat. Die autem procedente cum verbi Dei miniſtri, qui tunc ei adfuit, ſubſidium in precibus aliquandiu adhibuiſſet, de cætero privatis ſuis ac ſolitariis permitti voluit; adeoque circiter horam à meridie illius diei primam, dum à Deo peccatorum ſuorum remiſſionem enixe peteret, inſolita vocis intentione hæc ultima ejus verba pronunciabat; tum *vero præcipue, Domine, condones mihi peccata mea omiſſionis*, itaque optionem ſuam eſt conſecutus (quam ego ſæpius (inquit Bernardus) illum ante audiveram conceptis verbis ſignificantem) ut cum Perkinſio noſtro miſericordiam Dei ac veniam implorans expiraret.

Hunc in morem vir ſanctiſſimus diem ſupremum clauſit in ædibus nobiliſſimæ Petriburgenſis Comitiſſæ, quæ Rigatiæ in agro Surrienſi conſpiciuntur, poſtquam præſentia ſua annos jam amplius ſeptuaginta quinque bearat orbem, Evangelium Chriſti per annos quinquaginta quinque prædicaverat, ac unum ſupra triginta annos Armachanam ſedem exornaverat, juſta vero exequiarum ſplendide ſatis in ſacello Henrici ſeptimi Weſtmonaſterii peracta ſunt; ubi mortales ejus exuviæ non procul à cineribus Jacobi Fullertoni, Præceptoris ſui, repoſitæ ſunt. Fuit ergo Hiberniæ decus, fuit Epiſcoporum gloria, fuit pietas, fuit Uſſerius. De quo pari jure meriteque dici poſſunt quæ Eraſmus ſparſim de Auguſtino.

"Inſignis erat Sanctiſſimi Præſulis manſuetudo, miranda quædam animi "lenitas. Linguam habebat ab omni petulantia & convitiis puram. Inge"nii felicitas prorſus erat incomparabilis, ſive ſpectes acumen, vel obſcuriſſi"ma facile penetrans, ſive capacis memoriæ fidem, ſive vim quandam mentis "indefatigabilem. Difficultatibus quæſtionum alebatur. Amabat perfectam "pietatem; ad docendum ſemper erat paratus, non aliter quam avidus nego"tiator

"tiator ad lucrum. En aliud in hoc Epiſcopo miraculum! in tam multis, tam "eximiis virtutibus, quam nullum ſupercilium! O virum ad totius Eccleſiæ "publicam utilitatem natum, factum, datumque divinitus!

Et quidem, ſi vellem προσωπογραφεῖν, erat ei corporis forma juſta & recta, ſtatura modice procera, vultus ſerenus & amabilis, geſtus qualis omnium reverentiam invitaret, habitudo corporis firma ſatis & fida fuit, morborum inſultibus rariſſime obnoxia. Cibo neque multo neque lauto alebatur; unde nec ſtomachus ei nec cerebrum crapulæ unquam aut temulentiæ incommodis affligebatur. Exercitationibus gaudebat modicis ac innocuis, quæque corpus ſimul & animum reficerent.

Indolem habebat optimam à natura inditam, nihil in eo tetricum aut moroſum (etiam ſene) fuit, nil imperioſum aut faſtidium ſpirans, faciles ſemper motus atque lenes habuit, iraſci novit; at, præter peccatum, res ſane pauciſſimos ira ſua dignas judicavit.

Ingenium habuit ad omnia ſtudia idoneum, ſed non deſultorium, judicium ſerenum ac ſtabile; memoriam uſque adeo fidam promtamque ut omnia fere quæ legerat retineret, & ſæpe quæ Anglice vel Latine publice dicenda habuit, tantum aberat ut è ſcriptis recitaret, ut ne in ſcripta quidem conjiceret, contentus rerum tantum capita leviter calamo perſtrinxiſſe.

Hoc ille gazophylacium omnigena eruditione locupletavit. Cujus ope tot libros ſcripſit, quot præter illum pauci, & quidem cum omni accuratione ac judicio, deque rebus fere arduis ac utiliſſimis. Hujus armarii ope toties ille cum hoſte conflixit, toties idem de hoſte triumphavit.

At diligentiam ejus & induſtriam quis non mirabitur? ego certe quoties eam cogito non poſſum quin exclamem (quod de Cæſare Cicero) ô horribilem diligentiam!

Pectus ejus pietatis ſacrarium erat; humilitas & manſuetudo erant in illo plane αὐτόχθονες, mirabilis ejus in proſperis rebus moderatio, in adverſis patientia, in omnibus conſtantia & æquanimitas. Paci ſtuduit, ut qui maxime, fratrum diſſidiis vehementer indoluit: tantum aberat ab injuria cuiquam inferenda, ut ne ſibi quidem illatam ulciſceretur, verum ex Evangelicæ legis præſcripto etiam inimicos diligeret ac amoris officiis proſequeretur.

Rem familiarem cum prudentia & pietate adminiſtravit, ab omni avaritia alieniſſimus, pauperes liberaliter ſublevavit. Theologus erat, ſi quis alius, profundiſſimus, concionator facilis, facundus, diligens, ac plane Apoſtolicus, Epiſcopus vigilantiſſimus. At fruſtra eſſem ſi vellem pergere; ſi omnia complecti, vanus. Conſcia eſt Hibernia, intelligit Anglia, novit Orbis Chriſtianus univerſus qui & quanti fuerint ejus pro Eccleſia Dei ſuſcepti labores, quantæ curæ & ſollicitudines. Nota ſunt Regum Jacobi Caroliique de eo judicia. Quid memorem eximium illud totius Hiberniæ Senatus teſtimonium, non minus ſibi ipſis quam Uſſerio honorificum? qui publico ſenatuſconſulto proſpexerunt, ut quoniam vir Reverendiſſimus ob incorruptam fidem Regi præſtitam, & ſinceræ religionis profeſſionem inconcuſſam, ac defenſionem incomparabilem, bonis ſuis omnibus exutus fuerat, quingentarum librarum reditus annuus & perpetuus illi & ejus & hæredi unicæ decerneretur.

Prætereo illum Senatus Anglicani, ipſiuſque deinde Cromwelli munificentia

fuiſſe ſublevatum (quod teſtatur Bernardus) tantum valebat ejus ſumma pietas & eruditio etiam apud eos, à quorum factis toto animo abhorrebat.

Ambibant illum Batavi profeſſorem ſuum honorarium; Card. Richeleius ſuum hoſpitem; at neutram conditionem ille in ſe admiſit. Taceo hic eruditorum hominum elogia, quibus certatim eum laudibus ſuis cumularunt. Fred. Spanhemii, Ger. Voſſii, Alex. Mori; Bocharti, Bootii, quin & noſtratium Seldeni, Twiſdeni, Camdeni, Spelmanni, antiquitatis peritiſſimorum; Davenantii, Prideauxii, Gaudenii, Epiſcoporum. Quorum calculos fere congeſſit Bernardus, aliique. Academiæ Oxonienſis de eo judicium libet hic apponere, quæ hoc ejus effigiei in ære cælato adſcribendum curavit.

Jacobus Uſſerius, Archiepiſcopus Armachanus, totius Hiberniæ Primas, Antiquitatis primævæ peritiſſimus, Orthodoxæ religionis vindex ἀναντίῤῥητος, *errorum malleus, in concionando frequens, facundus, præpotens, vitæ inculpatæ exemplar ſpectabile.*

Huic unicum ſubjungam Reverendiſſimi Chappelli, Corcagiæ Epiſcopi teſtimonium; qui has rationes alicubi reddidit, quamobrem Uſſerium noſtrum in toto Orbe Chriſtiano doctiſſimum reputaret.

"Primo quidem quod adeo mirifice eſſet à natura comparatus, ut & ingenium haberet promptum, inventionem ſubitariam, memoriam firmam, intellectum ſerenum, judicium perſpicax, elocutionem autem expeditam, raro (*inquit*) hæc omnia in eodem viro ſumma comperies; in illo autem ita horum ſingula ad perfectionem aſpirabant, ac inter ſe de victoria decertabant, ut cui potiſſimum palma tribuenda eſſet haud facile potuerit æquus arbiter dijudicare. Deinde vero, quoniam pauci (tot licet naturæ dotibus imbuti) aut valuerunt, aut certe voluerunt, eas in tantum provehere, conquirendo undique tot veterum monumenta, ſcrutando tot inſignes bibliothecas, ſtudio denique adeo jugi & pertinaci, cui paucorum ſane vel corpus vel cerebrum ſufficere unquam potuiſſet.

Poſtremo quod ab Academiis, cum noſtris tum tranſmarinis, pro doctiſſimo haberetur, & omnibus, quotquot illius conſuetudine uſi ſunt, linguarum peritiſſimus, in diſputando ſubtilis, orator facundus, profundiſſimus Theologus, magnus Antiquarius, & Chronologus accuratus, viva denique ambulanſque bibliotheca compertus ſit. Unde profecto effectum eſt, ut maximi quique literarum profeſſores, non ſine ſtupore quodam, mirati fuerint tantam ac tam variam literaturam in uno aliquo viro coire unquam potuiſſe.

Verbo Uſſerium (utut malevolorum linguas non effugerit) id tamen prope ſingulare dicam apud bonos omnes & cordatos viros eſſe conſecutum, *ſine exceptione laudari.*

Jacobi

Jacobi Uſſerii Archiepiſcopi Armachani opera edita,

LATINA.

1. De Eccleſiarum Chriſtianarum ſucceſſione & ſtatu,	*Londini*	1613
2. Hiſtoria Gotteſchalci	*Dublinii*	1631
3. Epiſtolarum Hibernicarum Sylloge	*Dublinii*	1632
4. De primordiis Eccleſiarum Britannicarum	*Dublinii*	1639
5. Ignatii Epiſtolæ cum annotationibus	*Oxoniæ*	1645
6. Appendix Ignatiana		1647
7. De Romanæ Eccleſiæ Symbolo Apoſtolico vetere & aliis fidei formulis		1647
8. De Anno Solari Macedonum	*Londini*	1648
9. Annales veteris Teſtamenti	*Londini*	1650
10. Epiſtola ad Capellum de variantibus textus Hebraici lectionibus	*Londini*	1652
11. Annales Novi Teſtamenti, *&c.*	*Londini*	1654
12. De Græca Septuaginta interpretum verſione Syntagma	*Londini*	1655
13. De Cainaane ſuperaddito diſſertatio		
14. Chronologia Sacra, editore Barlovio	*Oxoniæ*	1660

ANGLICANA.

1. Concio habita coram Domo Communium in Anglia,	*Feb.* 18	1618
2. Oratio habita in caſtro Dublinenſi, *Novemb.* 22		1622
3. Concio de Univerſalitate Eccleſiæ coram Rege Jacobo,	*Jun.* 20	1624
4. Reſponſio ad provocationem Malonei Jeſuitæ,	*Londini*	1631
5. De Religione ab Hibernicis & Britannis antiquitus profeſſa tractatus		1631
6. Immanuel, ſive incarnatione filii Dei		1639
7. Rainoldi judicium de munere Epiſcopali ex antiquitate confirmatum		1641
8. Aſiæ minoris deſcriptio Geographica	*Oxoniæ*	1643
9. De Origine Epiſcoporum & Metropolitanorum		1644
10. Catechiſmus parvus	*Londini*	1654
11. Reductio muneris Epiſcopalis, *&c.* De extenſione mortis Chriſti, *&c.* De Sabbato, *&c.* De ordinatione miniſtrorum in aliis Eccleſiis reformatis	*Londini*	1658
12. De poteſtate Principis, *&c.*		1661

Nondum Edita.

Cenſura Patrum, & aliorum Scriptorum Eccleſiaſticorum.
Prælectionum in Bellarminum volumina Duo.
Epiſtolæ ad viros doctos.
Bibliotheca Theologica (fortaſſis eadem cum Cenſura)
Præter conciones, & alia quædam ſcripta Anglicana.

FINIS.